# JOHANNIS BRAUNII, Palatini

S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque, ut & Hebrææ Linguæ, in Academia
GRONINGÆ & OMLANDIÆ
Professoris.

# DOCTRINA FOEDERUM,

sive

## SYSTEMA THEOLOGIÆ

Didacticæ & Elencticæ;

Perspicua atque facili Methodo.

*Editio altera, priori auctior, & infinitis locis emendatior, ab ipso Auctore recognita.*



AMSTELODAMI,
Apud ABRAHAM VAN SOMEREN, 1691.

CUM PRIVILEGIO.

# P R I V I L E G I E.

DE Staten van Holland ende West-Vriesland: Doen te weten. Alsoo Ons vertoont is by *Jordaan Luchtmans*, Boekverkoper binnen de Stad Leyden, hoe dat hy Suppliant van meninge was met permissie ende consent van *Johannes Braunius*, Professor SS. Theologiæ in de Universiteyt tot Groeningen, te drukken het Boek genaamt *Doctrina Fœderum, sive Systema Theologiæ Didacticæ & Elencticæ Perspicua atque facili Methodo*, uytgegeven by den voorsz. Heere Professor; ende dat in soodanigen Formaat, als het den Suppliant gelieven soude; als mede het selve te mogen laten Translateren ende oversetten in soodanige talen, als het den Suppliant goet soude vinden, ende alsdan het selve insgelyks als vooren soude mogen drukken; maar dewyl het selve sonder groote kosten by den Suppliant niet soude konnen werden gedaan, ende hy Suppliant bedugt zynde, dat het selve Werk by den een ofte den anderen Boekdrukker in Onse Landen van Holland ende West-Vriesland soude mogen werden naargedrukt, 't welk strekken soude tot des Suppliants groote schade, oversulks hy Suppliant gaarne op de voorsz Heere Professor *Braunius* uytgegevene, als mede nog uyt te geven Werken soude hebben Privilegie van Ons voor den tyd van vyftien Jaren, omme deselve alleenlyk buyten allen anderen te mogen drukken, ende dat in soodanigen Formaat ende in soodanige Talen, als den selven Suppliant goetvinden soude; sonder dat iemandt de voorsz. Werken in 't geheel ofte ten deele, onder pretext van vermeerdert, of met Nooten, ofte onder een gesingeerde name soude vermogen naar te drukken; ende in cas bevonden mogt werden, dat de selve elders buyten Onse Provintie mogten werden naargedrukt, dat de selve in dese Landen dan niet souden mogen werden ingevoert, ende dat op sekere groote pene by ons te stellen; dog dewyle hy Suppliant wist dat hy het voorsz. Privilegie van ons niet en konde bekomen, dan door een bysondere gunste; derhalven te rade geworden was hem tot Ons te keeren, ootmoedelyk versoekende, dat Wy hem het voorgemelte Privilegie voor den tyd van vyftien Jaren geliefden te verleenen; SOO IS'T, Dat Wy de sake ende 't versoek voorsz. overgemerkt hebbende, ende genegen wesende ter bede van den Suppliant, uyt onse rechte wetenschap, Souveraine Magt ende Authoriteyt, den selven Suppliant geconsenteert, geaccordeert, ende geoctroyeert hebben, consenteeren, accordeeren ende octroyeren mits desen, dat hy gedurende den tyd van vyftien eerst agter-een-volgende Jaren, het voorsz. Boek, genaamt *Doctrina Fœderum, sive Systema Theologiæ Didacticæ & Elencticæ Perspicua atque facili Methodo*, uytgegeven door den Heere Professor *Johannes Braunius*, binnen den voorsz. Onsen Lande alleen sal mogen drukken, doen drukken, uytgeven ende verkopen. Verbiedende daarom allen ende eenen yegelyken het selve Boek, in 't geheel ofte deel, in geenigerhande Talen ende Formaat naar te drukken, ofte elders naar gedrukt zynde, binnen de voorsz. Onsen Lande te brengen, uyt te geven ofte te verkopen, op verbeurte van alle de naargedrukte, ingebragte, ofte verkogte Exemplaren, ende een boete van drie hondert guldens daar-en boven te verbeuren, te appliceeren een derde part voor den Officier, die de calange doen sal, een derde part voor den Armen der plaatse daar het casus voorvallen sal, ende het resteerende derde part voor den Suppliant; alles in dien verstande, dat Wy den Suppliant met desen Onsen Octroy alleen willende gratificeren tot verhoedinge van sijne schade, door het naardrukken van 't voorsz. Boek, daar door in geenigen deele verstaan den innehouden van dien te authoriseren, ofte te advoueren, ende veel min het selve onder Onse protectie ende beschermінge eenig meerder credit, aansien ofte reputatie te geven, nemaar den Suppliant in cas daar in iets onbehoorlyks soude mogen influeren, alle het selve tot sijnen laste sal gehouden wesen te verantwoorden; tot dien eynde wel expresselyk begeerende, dat by aldien hy desen Onsen Octroye voor het selve Boek sal willen stellen, daar van geene geabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie sal mogen maken, nemaar gehouden sal wesen het selve Octroy in 't geheel ende sonder eenige omissie daar voor te drukken of te doen drukken, op pene van het effect van dien te verliesen, ende dat hy ook gehouden sal wesen een exemplaar van 't voorsz. Boek, gebonden ende wel geconditioneert, te brengen in de Bibliotheecq van Onse Universiteyt tot Leyden, ende daar af behoorlyk te doen blijken. Ende ten eynde den Suppliant desen Onsen Consente ende Octroye mogen genieten, als na behooren; Lasten Wy allen ende eenen yegelyken, die 't aangaan mag, dat sy den Suppliant van den innehouden van desen, doen ende laten gedogen, rustelyk, vredelyk, ende volkomentlyk genieten ende gebruyken, cesserende alle belet ter contrarie. Gedaan in den Hage onder Onsen grooten Zegel hier aan doen hangen, den 8. December, in 't Jaar Ons Heeren ende Zaligmakers duysent ses hondert negen-en-tachtig.

A. HEINSIUS, Ut.

*Ter Ordonnantie van de Staten*

SIMON van BEAUMONT.

Dese bovenstaande Privilegie van den Heer Professor *Braunius*, met alle den aankleven van dien, hebbe ik ondergeschreven verkogt en getransporteert aan *Abraham van Someren*, Boekverkoper tot Amsterdam. Actum in Leiden den 1. November, 1690.

JORDAAN LUCHTMANS.

Illustribus ac Præpotentibus

# PROVINCIÆ
## GRONINGÆ & OMLANDIÆ
# ORDINIBUS
## PATRIÆ PATRIBUS
D. D.

## JOHANNES BRAUNIUS.

QUum primum me, prorsus inscium & nihil minus cogitantem, ad hanc vestram, per totam Europam, jam diu, Celeberrimam, Academiam invitastis, mihi non præscripsistis, certum aliquod ab hominibus compositum Systema Theologicum juventuti explicandum, more Ecclesiæ Romanæ, ubi non *Ratio*, non *Verbum Dei* ad convincendam Conscientiam, sed sola auctoritas humana, vel aperta vi, vel occulta fraude, corda hominum, non tam flectit, quam cogit ad credenda docendaque dogmata, pro arbitrio eorum qui dominium in gregem Christi malis artibus obtinuerunt, Cathedram Mosaicam, per mortem Christi à multis seculis eversam, iterum, quamvis sub alio schemate, erexerunt, un-

de, tanquam θεόπνευστοι & Spriritu infallibili donati, ſententiam pronuncient tanquam indubitatam veritatem: ſed mihi, non minus quam prædeceſſoribus meis, viris undique doctis & magni nominis, pro veſtra prudentia, æquitate, atque, ad propagandam veritatem ſalutarem, pietate, conceſſiſtis integram libertatem res Theologicas tractandi ex ipſa *Scriptura Sacra*; ut, relictis humanis traditionibus, &, ſpretis rivulis, non raro per homines, ad errores atque deceptiones pronos turbidis factis, ex ipſo Siloæ ſalutari fonte, hortum Domini, quo tandem ad Eccleſiæ Chriſti bonam frugem creſceret Theologica juventus irrigarem. Hac libertate, quam omni tempore Profeſſoribus conceſſiſtis, quam omnes Principes reformati orbis, qui ſolidam eruditionem caſtamque Theologiam amant, eamque ad Dei gloriam & Civium ſuorum ſalutem promovere ſtudent, pie concedunt, & ſine qua nemo Theologiam veram docere poteſt, uſus ſum, ut (quod non inter exigua à Deo in me collata beneficia refero) ita Theologiam, jam in octavum annum, in Celeberrimo veſtro Athenæo pertractaverim, ut & conſcientiæ meæ nulla ſit illata vis, & veſtro deſiderio non prorſus defuerim, & juventuti me non reddiderim inutilem. Veritatem igitur, prout eam ab ipſo Deo ex verbo ejus edoctus ſum, veſtra fide, æquitate atque

pietate

pietate fretus, intrepide, cum publicis lectionibus, tum domesticis excercitiis, docui. Quo autem successu & qua utilitate judicabit studiosa juventus, judicabit Ecclesia Christi, judicabitis & vos, Domini mei; non enim indignum sua cura atque labore judicarunt multi ex illustri vestro ordine, ut, quæ hoc Systemate continentur, quum ante quadriennium inciperem ea in vestra Academia publice disputare, præcipua capita legerent atque meditarentur; unde factum est, ut mihi calcar addiderint viri proceres, meque, quantum per tot negotia Academica, quibus, ob duplicem professionem, qua fungor, perpetuum implicitus sum etiam currentem, continuis suis monitionibus, quæ mihi sunt imperia, impulerunt, ut, quam primum fieri posset, hos meos, qualescunque labores Theologicos, in dias exire auras permitterem. Vobis itaque, viri illustres, hoc opus, qualecunque sit, ea qua debeo animi submissione atque observantia, offero, do, dedico atque sacrum facio. Vobis enim multis nominibus debetur; tum quod primus sit, in hac vestra Academia, à me conceptus atque in lucem editus fœtus, quare & vobis primitiæ laborum meorum Academicorum debentur; tum quod sub vestra tutela huc usque perductum sit; tum ut vobis publice redderem rationes meorum laborum, meæque

methodi atque modi quo res Theologicas hactenus tractavi, & in posterum in vestra Academia tractaturus sum; tum maxime etiam, ut mei aliquod grati animi testimonium apud vos exstaret. Me ab omni criminatione prorsus fore immunem, etiam vestra auctoritate atque cura, mihi nunquam persuasum fuit. Novi quid valeat audacia, imperitia, & criminandi libido. Ut fama, ita sane & calumnia, fidissima ejus comes, æmula, immo & hostis, est velox, quare citissimo pede totum pervadit orbem, ut mordeat atque rodat, si quam pulchram notam honesto viro à fama impressam animadvertat; ut nulla vi, etiam potentissimorum Principum, compesci possit. Hoc unicum à vobis, viri Illustres atque Patriæ Patres, supplex peto, ut nullis vellicationibus nullisque accusationibus aurem præbeatis; sed, si forte importune audaces meam methodum docendi ac dogmata à me proposita, ex verbo Dei, ex antiquitate & sana ratione demonstrata, apud vos criminari non timeant, ut, solita vestra prudentia atque æquitate, ipsi sententiam, prout à me est proposita, propria mente examinetis, deque ea, non ex relatione aliorum, sed ex propria scientia atque Conscientia judicare dignemini, quod in posterum eo facilius fieri poterit, cum omnia atque singula capita in hoc volumine breviter,

ter, &, uti ſpero, ſatis dilucide, expoſita habeatis, ut hoc facto veritatem contra vanos inſultus veſtra prudentia atque auctoritate protegere pergatis: nam ut veritatem docere doctoris eſt, ita eam ſtrenue defendere eſt regium. Hoc facto fiet, ut & doctores & defenſores veritatis, præterquam quod Deum proprium, omniumque bonorum ſpiritualium atque temporalium benignum habituri ſint largitorem, vera fruantur conſcientiæ, qua in hoc orbe majus bonum mortalibus conceſſum non eſt, tranquillitate. Accipite igitur, viri Illuſtres, ſereno vultu hoc munuſculum, & non tam pretium atque molem, quam doctrinam quam continet, animumque, etiam majora hactenus molientem, ſi Deus vitam & otium conceſſerit, quo vobis offertur, reſpicite.

Deum Opt. Max. ardentibus precibus veneror, ut vos, Patres Patriæ, omnium bonorum genere ad vitam & pietatem abundantiſſime cumulet; ut Illuſtrium Patrum veſtrorum laudes atque gloriam, quam ut Patriæ defenſores, Religionis Protectores, & Eruditionis Fautores, merito apud exteros etiam populos conſequuti ſunt, ſtrenue tueamini, ut quemadmodum eorum fortitudinis atque prudentiæ erga Patriam, pietatis erga Eccleſiam, & curæ erga Academiam, ita & eorum felicitatis cum familiis,

ci-

civibus totoque populo vestro, ad multos annos, sitis hæredes, eandemque fortitudinem & virtutem cum vera pietate seris nepotibus tradatis, & tandem ut post hoc imperium, quod est mortale, cum immortalitate Regnum æternum possideatis. Dabam Groningæ, ipsis Idibus Februarii. cIↄ. Iↄc. LXXXVIII.

Præfa-

# PRÆFATIO.

# HUMANO LECTORI SALUTEM.

JAm fere ante ſedecim ſæcula ab eximio poœta, viro inter Romanos non infimo, dictum eſt; eſſe *inſanabile ſcribendi Cacoethes*, & *ſcribimus indocti doctique poemata paſſim*: nec mirum; cum undecim ſæculis ante eum conqueſtus fuerit *Salomo*, Rex glorioſiſſimus atque ſapientiſſimus: עשות ספרים הרבה אין קץ *multos libros faciendi non eſt finis*. Quod aliis, tot retro ſæculis, accidit doctis atque indoctis, id & mihi evenit, ut & ego orbem literatum libris onerare inceperim, in quam culpam iterum incidi hoc opere Theologico de *Doctrina Fœderum*. Sed videor audire juſtas querelas atque expoſtulationes; cur non ſteterim promiſſis? Cur non perrexerim in iſto ſcriptionis genere, circa antiquitates Judaicas, quibus tractandis publice, in meo opere *De veſtitu Sacerdotum Hebræorum*, me obſtrinxi, quæ eruditi exſpectant, & quæ à me toties & ſcriptis & ſermone petierunt, de *Tabernaculo*, de *Templo*, de *Vaſis Sacris*, deque *toto Sacerdotio*? Fateor quum hæc promiſiſſem, nihil magis mihi fuiſſe in votis, quam ut me debito iſto, quod ultro, in Eccleſiæ & rei literariæ bonum, in me ſuſceperam, quam brevi tempore poſſem, exſolverem. Sed tunc temporis non cogitabam, me profeſſioni duplici, Theologiæ & Linguæ Sanctæ, deſtinatum eſſe, in Academia Celeberrima, ubi laborum vix finis. Non cogitabam fore ut brevi, præter Conciones, lectiones & Diſputationes publicas, habiturus eſſem ſingulis diebus tria, & nonnunquam quatuor excercitia domeſtica Theologo-dogmatica, Exegetica, Hebraica & Rabbinica, quæ diligenti juventuti denegare non poſſum, niſi & eorum profectus negligerem, & conſcientiæ meæ vim facerem. Alia impedimenta atque moleſtias, hic omnibus notas, taceo. Adde quod & hoc opus, quod nunc edo, conſcribendum mihi fuerit. Judicent igitur docti, quantum temporis mihi conceſſum fuerit, ut ejuſmodi quid, quod otium requirit atque lucernam, quod multorum auctorum examen, collationem, explicationem, emendationem, immo & variarum rerum meditationem poſtulat, hactenus in hoc munere Academico, quod me ad tot alia vocavit, & quæ forte etiam, præter hoc opus, ſuo tempore publici juris fient, perficerem & doctorum judicio ſubjicerem. Sed & alia eſt cauſa, quæ me ab iſto inſtituto prorſus abſterrere poſſet, quorundam ſcilicet maledicentia, qua exceptum eſt id ipſum opus *De Veſtitu Sacerdotum*

*Hebræorum.* Vix lucem viderat, quin reperti ſint homines, magno numero, qui pro gratiarum actione, quam doctiores quidem atque honeſtiores mihi teſtati ſunt, me illico maledictis atque injuriis aggreſſi ſint. Nihil habebat livor quod roderet in ipſo opere, ſed vehementer diſplicuit Præfatio, non alio nomine, niſi quod, ſpretis nugis, optima & politiora ſtudia commendaverim. Hinc quærelæ ineptæ, ſtrepitus & clamores ſine fine. Ut autem detrahant, quantum poſſunt, famæ honeſtorum virorum, quorum conatus non ſunt mali, qui ultra vulgus ſapere deſiderant, eoque omnibus viribus contendunt, & alios eo hortantur, nullum eſt genus ineptiarum, ne quid gravius dicam, quod non effutiant. Si forte diligentiorum labores non diſpliceant ſapientioribus, denteſque ſuos obtuſiores experiantur, quam ut rodant ea, quæ à doctis laudari audiunt, negant impudenter talem fuiſſe auctorem operis ſui: ut, inſtar lamiarum & nocturnarum ſtrigum, fœtus genuino parenti ſubripiant, aliiſque, etiam nolentibus, per fas & nefas ſupponant. Id ſane operi meo *De Veſtitu Sacerdotum* contigit: fuerunt enim ex iſto genere hominum, qui audacter calumniari auſi ſunt, iſtud opus genuinum meum fœtum non eſſe, ſed alterius, neſcio cujus viri docti, qui jam ante triginta annos, antequam opus meum edidiſſem, diem obierat, cujus ſcripta (ſi diis placet) in manus meas inciderint, & quæ poſtea à me edita ſint tanquam labores mei; quæ hic repeto, non quod Apologiam Scripturus ſim, aut quod ulla defenſione me opus habere credam, ſed ut toti literato orbi conſtaret quanta impudentia criminari ſoleat animus ad nocendum pronus. Scio quomodo iſti homines excipiendi ſint, & egregie eos depexos darem, niſi etiam ſcirem me eſſe Theologum. Satis conſtabit cuilibet vere docto, ea quæ opere iſto continentur, ſcribi à nemine potuiſſe ante quadraginta annos: loquentur auctores adducti, qui iſtis temporibus nondum fuere noti, teſtabitur ſtilus, modus ſcribendi, & res ipſæ quæ pertractantur, ſi cum docti iſtius viri ſcriptis, quæ exſtant, conferantur. Sed an iſti homines tam facile mendacia ſua probabunt, quam ego bona conſcientia coram Deo totoque orbe adfirmare auſus ſum ſanctiſſimo jure jurando, me nunquam, ne periodum quidem, ex docti iſtius viri manuſcriptis habuiſſe, aut hactenus habere? Sed miſſos iſtos homines facio, addito hoc unico, me eos, quicunque ſint, dicere omnium bipedum nequiſſimos calumniatores, taleſque eos haberi ab omnibus velle, quibus unquam vel ore, vel per epiſtolas, uti factum ſcio, iſtiuſmodi nugas perſuadere conati ſunt. Silentio etiam præterire non poſſum, iſtos homines, ut ſunt maledici, ita & imprudentes eſſe; dum enim ſuis nugis meæ famæ obeſſe ſtudent, eam non mediocriter augent, fatentur enim à viro docto atque celeberrimo opus

meum

meum esse conscriptum, quare, cum ego ipsius sim auctor, si à calumniatore ulla fama atque laus accedere posset viro honesto, non mediocriter ab isto genere hominum me laudatum dicerem. Quidquid rerum sit, sive labores meos laudent, sive vituperent, sive me, sive alium operum meorum auctorem dicant, iterum in scenam procedo, hoc opere *De Doctrina Fœderum.* Spero quoque, quod attinet cætera quæ promisi de Sacerdotio, me non semper tibi, humanissime Lector, oberatum remansurum. Si enim Deus vitam & otium concesserit, conabor me ære isto, si non integro, saltem bonam partem, liberare.

Quod autem hoc opus *de Doctrina Fœderum* nunc ante ullum alium edam, variæ sunt causæ quæ me eo impulerunt. Ante quadriennium tres fuerunt ex discipulis meis, non mediocris spei, qui à me enixe petierunt, ut sibi darem medullam aliquam totius Theologiæ Didacticæ & Elencticæ, quod in eorum gratiam feci. Quantum inde profecerint, & quam brevi tempore studia Theologica eo usque perduxerint ut examen cum laude sustinuerint, non opus est, ut hic enarrem, testatur eorum in rebus Theologicis peritia, atque dona quibus hodie Ecclesiam Christi ædificant. Exscriptum postea fuit à pluribus condiscipulorum; quod quum esset difficile, multum requireret temporis, quod aliis studiis impendi poterat, etiam multis impossibile esset, enixe me orarunt, ut in lucem emitterem integrum Systema, quo quilibet omni tempore uti possit, maxime autem cum singulis annis ea methodo totam Theologiam, privatis Scholis tractare solitus essem. Ut igitur eorum desiderio non deessem, pauca addidi hinc inde, quo auctius redderetur opusculum. Inde progressus sum ad publicas Disputationes, quæ ipsis etiam doctis atque cordatioribus non displicuere, unde non tantum Theologica juventus, sed & alii rerum periti, me continuo monere, rogare atque urgere, ut totum opus in lucem emitterem. Eorum sane petitioni non obsequi, mihi religio fuisset. Habes itaque, humane Lector, hoc Systema Theologicum, non tam meo consilio, quam aliorum desiderio utilitatique juventutis compositum.

Quod stilum attinet, distinctiones, terminos, verba perplexabilia, uti loquitur comicus, totamque farraginem Scholasticæ barbariei fugi quantum potui. Quum primum animum ad hæc scribenda appulissem, decreveram, quale consilium jam ante duodecim annos volvi, prorsus nullo vocabulo nullaque dictione uti, quæ non esset latina, ut experirer, utrum Theologia non possit tractari cultiori sermone, æque ac barbare stiloque Scholastico, & utrum hac via omnis barbaries dogmatum, æque ac vocabulorum, non possit eliminari ex Academia & Ecclesia? puto enim hor-

ridum iſtum barbarumque ſermonem Monachalis ſapientiæ, ſimul inve-xiſſe in Theologiam ſpinoſas quæſtiones, diſtinctiones, quæ, inſtar telæ araneæ multum habent ſubtilitatis, ſed prorſus nihil ſoliditatis, multas habet ſuperſtitiones, errores & hæreſes. Tamen non mediocrem difficultatem prævideram, maxime cum nobis res ſit cum tot adverſariis qui iſtis deliciis paſcuntur, & qui barbarie iſta Scholaſtica, ad explicandam mentem ſuam, conſtanter utuntur. Aliquando igitur cum iſtis hominibus balbutire coactus ſum, ne & ego ipſis Barbaris viderer barbarus, quandoquidem multa dicenda ſunt Theologo, quæ ſi cultiori latinitate proponerentur, ab iſtis hominibus non intelligerentur, aut non docte & Theologice dicta crederentur. Tempus proculdubio feret olim cultiora atque feliciora ingenia, quæ, uti ſpero, aliquando omnem barbariem pertæſa, &, ſermone Asdodico iſto ſpreto, non niſi ex verbo Dei loquentur:

Si quid occurrat quod tibi novum videatur, humaniſſime Lector, quæſo ne ideo id novum dicas, res enim non omnes tales ſunt, quales eſſe primo intuitu videntur. Quidquid enim cum verbo Dei ſanaque ratione convenit, id non poteſt eſſe novum: eſt enim Verbum Dei ſanaque Ratio ipſa veritas. At veritas non poteſt eſſe niſi vetuſtiſſima, cum auctorem habeat ipſum Deum, qui eſt antiquus dierum. Deinde quamvis veritas alicujus ſententiæ ſtatim animadverti non poſſit, tamen non ideo rejicienda eſt. Forte nondum ſatis animadvertiſti totum nexum omnium veritatum, prout inter ſe cohærent, & quomodo alia ex alia neceſſario fluit? Forte non ſatis attendiſti ad phraſin Spiritus Sancti, ad vim vocum, totamque δύναμιν τῆς γραφῆς, ut nunc tibi abſona videantur, quæ fortaſſis poſtea veriſſima & planiſſima agnoſces. Quidquid rerum ſit, etiamſi aliquid occurrat, quod tibi videatur non ſatis ſolide demonſtratum, & quod à vero recedere credas, ego tamen perſuaſiſſimus ſum, illud non fieri in capitibus fidei, quæ formulis unionis, *Confeſſione Belgica*, *Catecheſi Palatina*, & *Synodo Dordracena* continentur: ut ideo inde lis mihi intendi non poſſit, niſi ab hominibus rixoſis, & ſui plenis, qui putant per ſe melius quid ad conſervandam Orthodoxiam atque unionem præſcribi poſſe, quam ab ipſa *Catecheſi*, *Confeſſione*, & *Synodo Nationali* præſcriptum eſt.

Si etiam quis me dicat nimium Philoſophatum; velim eum cogitare, me Theologiam integram docuiſſe, prout ab Orthodoxis doceri & defendi ſolet & debet. Quis enim Theologorum negabit, dari Theologiam, non tantum *Revelatam* ſed & *Naturalem*. Hoc ſane Orthodoxi contra Socinianos merito defendunt. Et, quandoquidem Theologis res eſt non tantum cum iis qui ſe dicunt *Chriſtianos*, & qui verbum Dei agnoſcunt, ſed & cum iis qui verbum Dei reſpuunt, & qui non niſi ſola ratione uti ſolent,

lent, fieri non poteſt, ut à *Philoſophia* abſtineamus. Quis unquam *Atheum*, aut *Ethnicum* erroris convincet, niſi ex principiis ſanæ rationis, id eſt ex ipſa Philoſophia? Aut iſti homines deſerendi ſunt in ſua impietate; aut utendum eſt Philoſophia, ſive ſana ratione. Nec eſt quod dicas *Theologiam Naturalem* ſeorſum tractari poſſe, ut ita revelatæ non immiſceatur. Hoc fieri poſſe fateor, & jam olim à multis factum eſſe, agnoſco, ſed & contrarium olim & hodie toties factum eſſe, etiam ſcio. An Deus uſquam prohibuit, ut veritas ex ipſo verbo jam demonſtrata, etiam probetur ex ſana ratione? Quod ſeorſum verum eſt, illud falſum eſſe non poteſt, ſi cum alia veritate jungatur. Veritas tam facile non perit. Receptiſſima apud Theologos, æque ac veriſſima eſt ſententia: *Lumen lumini non eſſe contrarium*, & *quod Philoſophice verum eſt, id etiam verum eſſe Theologice.* Utraque veritas, & Revelata & Naturalis habet Deum auctorem; eſt enim Deus fons omnis veritatis. Quicunque igitur ſtatuit Philoſophiam docere, quæ Theologiæ *Revelatæ* repugnat, is ſane Deum accuſat contradictionis, ac ſi ipſe ſibi non conſtaret, aut, quod pejus eſt, deceptionis, quaſi ipſe homines à veritate abduceret, quod quam ſit impium, quilibet manifeſto videt. Sed quis mecum non fatebitur, Scripturam Sacram ubique facere mentionem de rebus naturalibus, Phyſicis & Metaphyſicis? Veluti de Deo ipſo, de ipſius attributis, perfectionibus, conſiliis, & operibus; De Angelis, de mente humana, de Spiritum operationibus variis; De ipſo mundo corporeo, de variis ipſius partibus, de cœlo, Sole, Luna, aliiſque aſtris, de Terra, Aqua, Igne, de animalibus, de rebus aliis naturalibus infinitis. Nonne de hiſce omnibus rectas deberemus habere cogitationes, ut mentem Spiritus Sancti aſſequamur? Nihil ineptius eſt, quam ut, modo vetularum, multa effutiamus quæ ipſi non intelligimus. Natura iſtarum rerum docet ſana Ratio, ſive Philoſophia, ut non niſi ex Philoſophia haurire poſſimus veras ideas, quæ rebus ipſis reſpondeant. Sacra Scriptura hæc non docet, ſed earum, ut & linguarum, cognitionem in nobis reperit, per impreſſas naturales ideas. Nam Spiritus S. in verbo ſuo non agit Philoſophum, ut nos adducat ad cognitionem rerum naturalium, ſed doctorem ſalutis, qui dogmata credenda & facienda tantum proponit, atque inculcat. Quare neceſſario dicendum erit, aut Philoſophiam prorſus nullum habere uſum in Theologia, adeoque à Theologo plane non eſſe diſcendam, aut eam adhiberi debere in Theologia, ubi uſus id poſtulaverit, eamque Theologo neceſſario tractandam eſſe.

Antequam te demittam, Humaniſſime Lector, pauca tantum adhuc dicenda reſtant de *Methodo*, qua hic & alibi, in Theologia explicanda,

usus sum. Si ea alicui displicuerit, is proculdubio erit ex numero illorum, qui nihil rectum putant, nisi quod ipsi fecerint. Sed & hoc cogito: *Naturam omnes fecisse judices, sed non artifices.* Quis quæso negabit Theologiam esse veram *Doctrinam Fœderum*, cum non nisi in *Fœdere* Dei servemur? Verum est & alios viros doctos scripsisse de *Fœdere Dei* deque *OEconomia Fœderum*, nihilominus tamen nemo unquam, quantum sciam, totam Theologiam ita exposuit tanquam *Doctrinam Fœderum*, & eo quidem ordine quem postulat natura Fœderis. Non enim naturam *Fœderum* tantum & eorum OEconomias expono; sed ad *Fœdera* etiam refero *Scripturam Sacram*, *Deum* & *hominem*; ut, cum multi ex viris doctis duas tantum partes hujus Doctrinæ exponant, ego omnes quatuor tractem. I. De *Instrumento Fœderum.* II. De *Fœderatis*, sive de *Deo* & *Homine.* III. De *Fœderibus ipsis.* IV. De *Administratione*, sive de *OEconomiis Fœderum.* Deinde ipsa Dogmata, sive Theologiæ capita eo ordine examinavi, ut ipsa natura Fœderum id postulare videbatur. Quemadmodum igitur in omni *Fœdere* requiruntur Tabulæ, sive aliquod *Instrumentum*, quod omnes *Fœderis* conditiones totamque ejus rationem atque naturam contineat, ita & in *Fœdere* Dei: illud autem est *Scriptura Sacra.* Ante omnia itaque de *Scriptura S.* agendum fuit. Deinde in omni Fœdere debent esse *Fœderati*, qui fœdus ineant; ita & in Fœdere sacro, per quod optinemus salutem. Hic autem *Fœderati* sunt *Deus* & *Homo*: ideo de *Deo* & *Homine* secundo loco agendum fuit. Tertio ipsa *natura*, *conditiones* & tota *ratio fœderum* à Fœderatis scire debet. Agendum itaque fuit de *Fœderibus* ipsis. De *Fœdere* in Genere, ejus *natura* atque *conditionibus*; de *Fœdere operum*, de ejus natura, & abolitione, per peccatum, ubi agendum erat de *peccato*; ut & de Novo *Fœdere gratiæ.* Et cum *Fœdus gratiæ* illud sit, per quod obtinemus salutem, ideo etiam illud præcipue & fusius explicandum fuit. Cum autem *Fœdus* contineat quatuor partes, sive Conditiones. I. *Stipulationem.* II. *Promissionem.* III. *Adstipulationem.* & IV. *Restipulationem*, ideo totam naturam *Fœderis gratiæ* examinavimus eo ordine quo hæ conditiones inter se nectuntur. Quoniam autem *Fœdus Gratiæ* innititur *Mediatori*, ideo ante omnia de *Mediatore* agendum credidi, & quia *Stipulatio* à parte Dei præcedit omnes fœderis conditiones, idcirco, cum *Fides* sit *stipulatio* fœderis Gratiæ, statim agendum fuit de *Fide* & de iis quæ sunt tanquam effectus fidei, de *Justificatione*, *Sanctificatione*, de *Bonis operibus*, & de aliis quæ inde fluunt. Deinde examinanda fuit *Promissio* & *Comminatio* fœderis gratiæ, id est agendum fuit de *Vita* & *Morte æterna.* Ut autem tertio homo *adstipuletur* stipulationi Dei, Fœdus gratiæ debebat promulgari, ideo post doctrinam de *vita* & *morte æterna*, agen-

dum

dum fuit de *Promulgatione*, five de *Vocatione ad Fidem*. Statim etiam inquirendum fuit, quibus *Viribus* homo *Adstipulari* possit? agendum itaque fuit illico de *Libero Arbitrio*, & de *Gratia Dei* ad Conversionem hominis. Et cum primus homo *Fœdus operum* per peccatum ruperit, eoque exciderit, examinandum fuit utrum Fideles etiam excidere possint *Fœdere Gratiæ*; ordo igitur exigebat, ut ageremus de *Constantia Fœderis Gratiæ*, sive de *Perseverantia Sanctorum*. Atque sic *tres* quidem priores partes absolvimus. Inde procedimus ad *quartam* & ultimam partem, quæ agit de *Fœderum OEconomiis*. Et I. quidem de *OEconomia sub Promissione*, ab Adamo usque ad Mosen. II. De *OEconomia Veteris Testamenti*, à Mose usque ad Christum. III. De *OEconomia Testamenti Novi*, à Christo usque ad finem sæculorum. In qualibet *OEconomia* examinamus, non tantum ipsam naturam *OEconomiæ*; sed & *Verbum*, *Sacramenta*, *Ecclesia* & *Regimen Ecclesiasticum*, quæ ista OEconomia obtinebant. Experti sumus hac Methodo Theologicam juventutem facile & perspicue sibi formasse ideam atque σκιαγραφίαν totius Theologiæ.

Reperies etiam hoc opere, præcipuas quæstiones, non tantum contra adversarios Veteres & modernos qui sunt extra nos, sed & eas, quæ inter ipsos Reformatos hodie ventilantur. Nos præcipuas ab omni criminatione eorum, qui, instar Gabaonitarum non nisi Vetera crepant, vendicavimus. Sententiam nostram breviter, perspicue & solide, quantum potuimus, proposuimus, & ad argumenta adversariorum eodem modo placide respondimus, maxime ubi quæstio est ventilanda inter ipsos fratres, id factum est sine læsione ullius, & semper suppresso nomine auctoris. Si forte verbum aliquod durius excidisse videatur, id mihi extortum, & auctori suum tantum redditum est; quamvis jure isto talionis raro usus sim, & multa duriora, & intollerabiliora devoraverim: Novi enim veritatem διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας defendendam esse, non convitiis, injuriis & contemptu, sed argumentis ex verbo Dei & sana ratione petitis. Hæc si tibi placeant, humanissime Lector, bene est, sin minus, fateberis tamen conatus meos non fuisse malos. Interim iis fruere, donec alius, tanta brevitate, quid auctius, clarius, solidius & limatius tibi obtulerit: Dies enim diem docebit, & scientia, maxime hæc nostra divina, augebitur, quod à Deo Ter Opt. Maximo animitus peto, & te mecum totamque Ecclesiam illius misericordiæ atque protectioni commendo. Vale.

AL-

# ALTERA PRÆFATIUNCULA AD LECTOREM.

HAbes, humanissime lector, hujus Systematis alteram editionem. Non multum est ultra triennium, ex quo primum prodiit in lucem. Tempore biennii distracta fuit prima editio, ut Bibliopola secundo statim anno decreverit hanc alteram, quæ etiam ante annum lucem vidisset, nisi quædam obstacula & mihi & Bibliopolæ remoram injecissent. Obsequendum tandem fuit doctis, qui alteram hanc summopere urgebant undique. Quomodo à Reformato orbe exceptum sit, meum non est dicere. Non fuisse ingratum, etiam, remotis testibus omnibus, qui ex viris doctis, & ore & literis, nos ea de re humanissime convenerunt, immo & gratias egerunt, testabuntur illi, qui hanc alteram editionem tantopere desiderarunt & urserunt. Non tamen ignoro & suos habere Censores. Sed miraculo adscribendum esset, si aliter factum esset: cum *ne Jupiter quidem omnibus placeat.* Quis ignorabit multos esse natos ad carpendum, magis quam ad laudabile quid prestandum? Qui ad bonum, Reipublicæ Literariæ nihil conferunt, ne tacuisse viderentur, aliorum diligentiam carpunt, & forte ut nomen sibi acquirant, aliorum famam minuere student. ὀλέθελον ὀλέθελον κακόν. Sed homines istos prætereo, & suo sibi judicio relinquo. Judicabit etiam doctus & æquus lector. Quidquid rerum sit, habes hic editionem correctiorem, immo & auctiorem. Non magna quidem mole eam crescere volui, addita tamen sunt multa succinctis verbis, ad clariorem quarundam veritatem expositionem & assertionem. Correctiores optassem Hypothetas, sed non omnia ex volo fiunt. Tu, benevole Lector, errores typographicos leviores corriges. Iterum vale.

A D

*Reverendum ac Clarissimum Virum*,

# JOHANNEM BRAUNIUM,

S. S. Theologiæ Doctorem, ejusdemque ut & Hebr. Linguæ in Academia Groningæ & Omlandiæ Professorem doctissimum.

*Cum*

Castigatas ac limatas cultioris ingenii curas de *Doctrina Fœderum* ederet in lucem.

## THEOLOGIÆ

Querulæ Solatium.

Nuper, ubi necdum nigras Sol cœperat umbras
Discutere, & stellas aurora fugare micantes;
Torpida dum placidum repetebant membra soporem;
Ecce, decore pio, vultuque habituque verendo,
Luminis atque sacri rutilo fulgore coruscans,
Virgo mihi ante oculos sese speciosa videndam
Obtulit in lenis dubio discrimine somni;
Fudit & has tristes, juxtà lætata, querelas:
Illa Ego, nata Deo, laudique sacrata Supremi
Numinis, æternæque Hominum devota saluti;
Illa Ego, cœlestis Doctrix industria Veri;
Illa Ego, Divini cultus Fideique Magistra;
Illa Ego, religiosa sacræ Pietatis Amatrix;
Ah! Ego quam multo, vix dum prognata, labore
Succrevi; quantis exposta subinde periclis;
Ah! Ego quàm variis gravibusque exercita curis;
Saucia vulneribus; membris lacerata revulsis;
Cultibus Idoli quoties fœdata profanis;
Ah! Ego quàm sævâ vestata tyrannide, scissa
Disparibus fidei sectis; tristissima luxi
Fata, infausta ipsis aut exitialia mystis:
His Ego conflictata malis, his obruta duris
Casibus, Isacidumque superstitione vacillans,

Atque piæ invito larvæ circumlita fuco,
Ritibus ac Legis dudum vexata vetustis,
Abramidas inter luctor Gentesque feroces:
Luctor; at emergo tandem, puroque nitori
Restituor, CHRISTO Doctore ac Vindice CHRISTO;
Quin & Apostolicis, CHRISTO Duce & Auspice, linguis
Ac calamis reddor nitido integritatis honori.
Ast, eheu! vix dum vero gavisa vigore,
Ecce, Sacerdotum, furiis hostilibus acta,
Impietas *CHRISTI* sermonibus obstrepit, Illi
Invidet, injusto carpit miracula fastu,
Objicit Insonti mendacia crimina, fœdam
Intentat truculenta necem, sævoque trucidat
Supplicio Crucis, & pectus transverberat hastâ:
Mox Mystæ, Judæa, tui; mox, Roma, nec unus
Cæsar Apostolicos *CHRISTI* cœtûsque virosque
Persequiturque, fugatque procul, torquetve catenis,
Carceribusque, ac eculeis; furcisque, rogisque,
Objectosque feris, detrusos rupibus altis,
Tormentisque necat (referens horresco;) nefandis:
Sic vaga, sic Doctore sacro, & Præconibus orba
Facundis; constare tamen mihi visa; sed, eheu!
Distrahor in varios ritus, adversaque Vero
Dogmata; & errorum monstris fœdata pudendis,
Illachrimansque malis credentem moribus, angor
Intimaque integro vix hærent viscera nexu:
Et licet optatæ Constantia fausta quietis,
Ac varias inter felix Ecclesia gentes,
Certa Mihi longæ suaderent omina pacis,
Et sperata sacri sponderent otia Veri;
Fluxa tamen proh! prosperitas; fallacia cepi
Omina; lætitiæque meæ successit amarus
Mæror; & infestis Sectarum examina signis
Exsurgunt, sævisque oppugnant corda venenis;
Adversisque Duces aquilis pilisque minaces,
Hic Sophicis præjudiciis, Logicisve stropharum
Fraudibus; ambiguis alius sermonibus; alter
Facundis linguæ insidiis; Regnum ille favore,
Vim satagunt inferre Mihi stuprumque necemque;
Quin in Amatoresque Meos, Verique tenaces

Doctores

Doctores sævire juvat; crudelibus iris,
Invidiâque, odiisque; ac ambitione superbâ,
Vindictâque furunt; convitia turpia spargunt,
Seditiosa parant certamina, longa relegant
In loca, dejectos statione & honoribus orbos.

His Ego cum trucibus per secula plura Tyrannis,
His ego perpetuâ cum desertoribus atque
Hostibus innumeris luctâ luxata, labore
Assiduo lassata, gravi languore labascens,
Ac animi vegeto fermè enervata vigore,
Doctrinâque Patrum veterum privata rejectâ,
Tutelâque ac auxilio spoliata fideli,
Succubui tandem, & tenebroso carcere clausa
Delitui, ignorata diu Doctoribus ipsis,
Præsulibusque ipsis Interpretibusque profanis
Codicis ignarisque Sacri, Verique, DEIque;
Ac ubi fortè Scholæ me cognovêre latentem,
Eduxêre quidem è tenebris; sed nulla decoris
Cura redonandi veteris; subtilibus illæ
Atque supervacuis lacerarunt omnia rixis
Dogmata, decretis turbarunt singula falsis,
Cunctaque barbaricis obscuravêre vocablis;
Ipsa Mei ut fuerim memor aut vix conscia Veri.

Tandem ubi liberior Lux Veri, cælitùs orta,
Clariùs emicuit, sordes patuêre, cruentæ
Plagarumque cicatrices & tetrica pellis
Stigmata, inutilium tubercla superflua strumarum,
Articulique pedum manuumque dolore trementes:
Hæc ubi Præconesque pii, Rectique periti
Doctores vidêre palam; mox quisque dolores
Certatim lenire meos, abstergere sordes,
Vibicum delere notas, & tollere nævos,
Atque redundantes auferre à corpore partes,
Barbariemque fugare procùl vel voce tremendam,
Atque novo nitidi vestire decoris amictu,

Sed quid Ego primis frustrà oblectata laborum
Auspiciis? Ubi vix nova lux affulserat orbi,
Protinùs à Variis studia in contraria, partes
Itur in adversas; & Fratrum gratia rara
Invidet ingenitum mihi Simplicitatis amorem,

Invidet ingenuum nivei candoris honorem.
At quorſum querulo renovo mea damna dolore?
Quod nequid auferri, placidâ Mihi mente ferendum:
Quin lætor gratorque Mihi; Solamine blando
Mulcet Amatorum ſincerior ordo querelas;
In Mea conſpirat dum commoda quiſque, decuſque
Quiſque Meum, variâ quamvis ratione, tuetur,
Munit & indubio quivis mea ſuppara Vero.
Eminet hoc inter generoſô *Braunius* auſu,
Ille mei Cuſtos Vindexque deſertus honoris;
Ille Sacerdotum, gemmis auroque coruſcæ,
Pontificumque, ſacrâ vel Majeſtate verendæ,
Scrutator Scriptorque ſtolæ & gravioris Amictûs;
*Braunius*, Hebraicæ Doctor Linguæque Librorumque
Interpres, Cathedræque Meæ & præclara Lycei
Gloria *Grongiaci;* Sophiæque ſororis alumnus;
*Braunius*, Ille novis Mea pectora veſtibus ornans,
Quas ſacra ſuppeditant & texunt Fœdera, & horum
Per varios, conſtans ſibi, Diſpenſatio caſus;
Quas cognata jubet celebrari Carmine Muſa,
Muſa Tui necdum Senii neglecta vigore.
Dixerat: En, roſeis properaus Aurora quadrigis,
Diſpulit & noctis tenebras, & grata ſoporis
Somnia; ſplendidiuſque jubar Sol reddidit orbi,
Torpiduliſque agiles ſtimulos vireſque Camœnis,
*Braunıadæ* laudes cantu memorare paratis.

HENR. EYSSONIUS, Med. Doct. & Prof.

---

IN *Ejuſdem viri Clariſſimi*

## DOCTRINAM FOEDERUM.

FOedera ſancta doces, *Brauni*: Sua Fœdera jungit
Fama Tuis; faciunt Fœdera docta fidem.
Ut ſua Fœderibus conſtabit gloria ſanctis;
Sic Famæ pactis conſtet honora fides.
Quæ Natura docet, Lex juſſit, Gratia firmat
Fœdera, conſtanti fœdere Fama canat.

H. E. M.

AD

*Virum Cl. ac Collegam cariſſimum,*

# JOH. BRAUNIUM

Cum opus de Doctrina Fœderum ſeverius exactum publicaret.

*HEbræos cultus, texta ingenioſa Minervæ,*
*Grande decus cathedræ* Braunius *ante dedit;*
*Sordibus ablatis quo Pontificalis amictus,*
*Irradiat gemmis Pallia Sacra ſuis:*
*Vivet in æternum quo vecta per æthera pennis,*
*Quo celer admiſſis munere fama rotis.*
*Pagina nunc iterum cedro digniſſima prodit,*
*Ægide quam dignam vindice Pallas habet.*
*Qua ſacer Interpres, ( quo non ſtudioſius alter*
*Corripit ignavæ damna pigenda moræ; )*
*Perpetuum à prima deducit origine fœdus,*
*Fœdere quo nexis conciliata ſalus:*
*Quo Deus humanos ignoſcens induit artus,*
*Votaque pro noxis victima cæſa fuit.*
*Materies doctis hæc eſt digniſſima curis,*
*Quamvis ſignato calle teratur iter.*
*Illita Lernæo non eſt hæc charta veneno,*
*Sparſaque nec tenebris pagina, Nile, tuis;*
*Nec labyrinthæo confundit lumina gyro,*
*Aut dubias turbat cæca tabella notas.*
*Quales Mæandros raſas finxiſſe cohortes*
*Cultior hæc ætas & mage fida ſtupet:*
*Quales commenta eſt regnis gens illa tuendis,*
*Commenta eſt technis inſidioſa ſuis.*
*Hic epulis datur appoſitis cæleſtibus uti,*
*Hic avidam vivo fonte levare ſitim.*
*Hic Ordo, quo ſe Deus explicat ordinis auctor,*
*Tradidit & leges foederis Ipſe ſui.*
*Accedit velox & rectum mentis acumen,*
*Liberaque à ſervo curaque ſorsque jugo.*

*Advocat has artes, hac exigit omnia lance,*
*Ipse suum hac lima vindice fingit opus.*
*Et nive contendit prima dos lactea cera,*
*Contendit vitreo fonte perennis aqua.*
*Vive decus cathedra, Grunici laus vive Lycai,*
*Ingenioque orna secula sera tuo.*
*Atque utinam dictamque fidem, promissaque posses*
*Solvere, quod doctus jam sitis orbis opus;*
*Et rata vota feret, nec enim spe ludis inani,*
*Donaque promissis uberiora dabis,*
*Si modo longævam promittant stamina vitam,*
*Sufficiatque operi, qua datur, una salus.*

JOANNES MENSINGA,
*A. L. M. Eloquentiæ & Historiarum Professor.*

---

## *Ad Clarissimum Doctissimumque Virum*
## JOHANNEM BRAUNIUM
### Cum suam de Fœderibus Doctrinam publici juris faceret.

QUo se cunque mei convertunt luminis orbes,
Feralis facies & squallida prodit imago,
Pleraque exitium conspirant omnia nostrum.
Vincla, necem, exilium plures patiuntur iniquum,
Sequana queis bibitur Rhodanusque ingensque Garumna;
Hi procul antiqua patria laribusque domoque,
Quærunt diverso terras sub sole jacentes,
Et vix perveniunt, sedes ubi fata quietas
Exhibeant miseris, ubi tuto vivere detur.
Sed nondum hoc satis est: cumulatur vulnere vulnus:
Majora accedunt nostris dispendia rebus.
Scinditur in multas trahiturque Ecclesia partes:
In fratrem frater (magni mihi caussa ruboris)
Ingenii & calami durum distringit acumen:
Candida pax Christi cultores inter eosdem

Exu-

Exulat, & remanet nudum modo nomen & umbra:
Ni ſummum Numen, totum quod temperat orbem,
Sit nobis præſens hominumque emolliat iras.
Tu vero interea *Brauni* melioribus omnem
Impendis vitam ſtudiis, te vindice nuper
Prodiit Hebræus pretioſa in veſte Sacerdos,
Et gaudens priſcos habitus tunicamque recepi
Conſpicuam variis gemmis auroque rigentem;
Ornatuſque fuit picta, velut ante, corona;
Promittens amplas pro tanto munere grates.
Nunc iterum celebris pactorum pagina ſurgit,
Pagina, quæ pandit divini oracula verbi,
Pagina, quæ prodit veterum præſagia vatum,
Quæ certo in ſacros nos ducit tramite campos.
Non cernes Lector nodos tricaſque ſophorum,
Tænariis non verba leges damnanda tenebris:
Exacta ad lancem Scripturæ cuncta videbis.
Quicquid agas male ſane furor, nil proficis irâ,
Triſtia nequicquam ſcriptis his livor inuris
Stigmata, nequicquam dentes rodendo fatigas:
Nil ſævi poterunt ungues morſuſque nocentes:
*Braunius* invidiæ ſcopulus tamen ibit in ævum,
Hæc duraturum dabit illi pagina nomen.

*A. M. ISINCK.*

No-

# Nomina Reſpondentium.

Simon Chriſt. Capelle. *Horna-Lippiacus.*
Johannes Gruter. *Radâ-Walda Montanus.*
Caſparus Wever. *Marco-Weſtphalus.*
Daniel Brazi. *Sedanenſis.*
Fredericus Udalr. Burger. *Detmoldia Lippiacus.*
Antonius Herm. Hattenkerll. *Hammona-Marcanus.*
Johannes J. Vechtman. *Bremenſis.*
Johannes Abrahamus Hunefeldt. *Braca-Lippiacus.*
Johannes Georgius Rauſch. *Catto-Caſſellanus.*
Henricus Drothman. *Camena Marcanus.*
Stephanus Foccoma. *Groninganus.*
Johannes Idema. *Omlandus.*
Wilhelmus Heshuſen. *Rencomia Gelrus.*
Arnoldus à Buhren. *Brema-Saxo,*
Geroldus Freitagius. *Helvetio-Tigurinus.*
Erneſtus de Wite. *Blomberga Lippiacus.*
Sebaſtian Boclo. *Haſſo-Caſſellanus.*
Juſtus Winther. *Hersfelda Haſſus.*
Johannes Eskuche. *Wolfhagenſis Haſſus.*
Johannes David Crajus. *Caſſelanus Haſſus.*
Henricus Fredericus Ellers. *Bremenſis.*
Johannes Petrus Nucella. *Walda Montanus.*
Henricus Kesler. *Caſſellanus Haſſus.*
Lud. Mauritius Peil. *Worms-Kircha Montanus.*
Henricus Arntzenius. *Vaſalienſis.*
Johannes ab Eſſen. *Moerſanus.*
Johannes Huneken. *Bremenſis.*
Daniel Hegelmeyer. *Noviomago-Batavus.*
Wilhelmus Suyrenhuyſen. *Omlandus.*
Laurentius Gualtherus Lucanus. *Dethmoldia Lippiacus.*
Oſewoldus Eyſſonius. *Omlandus.*
Chriſtianus Fridericus Nucella. *Walda Montanus..*
Johannes Crichtonius. *Tilſa Pruſſus.*
Hermanus Bernhardus Dorrie. *Bardentrupa Lippiacus.*
Juſtus Winther. *Haſſo-Hersfeldenſis.*
Chriſtophorus Pfefferkorn. *Haſſo-Caſſellanus.*

Elenchus

# ELENCHUS LOCORUM.

## *De Theologia in Genere.*

## *Elenchus Capitum.*

## Volum. I. Pars. I. DE INSTRUMENTO FOEDERUM.



## Pars II. DE PATRIBUS FOEDERATIS; sive DE DEO & HOMINE.



Cap.

## Pars III. DE FOEDERIBUS IPSIS.



## Vol. II. Pars IV. DE OECONOMIIS FOEDERUM.



Cap.

DOCTRI-

# DOCTRINÆ DE FOEDERIBUS

## PARS I.

## DE INSTRUMENTO FOEDERIS.

### LOCUS I.

### *De Theologia & Scriptura Sacra.*

### CAPUT I.

*De Theologia, Religione & Usu Rationis in Theologia.*

I. UNica veraque via, per quam homo pervenit ad vitam æternam, est fœdus illud, quod Deus cum peccatore pepigit, ut quicunque in fœdus receptus non est, nullam possit sperare salutem, omnes autem, qui Dei fœderati sunt, salutem certissime obtineant. Vera igitur cognitio salutaris est ea, quam habemus de fœdere Dei; ut tota Theologia nihil aliud sit quam *doctrina de Fœdere Dei*. Quare de Theologia acturi, eam contemplabimur tamquam *fœdus*, quod Deus cum homine pepigit. Distribuimus igitur *Theologiam* in quatuor omnino partes. I. Aget de *Instrumento fœderis*, sive de S. Scriptura. II. De *partibus fœderatis*, id est de *Deo* & *homine*, ubi simul de operibus Dei *internis* & *externis*. III. De *Fœderibus* ipsis, *operum* & *gratiæ*, ubi de bonis quæ omnibus fidelibus sunt communia, nisi quod acturi simus de *Resurrectione* & *ultimo judicio*, in fine *œconomiæ Novi Testamenti*. IV. De *Administratione* Fœderis gratiæ, sub variis œconomiis, sub *Promissione*, *Veteri Testamento*, & *Testamento Novo*;

*Novo.* Antequam rem ipſam aggrediamur, pauca quædam præmittenda erunt, de *Theologia*, *Religione & uſu Rationis in Theologia.*

*Unde Theologia dicta?*

II. *Theologia* eſt vox Græca, origine ethnica, αὐτολεξεὶ in S. Scriptura non reperitur. Johannes, auctor Apocalypſeos, dicitur quidem θεόλογος in titulo iſtius libri; ſed præterquam quod dicatur θεόλογος, non θεολογία, ignoratur à quo titulus ſit appoſitus. Adde quod in exemplari Syro dicatur *Evangeliſta*, non *Theologus.* Fatemur quoque iſtud vocabulum eſſe vetuſtum, & legi apud *Dionyſium* qui dicitur *Areopagita*; ſed eundem eſſe Dionyſium de quo Actor. 17: 34. probari non poteſt, cum ſit ſuſpectus, & ab alio ſuppoſitus videatur. *Theologus* vocatur *Gregorius Nazianzenus*, quod acriter pugnaverit pro divinitate Chriſti, contra Arrianos, adeoque maxime Theologica tractaverit. Quamvis vocabulum *Theologia* in verbo Dei non legatur, & quamvis in rebus ſacris non liceat temere ὀνοματοποιεῖν, ſi nova vocabula ſenſum ſcripturæ obſcurent; tamen ubi ſenſus rebus eſt conveniens, nova vocabula licebit uſurpari: alias nemo Chriſtiane loqueretur, niſi qui Græce & Hebraice loquitur; ut ſtulti ſint veteres & novi ſyllabarum aucupes, (ut poſt Ciceronem loquuntur Patres) qui nolunt ferre vocabula extra Scripturam, ut *Theologia*, *Trinitas*, *Incarnatio*, *Sacramentum* &c. Eſt tamen vocabulum *Theologia* deſumptum ex Sacra Scriptura, cum ibi occurrat Θεοῦ λόγος. 2 Cor. 2: 17. & λόγια τοῦ Θεοῦ. Rom. 3: 2.

*varie exprimitur.*

III. Græce alias in Nov. Teſtam. dicitur διδαχὴ, Joh. 7: 16. ἐπίγνωσις. Tit. 1: 1, 2. σοφία. 1 Cor. 2: 7. Hebraice in Vet. Teſtam. עבודה Numer. 4: 23. דעת Pſ. 94: 10. Prov. 1: 7. חכמה Deuter. 4: 6. בינה Prov. 9: 10. תורה Deut. 33: 4. ברית *fœdus.* Exod. 23: 32. & 31: 16. Deut. 4: 23. & 29: 25. Quam poſteriorem appellationem convenientiſſimam arbitramur; cum *Theologia* revera nihil aliud tradat quam *fœdus*, quod Deus cum homine pepigit, ad ſui gloriam & hominis ſalutem. *Theologia* ſignificat *Sermonem Dei*, id eſt verbum à Deo revelatum, & *Sermonem*, ſive doctrinam de Deo. 1 Theſſ. 2: 13. 2 Cor. 4: 2.

*Theologia Gentilis.*

IV. Theologia μυθικὴ *Poetarum*, φυσικὴ Philoſophorum, πολιτικὴ Principum apud Ethnicos, proprie non eſt Theologia. Vera Theologia optime definitur à Paulo. Tit. 1: 1, 2. ἐπίγνωσις ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου.

V. Duplex traditur Theologia in S. Scriptura, ſecundum duplex fœdus, de quo ſuo tempore. Alia enim erat *Theologia Adami*

in

in ſtatu integritatis; alia *Hominis peccatoris*, de qua nobis præcipue agendum eſt. Theologia *Homini peccatori* tradita, quamvis ſit *unica natura* & *ſpecie*, cum omnes per Chriſtum eandemque gratiam ſervemur, Act. 4: 12. & 15: 11. nihilominus ſecundum varios *gradus*, *tempora*, *loca*, & *ſubjecta* varie dividi ſolet; ſcil. in *Archetypam* quæ eſt *idea Dei*, quam Deus de ſe ſuiſque perfectionibus habet, quare & *infinita* dicitur, de qua Matt. 11: 27. *Ectypa*, quæ eſt Theologia expreſſa in mente hominis: quamvis tamen hæc diſtinctio non ſatis ſit accurata, cum ſolus Chriſtus ſit χαρακτὴρ Dei Patris, Hebr. 1: 3. & εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Col. 1: 15. præterquam quod omnes ſcientiæ & artes ſic diſtingui poſſent. Dicitur quoque *Unionis*, ea quæ eſt in Chriſto, ob unionem hypoſtaticam, ut ut ejus cognitio, quatenus eſt homo, non ſit infinita; cum ultimum judicium ignoraverit. Marc. 13: 32. *Viſionis*, quæ eſt beatorum in cœlis, prout in verbo Dei *cognoſcere* exprimitur per *videre*. 1 Cor. 13: 12. *Viatoris* in hâc terra, ubi peregrinamur. Pſ. 139. *Patriæ* in cœlis, ubi eſt noſtra Patria. Phil. 3: 20.

*Theologia varia.*

*In fœdere Gratiæ eſt una.*

*Dicitur Archetypa, Ectypa.*

VI. Diſtingui quoque ſolet in *Syſtematicam*, quæ eſt certum ſcil. aliquod volumen, omnia capita fidei controverſiaſque, quas habemus cum adverſariis, continens, nititurque Sacra Scriptura; cum omnis Theologus loqui debeat *eloquia Dei*. 1 Pet. 4: 11. & *Habitualem*, quæ eſt in mente hominis. *Didacticam*, quæ & *Poſitiva* dicitur, quæ tradit præcepta atque veritates, verſaturque in analyſi & interpretatione S. Scripturæ; & *Polemicam*, quia quaſi *bellum* Dei gerit contra hoſtes veritatis, eorumque errores evertit. Hæc quoque *Scholaſtica* vocatur; quamvis ea maxime Scholaſtica dicatur, quæ ſcatet terminis ac diſtinctionibus barbaris, quæſtionibus philoſophicis, inutilibus, blaſphemis: ut vix aliter tolleranda ſit, quam *Onomaſticum* aliquod *Latino-Barbarum*, ad intelligendos Theologos barbaros; adeoque tanquam *Hagar* è familia Chriſti eliminanda ſit; cum eo uſque occupet mentem hominum, ut magis aſſueſcant nugis quam veritati, ut per eam introducatur neglectus bonarum literarum atque ſcientiarum, veræ Philoſophiæ, Linguarum Græcæ, Hebrææ, immo & Latinæ. quid? non nunquam vernaculæ; cum etiam ſit cauſa neglectus Sacræ Scripturæ, & cum ad praxim nihil conferat. Adeoque quantum laudandi ſunt primi Reformatores, qui eam extirpatam volebant, tantum ſunt vituperanda, qui, noſtro ſæculo, eam poſtliminio revocari conantur.

*Syſtematica.*

*Habitualis.*

*Didactica.*

*Poſitiva.*

*Scholaſtica.*

*Theologia ita & Religio est I. Naturalis. II. Revelata.*

VII. Datur quoque *Theologia* alia *Naturalis*, quam homo habet ex solo lumine naturali, alia *Revelata*, quæ est ex revelatione verbi Dei. Sic & *Religio* alia est *Naturalis*, ex lumine naturæ, alia *Revelata*, per verbum Dei. *Theologia* vel *Religio* naturalis est ea, qua homo naturaliter cognoscit Deum tanquam summum numen, summe perfectum, qui potest servare & perdere, adeoque qui ab omnibus debeat coli, unde homo fertur ad colendum Deum, eo modo, atque cultu, quo Deum maxime propitium sibi reddi posse putat. Ejusmodi *Religionem* vel cultum dari probatur. (1. Ex *idea*, vel cognitione Dei innata omnibus hominibus. (2. Ex Dei *excellentia & perfectione*, qua potest plectere impiorum scelera & largiri beneficia piis. (3. Ex *necessitate* nostra, qua cogimur auxilium petere, ab eo qui est perfectissimus. (4. A *Politicorum astu*, qui vanus esset, nisi homo prius haberet impressam naturalem reverentiam summi numinis. (5. Ex propria *Conscientia* accusante & excusante, quæ scelestos mordet, & bonos solatur, demonstrando summi numinis iram, vel benevolentiam, Rom. 2: 15. (6. Ex *naturali lege*, in Conscientia omnium hominum, qui, etsi *legem* à Deo revelatam per verbum suum *non habeant*, tamen *sua natura faciunt ea quæ legis sunt*, Rom. 2: 14. Hæc *Religio Naturalis* vocatur τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Rom. 1: 19.

*Argumenta contraria.*

VIII. Impie ergo *Sociniani* Theologiam, vel Religionem naturalem negant, nullamque admittunt nisi revelatam. Nec id probabant, I. eo quod Paulus Hebr. 11: 6. dicat: *qui vult accedere ad Deum debet credere Deum esse remuneratorem* &c. Inde enim non sequitur, omnem cognitionem Dei esse ex fide, uti inde colligunt; cum & alia detur ex lumine naturali. Deinde Apostolus ibi agit de cognitione *salutari*, quæ est ex fide, non tamen negat *naturalem*. Falsum quoque est II. *Religionem non esse omnibus hominibus communem, quia non reperitur in infantibus.* Nam, ut ut infantes non habeant cognitionem Dei *habitualem*, quæ crebris actibus acquiritur, nec *actualem*, quæ actus religionis exerit, tamen habent *innatam* Dei *ideam*, quæ tandem eruitur, ut vel, ex tenerrimis infantibus, apparet, quam primum ratio se demonstrat. Sed quid dicemus de actibus infantium; cum actionum infantiæ nostræ obliti simus? Et quamvis *ignorent bonum & malum, nec dextram nec sinistram possint nominare*, Deut. 1: 39. Joh. 4: 11. tamen habent innatas ideas *dextræ* & *sinistræ*, *boni* & *mali*, alias nunquam intelligerent, quid parentes significare velint, per

per iſta vocabula. Idem dicendum eſt de *Deo* ejuſque cultu. III. *Atheos dari, qui omnem divinitatem, ejuſque cultum, forte ore, negent, fieri poteſt*, ſed eos nullum habere ſenſum Dei ac Religionis, nondum probatum eſt. Immo eo ipſo quod negent Deum, cogitant Deum. Ergo ejus cognitionem innatam, adeoque aliquam Religionem habent. IV. *Stultus* quidem *in corde ſuo dicit, non eſt Deus.* Pſ. 14: 1. & 53: 2. non tamen ſequitur eum nullam habere cognitionem Dei; ſed *vias ſuas pervertit, horrendaque facta perpetrat*, quaſi revera crederet aut etiam optaret, nullum dari Deum, nullamque Religionem, ut Pſaltes ſeipſum explicat. V. *Epheſii erant* ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ i. e. ſine Deo *fœderato.* Epheſ. 2: 12. non quod omnem divinitatem negaverint, colebant enim *Dianam.* Act. 19. Tandem ſi vel maxime ejuſmodi monſtra reperirentur, quæ nullum haberent ſenſum Dei, tamen non ſequeretur, nullam dari ejus cognitionem naturalem; poteſt enim natura aberrare, & monſtra parere, manente tamen natura animalis ſemper eadem. Sequitur igitur dari aliquam religionem quæ non dependeat, nec ex *traditione*, nec ex *ſpeciali revelatione.* VI. Patet quoque, *inutilem non debere dici religionem Naturalem;* cum fluat ex naturali cognitione Dei, & hominem reddat ἀναπολόγητον. Rom. 1: 20. præterquam quod det aliquam reverentiam numinis, adeoque viam minus difficilem reddat ad religionem revelatam.

IX. Adeo quidem neceſſaria eſt Religio *naturalis*, ut niſi ea prius mentibus noſtris infixa hæreat, nullam poſſimus admittere *revelatam.* Primo enim natura nobis debet incutere reverentiam alicujus numinis, antequam poſſimus credere ullum numen ſe verbo manifeſtaſſe, & certa quadam via à nobis velle coli, quod per aliquod verbum revelaverit.

*Religio naturalis non ſufficit ad ſalutem.*

X. Inepte igitur *Sociniani*, *Remonſtrantes* aliique, qui modo negarunt dari Religionem naturalem, ſtatim non tantum ſibi contradicunt talemque ponunt, ſed & illam eſſe *ſalutarem* affirmant. (1. Nulla enim Religio *ſalutaris* dici poteſt extra Chriſtum. Act. 4: 17. Joh. 17: 3. & Act. 15: 11. præterquam quod (2. nulla Revelatione opus fuiſſet, & Chriſtus fruſtra mortuus eſſet. (3. Tandem Deus coleretur ſæpe cultu plane contrario, & per vias oppoſitas homines pervenirent ad ſalutem æternam. Nam quot capita tot ſenſus. Nec unquam probabunt, I. *Religionem naturalem tradere veram cognitionem Dei, ex* τῷ γνωςῷ τοῦ θεοῦ. Rom. 1: 18. & 19. & cap. 2: 14. 15. Ex iſtis lo-

*Argumenta Adverſar.*

cis probatur quidem dari cognitionem veri Dei, ſed non dari veram cognitionem naturalem, quæ hominem poſſet ſervare. II. Qui *ad Deum accedunt, & credunt Deum eſſe remuneratorem*, Hebr. 11: 6. hoc credunt ex *fide revelata*, non ex *Religione naturali.* Falluntur quando dicunt, III. *Deum ex condigno vel ex congruo indulgere homini bene utenti lumine naturali majorem gratiam, ut agnoſcat promiſſiones Euangelicas*, quia *habenti dabitur.* Matt. 13: 11. 12. Nam ille qui *habet*, hoc non habet ex ſe, ſed ex Deo; ut Deus gratiam ſuam augeat, non opus noſtrum (quod nullum eſt) recompenſet. IV. Nec ideo quia *lex moralis data eſt ad vitam.* Rom. 7: 10. *ſequitur hominem per obſervantiam legis moralis obtinere ſalutem*, illud enim locum habebat tantum in ſtatu integro. V. Nec unquam probabunt; *ullum fuiſſe ſervatum per religionem naturalem.* Nam ſi aliqui ſervati ſint, ut *Rahab*, *Naaman*, *Cyrus*, *Cornelius* aliique, id factum eſt per *Revelationem*, quod proſelyti facti ſint. VI. *Infantes* autem *Ethnicorum fuiſſe ſervatos*, nondum probarunt. Contrarium potius probatur: cum *peccaverint in Adamo.* Rom. 5: 14. & *natura filii iræ ſint.* Epheſ. 2: 3. Manifeſtum igitur eſt, nullam dari *Religionem naturalem ſufficientem ad ſalutem.*

XI. Hinc etiam ſequitur, veram *Religionem* non conſiſtere in ſolis *mandatis*, *promiſſionibus*, *obedientia* & *ſpe*, quemadmodum docent *Sociniani*, & *Remonſtrantes*, ut ſuam Religionem naturalem probent eſſe ſalutarem; cum potius conſiſtat in *fide* & *obedientia*, adeoque cognitio Chriſti, aut Fides in Chriſtum, minime ſit excludenda. Nam fundamentum ſalutis non eſt tam obedientia, aut *moralis* quædam *Philoſophia* ſive *Ethica*, ut adverſarii peſſime docent, quam *cognitio myſteriorum*, aut *fides* in Chriſtum. Joh. 17: 3. 1 Tim. 1: 5. 1 Joh. 3: 23. in quo ultimo loco Johannes docet: Dominum exigere *fidem*, non minus quam *charitatem.* Adde quod ſervemur non per *opus noſtrum*, ſed per *opus Dei.*

*Notæ veræ Religionis.*

XII. *Notas* veræ Religionis aptiores non animadverto, quam has tres: I. *Si doceat hominem veram miſeriam, in quam delapſus eſt.* II. *Si oſtendat modum, quo ex iſta miſeria liberatur.* III. *Si doceat veram gratiarum actionem, pro iſta redemptione:* adeoque notæ veræ Religionis erunt tres partes Catecheſis Heydelbergenſis.

*Religioni oppoſita.*

XIII. Veræ Religioni opponuntur *Hæreſis*, *Impietas*, *Atheiſmus* & *Superſtitio.* Sunt quoque veræ Religionis nævi *error*, *apoſtaſia*, *ſchiſma.* Non omnis qui ſententiam fovet, quæ hæreſin involvit, illico di-

dicendus est hæreticus, nisi ipsam hæresin, quæ inde fluit, pro sua agnoscat sententia. Non enim sequitur: *Lutheranos* ex. gr. esse hæreticos, quia eorum πολυτοπία involvit; Christi corpus nostro in omnibus non esse simile, contra Hebr. 2: 14. cum talem consequentiam non admittant. Et quamvis sententia ista: *animam esse ex traduce, ut lumen de lumine*, ponat *animam corpoream*, tamen non est dicendus hæreticus, qui eam docet, cum hanc consequentiam non admittat.

*Theol. ad quem habitum sit referenda.*

XIV. Ad unum certum aliquem *habitum* Theologia referri non potest, nisi ad habitum *scientiæ*, aut *sapientiæ*, modo aliquo eminentissimo, quia agit de rebus præstantissimis, ex principio certissimo, unde & חכמה & σοφία dicitur. Deut. 4. & 1 Cor. 2: 7. Et cum ejus finis non sit nuda rerum *cognitio*, sed & *praxis* pietatis, sequitur ejus habitum mixtum esse, *Theoretico-practicum*. Nam *finis mandati est charitas, ex puro corde & fide non ficta*. 1 Tim. 1. Est *cognitio secundum pietatem*. Tit. 1: 1. διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν. 1 Tim. 6: 3. Deus mandat *fidem* & *charitatem* simul. 1 Joh. 3: 23. Ex loco Joh. 17: 3. non sequitur *Theologiam esse Theoreticam tantum*. Non enim ibi intelligenda est nuda *cognitio*, sed talis, quæ cum praxi conjuncta est, per quam Deus rite colitur.

*Theologia est Noetica & Dianoetica.*

XV. Est quoque Theologia non tantum *Noetica*, sed & *Dianoetica*. Id est veritates suas probat, non tantum expressis verbis, sed & per necessarias consequentias. Nam non tantum quod αὐτολεξεὶ in S. Script. continetur, sed & illud quod per legitimam & evidentem consequentiam inde deducitur, sive id fiat κατασκευαστικῶς veritatem *astruendo*, sive ἀνασκευαστικῶς errorem *destruendo*, verbum Dei docere dici debet: cum Deus verbum suum ita revelaverit, ut ejusmodi veritates inde necessario fluant, noverat enim quibus verbis uteretur Sp. Sanctus & quid inde necessario colligi debeat: ergo voluit ut talia colligerentur. Ita Christus Matt. 22. ex promissione Dei, quam fecerat se fore *Deum Abrahami, Isaaci* & *Jacobi*, argumentatur, docetque resurrectionem mortuorum. Et Paulus 1 Cor. 15. probat nostram Resurrectionem ex Resurrectione Christi. Religionis Christianæ prima veritas est, *Christum esse Messiam promissum*. Hoc tamen non poterant scire fideles ante instrumentum Nov. Test. Scriptum, nisi per consequentiam, *scrutando Scripturas*, & *observando signa temporum*, à prophetis prædicta, ut Christus ipse eos hortatur Joh. 5. & Matt. 16.

*Gonterii, Walenburgicorum deliria.*

XVI. Delirant igitur *Gonterius, Veronius, Walenburgici* aliique apud *Pontificios*, qui nullas volunt admittere consequentias, quæ ex S. Scri-

S. Scriptura necessario fluunt; ut etiam ineptissime nos vellent cogere, ut totidem verbis ex Scriptura S. probaremus. *Non datur purgatorium. Duo dantur tantum sacramenta. Non datur Missa, nec Transubstantiatio, Papa non est caput Ecclesiæ.* (1. Sufficit enim ut ista omnia, & id genus alia, per legitimam consequentiam probentur. (2. Nec ipsi Pontificii probabunt αὐτολεξεὶ sua *septem Sacramenta*, nec *Missam*, nec *Purgatorium*, nec *Papam esse caput Ecclesiæ &c.* Ut *novi* hi *methodistæ* nihil aliud sint, quam veterum *Manichæorum*, *Arrianorum* aliorumque hæreticorum proles, qui, quum se per legitimas consequentias ad incitas sæpe redactos viderent, dicebant: *consequentias non esse admittendas; omnia exsertis verbis probanda esse.* Sic & *Arriani* nolebant ferre vocabula *personæ*, ὁμοούσιον, quia totidem literis non legebantur in Sacra Scriptura. Ineptissima est igitur distinctio inter conclusiones *Theologicas* & *Fidei*: quarum priores per necessarias consequentias ex verbo Dei deducerentur, adeoque fidei non essent, reliquæ autem αὐτολεξεὶ in S. Scriptura legerentur, adeoque fidei essent, cum utraque sit *fidei*. Ineptius conclusiones *deductas* vocant, quæ à quolibet privato deducuntur; *expressas* autem eas, quæ auctoritate Ecclesiæ stabiliuntur: cum non respiciendum sit ad auctoritatem concludentis, sed ad necessarium nexum verborum. Hinc etiam colligitur, quod *omnis conclusio, quæ sequitur ex altera præmissarum revelata, sit de fide.* Sic hæc conclusio: *Christus non est in terra*, sequitur ex propositione revelata: *Christus est in cœlo;* tali syllogismo. *Si Christus est in cœlo, sequitur eum non esse in terra; at Christus est in cœlo. Ergo &c.*

*Ratio habet usum in Theologia.*

XVII. Hinc etiam sequitur, *sanam rationem aut Philosophiam, maximum habere usum in Theologia*, & *veritates Philosophicas esse veras*, non minus quam quæ ex revelatione deducuntur. (1. Cum in veritate non detur gradus, nec plus aut minus. (2. Cum lumen lumini non sit contrarium. (3. Cum utrumque lumen, cum naturale tùm revelatum, habeamus à Deo, est enim Deus auctor rationis. Falluntur igitur *Pontificii* ac *Lutherani* aliique, qui statuunt, rationem habere nullum aut exiguum usum in rebus Theologicis, ut suas tueantur sententias de πολυτοπίᾳ & παντοπίᾳ. Adeo necessaria est ratio in Theologia, ut Deus in nobis non agat nisi per rationem; Nam (1. Nos non impellit ut bruta animalia, aut nescio quæ automata. (2. Vult ut cultus noster sit *rationalis.* Rom. 12: 1. (3. Theologia præsupponit rationem, cognitionem linguarum, ideas verborum & rerum de quibus S. Script. agit.

XVIII. Intelligendum autem hic eſt per *Rationem*, non id quod cuilibet cum *ratione* convenire videtur; ſed *ſana ratio*, quando habemus rerum *clarum & diſtinctum conceptum*, qui omne dubium tollit, ut judicemus ex *conſcientia*, non ex *opinione*, non ex *conjectura*, *præjudicio*, magiſtrorum placitis. Tandem debet eſſe ratio illumminata per Spiritum Sanctum: cum homo natura ſua ſit cœcus, immo mortuus, nec capere poſſit naturaliter ea quæ ſunt Spiritus Dei. 1 Cor. 2. quod ſuo loco fuſius probabimus contra *Pelagianos* & eorum ſequaces: ubi de *Viribus ad recipiendum fœdus gratiæ neceſſariis* agendum erit. Nec ideo ratio è Theologia eliminanda eſt, *quia agit de altis myſteriis, veluti de Trinitate, Incarnatione* &c. *quæ rationem captumque noſtrum ſuperant:* cum ne ſcire quidem poſſemus hæc eſſe myſteria, captumque noſtrum ſuperare, niſi per rationem caperemus ea tanquam myſteria in verbo Dei eſſe revelata. Sed & per ipſam rationem animadvertimus, ea non eſſe contra rationem, quamvis captum noſtrum ſuperent. Et ſane quemadmodum Deus ſeſe Adamo in ſtatu integritatis non manifeſtavit, niſi per rationem, ita nec poſt peccatum. Ingens tamen eſt differentia; cum in ſtatu integro homo nullo medicamine, nulla illuminatione opus habuiſſet, at in ſtatu peccati ratio noſtra prius à Spiritu Sancto reſtauretur & illuminetur. Ut, quo quis mentem magis habet illuminatam, eo rectius ſanctiuſque philoſophetur, reſque Theologicas, in verbo Dei revelatas, clarius videat, ac conſequentias felicius nectat.

*Intelligenda ſana Ratio.*

XIX. Habet ergo *ratio* ſe, in rebus Theologicis, ut *inſtrumentum*, & tanquam *oculus* mentis, qui veritates in verbo Dei revelatas videt & animadvertit: *Revelatio* autem ut *pondus*, in ponderanda re aliqua, aut ut *ulna* in menſuranda tela. Nam quemadmodum in menſuranda tela opus eſt ipſa *tela*, deinde *ulna* ad quam menſuratur, tandem *oculus* qui obſervet numerum ulnarum, adeoque telæ longitudinem: ita in rebus Theologicis *Revelatio* ſive S. Scriptura eſt *norma* & tanquam *ulna* ad examinandas veritates, quæ inſtar *telæ* in verbo Dei contextæ latent, ſana autem ratio eſt inſtar *oculi*, qui videt, & longitudinem ac latitudinem veritatum revelatarum animadvertit, deque iis ad iſtam normam judicat. Neutiquam igitur *ratio* dici poteſt *principium* fidei, ſed *inſtrumentum* tantum, quemadmodum *oculus* non eſt ipſa *ulna*, ſed *inſtrumentum* per quod *ulna* percipitur. Optime igitur Auguſtinus: *quod credimus auctoritati, quod intelligimus rationi debemus.* Nec aliter intelligi poſſunt loca inſignia iſta. 1. Theſſ. 5:

*Ratio in rebus Theologicis ſe habet ut Inſtrumentum.*

*Ratio non eſt principium fidei.*

21. *omnia probate, quod bonum est retinete* & 1 Joh. 4: 1. *Probate Spiritus an ex Deo sint.* Joh. 5: 39. *Scrutamini Scripturas. Probamus* autem & *scrutamur* sola *ratione.* Ipsum Paulum egregie ratione utentem vide Hebr. 2: 8. & 12: 27. Gal. 3: 16. Nec I. *rationem è Theologia eliminatam vult Paulus* Col. 2: 8. Agit enim ibi de *vana Philosophia*, quæ consistit in *deceptionibus*, præsertim de *Philosophia Scribarum & Pharizæorum*, qui Judæorum fuerunt *Philosophi*, quemadmodum vocantur à Josepho de Bello Jud. l. 2. cap. 12. & Antiq. l. 18. cap. 2. quæ consistebat in operosa ratiocinatione, קל וחומר גזרה שוה, & id genus alia, quibus totum opus Talmudicum scatet, & cujus habemus compendium in libro *Halichot Olam.* Ad hanc maxime respexisse Paulum, patet cum addat: κτ̀ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κτ̀ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κτ̀ χριστόν.

*Argumenta contraria.*

XX. Sed quamvis recta ratio sive *Philosophia* magnum usum habeat in Theologia, tamen non recte dicitur Theologiæ *ancilla* (1. Cum propria sua habeat principia, unde veritates suas deducat. (2. Cum nulla scientia ei imperare possit, ut veritates suas ad nutum alterius veritatis immutet, (quod proprie *ancillari* est) quandoquidem omnis veritatis auctor est idem Deus, nec veritas veritati contraria esse, aut eam mutare potest. I. Et quamvis Philosophia sit *Instrumentum*, non sequitur tamen eam esse *ancillam Theologiæ*, nisi dicamus (1. eam quoque esse ancillam jurisprudentiæ, & medicinæ. (2. immo ipsam jurisprudentiam, medicinam, architecturam, agriculturam, omnesque scientias & artes, esse *ancillas* Theologiæ; cum nulla sit scientia aut ars, quæ non magnum usum præstet Theologo. II. *Ratio* quidem *captivari debet ad obedientiam Christi* 2 Cor. 10: 5. deponendo scilicet *præjudicia corruptæ rationis*, quæ Doctrinæ Christi contraria sunt, non autem *sana ratio abneganda* est, cum doctrinæ Christi non repugnet.

*Ratio non est ancilla Theologiæ.*

XXI. Nulla alia agnoscimus *argumenta* Theologiæ nec alia *principia*, quam ea quæ sunt certissima. Ut igitur *Revelatio* est unicum principium fidei, sic omnia argumenta Theologica non aliunde desumi debent quam ex S. Scriptura, & lumine rectæ rationis. Probabilia vero argumenta, ut *dicta Patrum*, *Decreta Conciliorum*, *Traditiones*, *Formulæ*, *Confessiones*, & ejusmodi alia, nec sunt *principium*, nec solidum *argumentum* in rebus fidei subministrant.

*Nulla principia Theol. nisi quæ certissima.*

XXII. Est igitur unicum & certissimum principium Theologiæ *Sacra Scriptura*, sive *verbum Dei revelatum.* Dicitur autem hoc prin-

*Unicum Principium Theologiæ est Script. Sac.*

principium *complexum* & *inevidens*, quatenus *evidens* dicitur id quod per suam causam cognoscitur, aut ex terminorum perceptione sola apprehenditur. Hoc sensu sane principium Theologiæ non potest dici *evidens*, quia veritates Theologicæ per causas suas non cognoscuntur, nec ex sola terminorum perceptione apprehenduntur. Nihilominus tamen veritates Theologicæ sunt *clarissimæ* ut & *certissimæ*: quia clare in verbo Dei sunt revelatæ, sive αὐτολεξεὶ, sive per legitimam consequentiam, adeoque rerum Theologicarum habere debemus *claram & distinctam perceptionem*, non minus quam rerum Philosophicarum. (1. quia fides debet esse *demonstratio*. Hebr. 11: 1. non *nuda opinio, præjudicium* aut *conjectura*. (2. quia *quilibet in sua conscientia ac mente debet esse certus*. Rom. 14: 5. vide quoque Ps. 36: 10. Matt. 13: 11. Hæc autem *demonstratio* & *certitudo* locum habere non potest, nisi ubi clara & distincta est perceptio. *Clara* autem & *distincta perceptio*, in rebus Theologicis, non eo usque sese extendit, ac in rebus Philosophicis. In his enim cognoscimus non tantum τὸ ὅτι, sed & ipsum διότι: at in Theologicis τὸ ὅτι tantum, non autem τὸ διότι, præsertim in *mysteriis*, ut in *Trinitate*, *incarnatione* &c. Deinde claram hanc & distinctam perceptionem, in rebus Theologicis, habemus ex sola *Revelatione*; in Philosophicis autem ex solo lumine sanæ rationis; id est, clare & distincte percipimus mysteria in verbo Dei esse revelata: quæ perceptio est demonstratio, datque certitudinem in mente nostra, & conscientiam certam reddit.

*Veritates Theologicæ sunt certissimæ.*

*Quousque se extendat clara & distincta perceptio in rebus Theologicis?*

## CAPUT II.

*De Sacræ Scripturæ Necessitate, Divinitate & Auctoritate.*

### LOCUS I.

I. UNicum igitur atque Verissimum *principium* Theologiæ & Religionis salutaris *revelatæ*, est *verbum Dei*. Adamo in statu integro Deus voluntatem suam statim manifestavit; sic & post lapsum, ubi erigendum erat fœdus gratiæ. Genes. 1. & 2. Ideo Deus distinguitur ab *Idolis* falsisque Diis, *qui habent ora & non loquuntur*: cum verus Deus *loquatur*. Ps. 115. & Ps. 147. Rom. 3: 2. Commentus quidem est Diabolus per κακοζηλίαν: *Lycurgum* cum *Apolline* colloquia habuisse; *Minoem* cum *Jove*; *Numam Pompil.*

*Theol. Revelatæ Principium est verbum Dei.*

cum *Nympha Ægeria*; *Mahomedem* cum *Grabriele*; sed hæc omnia nimis crassa sunt, quam ut credi possint.

*Verbum Dei est.*
I. ἄγραφον.

II. Verbum Dei est vel ἄγραφον vel ἔγγραφον. Prius quidem initium sumpsit in *Paradiso*, duravitque usque ad tempora Mosis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. Hebr. 1: 1. Nonnunquam *viva voce*, ut alloquutus est Deus *Adamum*, *Noachum*, *Abrahamum*, *Mosen*, alios. Aliquando per *visiones*, ut se manifestavit *Abrahamo*, *Isaaco*, *Jacobo* &c. Sæpe per *somnia & apparitiones* Angelorum; & tandem per *Prophetas*. Toto hoc tempore, ad Mosen usque, Ecclesia facile poterat regi sine *verbo scripto*. (1. quia pauci adhuc fuerunt fideles in Ecclesia Patriarcharum, sub promissione. (2. quia Patriarchæ, ob longam vitam, poterant verbum Dei caste servare. (3. & quia habebant frequentes revelationes, ut facile corrigi potuissent, si errassent. Rejicimus igitur, quicquid *Judæi*, *Mahomedani* aliique dicant, de Libris *Adami*, *Seti*, *Enochi*, *Abrahami*, *&c.* cum de iis ne γρῦ quidem in verbo Dei.

II. ἔγγραφον.

III. Quum temporibus Mosis populus Dei justam formam Reipublicæ constituisset, & Ecclesia non amplius restricta fuisset ad certas quasdam familias, sed jam facta fuisset *nationalis*, Deus voluit ut *verbum* suum scriptis traderetur; atque sic factum est ἔγγραφον. (1. Ne inertia & oblivione verbum Dei periret, quod facile fit ob imbecillitatem humanam, uti videri est ante diluvium. (2. Ne per idololatriam, ad quam Israëlitæ proni sunt, sese corrumperent. Deut 31:20,22.

*Verbi scripti necessitas.*

IV. Quamvis igitur Deus Ecclesiam servare potuerit, sine *verbo scripto*, quemadmodum eam servavit usque ad tempora Mosis: nihilominus tamen opus fuit *verbo scripto*. Et cum post Mosen Ecclesiam suam aliter gubernare & servare non voluerit, nisi per *verbum scriptum*, statuimus contra Pontificios, *verbum scriptum*, ex hypothesi divinæ voluntatis, ad salutem esse absolute *necessarium*: non tantum ad esse, sed & ad *bene esse*: non solum *tyronibus*, sed & *adultis*. (1. quia Deus hodie nullam aliam ostendit viam ad salutem. (2. quia scriptura est fundamentum fidei nostræ. Eph. 2: 20. (3. quia Christus nos mittit ad scripturam Vet. Test. Joh. 5: 39. Luc. 16: 29. & Joh. 20: 31. *Hæc scripta sunt, ut crederemus, quod Jesus sit Christus, ut vitam haberemus in nomine ejus.* vide etiam 2. Tim. 3: 16. Rejicimus igitur *Libertinos*, qui sensum literalem & grammaticum respuunt, tanquam literam occidentem, Ecclesiæ Novi Testamen-

ti

ti inutilem, ut facilius somnia cerebri sui & *Spiritum privatum* urgerent.

V. *Verbum Dei* continetur in istis libris, quos vocamus *S. Scripturam* Veteris & Novi Testamenti. Estque verbum θεόπνευστον, adeoque *divinum.* (1. Cum enim Deus rite coli non possit, secundum beneplacitum hominum, sequitur eum ipsum revelasse voluntatem suam. Dicendum itaque est, eum sese revelasse in S. Scriptura, aut alium librum exhibendum esse, qui sit divinior, quod hactenus nemo facere fuit ausus. (2. Coram toto populo Deus verbum suum patefecit Mosi. Exod. 33: 11. Deut. 3: 11, 12. ut facile redargui potuisset Moses, si peccasset. (3. Nunquam hi libri *falsitatis* convicti sunt; ergo retinendi sunt pro *divinis.* (4. Nec ipsi hostes Religionis Christianæ alium librum pro verbo Dei obtrudere ausi sunt; ergo sola S. Scriptura est verbum Dei. *Alcoranus Mahumedis* nimis crasse confutus est mendaciis, quam ut pro *verbo Dei* haberetur. Quod autem de libris Mosis dicitur, id de reliquis omnibus Vet. & Nov. Test. libris intelligendum est: cum reliqui omnes nil contineant, quod cum scriptis Mosis non ad amussim conveniat, & quod per Mosen non aliquo modo fuerit indicatum. Eo ipso igitur quod hi libri à Deo dati fuerint, sequitur eos esse divinos.

*Verbum Dei in libris Veteris & Novi Testamenti.*

*Alcoranus mendax.*

VI. Constat præterea *divinitas* Sacræ Scripturæ. (1. Ex ipsis *auctoribus*, qui fuerunt fide digni. α. Nam præsentes erant rebus gestis, quas scripserunt. 1. Joh. 1: 1, 2, 3. β. Non inducti sunt ad fallendum nec minis, nec promissis, cum mortem pro veritate obierint. γ. Omnes, ut ut locis & temporibus remotissimi, tamen eadem tradunt, in eandemque veritatem conspirant. δ. Propria peccata non celarunt: fatetur enim *Moses* se cum *Aharone* non credidisse Deo. Num. 20: 12. Nævi *Davidis* deteguntur. 2. Sam. 11: 1. ut & *Discipulorum* Christi. Matt. 26: 9, 74. ε. Ipsi hostes veritatis eos laudant, tanquam viros *divinos*, & *pietatis cultores. Strabo* Geograp. lib. 16. *Apion* apud Josep. lib. 1. Idem testimonium exhibetur *Servatori*, *Joh. Baptistæ*, & *Jacobo* fratri J. C. teste eodem Josepho. Nec non Apostolis Christi & primis Christianis. Plin. Secundus lib. 10. Ep. 101. ad Imperat. Trajanum. (2. Ex stili sublimitate, fatente ipso *Longino* ethnico de *stilo sublimi* sect. 8. ubi docet stilum Mosis esse Deo dignissimum, ut quando dicit, *fiat lux.* (3. Ex *argumento* & *excellentia materiæ* quæ tractatur: qualia sunt dogmata de *Trinitate*, *Incarnatione*, *Partu virginis*, *Lapsu hominis*, *peccato*, *via* re-

*Verbi Dei Divinitas.*

*reconciliationis* cum Deo; Tales ſunt quoque *Leges ſanctiſſimæ*, ut ipſi *Græci*, *Solon*, *Plato*, aliique eas hauſerint, à Judæis. Talia ſunt & *vaticinia* de *peregrinatione*, *de multiplicatione* ſeminis Abrahami, de *poſſidenda terra Canaan*, de *Templo*, de *Captivitate* & *Libertate* populi, de *Meſſia* venturo, de *tempore & loco* ejus nativitatis. De LXX. *hebdomadibus*, *Ablatione ſceptri*, *diſtructione templi*, *Reſpublicæ*, & de *Regno Chriſti &c.* (4. Ex variis *Circumſtantiis*; veluti libri *Antiquitate* celebres, cum adhunc uſque diem, fere per quatuor millia annorum, conſervati ſint, dum libri *Sybillini* reliquique perierunt, nec non ex *Conſenſu* tot populorum: non enim eſt credibile, Deum permittere voluiſſe, ut tot populi, qui Deum amant eumque colere ſtudent, per tot ſæcula mendacibus libris deciperentur. (5. Ex *effectis* doctrinæ, quæ hiſce libris traditur, præſertim poſt natum Chriſtum, qui eſt totius ſcripturæ finis. א. *Muta* facta ſunt *oracula*. ב. *Idololatria* maximam partem *extirpata* eſt. ג. *Mores* hominum atque ſcientiæ cultiores factæ. ד. Inaudita tot *Martyrum conſtantia*. ה. Mirifica ac ſubita integrarum nationum ad Chr. *converſio*; nam, vivente adhuc Paulo, Euangelium *pervenerat uſque in Illyricum*. Rom. 15: 19. ut *Euangelium* revera ſit *potentia Dei ad ſalutem*. Rom. 1: 16. Hebr. 4: 12. Et hæc argumenta dicuntur ἔντεχνα.

VII. Alia argumenta dicuntur ἄτεχνα quæ deſumuntur 1. vel ab *hominibus*, vel 2. à *Deo*. Ab *hominibus*, (1. ipſis *Judæis*, qui mentionem faciunt de Chriſto & de Maria, fatenturque *Chriſti miracula* (de quibus in Nov. Teſt.) facta eſſe per nomen יהוה *Sanhedrin*. Cap. 7. & *Schabbath* Cap. 12. Libro *Tholdoth Jeſu*. Et quamvis Judæi blaſphemè hæc narrent, tamen coguntur veritatem agnoſcere, nec eorum blaſphemiæ enervant Chriſti virtutem; cum ſtultè nugentur, eum hæc feciſſe per neſcio quam *magiam*: idem enim dici poſſet, eodem jure, de *Moſe* & *Prophetis*. Præterquam quod ejuſmodi miracula per *Magiam* fieri non poſſint. Ipſe liber בית ישראל Cod. Gittim. Cap. 5. fatetur Chriſtum beneficia procuraſſe Judæis. Hinc & *Joſephus* Antiq. l. 18. c. 4. & 7. de Chriſto loquitur tanquam de Deo, & de *Johanne Baptiſta*, valde honorificè verba facit. (2. *Ethnicis* ut *Appione*, *Strabone* & *Plinio Secundo*, *Longino*, de quibus ſupra. (3. *Turcis*: fatetur enim *Mahumedes*, eum qui credit Vet. & Nov. Teſt. ſervari. (4. Ipſa *Eccleſia*. Unde Auguſtinus: *non crediciſſem, niſi Eccleſia dixiſſet*.

*Quomodo Deus ipſe*

VIII. Præcipuum teſtimonium divinitatis S. Scripturæ eſt ipſe *Deus*.

*Deus.* Hoc testimonium est vel externum, quod ipsis verbis Dei in Scriptura S. exhibetur, veluti Joh. 5: 39. *Scrutamini Scripturas. &c. Tota Script. divinitus inspirata est.* 2. Tim. 3: 16. Testimonium divinum *internum*, est illud lumen spirituale, quod Spiritus S. accendit in mentibus nostris, illuminando intellectum, & flectendo voluntatem nostram, ut veritatem agnoscamus & amplectemur. *Deus enim splendet in cordibus nostris, ad præbendam lucem notitiæ.* 2 Cor. 4: 6. *Recipimus Spirit. S. ut cognoscamus res quas Sp. S. nobis dederat.* 1 Cor. 2: 12. Exemplum habemus in *Lydia*, cui Deus *cor aperuit.* Act. 16: 14. Hinc David orat, ut Deus sibi *oculos illuminet, ad cernenda mirabilia ejus.* Ps. 119. 18. vide & Luc. 24: 45. Impie igitur tale testimonium negant *Pelagiani*, aliique fautores liberi arbitrii.

*testetur de S. Scriptura.*

IX. Agnoscimus igitur divinitatem Script. S. non propter *auctoritatem Ecclesiæ*, ut nugantur Pontificii, sed propter *notas divinitatis*, quæ ipsi Scripturæ insunt; quando Sp. S. mentem nostram illuminat: ita ut sit causa efficiens, qua cognoscimus notas divinitatis. Adeo ut ista *illuminatio Sp. S.* non sit *principium* fidei, (tale enim *principium* est ipsum *verbum Dei*) sed *causa efficiens & lumen*, quo *verbum* Dei tanquam *principium* fidei agnoscimus.

*Spir. S. quomodo se probet?*

X. Hinc facile responderi potest ad quæstionem *Pontificiorum: unde probas divinitatem S. Scripturæ?* Respondeo enim: *hoc novi ex notis divinitatis, quæ ipsi Scripturæ insunt.* Et si urgeas: *quomodo nosti notas divinitatis?* Respondeo: *per lumen Spiritus S.* Nec opus est, ut ulterius rogetur: *unde tibi constat, te habere lumen Sp. S.?* Cum hoc non debeat probari; sufficit enim me ejusmodi luminis habere conscientiam: quemadmodum non opus est, ut probem me oculos habere illuminatos luce solis, ut observarem ulnam in mensuranda tela. Unde patet *Reformatos* nullum in hac responsione committere *circulum*: cum duæ proponantur diversæ quæstiones, & nos ad singulam quæstionem peculiarem demus responsionem, sine petitione principii. *Circulum* autem ineptissime committunt Pontificii. Nam ad quæstionem: *unde nosti Scripturam esse verbum Dei?* Respondent: *Ex auctoritate Ecclesiæ.* Si instes: *unde nosti Auctoritatem Ecclesiæ?* Respondent: *ex Sacra Script.* ubi est manifestissima *petitio principii.* Hinc quoque sequitur Reformatos non posse accusari *Spir. privati & Enthusiastici*, cum nullum alium spiritum jactent se habere, quam spiritum omnibus piis communem, per cujus lumen animadvertant notas divinitatis verbi Dei. *Eundem spiritum fidei omnes habemus.* 2 Cor. 4: 13.

*Lumen Sp. Sanct.*

*Circulus Pontificiorum.*

*Reformati non habent Spir. Privatum.*

4: 13. 1. Cor. 2: 12. Et quamvis *alteri non possim probare, me talem spiritum habere*, sufficit tamen me de eo in conscientia convictum esse: eodem modo quo convictus sum, me habere lumen solis, etsi id alteri non possim probare. Nec minus de lumine Sp. S. convictus esse possum, quam de lumine rectæ rationis. Spiritum autem *privatum & Enthusiasticum* habet *Papa*, cum sibi peculiarem spiritum vendicet, etiam extra & contra scripturam loquentem.

*Objectio.*

*Spiritum Enthusiasticum habet Papa.*

XI. Est etiam S. Scriptura divina, quoad singulas partes suas, quoad *Vetus & Novum Test.* quoad *res & quoad voces*, sive *magni* sive *parvi momenti*. Nam si ulla daretur pars, quæ non haberet istas notas divinitatis, illa pro verbo Dei non esset habenda. Sic quoque nihil in verbo Dei revelatum est, nisi ex instinctu Sp. Sancti. Quia *omnis Scriptura divinitus inspirata est*. 2. Tim. 3: 16. 2. Pet. 1: 21. *Acti Spiritu S. viri sancti loquuti sunt*. 2. Pet. 3: 15. Sed & omnia illa quæ à viris piis dicta & facta recitantur, si fidem & pietatem doceant, instinctu Spiritus S. à viris istis piis dicta & facta censenda sunt, eodemque instinctu à scriptoribus sacris recitantur in Scriptura S. qualia sunt *Canticum Mosis*, Exod. 15. *Zachariæ, virginis, Simeonis*. Luc. 2. &c. Neque etiam refert, quomodo Deus in verbo suo loquatur, sive *imperet*, sive *hortetur*, sive *det consilium*, certum enim est, ista omnia facta esse instinctu Sp. S. Quando ergo Christus dicit Apoc. 3: 18. *Consilium do tibi, ut a me emas*, perinde est, acsi diceret: *Mando tibi* &c. Quædam tamen in S. Script. recitantur, quæ non sunt dicta & gesta instinctu Sp. S. sed sæpe instinctu Diaboli, veluti peccatum Adami, homicidium & adulterium Davidis, perjuria Petri, scelus Judæ, & id genus infinita alia. Ejusdem generis sunt errores amicorum Jobi, qui vera quidem proferunt in thesi, quando dicunt: *Deum punire hypocritas*, quamvis falsa fuerint in hypothesi, cum ea applicarent Jobo, quasi is esset hypocrita. Non sequitur igitur, *si in S. Scriptura impia & falsa quædam narrantur, ergo tota Sacra Scriptura non est divinitus inspirata*. Nam ex divina inspiratione factum est, ut etiam dicta mendacia & facta impia in verbo Dei revelata sint, quæ alias ignorassemus.

*Script. S. est divina, quo ad singulas partes.*

*Etiam ea quæ à viris piis dicta & facta sunt.*

*Non refert sive imperet Deus, sive hortetur.*

*Etiam peccata & mala quæ recitantur.*

*Objectio.*

XII. Scripserunt quoque viri Sancti cum Veteris tum Nov. Test. *expresso mandato*, non tantum *data occasione*, ut delirant *Vorstius, Remonstrantes & Pontificii*. Illudque *mandatum* erat vel *internum*, id est *instinctu Sp. Sanct.* in mente eorum. 2. Pet. 1: 21. & 2. Tim. 3. 16. quale *mandatum* sane erat nobilissimum, cum ipsum auxilium Spi-

*Verbum Dei scriptum est expresso mandato Dei.*

Spiritus S. adjunctum habuerit. *Externum* mandatum, illud erat quando jussi sunt ut scriberent: quod erat aliquando *generale* ut Matt. 28. *Ite, docete per totum mundum, & servate omnia quæ vobis mandavi.* Nonnunquam erat mandatum *speciale. Inscribe Hoc monumentum.* Exod. 17:14. & 34:27. *Sume tibi volumen & scribe stilo humano.* Es. 8:1. Jerem. 30:2. *Quod cernis scribe in libro,* Apoc. 1:11. vide Habac. 2:2. I. Et quamvis *data occasione scripserint multa;* nihilominus Spiritus S. eos impulit, ut occasiones istas arriperent, aut ipse occasiones suppeditavit. II. Huic doctrinæ non adversatur Paulus 1 Cor. 7:12. *Ego dico non dominus.* Ibi enim Apostolus expresse monet hæc à Domino non dici, quod alibi non facit. Et cum moneat Dominum hæc non dicere, sequitur: *reliqua omnia quæ scripsi Dominus dicit, non ego.* III. Verum quoque est, *alium esse stilum Matthei, alium Marci, Lucæ, Petri, Pauli* &c. eo tamen non minus mandato & instinctu Sp. Sanct. scripserunt; quia Spiritus sanctus voluit res suaviter contemperare cum genio scriptoris. IV. Nec *contradictoria traduntur à Spiritu sancto cum doceantur Trinitas, Incarnatio* &c. quia nulla in his contradictio. V. Variæ quoque lectiones instinctu Spiritus S. non dantur. (1. quia nullæ in rebus fidei: (2. si quæ dentur culpa hæret in librariis non in Spiritu Sancto. (3. Possunt restitui 1. Collatione Codicum, 2. Analogia Grammaticæ; & 3. Analogia fidei. Tandem 4. caremus adminiculis, ad solvendas omnes difficultates & contradictiones apparentes; non enim habemus omnes Anales, Genealogias & id genus alia; ut nostra ignorantia potius inde manifesta fiat, quam error Scriptorum. Erant igitur Sacri Scriptores *organa* & *amanuenses*, quibus Spir. S. in tradenda Sacra Scriptura usus est. Ut nec voluerint, nec potuerint, errare viri θεόπνευστοι.

I. *Interno.*
II. *Externo.*
III. *Generale.*
IV. *Speciale.*
*Objectiones.*
*Scriptores sacri erant amanuenses Sp. S.*

XIII. Hinc satis manifesto patet S. Scripturam habere omnem auctoritatem à se, non ab Ecclesia, ut volunt *Pontificii.* (1. quia debemus *spiritus probare*, ergo ipsam *Ecclesiam*, an *sint ex Deo*, 1 Joh. 4:1. 1. Thess. 5:21. quod non potest fieri, nisi ex S. Scriptura. (2. quia ipsa Ecclesia suam auctoritatem debet probare ex ipsa Scriptura: ut ineptissimus daretur circulus, si Ecclesia auctoritatem suam probaret ex Scriptura, & Scriptura auctoritatem haberet ab Ecclesia. (3. quia omnes hæretici sua scripta & dogmata probare possent auctoritate humana: veluti *Judæi*, probarent auctoritatem *Talmudis* per auctoritatem Synagogæ suæ; *Mahumedani* probarent eodem

*Script. S. omnem auctoritatem habet à se non ab Ecclesia.*

jure auctoritatem *Alcorani*, per auctoritatem Imperatoris & Muphti sui: (4. quia nulla major auctoritas quam Ecclesiæ Judaicæ, cui *oracula Dei concredita fuerunt.* Rom. 3. & Ps. 147. & cum *salus sit ex Judæa.* Joh. 4: 22. Ergo magis Ecclesiæ Judaicæ credendum esset quam Romanæ. (5. quia tribus prioribus sæculis S. Scriptura auctoritatem suam habuit, sine ullo concilio, adeoque sine ullo testimonio humano. (6. quia Christus ipse omne testimonium humanum rejicit, Joh. 5: 34. Ergo judicium Ecclesiæ est tantum *ministeriale*, *humanum*, adeoque *fallibile.* Fungitur etiam Ecclesia officio *Notarii*, quoniam *ei concredita sunt oracula Dei.* Rom. 3: 2. *Præconis* ac *Interpretis.* κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Rom. 12: 6. *vindicis*, & *columnæ*, quæ verbum Dei servat & tuetur. 1. Tim. 3: 15. Inde tamen auctoritatem non magis habet ab *Ecclesia*, ac suam *diploma* Principis à *Notario*, *Præcone*, *Interprete*, *Custode* &c. Futilia sunt quæ à *Pontificiis* solent opponi, quale est dictum Augustini. I. *Non credidissem, nisi Ecclesia dixisset*: quia *Augustinus* loquitur de se, ut de *Manichæo*, qui nullam habuisset occasionem credendi nisi prius Scriptura ei exhibita fuisset ab Ecclesia: eodem sensu quo *cives Samariæ* crediderunt fœminæ, Christum esse verum Messiam, quod ista fœmina eis primam dederit occasionem credendi. Joh. 4. Falsum est quod dicant. II. *Scripturam non posse auctoritatem suam a seipsa probare*: cum revera se probet divinam, non *auctoritative*, sed *argumentative*, per notas divinitatis: ut aurum propriis atque intimis suis notis probat suam bonitatem & valorem. Sic & Sol sua luce se prodit & probat sine Testimonio. III. Nec *possumus errare in nostro judicio*, si judicemus ex conscientia ob *notas divinitatis*; neque opus habeo testimonio alterius ubi video lucem. Sed & ipsa *Ecclesia* non minus potest errare ac ego, cum toties integra *concilia* erraverint. IV. Nec ideo *S. Scriptura opus habet auctoritate Ecclesiæ*, *quia scriptores quorundam librorum ignorantur*: cum hæc quæstio sit plane historica, & nihil faciat ad notas divinitatis. Tandem V. quamvis *libri Sacræ Scripturæ collecti fuerint in unum volumen per Ecclesiam*, *& in ordinem digesti*, tamen inde non sequitur, *eos auctoritatem habere ab Ecclesia*, non magis quam leges Romanæ, quæ à viris doctis in unum volumen congestæ sunt, (unde *corpus juris*) auctoritatem & vim suam habent ab istis viris doctis; cum eam habeant à principibus, qui earum fuerunt auctores. Taceo quod ista dispositio in ordinem, ad salutem non sit necessaria.

Objectio.

C A-

# CAPUT III.

## *De Canone, Libris Apocryphis, Traditionibus & Spiritu Enthusiastico.*

I. Libri Sacræ Scripturæ non male dicuntur *Canonici*, quia sunt *Canon* & *norma* fidei & pietatis; fideles enim τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι. Gal. 6: 16. vide Phil. 3: 16. & 2 Cor. 1 13. 15. 16. veteribus dicebantur διαθηκόγραφοι *Testamentarii*, cum sint *Instrumentum fœderis Dei:* suntque libri tum Vet. tum N. Testamenti. Libri. Vet. Testamenti Josepho dicuntur 22. secundum literas alphabeti. Aliis dicunter עשרים וארבעה *viginti quatuor*, etiam propter alphabetum additis scilicet יי quæ conficiunt nomen יהוה secundum Veterem scriptionem Chaldæorum. Solent autem distingui à Judæis in תורה נבאים / וכתובים *legem*, *Prophetas*, & *hagiographa*. Per *legem* intelligunt quinque libros Mosis. *Prophetas* iterum distinguunt in ראשונים ואחרונים / *Priores* à Mose usque ad mortem Salomonis; & *Posteriores*, ipsis sunt Esaias, Jeremias, Ezechiel & duodecim minores Prophetæ. *Hagiographa* sunt *Chronica*, *Ester*, *Ezra Nehemia*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum*, *Job*, *Daniel & Threni*. Dicuntur etiam in Novo Test. *Lex & Propheta.* Luc. 16: 29. Matt. 22: 40. Christus libros Veteris Test. quoque dividit in *Legem*, *Prophetas & Psalmos.* Luc. 24: 25. quemadmodum & *Josephus* contra Apionem libro 1. in quinque libros *Mosis*, tredecim *Prophetarum*, & quatuor *Hymnorum*.

*Libri Canonici.*

*Distinctio libri Vet. Test.*

II. Libri Novi Test. sunt vel *Historici*, quales sunt quatuor *Euangelia* & *Acta Apostolorum*; vel *Dogmatici*, quales sunt *Epistola Pauli*, *Jacobi*, *Petri*, *Johannis* & *Juda*; vel *Prophetici*, nempe *Apocalypsis* & nonnulla alia; nam & ipsa Euangelia & Epistolæ continent quædam Prophetica.

*Libri N. T.*

III. Omnes hi libri sunt *authentici*, authentia cum *Historia*, quia quicquid continent cum veritate Historiæ convenit; tum *Norma*, quia continent perfectam regulam fidei & morum. Suntque omnes *Canon* perpetuus in Ecclesia Christiana, nec ullus liber, nec ulla pars, sive Novi, sive Veteris Testamenti eliminanda, aut inutilis dicenda est. (1. Cum *Christus venerit non ut solveret, sed ut impleret legem.* Matt. 5. (2. Cum Christus ipse homines remittat ad *Mosen &*

*Sacrorum librorum authentia.*

*ad Prophetas.* Joh. 5. Luc. 16: 29. 24. (3. Cum sint ejusdem auctoritatis & utilitatis, non tantum ad probandam historiam, sed & ut docerent dogmata: ut *Anabaptistæ*, *Sociniani*, *Remonstrantes* aliique non recte contrarium doceant, eundemque Deum habeant auctorem, quia πᾶσα γραφὴ, non minus Vetus quam N. T. est θεόπνευστος. 2. Tim. 3: 16. & 2. Pet. 1: 21. Impium igitur est dogma *Manichæorum*, & *Marcionitarum*, qui Vetus Test. adscribunt Deo Malo, Novum autem Deo bono. Nec unquam probabunt *Anabaptistæ* Vetus Test. eliminandum esse ex Ecclesia Christiana; I. *quia in Novo Test. fœdus gratiæ satis clare revelatum est.* Cum Novum Test. ex veteri probari debeat, ut & Vetus ex Novo, adeoque Vetus & Novum Test. jungenda sint, ut *duo testes.* Apoc. 11: 3. & ut *Canticum Mosis & agni.* Apoc. 15: 3. II. Si *lex & Prophetæ usque ad Johannem prophetarunt.* Matt. 11: 13 tamen Vet. Test. non est abrogatum: sed indicatur hac loquutione, Johannem fuisse præcursorem Christi. III. Christus dicitur *finis legis.* Rom. 10: 4. (1. quia est *scopus* legis. (2. quia Christus legi ceremoniali servituti finem imposuit. Eodem sensu. IV. *Vetus Test. dicitur abolitum.* Heb. 8: 13. quia per adventum Christi œconomia Veteris Testamenti cessat, id est Cærimoniæ, Sacrificia, & ejusmodi umbræ venturi Messiæ evanuerunt.

*Objectiones.*

*Libri Apocryphi.*

IV. Rejicimus igitur è Canone libros qui vulgo vocantur *Apocryphi*; quales sunt libri *Tobiæ*, *Juditha*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Maccabæorum*, *Baruchi*, *Supplementum Danielis* & *Esteræ*, *Oratio Menasse*, *Apendices Jobi*, *Ps.* 151. *Præfatio Jeremiæ*, *Tertium* & *quartum Esdræ.* (1. Quia Judæis tradita sunt *oracula Dei.* Rom. 3. & Ps. 147. hos tamen libros nunquam agnoverunt: testatur enim *Josephus*, post Artaxerxem nullos libros additos fuisse sacro codici. *Contra Apionem lib.* 2. (2. quia non scripti sunt ad ædificationem Ecclesiæ; Cum Græce & Latine exarati sint ut plurimum, qua lingua à Judæis non poterant intelligi. (3. Quia Christus & Apostoli eorum nullam faciunt mentionem. (4. quia non memorantur ut Canonici à Conciliis Nicæno, & Laodiceno. (5. Quia rejiciuntur ab *Hieronymo*, *Ruffino*, *Cypriano*, *Athanasio* &c. (6. quia scatent manifestis erroribus, & mendaciis. (7. quia non habent notas divinitatis. Male igitur à Pontificiis, præsertim à Concilio Tridentino anno 1546. eorum maxima pars canonizati, & in Canonem recepti sunt. Nec quicquam eos juvat I. *quod Concilium Carthaginense eos Canonicos dicat, jam sæculo quarto:* Cum Concilium istud fuerit Provinciale, & ipsi Pontificii illud ultro

*Objectiones.*

tro rejiciant, eo quod non admittat appellationes transmarinas. Tandem notandum est, quod Veteres duplicem constituerint Canonem, alterum *Divinum:* qui continebat libros θεοπνεύστους; alterum *Ecclesiasticum*, quo comprehendebantur nonnulli ex Apocryphis, & ab Ecclesia admittebantur, ut tanquam utiles publice legerentur. Hoc sensu tantum *Canonici* dicuntur libri Apocryphi, non Canone *Divino*, sed *Ecclesiastico.* II. Tandem si vel maxime *Apocryphi à Christo, Apostolis, & à Patribus citarentur*, non sequitur tamen eos esse θεοπνεύστους: cum Apostoli etiam citent Poetas *Epimenidem.* Act. 17: 28. *Aratum.* 1 Cor. 15: 33. & *Calimachum.* Tit. 1: 12. Rejicimus quoque, tanquam spurios, libros *Enochi*, *Pastoris Hermeti*, Epistolas *Barnabæ*, *Clementis*, *& ad Laodiceos*, libros *Sibylonis* aliaque speudographa.

*Olim duplex Canon.*

V. Rejiciendæ sunt etiam omnes *Pontificiorum*, ex lacunis *Pharizæorum*, *Donatistarum*, aliorumque veterum hæreticorum haustæ *Traditiones auctoritativæ*, uti vocantur, *Decreta*, *placita Papæ* &c. in rebus *fidei* & *dogmaticis.* Inepte Pontificii distinguunt inter *Traditiones divinas*, quas Christus ipse instituerit; & *Apostolicas*, quæ Apostolos haberent auctores, & æque ac priores divinæ essent auctoritatis extra verbum Dei; & tandem *Ecclesiasticas*, quæ à Prælatis, aut à populo introductæ, & paulatim vim legis adeptæ sint. Ejusmodi autem Traditiones ab Ecclesia Christiana non recipi debere, patet: (1. quia sola Scriptura Sacra perfecta & apta est, ut hominem Dei *perfectum & sapientum reddat ad salutem.* 2. Tim. 3: 15. &c) 2. quia Christus ipse nos ad eam solam remittit. Joh. 5: 39. Luc. 16: 21. *Habent Mosen & Prophetas.* (3. quia exsertis verbis prohibetur, ne quid *addatur* nec detrahatur S. Scripturæ. Deut. 4. *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas.* Apocal. 22: 19. (4. Quia sub Novo Testamento sumus θεοδίδακτοι. Joh. 6. Jer. 31: 31. Nec ullum doctorem habemus, præter Christum in verbo suo loquentem. Matt. 23. 8, 10. 1. Cor. 8: 6. (5. quia *origo traditionum est dubia*, *auctoritas incerta*, *sensus perplexus*, *moles immensa.* (6. quia sibi ipsis sæpe contrariæ. (7. quia sunt *character bestiæ* in manu & fronte impiorum. Apoc. 13: 16. & 20: 4. Cum solum verbum Dei *in fronte & in manibus* habere debeamus. Deut. 6.

*Traditiones.*

VI. Apostoli quidem I. *traditiones memorant*, ut 1. Cor. 11: 3. *Sicut vobis tradidi, traditiones tenete.* & 2. Thess. 2: 15. *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam:* Sed nullas intelligunt *traditiones*, quam quæ in Sacra Scriptura continentur; unde

*Argumenta adversar.*

Paulus ipſe ſe explicat: *tradidi vobis ſecundum ſcripturas.* 1. Cor. 15. 3. Ut eadem, quæ *ſermone*, tradita quoque ſint per *ſcripturam*, cum alibi in aliis Epiſtolis contineantur; niſi dicamus, per *traditiones* intelligendos eſſe tantum *ritus* & *diſciplinam* Eccleſiaſticam, non *res dogmaticas.* II. Si *Chriſtus* habebat quædam *dicenda.* Joh. 16: 12. ea aut non ſunt capita fidei, aut poſtea à Chriſto ipſo & ab Apoſtolis dicta ſunt. Fatemur etiam. III. *Patres nonnullos, præſertim Originem, Clem. Alexandrinum, alioſque plus ſatis indulſiſſe traditionibus,* & quidem etiam in rebus quas Pontificii ipſi non approbarent; ut cauſam pontificiorum non juvent. Deinde per *traditiones* ſæpe intelligunt ipſa *dogmata* in S. Scriptura revelata; ſæpe quoque *ritus,* & *diſciplinam.* Sic & IV. *ad præſcriptionem ac ſenſum Catholicum provocant*; cum per ſenſum *Catholicum* intelligant ipſum ſenſum S. Scripturæ, & ab Apoſtolis jam omnia tradita crederent. V. Nec *per Eccleſiæ traditiones novimus Scripturam eſſe verbum Dei, eamque incorruptam ad nos perveniſſe:* cum id agnoſcamus ex *notis divinitatis*, quæ in S. Script. latent. VI. Ita etiam *Scripturæ verum ſenſum cognoſcimus*, non *per traditionem*, ſed per lumen Spiritus Sancti. Sic. & VII. *Pædobaptiſmum*, *Trinitatem*, *Incarnationem*, *filii cum patre ὁμοȣσίαν*, *numerum Sacramentorum*, *Chriſtum pro fœminis* in Vet. Teſt. & *pueris ante circumciſionem mortuis eſſe mortuum*, *&* id genus alia credimus, non per *traditiones*, ut docent *Pontificii*, ſed per *S. Scripturam*, quemadmodum hæc ſuo loco fuſius declarabuntur.

*Spiritus Enthuſiaſticus.*

VII. Rejiciendi quoque ſunt *Enthuſiaſtæ*, *Libertini*, qui *afflatum divinum*, *revelationes cœleſtes*, & *ſpiritum privatum* jactant extra S. Scripturam, adeoque multi ex iis S. Scripturam conculcant, tanquam literam inutilem & occidentem, nec quicquam credi aut fieri volunt, niſi quod ſibi à Spiritu ſuo revelatum & mandatum ſit: quare Spiritum iſtum ſolum habent pro unica norma fidei & pietatis; aut ſaltem quod ſecundum iſtum ſpiritum Scriptura S. exponi debeat, ut delirant alii. Quales fuerunt à tempore Apoſtolorum *Cerinthus*, poſtea *Montanus*, *Priſca* & *Maximilla*, quæ ſeſe *Spirituales* vocabant, reliquos *Pſychicos* & *animales*; tandem *Anabaptiſtæ*, *Mentzerus*, *Johannes Leydenſis*, *Knipperdolingius*, *Zwenkveldius*, *Fratres Roſeæ crucis*, *David Georgius*, & noſtro ſæculo *Quakeri*, ejuſdemque furfuris alii; præſertim autem *Papa*, aut concilium, vel etiam concilium cum Papa, qui gloriantur ſe habere Spiritum privatum, qui ſolus ſit interpres Sacræ Scripturæ; ut ab Enthuſiaſtis vix aliter differant, niſi quod ſibi ſolis talem Spiritum attribuant; cum Enthuſiaſtæ

*Papam habere Spiritum privatum & En-*

cum

cum dicant communem omnibus fidelibus. Quam autem falsa & insulsa sit sententia Enthusiastarum patet; (1. quia istud *verbum internum* habere debet sensum, adeoque potest scribi, & cum Scriptura S. debet convenire, & tunc erit *verbum scriptum*, quod non admittunt. Si nullum sensum habet, vanum & stultum est. (2. quia Spiritus iste probandus est, an sit ex Deo, quod non nisi per verbum scriptum fieri potest. 1 Joh. 4: 1. (3. quia quilibet talem spiritum jactare potest, adeoque in alium retorquere. (4. quia hac via quot capita tot Spiritus, tot sensus, totque Religiones. *thusiasticum.*

VIII. Ineptum est quod dicant I. *verbum Dei esse ipsum Deum, qui nullis verbis exprimi potest.* Cum verbum Dei non sit ipse *Deus*, aut ejus *essentia*, sed tantum ejus *doctrina*. II. *Omnes* quidem *edocti erimus a Deo*, præsertim sub Novo Test. Joh. 6: 45. sed per ipsius verbum. Dum Spiritus S. mentes nostras illuminat, ut verbum istud intelligamus. 1 Thess. 4: 9. III. Eodem sensu intelligenda sunt loca. Jerem. 31: 34. Hebr. 8: 8, 12. 1 Joh. 2: 20, 26, 27. *Et non opus habetis, ut quis vos doceat.* IV. *Somnia & visiones habemus sub Nov. Test.* Act. 2: 17, 18. quia uberiorem habemus cognitionem quam fideles sub Vet. Test. V. nec aliter *Spiritus Spiritui nostro contestatur*, Rom. 8: 16. 1 Joh. 5: 6. quam quod Sp. Sanctus in verbo Dei loquens, nobis testetur de amore Dei erga electos suos. Deinde Spiritus noster, sive mens nostra fide donata, testatur de veritate Spir. Sancti in Scriptura loquentis. VI. *Litera* dicitur *occidere, & Spiritus vivificare.* 2 Cor. 3: 6. quatenus *litera occidens* est *lex cærimonialis ministerium mortis*, & *Spiritus* est *Evangelium*, præsertim sub Novo Testamento, ubi nullus amplius *terror mortis*, nullaque *condemnatio* nec *ministerium mortis* ibid vers. 7. 8. 9. *Argumenta contraria.*

## CAPUT IV.

### *De S. Scripturæ Perfectione, Perspicuitate, Lectione, Interpretatione & Sensu.*

I. EST igitur S. Script. *perfecta* norma & regula fidei & morum. Hæc *perfectio* varie considerari solet; alia enim dicitur *perfectio partium*, quatenus S. Scriptura continet omnia quæ ad salutem sunt necessaria. & istæ quidem partes dicuntur, aliæ *essentiales*, qualia sunt ipsa *dogmata* sanæ doctrinæ: aliæ *integrales*, quales

*Script. S. est perfecta.* les sunt omnes & singuli *libri* verbi Dei. *Perfecta* autem est S. Scriptura hoc sensu, cum contineat omnia dogmata, omnesque libros ad salutem necessarios. Est etiam perfecta *perfectione graduum*, quatenus continet perfecte omnes revelationes graduum, sive tempore Prophetarum, sive nunc sub Novo Test. ut, cum hodie supremum obtineat gradum revelationis, merito nunc perfectissima dici possit.

*Perfectio implicita & explicita.* II. Inepte Pontificii distinguunt inter perfectionem *implicitam* & *explicitam*. Priorem concedunt, quatenus scilicet doceret dogmata quæ commendant *traditiones* & *auctoritatem* Ecclesiæ, per quam postea perfecte edoceamur, quid sit credendum & agendum; ut Sacra Script. contineat omnia ad salutem necessaria, tantum *in semine* & *virtute*, non *actu* & *in se:* cum tamen certum sit, eam esse perfectam perfectione *explicita*, & cum omnia doceat *per se*, sive *αὐτολεξεὶ*, sive per necessarias consequentias, quæ ad salutem sunt necessaria, sine traditione, sine humana auctoritate; adeo etiam ut traditiones & humanam auctoritatem non tantum non commendet, sed potius rejiciat. Hinc etiam sequitur Scripturam esse *perfectam*, perfectione, non tantum *intensiva*, ut iidem Pontificii loquuntur quod contineat dogmata verissima & exquisita, sed & perfectione *extensiva*, quia continet omnia dogmata ad fidem & mores necessaria; quod iterum à Pontificiis perperam negatur.

*Perfectio Script. S. probatur.* III. S. Script. omni modo perfectam esse patet. (1. quia continet *doctrinam integram*. Ps. 19: 8. תְּמִימָה dicitur, quod vocabulum omnimodam perfectionem denotat, qualis esse debebat in agnis & aliis victimis. Exod. 29.: 1. & Levit. 1: 3. (2. quia S. Scripturæ *nihil debet addi nec detrahi*. Deut. 4: 1, 2. Ibi de verbo *scripto* tantum agi, non de ulla *traditione*, ut inepte explicant Pontificii, patet, cum tunc temporis nullæ fuerint traditiones, nisi jam istis temporibus admittamus extitisse Judæorum *Talmud*. (3. Deinde semper ad *legem scriptam*, non *ore traditam*, remittimur. Deut 27. Gal. 3. Joh. 5. Luc. 16. Act. 17: 11. Es. 8: 20. Imprimis videatur Apocal. 22: 18, 19. ubi locus Deut. 4. indicatur, & quasi explicatur. (4. quia Script. S. hominem *reddit sapientem ad salutem*, & ad *omne bonum opus perfecte instructum*. 2. Tim. 3: 15, 16. Rom. 15: 4. ergo & perfecte obtinet finem ob quem Deus sese revelavit. (5. Si S. Script. imperfecta esset: id inde esset, quod Deus eam perfectam reddere, vel non potuisset, vel noluisset. Prius evertit potentiam & sapientiam Dei; posterius ejus bonitatem; occasionem enim Deus dedisset hæredibus

bus inter ſeſe perpetuas lites ferendi. (6. quia eſt Teſtamentum Dei, quod debet continere totam hæreditatem & voluntatem teſtatoris. (7. quia eſt inſtrumentum fœderis, ergo omnes partes fœderis perfecte continet. (8. quia nulla imperfectio Sacræ Scripturæ poteſt oſtendi, ne ab ipſis quidem Pontificiis.

IV. Cum Scriptura S. ſit *perfecta*, ſequitur eam etiam eſſe *perſpicuam*. Non tamen ita dicitur *perſpicua*, quaſi ab omnibus ſolo lumine naturali, ſine ſpeciali illuminatione Spiritus S. poſſit intelligi, nec etiam quod, quicquid in ea continetur, à nobis poſſit capi, quoad τὸ ὅτι & τὸ διότι ſimul, quaſi nihil contineret, cujus intimam naturam & cauſam non poſſimus penetrare: unde omnia myſteria *Trinitatis*, *Incarnationis* &c. neganda ſint, quemadmodum delitant Sociniani, & inſulſus auctor, qui *Philoſophiam Scripturæ interpretem* nuper fecit. Nam ſi nulla in Scriptura traderentur *myſteria*, quæ mentem hominis ſuperant, expungendum eſſet vocabulum *myſterium*, quoties occurrit, ut 1. Tim. 3: 16. & alibi. Deinde certum eſt mentem noſtram occœcatam, immo *mortuam* eſſe per peccatum: Epheſ. 2: 1. ut *non poſſimus capere ea quæ ſunt Spiritus Dei.* 1. Cor. 2: 14.

*S. Scriptura eſt perſpicua.*

V. Illis autem qui mentem vi Spir. Sanct. illuminatam habent, ſtatuimus eam eſſe perſpicuam, ut poſſint agnoſcere *fundamenta fidei* & morum, reſque ad *ſalutem neceſſarias*. Perſpicuam autem hoc ſenſu eam eſſe, patet. (1. quia eſt *lucerna pedibus noſtris.* Pſ. 119: 105. *Lucerna candelabro impoſita lucens in tota domo.* Matt. 5: 15. 2. Petr. 1: 19. (2. Continet *mandatum quod non eſt ſupra te, ſed eſt in corde & in ore tuo.* Deut. 30: 11. (3. Præcipuum bonorum Novi Teſt. quoque eſt *cognitio.* Jerem. 21:33. Hinc (4. Chriſtus *Sol juſtitiæ* dicitur. Malach. 4: 2. Et *Lux mundi.* Joh. 1: 4. & 5: 9. *Lux gentium.* Act. 13: 47. vide quoque 2. Tim. 1: 10. Tit 2: 11. (5. quia credentibus *datum eſt cognoſcere myſteria Regni cœlorum.* Matt. 13: 11. Et *Deus eis revelavit per Spiritum ſuum*: ut *homo Spiritualis omnia dijudicet.* 1. Cor. 2: 10, 15. *Sp. S. ducit eos in omnem veritatem.* Joh. 16: 13 (6. Eſt perſpicua ob eandem rationem, ob quam eſt *perfecta*, alias non eſſet perfecta. vide paragr. III. præſertim rationes 4. 5. 6. 7. (7. Nullum dogma fidei aut morum oſtendere poterunt Pontificii, quod non ſit clare in Script. revelatum. Ineptiunt Pontificii quando ad loca citata excipiunt; *intelligi tantum partem aliquam Scripturæ, veluti Decalogum, qui ſit perſpicuus, cum naturaliter notus ſit.* Nam Petrus 2. Ep. 1: 19. dicit verbum *Propheticum* eſſe *lucernam.* De eodem verbo quoque agitur Pſ. 16: 8. & 119: 105.

*Probatur S. Script. perſpicuitas.*

*Exceptio Pontif.*

Nec tantum intelligendum est verbum *non scriptum*, id est *traditio*: quasi Scriptura perspicua fieret per *traditiones* & placita Papæ aut Ecclesiæ; cum tunc nullæ fuerint *traditiones*, nisi iterum fingamus *Talmud*. Sed verbum *Scriptum* intelligi patet. Deut. 31:9. Nam & Rex ipse sibi id scribibat. Deut. 17:18. vide quoque 2. Tim. 3: 15. Act. 17: 11. ut necessario colligendum sit, Scripturam esse perspicuam *in se*, non tantum in ore Ecclesiæ, & propter traditiones expositionesque Papæ, aut Conciliorum. Obscuram tamen Scripturam fatemur irregenitis & reprobis, *quorum mentes occalluerunt*, & qui *pereunt*. 2. Cor. 3: 13, 15. & 4: 2, 3. Es. 6: 9, 10.

*Argumenta adversar.* VI. Nil facit ad probandam *obscuritatem* S. Scripturæ, I. *quod tradat mysteria, Ex. gr. Trinitatem, incarnationem;* quia misteria perspicue traduntur, ut clare cognoscamus ex sola scriptura, ea esse revelata, quamvis causam & intimam rerum naturam non intelligamus: Præterquam quod mysteria incomprehensibilia sint Clericis æque ac Laicis. Eodem sensu possunt dici II. *mysteria abscondita*. 1. Cor. 2: 7. Ephes 3: 9. 1. Cor. 2: 14. Vel etiam sunt *mysteria abscondita* respectu fidelium Vet. Test. qui mysteria Euangelica tam clare cum omnibus circumstantiis non intelligebant, ne *Principes* quidem *istius seculi*. 1. Cor. 2: 6. id est proceres & sapientes Veteris Test. vide Jer. 31: 33. Nec ideo scriptura est obscura, III. *quia opus habemus interprete, ut Æthiops Philippo*. Act. 8. nec *quia David aliique sancti orant, ut Deus sibi vellet mentem illuminare*. Ps. 119. Nam eo ipso, quia explicari potest per *interpretem*, perspicua esse debet, cum obscurum explicari non possit. Ipsæ etiam veritates Mathematicæ, quæ sunt evidentissimæ, tamen explicatione opus habent. Adde quod uno loco non tam clare, id in aliis locis clarius proponitur: ut Scriptura Sacra semetipsam explicet, quare Esra *scripturam exposuit per scripturam*. Neh. 8: 9. Nec minus tandem ipse *Papa* opus habet *interprete*, quam *David* aliique viri *sancti* ac *docti*. IV. *Danielis Prophetia occlusa dicitur*. Dan. 12: 4. quia tunc omnia sufficienter erant dicta: Deinde respectu fidelium Veteris Test. qui omnes circumstantias non intelligebant, עד עת קץ *ad tempus finis*, usque ad אחרית ימים Es. 2: 2. τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν Gal. 4: 4. V. Multa *Prophetica, Genealogica, Cærimonialia, Politica, Forensia, nomina animalium, gemmarum &c. non intelliguntur*, verum est: sed illa non sunt capita fidei. *Prophetiæ* aliaque multa, si hodie non intelliguntur, postea intelligentur, aut intellecta fuerunt olim, ubi usum adhuc habebant. VI. Fatemur quo-

quoque *in Epistola Pauli & alibi esse* δυσνόητα τινά, 2.Petr.3:16. Sed id non dicitur de tota Sacra Script. at de Epistolis Pauli tantum. Si dantur *quædam difficilia*, dantur ergo *multa facilia*. Δυσνόητα non sunt *ἀδύνατα impossibilia*. Tandem illa *difficilia* non sunt in rebus ad salutem scitu necessariis, sed in aliis, quæ sine salutis periculo ignorare possumus. Et difficilia sunt quando in perversum sensum ab impiis *detorquentur*: *impii enim* στρεβλοῦσι ut addit Petrus.

*Script. S. est legenda.*

VII. Cum S. Scriptura sit norma fidei, & cum perspicua sit, sequitur eam à quolibet etiam debere legi. (1. quia sub Vet. Testamento ut ornamentum erat *alliganda fronti & manui*. Deut.6:6,7, 8. (2. *Beati* dicebantur qui eam *meditabantur die ac noctu*. Ps.1:1,2. (3. Prælectam est coram toto populo singulis septem annis. Deut. 31:10,12. (4. *Singulis Sabathis in Synagoga lecta est*, tempore Apostolorum. Act. 15:21. quod ad hunc usque diem à Judæis observatur. (5. Publice prælecta est coram toto populo. Nehem.8:7,8. (6. Jesus jussit ut *scrutarentur* Judæi scripturam, ergo ut eam legerent. Joh.5:39. Ubi intelligendi sunt omnes *Judæi*, non autem *Principes* populi & *Sacerdotes* tantum, ut male Pontificii id explicant; cum de *Sacerdotibus* ibi nulla fiat mentio, sed potius de *populo terræ*. (7. *Beroënses* sine discrimine laudantur quod eam legerint. Act.17:11. (8. *Timotheus eam didicerat à puero*. 2.Tim.3:15. (9. Ad lectionem S. Scripturæ monentur omnes Coloss.3:16. (10. Si sub Vet. Test. lecta, multo magis legi debet sub Novo; quia cognitio major est. Jer.31:33. Joel.2. & Act.2:17. Hinc dicimur θεοδίδακτοι. Joh.6:45. (11. Apocalypsis omnium librorum Sacrorum est abstrusissimus, ab omnibus tamen legi debet. Apoc.1. (12. Lecta est in Ecclesia primitiva; teste Justino Martyre, Apolog. l.2. Ideo & suos *ἀναγνώστας ministros* & *lectores* habebant; qui scripturam publice prælegerent. Pessime igitur Pontificii à lectione S. Scripturæ, tanquam profanum vulgus, arcent fideles, nisi habeant specialem aliquam permissionem ab Episcopo; cum omnes & singuli habeant permissionem, immo mandatum, ab ipso Deo.

*Argum. contraria.*

VIII. Nec quidquam valent eorum argumenta, quæ nostræ sententiæ opponuntur. Nam eam non esse obscuram, ex præcedentibus patet. Si obscura esset adeoque non legenda, ne ab ipsis quidem Episcopis esset legenda: nam I. *quæ vulgo sunt obscura, ut mysteria Trinitatis, Incarnationis*, &c. ea omnibus sunt obscura. Falsum quoque est, II. *Script. peperisse unquam hæreticos*: nam veritas non potest parere errorem, multo minus hæresin; immo potius *adfert sa-*

*pientiam imperito*. Pf. 19: 8, 9. Deinde ne ab ipfis quidem Epifcopis legenda effet ac doctoribus; cum ex eorum fchola ac familia prodeant hæretici. Sic integra *Concilia* errarunt, ut concilium *Armeniæ*, quod conftabat 600. Epifcopis, & *Ephefinum* fecundum, compofitum ex 363. Ecclefiæ doctoribus. Nulli danda effet venia legendi S. Script. quia Epifcopus nullam habet revelationem, eos quibus talem veniam conceffit, ea non abufuros, & non fieri aliquando hæreticos. *Imagines* facilius hærefes parerent, cum dent perverfas ac corporeas ideas de Deo, Trinitate, Angelis, animabus &c. Tandem ufus rei neceffariæ non eft prohibendus, propter abufum quorundam.

*Lingua qua verbum Dei Traditum.*

IX. *Lingua*, qua Deus loquutus eft in verbo fuo, varia eft, pro diverfo populo cui fe per verbum manifeftavit. Quod attinet Vetus Teftamentum, cum traditum fit folis Judæis Pf. 147. Deus in eo uti voluit lingua *Hebræa*, præter capita quædam, quæ lingua *Chaldæa* tradita funt, in Daniele, Ezra, adde verfum XI. capitis X. Jeremiæ; cum linguæ Hebræa & Chaldæa folæ intellectæ fuerint à Judæis. Et fane Deum in verbo fuo, cum ἀγράφῳ fub Promiffione, tum ἐγγράφῳ, femper ufum fuiffe lingua *Hebræa*, fi non Mathematice demonftratur, faltem valde eft verifimile. (1. quia Hebræà lingua eft *antiquiffima*, ut antiquior hactenus nulla probata fit, nec probari poffit. Antiquiores libri, quam libri Mofis, non exftant; cum autem Hebraice ad nos pervenerint, dicendum eft, eos ab ipfo Mofe Hebraice effe confcriptos, aut demonftrandum erit, à quo in linguam Hebræam tranflati fint. Cum autem id hactenus nemo præftiterit, nec præftare poffit: credendum eft, eos ab ipfo Mofe origine Hebraico fermone fuiffe exaratos. Antiquam autem effe linguam *Hebræam*, vel ex etymologia vocumque derivatione antiquiffima, quæ naturam rerum exacte exprimit manifefto patet. Veluti אדם / חוה / קין / שת / אשה / נח / פלג / אברהם / יצחק / יעקב / ישמעאל / שמואל. & ejufmodi fexcenta alia. (2. Lingua Hebræa eft *fimpliciffima*, habet enim fuas radices tribus tantum literis conftantes, ex quibus reliqua vocabula omnia derivantur. Simplex autem folet effe ante compofitum. Et tanta quidem fimplicitate, quanta non gaudent lingua Arabica, Chaldæa, Syra aliæque Orientales. (3. Hebræa lingua eft *perfectisfima*, ut nulla oftendi poffit perfectior, quæ naturam rerum perfectius & accuratius exprimat. (4. Omnes fere gentes per totum terrarum orbem nomina fua habent ex lingua Hebræa, quæ exftat in Scriptura S. veluti יון *Jones*,

בדי

מדי *Medi*, משך *Moschi*, אשור *Assyrii*: Et Dii gentilium, ut יפת *Japetus*, תובלקין *Vulcanus*. די *Deus*, צבאות *Sabasius*, ארון *Adonis*, & id genus sexcenta alia. (5. *Heber* fuit pater omnium Judæorum, qui Hebraice loquuti sunt, Gen. 11.

X. Quemadmodum lingua Hebræa, ita & literis Hebræis à Mose Scriptum est verbum Dei: ut errent quicumque docent, id literis *Samaritanis* primitus scriptum fuisse à Mose; sed postea ab Esra adhibitas fuisse literas quadratas, quæ *Assyriacæ* fuerint. (1. quia nomina literarum in lingua Hebræa optime conveniunt cum suis figuris; veluti (ו) *uncus* (ז) *Zain* gladius (כ) *Caph* quasi manus curva &c. (2. In sola lingua Hebræa (י) est minima litera, non in Samaritana, ubi fere est maxima. Sed ne *Jod* quidem (id est minima litera) *perire unquam debet*. Matt. 5: 18. (3 Literas Samaritanas, maximam partem, ex Hebraicis factas esse, verisimile est; quod maxime patet ex *Jod*, ｍ quod ex tribus *jod* Hebraicis compositum videtur. (4. Talmudici mysterium invenerunt in litera finali ם. Cod. *Sanhedr. cap. 2. Schab. cap.* 12. Hoc locum habet in sola lingua Hebræa, non Samaritana, quæ literis finalibus caret. (5. Judæi nimium amant, ut linguam, ita & literas Hebræas, quam ut ulla ratio dari possit, quare, relictis propriis literis, assumerent alienas; eo minus cum populos Chaldæos & Syros minus amarent.

*De literis originalibus.*

XI. Non probatur Mosen *Samaritana* lingua *Samaritanisque* literis scripsisse, I. *quia reperti sunt sicli referentes Davidem & Salomonem, charactere Samaritano.* 1. cum isti nummi sublectæ sint fidei, & forte suppositi. 2. Ipsi Samaritani, in gratiam Regum & populi Judaici, poterant nummos excudere suo Charectere. 3. Reperiuntur etiam nummi & inscriptiones vetustiores charactere Hebræo. Videatur *Waserus de Nummis* lib.2. cap.3. *Hotting. de Nummis* & *Cippis*. II. Si *ab ipsis Talmudicis hodiernæ literæ Hebr. dicuntur Assyriæ;* id eo sensu intelligendum est maxime, quod dicerentur מאושר *felices*, *beatæ*, quod continerent verbum, quod homines redderet beatos. Deinde Talmudicis istis alii opponi possunt, qui istas literas Hebræas antiquissimas docent. III. *Literam Thau, qua notati fuerunt quidam Ezech.* 9:4. *habuisse signum crucis, adeoque fuisse Samaritanam*, sine causa dicitur. 1. Cum de figura *Crucis* ibi nulla fiat mentio, sed commentum sit quorundam Veterum & Recentiorum Pontificiorum. 2. cum *Thau* apud Samaritanos non habeat figuram crucis. 3. Ad figuram crucis magis accedat *Thau* Hebræorum ת, refert enim patibulum, sive crucem instar Græcorum Π, qualia so-

*Mosen non scripsisse literis Samaritanis.*

lent esse hodie patibula, & olim quædam cruces. Vide *Lipsium de cruce*. IV. Etiamsi *Daniel cum sociis suis didicerit Linguam Chaldæam*, non sequitur tamen, omnes eam didicisse, neglecta lingua Hebræa ejusque charactere. Tandem. V. *quales Chaldæi olim habuerint literas*, easdemne, quales hodie habent Judæi, an Syras an alias, perinde erit, nihil tamen impedit quominus Moses libros suos scripserit eodem charactere, quo extant hodie.

*De Punctis vocalibus.*

XII. Eadem *puncta vocalia* adpinxisse Mosen nulla ratione hactenus probatum est; immo credibile non est, ea ab Esdra inventa atque addita fuisse. (1. quia optima & accuratissima exemplaria absque controversia sunt ea, quæ ab omni antiquitate usurpata fuerunt, & hactenus usurpantur in Synagogis; at illa nulla habent puncta vocalia. tamen credibile non est, Judæos ea delevisse neglexisseque, si ab ipso Mose aut ab Ezra fuissent addita. Eo minus cum minimi apiculi verbi Mosis ab omni antiquitate fuerint tenacissimi. Cum in scribenda lege fuerint supertitiosissimi, ut à nemine exscribi possit volumen, quo uterentur in Synagoga, nisi à ספרים *scribis*, qui habeant קבלה *diploma* promotionis. (2. quia in lectione Sabbathica magna solicitudine cavent, ne male legatur, ne forte vocalis in locum alterius à legente substituatur, quare etiam adhibent suos חזנים *inspectores*, qui lectori minus perito adstent, legem inspiciant, cumque moneant, si forte erraverit; quibus possent carere, si addita fuissent puncta vocalia. (3. quia ipse servator dixit *ne jota neque apiculum legis interiturum.* Matt. 5: 18. Ergo *Puncta vocalia* non habuit, aut dicendum est, ea periisse in Synagoga, ubi tamen maximum habuissent usum. (4. Periti Judæorum punctis vocalibus non opus habent, cum totam Scripturam legere possint absque punctis, non minus quam *Misnam*, *Gemaram*, *librum Zohar*, *Bahir*, *Rabboth*, & id genus infinita alia, id ferente lingua Hebræa cum suis cognatis. (5. quia vetustissimi Judæi, non minus quam hodierni ignorarunt, quomodo sit pronunciandum nomen tetragrammaton יהוה, quod non ignorassent si puncta vocalia à Mose vel Ezra addita fuissent. (6. Nec septuaginta interpretes, nec Chaldæi Paraphrastes, nec vulgatus habuerunt codices punctatos, quum suas versiones concinnassent, quod patet ex varia lectione, maxime in nominibus propriis, quæ sæpe plane aliter legerunt, quam ferunt puncta; quod factum ab iis non fuisset, si punctatos habuissent Codices. (7. Nec Origenes, nec Hieronymus, qui ex Patribus aliquid in Hebraicis præ-

præstiterunt, de punctis ullam faciunt mentionem, sæpe inter legendum dubii hærent, aut male legunt, contra punctationem, quod non fecissent si puncta habuissent.

XIII. Inde tamen non sequitur I. *Scripturam non fore integram, nec perfectam;* cum integer sensus satis possit legi ex solis consonantibus, ita ferente constructione, conjugatione, scriptione & tota natura ingenioque linguæ Hebrææ, & reliquarum Orientalium. Tandem & peritus lector requiritur, non tiro. II. Quæ *vario modo legi possunt, absentibus punctis, veluti Gen.* 47: 31. המטה & המטה cum *Kamets* vel *Segol* in ultima, Exod. 17: 14. זכר *masculus* per *scheva* & *patach* & זכר *memoria* per *zere* & *segol* non impediunt, quo minus legi possint sine punctis. Quomodo enim legendum sit, docet usus & consuetudo, cum toto contextu. Quamvis Veteres Græci nullos addiderint accentus, noverunt tamen ubi legendum esset ἀνθρωποφάγος & ἀνθρωπόφαγος, τυπτόμενος aut τυπτομένος. Sic & Romani sine accentu sciunt ubi legendum sit, *legere* aut *legére*, quamvis sensus sit diversus & scriptio eadem. Idem de aliis vocibus censendum est. Tandem quæ ambiguæ sunt lectionis, plerumque non magni solent esse momenti, ut vel hoc vel illo modo legi possit. III. Verba servatoris Matt. 5: 18. *non peribit* κεραία, nostram sententiam confirmant, non evertunt, uti paragr. præc. Ratione 3. ostendimus. Potest ibi per κεραία intelligi *punctum* & *apiculus* in literis ad distinguendam hanc ab illa, veluti ר & ד / ם & ס / ה & ח / ו & ז / כ & ב & ejusmodi alia. Deinde intelligi potest de ipsis apiculis legis, quod ne *minima lex* peritura sit; statim enim addit ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν &c. Et nota est distinctio Judæorum inter mandatum קל *leve* & חומר *grave*.

XIV. Quo autem tempore puncta inventa, & Scripturæ Sacræ addita sint, difficile est divinare. Certum est id factum fuisse ante tempora Massoretarum, ut ne ipsi quoque Massoretæ eorum auctores fuerint. (1. fit enim mentio de quibusdam punctis ab ipsa *Misna* veluti *Pesachim* cap. 9. *Misna* 2. *Berachot fol.* 62. *Chagiga fol.* 6. Ita & alii libri, forte *Misna* multo antiquiores, de punctis loquuntur, ut liber *Bahir* & *Zohar.* (2. Masoretici sæpe faciunt mentionem de punctis, ostendunt quomodo hæc vel illa loca sint punctata, & quomodo regulariter punctari possint. Si itaque illi ipsi fuissent auctores punctorum, quorsum notassent ea recte, aut contra regulam adscripta fuisse? Credibile itaque est, jam ante tempora Christi, forte etiam post Christum natum, populo Judaico jam per gentes disperso;

*Argumenta contraria*

*Quo tempore puncta inventa sint?*

ſo, (ubi exigua cognitio linguæ Hebrææ, ut multis non recte intelligeretur, nec acurate legi amplius poſſet,) fuiſſe viros quoſdam doctos, & forte præceptores, qui, quum viderent difficiliorem eſſe lectionem ſuis tironibus ſine vocalibus, ejuſmodi puncta vocalia excogitarunt, ſi non omnia ſimul & ſemel, ſaltem quædam, eaque adpinxerunt ſuis libris, illa autem maxime poſt Chriſtum natum magis magiſque aucta, & perfectiora reddita fuiſſe, ſpacio forte aliqûot ſæculorum: ut eorum nec initium, nec medium nec finis ſatis accurate exprimi poſſit.

*Nov. Teſt. Græco Sermone exaratum eſt.*

XV. Ut *Vetus Teſt.* Hebraice, & in paucis Chaldaice fuit datum, ita & Teſt. Novum Spiritus S. tradere voluit Græce, (non Hebraice, non Syriace, non Latine, cum id nulla ratione hactenus ſit probatum.) Nam quemadmodum Vetus Teſt. datum fuit ſolis Judæis, ea lingua, qua à Judæis intelligebatur, ſcilicet Hebræa; ita & *Teſtamentum Novum* datum eſt ea, quæ erat notiſſima per totum terrarum orbem, nempe lingua *Græca.* Iſtam autem linguam maxime fuiſſe vulgarem tempore Apoſtolorum, patet ex eo, quod Paulus omnes *Gentiles*, ſub ſolo nomine *Græcorum*, opponat *Judæis.* Rom. 1: 14, 16. & 2: 9, 10. & 3: 9. & 10: 12. 1. Cor. 1: 22, 23, 24. Gal. 2. & 3. & toties alibi. Deindè *Cicero, Orat. pro Poëta Archia*, exſertis verbis dicit: nullam dari nationem, ad quam cognitio linguæ Græcæ non pervenerit. Quare non dubitamus, quin totum inſtrumentum Novi Teſt. à viris ſanctis Græco Sermone traditum ſit. Aut ſi libri quidam Hebraice ſcripti ſunt, quod de Euangelio Matthæi dicitur, tamen per ipſos Apoſtolos, inſtinctu Spiritus S. in Græcum Sermonem, propter eandem rationem, verſi ſunt.

*Script. S. in vernaculam eſt vertenda.*

XVI. Eſt igitur S. Script. *vertenda* in linguam vernaculam, ut legeretur non tantum à paucis quibuſdam privatis, & intra privatos parietes, ut volunt *Pontificii*, ſed ut ab omnibus & ſingulis, & quidem publice & coram toto populo prælegeretur. Nam quod uni, id omnibus eſt utile. Immo magis curandum eſt bonum publicum, quam privatum. Eſſe itaque S. Scripturam vertendam, hiſce rationibus probatur. (1. Quia Deus ipſe eam populo ſuo tradidit ſermone vulgari, Judæis ſcil. Hebraice & Chaldaice, qui ſermo ipſis eſt vulgaris. Novum vero Teſt. Græce, quia lingua Græca tempore Apoſtolorum per totum mundum notiſſima fuit, teſte *Cicerone Orat. pro Archia Poëta.* Nec dicendum eſt, id factum eſſe, neſcio, qua neceſſitate, quia linguæ vulgares Veterum antiquatæ ſunt, *Hebræa*,

*Græ-*

*Græca* & *Latina.* Nam Lingua tali aliqua eruditorum, non opus est; adeoque Deus potuisset dare N. Test. lingua Hebræa, quæ tunc doctorum erat lingua. Eo ipso igitur, quod linguæ Græca & Hebr. antiquatæ sint, Scriptura verti debet. (2. quia prædicandum est *in luce*, Matth. 10. & omnibus gentibus. Matth. 28. Hinc (3. Apostolis datum est donum linguarum. Act. 2. (4. quia verbum Dei prædicari debet, non lingua barbara, sed εὐσήμῳ 1. Cor. 14: 9. (5. Omnibus temporibus versa est in linguam vernaculam, jam tempore Ptolomæi in linguam *Græcam*; post Christum natum ab *Aquila*, *Theodotione* & *Symacho*. Sic ante *Hieronymum* & ab ipso *Hieronymo* in linguam *Latinam*. Etiam *Chaldaice* à *Jonathane*, & *Onkeloso*; sic & *Syriace*, *Æthiopice*, *Persice* & *Arabice*, omnibusque linguis, ut omnes gentes docerentur. Taceo testimonia Patrum.

XVII. Versiones tamen, etiam acuratissimæ, semper postponendæ sunt textui authentico Hebræo & Græco: ut, quamvis eis temere non sit contradicendum, tamen, si aliquid occurrit quod non satis accurate versum est, ab eis non tantum tuto recedi possit, sed & debeat, nulla habita ratione, sive sit *Hieronymi*, sive *Lutheri*, sive *Gallica*, sive *Belgica*, sive *Græca*, sive *Samaritana*, sive *vulgata Latina*. (1. Cum interpretes non sint Prophetæ & θεόπνευστοι, sed omnes sæpe convinci possint errorum, qui sint emendandi. (2. Cum textus originalis sæpe cum plena sua emphasi verti non possit. Syrac. præfat. vers. 6. 7. 8. & tamen intelligi debeat ἡ δύναμις τῆς φωνῆς. 1 Cor. 14: 11. (3. Cum ipsi interpretes sæpe eadem verba varie vertant; & cum in suis notis ac commentariis aliquando aliter interpretentur, ac habet eorum versio. (4. Cum alias inutile esset studium linguarum. (5. Cum docti eo vires omnes intendere debeant, ut habeamus tandem accuratam versionem, quantum in hac vita fieri potest. (6. Cum eadem via stabiliretur autentia versionis vulgatæ latinæ, ac alterius linguæ cujuslibet.

*Versiones non sunt authenticæ.*

XVIII. Cum S. Scriptura sit legenda & vertenda, sequitur eam etiam esse interpretandam, & ejus sensum indagandum. Est autem *sensus* Scripturæ *literalis*, vel *mysticus*. Sensus *literalis* est vel (1.) *planus* & *simplex*, qui ex ipsis verbis & vocibus fluit, secundum constructionem Grammaticæ, & simplicem usum loquendi. Ex. gr. *Christus sumpsit panem.* Hæc verba habent sensum *planum*; cum nulla adhibeatur figura. Vel est sensus (2.) *figurativus*, qui latet sub aliqua figura

*S. Script. est interpretanda.*

*Sensus Scr. Sacræ.*

I. *Literalis.* gura Rhetorica; ut ex. gr. *Hoc poculum est Novum Test. in sanguine meo*, id est, hoc poculum est signum sanguinis N. Test.

II. *Mysticus qui est triplex.* XIX. Sensus *mysticus* est, qui nec proprie nec figurative significat, sed qui sub rebus significatis per voces, quasi sub involucro aliquo continetur, tanquam per similitudinem. Estque vel *Allegoricus*, vel *Tropologicus*, vel *Anagogicus*.

1. *Allegoricus.* *Allegoricus* est, quando verba S. Scripturæ, præter literalem sensum, aliquid significant, in Novo Testamento, quod ad Christum vel Ecclesiam pertinet; ut Gal. 4: 24. ubi Paulus exponit duos filios Abrahæ, de duobus Testamentis; *filium ancillæ* de Vet. Test. sub servitute; & *filium Saca* liberæ, de libertate Novi Test. Eodem sensu *Petra* & *Manna* significabant *Christum*. 1. Cor. 10. *Diluvium* & *mare rubrum*, *notabant Baptismum*. 1. Pet. 3: 21. *Matrimonium*, unionem cum Christo. Ephes. 5: 22. *velum Templi* carnem Christi. Hebr. 10: 19, 20.

2. *Tropologicus.* *Tropologicus* sensus est, quando verba aliquid significant, quod ad mores pertinet. ut Deut. 25: 4. hæc verba: *trituranti bovi os non obturabis*. Paulus 1. Cor. 9. explicat de *alendis ministris* Ecclesiæ:

3. *Anagogicus.* *Anagogicus* sensus est; Cum verba transferuntur ad significandam *vitam æternam*, ut hæc verba. Ps. 95: 11. *Juravi quod non intrent in requiem meam*, scil. terram Chanaan, Paulus explicat de *requie cœlesti*. Hebr. 4: 9.

*Sensus mysticus nobilior.* XX. Ubi sensus *literalis* & sensus *mysticus* concurrunt, *mysticus* semper nobilior est, uti apparet ex locis jam modo allegatis. Nobilior enim est sensus de *duobus Testamentis*, quam de duobus filiis Abrahæ; *caro Christi*, quam *velum* Templi, aut *Manna*. sensus de *Ecclesiæ ministris alendis*, quam de conservando *bove triturante*: sensus de *vita æterna*, quam de *terra Canaan*. &c. Idem dicendum est de Cærimoniis, quæ Christum significabant, sensus enim quem habebant de *Christo*, nobilior est quam is quem habebant de *templo*, de *victimis* aliisque rebus corporalibus.

*Ubi locum habeat.* XXI. Non in omnibus locis reperitur sensus *mysticus*, sed in quibusdam tantum, ubi Spir. Sanct. ipse occasionem & fundamentum ejus præbet. Præsertim si ab aliquo Scriptore Sacro in ipso verbo Dei ita exponatur: uti toties à Paulo factum est. Non autem à nobis sensus mysticus Scripturæ S. temere affingendus est, præter scopum Spir. Sancti.

*Theologia Symbolica est argumentativa.* Quare etiam omnis sensus *mysticus* talis est, secundum Spir. Sanctum, cum nullus dici possit sensus Script. S. si non sit secundum finem quem sibi Sp. S. proposuit. Hinc sequitur *Theologiam symbolicam esse argumentativam*, id est posse inde desumi argumenta, ad

ad probanda mysteria salutis: quod pessime negant *Sociniani*, ne concedere cogantur Cærimonias Veteris Test. fuisse picturas Jesu Christi.

*Sensus literalis semper unicus.*

XXII. Sensus *literalis* semper unicus tantum est: alias explicatio S. Scripturæ foret incerta, dubia, nulla. Etiam ubi est sensus *mysticus*, quamvis sit alius sensus *verborum*, alius *typorum*, unicus tamen semper est sensus *literæ*. Nam sensus *typicus* est magis sensus rerum, quæ verbis istis exprimuntur, quam sensus ipsorum verborum. Adeo ut unicus tantum sit sensus, sed duæ ejus sint partes. Hinc falsissimum est dogma *Pontificiorum*, qui docent: *unum idemque vocabulum, imo unam eandemque literam, diversos posse habere sensus:* ut Sacram Scripturam instar nasi cerei flecterent, & ut verus sensus petatur à *Papa*, vel à *Concilio*.

*Argum. adversar.*

XXIII. Nec ideo sequitur sensum literalem esse multiplicem, I. *quia Deus est summe sapiens, adeoque plures sensus uni vocabulo dare potuit:* non enim quæritur quid Deus possit, sed quid voluerit? Deinde quamvis Dei potentia sit infinita, tamen ejus opera sunt finita & determinata. Hinc & sensus Scripturæ est determinatus. II. Fatemur etiam, *unam eandemque vocem varias sæpe habere significationes*, tamen in eodem loco, ubi occurrit, unicum tantum habet sensum literalem. Ex.gr. *Leo* significat 1. *animal ferum.* 2. *Diabolum.* 3. *Hostes Christi.* & 4. ipsum *Christum.* Impium tamen esset, si ubique, ubi vox *leo* occurrit, ei omnes quatuor istas vellemus attribuere significationes. Alias de *Christo* de *animali* quoque intelligendum esset, quod dicit Petrus 1. Ep. 5: 8. *Diabolus rodit circa nos ut Leo.* Attendendum itaque est ad connexionem antecedentium & consequentium, verumque scopum Spiritus Sancti, in ejusmodi locis, & apparebit, sensum litteralem ibi unicum tantum esse; quemadmodum ibi apud Petrum significat solum *Diabolum*, non *animal*, non *Christum*. Nam multiplicem sensum probabunt III. *ex obscuritate* S. Script. Nec præterquam quod falso S. Script. attribuatur *obscuritas*, ut ostendimus, certum est, si sensus sit notus, sive sit unicus, sive multiplex, tunc Scripturam non esse *obscuram*, sed *evidentem*. Adde quod locus aliquis obscurus esse possit, etsi sensus sit simplicissimus, quia vocabulum, aut circumstantia, aut connexio nos latet. Tandem si locus est *obscurus*, sciri tunc non poterit, utrum *simplex*, aut *duplex* sit sensus: nam ex *obscuro* nihil colligitur. IV. *Unus idemque locus sæpe varie exponitur a Patribus aliisque interpretibus*; non quod locus iste tot

habeat ſenſus, ſed quia verus ſenſus ab interpretibus ignoratur. Quot capita tot ſenſus. V. Huc referri poteſt locus Joh. 11: 50. *Expedit ut unus moriatur.* &c. ubi duplex ſenſus. 1. *Ne per Chriſtum fiant ſeditiones.* 2. *Ut electi redimerentur.* Duplex tamen ſenſus non eſt in verbis, ſed in vario interprete. Priorem dedit *Cajaphas*; poſteriorem intendit Sp. Sanct. qui verus & unicus ſenſus erat. VI. Notandum quoque eſt, ſi detur alicubi *varia lectio*, non ideo dari *varium ſenſum*, ſed veram lectionem eſſe inveſtigandam, ex connexione antecedentium & conſequentium, ex collatione optimorum codicum, ex analogia Grammaticæ, ex analogia fidei, & ſcopo Sp. Sanct. apparebit ſenſum eſſe unicum. Ut ex. gr. ויקרו pro ודקרו Zach. 12. 10. אמרו *ameru* pro אמרו *imeru* Eſ. 3: 10. Non ſequitur etiam ſi unus locus Vet. Teſt. ab Apoſtolis varie applicetur, illum locum ideo varios habere ſenſus; ſed tantum de eodem ſubjecto plura dici. Ex. gr. locus ex Pſ. 2. *Filius meus es, hodie genui te*, à Paulo allegatur 1. Hebr. 1: 5. ubi agitur de *æterna Chriſti generatione*; 2. Act. 13: 33. ubi de *Chriſti reſurrectione.* 3. Hebr. 5: 5. ubi de Chriſti *promotione ad ſacerdotium.* Senſus tamen Pſ. 2. non eſt triplex, ſed unicus, ſcilicet de *æterna generatione Chr.* uti etiam indicatur Heb. 1. Sed in aliis locis deſcribitur tantum perſona, quæ *reſurrexerit ex mortuis*, & quæ in *ſacerdotem conſecrata* ſit: nempe is qui eſt *æternus Filius Dei*, & de quo dictum eſt: *filius meus es, hodie genui te.*

## CAPUT V.

*De Summo Interprete S. Scripturæ & Controverſiarum Judice. De ſtudio Prophetico & Periodis Eccleſiæ N. T. Deque Regula obſervanda in Script. S. interpretanda.*

*Summus Interpres Scr. Sac.*

I. SUmmus & infallibilis ſcripturæ *interpres* eſt *Deus*, ſumme ſapiens & ſcripturæ auctor. *Optimus enim quilibet eſt verborum ſuorum interpres.* Hinc David ad Deum confugit, eumque rogat ut ſibi vellet *illuminare oculos*, *ut poſſit videre mirabilia legis ſuæ.* Pſ. 119. Non quod Deus proprie loquendo interpretem agat, qui in Eccleſia loquatur, &, ſive immediate per oracula, & extraordinariam revelationem, ſive mediate per hominis alicujus vivam vocem, ſcripturæ ſenſum nobis aperiat; ſed quatenus mentem noſtram illuminat, ut nos ipſi veritatem aſſequamur, prout monemur ut Scripturam ſcrutemur. Nihilominus, cum Deus in verbo ſuo

uſus

uſus ſit ſermone hominum & ſtilo humano. Eſ. 8. qui ab hominibus vi Spiritus Sancti illuminatis poſſit intelligi, quæritur, quis hominum habeat facultatem S. Script. interpretandi? Utrum Deus quibuſdam tantum conceſſerit iſtam facultatem, an vero omnibus & ſingulis fidelibus, quos vera fide donavit?

*Controverſ. Judex non eſt Papa. Nec cum Concilio.*

II. Pontificii *Papam* ſummum S. Script. interpretem, & controverſiarum judicem ſtatuunt. Quidam illud *Eccleſiæ* adſcribunt, *Eccleſiæ*, non *ovium* i. e. *laicorum*; ſed *Paſtorum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abatum* aliorumque, quos ſuperbe vocant *Prælatos* & *Principes Eccleſiæ*, præſertim ſi in Concilium ſint congregati. Alii *Papam cum* ejuſmodi *Concilio.* Nos, etſi concedamus Magiſtratus & Principes, in foro externo, eſſe omnium legum interpretes, ſummoſque controverſiarum Judices, ad dirimendas lites inter cives, negamus tamen, Deum talem quoque inſtituiſſe in Eccleſia, in foro conſcientiæ & in rebus ſpiritualibus, ut nec *Papa ſolus* nec *Concilium* aut *Synodus*, nec *Papa cum Concilio*, nec ulla creatura habeat poteſtatem *prætoriam*, *authenticam*, *ſupremam* & *infallibilem* interpretandi ſcripturam & de controverſiis judicandi & decidendi. Sed habent tantum poteſtatem *miniſterialem*, tanquam *doctores* & *miniſtri.* Ut in rebus fidei eis nemo credere, nec eorum judicio ſtare cogatur, niſi quatenus ex verbo Dei eos judicaſſe animadverterit. (1. quia fideles à Chriſto & Apoſtolis ad *Scripturæ examen* remittuntur, non ad ullam *creaturam.* Joh. 5: 39. Mat. 7: 15. 1. Joh. 4: 1. 1. Theſſ. 5. 21. 1. Cor. 10: 15. (2. quia *omnes homines ſunt mendaces.* Pſ. 116. adeoque ipſa Eccleſia poteſt falli & fallere, ut ſuo loco oſtendetur. (3. Quia Deus talem *judicem* & *interpretem* in verbo ſuo indicaſſet, quod tamen nuſquam factum eſt. (4. quia ſub Vet. T. ſupremus *judex* & *interpres* non fuit. Nam quamvis magnam habuerint poteſtatem *Sacerdotes* & *Principes* populi, in certis quibuſdam rebus, quæ lites forenſes & legem cærimonialem reſpiciebant, ut etiam circa eas poſſent condere novas leges, & populum conſtringere ad earum obſervantiam ſub pœna mortis, quare etiam *Dii, Principes ſæculi, Patres, Domini, Magiſtri, Legiſlatores, Vindices, Pædagogi, Curatores* & *Tutores* dicti ſunt, qui caſtigabant populum κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, ut populus per *totam vitam fuerit ſub ſervitute* & *timore mortis*; uti conſtat. Pſ. 82: 1. Joh. 10: 35. Matt. 23. 1. Cor. 8: 5. Gal. 3: 24. & 4: 1. 2. Hebr. 12: 10. Hebr. 2: 15. Deut. 17: 8. &c. & Malach. 2: 7. &c. tamen non niſi *ex præſtituto le-*

*gis* debebant judicare, nec ullo modo poterant conſcientiam obligare, in rebus fidei & dogmaticis, niſi quatenus conſcientiam erudiebant ex verbo Dei; ut ne in rebus forenſibus quidem & cærimonialibus quicquam potuerint determinare contra legem Dei. Cum autem talis judex & interpres non fuerit in V. Teſt. multo minus ſub N. Teſt. Minus enim ſub. N. quam ſub Veteri Teſt. opus habemus ejuſmodi doctore; cum *frater fratrem non amplius edoceat* ex auctoritate, ut ſub Veteri Teſt. ſed *omnes edocti ſimus a Deo.* Jerem. 31: 34. Joh. 6: 45. (5. quia ſi daretur talis *Judex viſibilis* & *interpres*, tunc nullæ poſſent dari hæreſes, contra verba Pauli. 1 Cor. 11: 19. 2. Theſſ. 2: 11. litigantes enim ſtatim ad talem infallibilem interpretem ſeſe conferrent, unde omnis hæreſis præcaveretur. Et I. quamvis Deus talem *Judicem* non dederit Eccleſiæ, tamen ei ſufficienter proſpexit per ipſum *verbum ſcriptum.* II. Nec ideo quia *lites moventur de verbo Dei, ejuſmodi judice & interprete opus eſt*; cum *lites* omnes ex ſolo *verbo Dei* terminari poſſint; præterquam quod ipſi Pontificii rixentur de ſuo *judice*, utrum ſit *Papa*, an *Concilium*, an *Papa cum Concilio*, & quouſque ejus poteſtas ſeſe extendat.

*Objectio.*

*Nec vera Eccleſia.*

III. Quæ diximus de *Eccleſia falſa*, eadem de *Orthodoxa* quoque intelligenda ſunt. Nulla enim *Eccleſia*, nulla *Synodus Conciliumve*, quantumvis Orthodoxum, poteſt eſſe *interpres infallibilis*, & *ſupremus judex Controverſiarum*, qui poſſet conſcientias obligare, atque cogere, ut ejus interpretationes, tanquam infallibiles, reciperent, abſque ulteriore examine verbi divini. Credendum itaque eſt Synodis, in rebus fidei, non propter *auctoritatem*, tanquam ſupremo & infallibili judici; ſed tantum propter *ſcientiam*, ubi tanquam *miniſter* & *doctor*, ex præſcripta lege & norma verbi Dei, veritatem docent. Si enim credendum eſſet, propter *auctoritatem*, (1. falſis Synodis quoque credendum eſſet, cum non minorem auctoritatem ſibi arrogent, quam veræ: & (2. hac via *Papatus* ſtabiliretur; Introduceretur forte *Papa* aliquis quoad dogmata Orthodoxus, tamen non minus antichriſtus & tyrannus. Nec ipſis *Magiſtratibus* & *ſupremis Principibus* tale jus ac poteſtas concedenda eſt. Nam etſi jus habeant in corpus facultateſque temporales, conſcientiæ tamen nullam poſſunt præſcribere legem, nec eam ſubmittere ſibi in rebus fidei: niſi quatenus agnoſcuntur ſecundum verbum Dei judicaſſe, *Deo enim potius obediendum eſt quam hominibus.* Act. 5: 29.

*Nec Magiſtratus.*

*Nec Scriptura S. pro-*

IV. Nec ipſa *Scriptura Sacra*, proprie loquendo, dici poteſt *controver-*

*troversiarum judex*; cum sit *norma & canon* secundum quem judicari debet. Nec *interpres* sui ipsius esse potest, (1. cum sit liber interpretandus. (2. Cum interpretatio sit opus rationis, quæ verba examinat, confert, & sensum cum iis conjungit: quod non est opus ullius scripti, sed illius, qui ratiocinatur. Nec quicquam facit ad probandum, *Scripturam Sacram esse interpretem sui ipsius*, illud, I. vulgare dictum: *quisque est verborum suorum interpres.* Cum non *scriptura*, sed *Deus* sit auctor scripturæ. II. Tandem quamvis *Deus scripturam potuisset ita tradere, ut ipsa omnes sententias suas ubique exponeret*, certum tamen est, eum non voluisse id facere.

*prie dici potest controversiarum Judex.*

*Objectiones.*

V. Multo minus Sacræ Script. interpres dici potest *Ratio*, aut *Philosophia*, quæ ex propriis principiis Sacram Scripturam exponat. Nam etsi Philosophia & sana ratio magnum habeat usum, in interpretanda Sacra Scriptura, tamen id præstat non tanquam *supremus judex*, & *interpres* infallibilis, sed tantum tanquam *instrumentum*, ut verum sensum Sacræ Script. agnoscamus *per rationem*, sed non *propter rationem* naturalem, uti ostendimus Cap. 1. Thes. 17, 18. Insulsa itaque est sententia novi auctoris, qui nuper probare conatus est, *Philosophiam esse Scripturæ interpretem*: Hoc enim non præstat *Philosophia Scholastica*, cum sensum scripturæ magis obscuret, quam exponat. Nec *vera Philosophia* sive *recta ratio* à Spir. Sanct. illuminata & reparata; quia tunc sese habet tantum tanquam *instrumentum*, non autem tanquam *judicem* supremum, & infallibilem *interpretem.* Præterquam quod auctor iste fallissime ponat *rationem* tanquam *normam* & *lapidem lydium* veritatum, quasi is esset verus sensus scripturæ, qui cum captu humano & ratione convenit, quasi id quod menti ac rationi nostræ non est pervium, non esset sensus S. Script.; qua via omnia mysteria redemptionis negantur. Et quamvis nonnullæ occurrant veritates, quæ non nisi per rectam rationem exponi possunt; ut, exempli gratia: Matth. 28. *Ero vobiscum usque ad consumationem sæculi*, ubi ratio docet, hoc dici secundum naturam divinam: *Hoc est corpus meum*; ubi ratio docet, hoc debere sumi sensu metaphorico, & sacramentali, *Ratio* tamen non est interpres *generalis*, sed *particularis* tantum, & in paucis quæstionibus. Deinde si quædam veritates demonstrantur per sanam rationem; ut *existentia Dei*, *immortalitas animæ* &c. tunc ratio se habet tanquam *principium* potius, quam tanquam *interpretem.*

*Nec Ratio.*

*Objectio.*

*Ratio est interpres particularis.*

VI. Cum igitur nullus detur S. Scripturæ interpres *externus*, ge-

*Nullus datur Inter-*

*pres Script. S. & Judex Controvers.*

*Generalis, sed Particularis tantum, estque Conscientia cujuslibet fidelis.*

*generalis* & *infallibilis*, nec talis *judex* controversiarum; sequitur, *Judicem* controversiarum, & *Interpretem* Scripturæ esse quemlibet fidelem, sive *conscientiam*, & *judicium discretionis*: ut *interpres* & *judex verus* sit *particularis* tantum, in mente cujuslibet, non autem *generalis*; & singulus sibi tantum sit *interpres*, non autem *alteri*, nisi tanquam minister & doctor, quatenus alteri demonstrat sensum Scripturæ, quem ipse jam agnovit; sibi autem est supremus & ultimus judex atque interpres: cum à propria *conscientia* nulla detur provocatio ad alium. Et quamvis *præsumptio fortior sit pro judicio publico, quam pro privato,* quamdiu de veritate non plene persuasi sumus, & quamvis *utrumque & publicum & privatum judicium accurate sit explorandum, ad normam S. Script. antequam a nobis recipiatur vel rejiciatur, nulla habita ratione sive ab aliquo privato, sive a tota Synodo aut Concilio nobis proponatur*, tamen, quando privatus aliquis in sua conscientia ad veritatem verbi Dei convictus est, is judicium propriæ suæ conscientiæ anteferre debet judicio omnium Doctorum & Conciliorum, cum propria conscientia cum fallere non possit, nisi ipsum Deum deceptorem dicere velit, quod esset blasphemum. Nec de ulla veritate unquam certi esse possemus, adeoque semper timendum esset, ne Deus nos deciperet, quod esset intolleranda diffidentiæ. Quod si propriæ conscientiæ meæ non fidam? an *Auctoritati* aut *conscientia* alterius? Non puto, cum omnes homines me decipere possint, & multi me toties deceperint, conscientia autem propria mea mihi *sit mille testes*; & eo magis, cum *quilibet in sua mente* adeoque *conscientia debeat esse persuasus.* Rom. 14: 5. & cum Deus sese non nisi *ad conscientiam* & *per conscientiam* nobis manifestet. Hunc *judicem* & *interpretem privatum* probant præter insignem hunc locum Rom. 14: 5. etiam 1. Cor. 10: 15. *ut intelligentibus loquor, judicate vosmet ipsi quod dico.* 1. Thess. 5: 21. *Omnia probate, quod bonum est retinete.* 1. Joh. 4: 1. *Non cuilibet Spiritui credite, sed probate spiritus an sint ex Deo.*

*Probatur.*

*Argumenta adversar.*

VII. Et quamvis I. *judicium humanum errori sit obnoxium*, inde tamen non sequitur, *hominem privari potestate judicandi*; nec minus alterius, immo integræ Synodi judicium errori obnoxium est, quam meum, ut æque alii, quam ego, falli possint. Immo nulla est ratio quare alterius auctoritati magis fidam, quam propriæ meæ conscientiæ. Quamquam etiam fateor, cavendum esse à nimia præcipitantia, nec prius esse judicandum, quam postquam cla-

claram & distinctam habeam perceptionem revelationis divinæ, alias non ex *conscientia*, sed ex *præjudicio*, ex *conjectura* & mera *opinione* judico. II. Nec ideo, *quia non datur nisi particularis judex ac interpres, sequitur dari confusionem;* immo potius inde nascitur tranquillitas. Confusio daretur si meum judicium privatum (ut fit à Papa) vellem reddere publicum, & alteri obtrudere studerem: idem enim eodem jure & alter faceret, maxime nunc sub Novo Test. ubi omnes *sedemus una ut fratres.* Ps. 133: 1. Matt. 23: 8. ubi par in parem non habet imperium, ubi à nullius ore aut imperio dependemus, ut ejus fiamus *servi.* 1. Cor. 7: 23. ubi nemo debet esse *maximus*, sed omnes sunt *ministri* & *fratres.* Matt. 20:26. atque sic rixæ darentur sine fine. Neque tandem inde sequitur III. *Prophetiam Scripturæ esse ἰδίας ἐπιλύσεως.* 2. Petr. 1: 20. cum non fiat ex proprio cerebro, sed secundum normam fidei, in verbo Dei contentam. Ut expositio *Papæ* & *Concilii*, quando non ex verbo Dei, sed ex auctoritate, & ficto quodam spiritu loquuntur, sit *propria expositio.*

*Prophetæ etiam sunt interpretandi.*

VIII. Cum tota Scriptura intelligenda sit, sequitur Prophetas quoque esse interpretandos. (1. Nulla enim esset ratio, cur solum studium Propheticum prætereamus; ut ut impium esset, si quis diceret illud studium esse meram curiositatem, nudamque theoriam sine utilitate. Cum *tota Scriptura sit divinitus inspirata, & utilis* &c. 2. Tim. 3: 16. Rom. 15: 4. (2. Expresso mandato Christi jubemur, ut totam *Scripturam scrutaremur.* Joh. 5: 39. (3. Non minus ad *Prophetas* quam ad *Mosen* remittimur à Servatore. Luc. 16: 29. & 24: 25. 2. Pet. 1: 19. Apoc. 1: 3. 1. Cor. 14: 1. (4. *Prophetiæ non sunt contemnendæ.* 1. Thess. 5: 20. Manifestus autem Prophetarum esset contemptus, si quis eos legere non vellet. At si legendi sunt, eorum sensus etiam indagandus est, alias frustra legerentur. Non enim *legendum* tantum, sed & *animadvertendum* est. Matth. 24: 15. (5. non convenit cum Majestate verbi divini, ut dicamus ullam partem S. Scripturæ esse obscuram, & intelligi non posse. Vanum enim edidissent Prophetæ sonum sine sensu, adeoque ista pars Script. Sac. frustra data esset. Et si quædam hodie non intelliguntur, *suo* tamen *tempore intelligentur.* Apoc. 1: 3. Tit. 1: 3. & 2. Thess. 2: 6. &c. præterquam quod hoc modo herba porrigatur Pontificiis, qui tantopere obscuritatem, immo & inutilitatem verbi Dei urgent.

*Scopus, quo collineant*

IX. Cum autem præcipuus scopus Prophetarum sit; non tan-

*Prophetæ, est, ut prædicerent futura.*

tum ut proponant dogmata fidei & normam pietatis; sed etiam ut annunciarent futura, non minus inquirendus erit sensus futurorum prædictorum, quam reliquorum, quæ unice dogmata & pietatem spectant, quandoquidem nulla pars verbi Dei negligenda est. Et quia prædictiones fiunt de certis quibusdam rebus gestis particularibus, sensum Prophetarum nemo assequi potest, sine cognitione istarum rerum particularium, quæ prædictæ sunt. Adde quod sensus Prophetarum sit rerum prædictarum complementum, ut recte intelligi non possint, ante res gestas, per quas complementum suum adipiscuntur. Et cum Prophetæ res admodum varias prædixerint, de nativitate, vita, morte, sepultura, resurrectione J. Chr. ejusque ascensione in cœlum, missione Spir. Sanct. de gubernatione Ecclesiæ sub diversis temporibus, principibus, jam sub persequutione, jam in pace, jam erroribus obtenebrata, jam luce Euangelii collustrata, jam sub Antichristo, jam inde liberata, & in pacem restituta, & tandem in statu feliciori, quæ omnia consistunt in certis quibusdam factis & historiis particularibus, certum est sensum istarum Prophetiarum neminem assequi posse, nisi inquirat in facta & res gestas particulares, quo Prophetæ suis prædictionibus collinearunt.

*Attendendum ad stilum Propheticum, & ad voces hieroglyphicas Scripturæ Sacræ.*

X. Ut res gestæ, in indagando sensu Prophetico, cum prædictione recte conferantur, ante omnia acurate attendendum est, ad stilum Spir. Sanct. Prophetis peculiarem, præsertim ad voces hieroglyphicas: quid significet *Cœlum*, *Cœli signa*, *Sol*, *Luna*, *Astra*, eorum *ortus & casus*; *Terra*, *montes*, *colles*, *valles*, *Sylvæ*, *Hortus*, *Paradisus*. *Mare*, *Lacus*, *fluvii*, *fontes*. *Lux*, *tenebræ*, *Eclypses*, *venti*, *tempestates*. *Homines*, *vir*, *fœmina*, *Rex*, *subditus*, *Pater*, *filius*. *Animalia*, *equus*, *bos*, *Leo*, *aries*, *insecta*, *locustæ*, *ranæ*. *Regiones*, *Regnum*, *Urbes*, *Ægyptus*, *Assyrii*, *Edom*, *Esau*, *Israel*, *Juda*, *Jerusalem*, *Babel*, *Domus*, *Templum*, & id genus infinita alia. Deinde observandi sunt *Typi* & *Antitypi* cum hominum, tum rerum gestarum, à creatione mundi ad finem usque, quantum id hactenus assequi possumus, ut *typus* cum *antitypo*, & simile cum suo simili rite conferatur. Ubi autem est exactissima convenientia inter *typum* & *antitypum*, picturam & rem depictam, id est inter prædictionem & eventum aliquem particularem, isti prædictioni respondens secundum omnes circumstantias, sive rationes, ibi necessario debet esse complementum istius prædictionis, adeoque verus sensus Prophetiæ. Alias nunquam possemus esse certi de ullo eventu, ut de omnibus prædictionibus omni tem-

tempore dubitandum esset, etiam de adventu Christi ejusque officio. Nulla enim est ratio quare hunc eventum, si secundum omnes circumstantias conveniat cum aliqua prædictione, magis in dubium revocem, quam reliquos omnes, qui à Prophetis prædicti fuerunt. Adde quod, si eventus exactissime responderet prædictioni secundum omnes circumstantias, & si tamen iste eventus non esset prædictus, Deus homines deciperet, & in perpetuum dubium eos conjiceret; perinde esset ac si aliquis exactissimam exhiberet picturam Cæsaris, tamen diceret Cæsarem per eam non repræsentari.

*Periodi quædam observandæ.*

XI. Ut in sensu Prophetico indagando, felicius procedamus, non male agetur, si totum tempus Ecclesiæ, omniaque ejus fata, ante & post natum Christum, dividantur in certas quasdam *epochas*, sive *periodos:* qualem ordinem Sacri Scriptores ipsi observare voluerunt, in describenda Genealogia Jesu Chr. ubi certa tempora & fata Ecclesiæ Vet. Testamenti partiuntur in tres *Tessarodecadas*, secundum tres insignes Regni formas. Matth. 1: 17. Ubi igitur Prophetia occurrit, ante omnia examinandum erit, utrum complementum suum habuerit in Vet. Testamento, ante tempora Christi. Si ante Christum complementum suum non habuit, ultro sequitur, complementum suum habere sub Novo Testamento. Ineptum enim esset, si quis diceret omnes Prophetias referri debere ad Vet. Test. tantum, nihilque aliud contineri, quam res gestas Davidis aliorumque Regum & Principum, qui vixerunt sub Testamento Veteri, nihil autem Prophetas solicitos fuisse de rebus gestis sub Test. Novo. Cum tamen Sp. Sanct. non minus prædixerit res gestas & fata Ecclesiæ N. Testamenti, quam Veteris. Eo magis cum Ecclesia Novi Test. sit amplior, & Regnum Christi gloriosius; cum forte uno sæculo plures fideles contineat Ecclesia Christiana, quam Ecclesia Judaica per omnia sæcula. Sed adeo verum est, Prophetas prædixisse fata Ecclesiæ Novi Test. ut de eo nemo dubitet, nisi qui S. Scripturæ omnem derogat fidem. Ostendendum enim esset, Prophetas omnes suum implementum habuisse sub Veteri Test. Cum autem nemo hoc præstare possit, immo cum cogamur fateri, multas res prædictas nondum esse adimpletas, necessario fatendum erit, eas debere adimpleri sub Novo Test. aut prædictiones Prophetarum esse falsas, quæ esset summa impietas: Deus enim ipse per eos loquutus est, ut ne res minima quidem deficere possit. Es. 34: 16. Ergo com-

*Prophetæ prædixerunt fata Ecclesiæ Novi Test.*

plementum habebit, si hactenus non habuit. Exsertis verbis testatur angelus. Apoc. 10: 6, 7. *consummandum esse mysterium Dei, sicut annunciavit servis suis Prophetis.* Ergo totum *mysterium*, id est, *decretum Dei* nondum fuit *consummatum*, sed adhuc sub Novo Test. *consummandum* erat. Sed nihil clarius quam verba Petri Act. 3: 21. *Oportet ut cœlum recipiat J. Chr. donec suscitentur omnia quæ Deus dixit per os sanctorum Prophetarum suorum.* Ergo multa prædicta sunt, quæ, antequam Christus venturus sit, adimpleri adhuc debent. Ergo eventus istarum rerum inquirendus est. Hinc doctissime Belgæ non tantum in Præfatione ad Danielem docent: *Deum Prophetias magis magisque revelaturum servis suis, qui id ab eo ardenter petunt*, sed in summa Capitis XI. ejusdem Prophetæ fatentur, in isto capite *depingi statum Ecclesiæ Christianæ sub hostibus, fere ad finem mundi*, qualia quoque dicunt de Apocalypsi Johannis, in præfatione. Videantur etiam ad Ezech. 38. num. 1, 2. Sic & frequenter ad particulares eventus procedunt, ac docent, eos prædictos fuisse à Prophetis. Hinc multa explicant de certis quibusdam populis, urbibus, Regnis, personis, sectis & Principibus: veluti de *Roma* & *imperio Romano*, *Germania*, *Gallia*, *Polonia*, *Moravia*; De Imperatore *Trajano*, *Constantino M. Licinio*, *Theodosio*, *Gratiano*, *Justiniano*, *Phoca*, *Carolo M.* De *Turcis*, *Longobardis*, *Hunnis*, *Vandalis*, *Gothis*, *Arrianis*, *Papis*, *Episcopis*, *Ecclesia Romana*, *Waldensibus*. De *Petro Waldo*, *Wiklefio*, *Pourneo*, *Joh. Husso*, *Hieron. Pragensi*, *Luthero*, *Calvino*, *Melanchtono*, *Ferello*, *aliis*; quæ omnia continent eventus particulares, non autem individua vaga. Vide eorum notas, ad Es. 34: 16. & 63: 1. Apoc. 11. & 12. & 13. multisque locis alibi. Quid ergo obstat, quo minus multa etiam explicentur, de nostris Regionibus, de personis, & Regibus qui vixerunt ultimis temporibus, sæculo præterito, nostro sæculo, & de sæculis futuris, si eadem sit convenientia inter prædictionem & res gestas? Ostendendum utique esset, Deum voluisse prædicere fata Ecclesiæ primis aut mediis sæculis tantum; quod hactenus nemo præstitit, nec unquam præstabit. Nulla enim est ratio, cur id statuatur.

*Periodi Novi Test. quæ?*

XII. Tempus autem Novi Testamenti in suas periodos distributum, multum confert ad sublevandam memoriam, & faciliorem indagationem rerum gestarum, quæ prædictæ sunt. Et quamvis quilibet suo ingenio hac in re uti possit, sibique pro sua indole præscribere queat tot periodos, diversaque fata, quot putat suæ memo-

riæ

riæ & methodo maxime convenire: nihilominus tamen lubentissime premimus vestigia doctissimorum virorum, qui & olim, & nostro tempore, totum tempus à Christi ascensione ad finem mundi usque dividunt in septem periodos. I. Ab ascensione ad tempora Neronis, ubi Ecclesia erat pura, sancta, casta, & veritas illibata. II. A Nerone usque ad Constantinum Magnum, ubi Ecclesia erat sub persequutione Imperatorum Gentilium. III. A Constantino M. ubi Ecclesia nacta est pacem multosque honores, Religione tamen paulatim vergente ad errores, usque ad Imperatorem Phocam & Papam Bonifacium Tertium. IV. A Phoca & Bonifacio, ubi, Religione deturpata, cimeriæ, tenebræ, Clericorum corruptio, & superbia in Ecclesiam invecta, ac Regnum Antichristi stabilitum & revelatum, adeoque Ecclesia Christiana Babylonem captiva deducta est, usque ad tempora Lutheri. V. A Luthero, tempore Reformationis, usque ad Pacificationem Passaviensem sub Carolo Quinto, ubi veritas restituta, & Ecclesia à Tyrannide Antichristi & captivitate Babylonica liberata est. VI. Ab ista pacificatione, usque ad plenam conversionem gentilium & Judæorum, quando Christus obtinebit Regnum gloriosum in omnes Principes & populos terræ. VII. Ab isto Regno glorioso, ad finem mundi usque: quas periodos videtur tradere ipse Sp. Sanct. præsertim in Apocalypsi, per *septem sigilla*, *septem tubas*, *septem Ecclesias &c.* & per res, quæ sub istis *sigillis*, *tubis*, *Ecclesiis &c.* continentur & prædicuntur, quemadmodum id jam olim & nostro tempore animadverterunt viri doctissimi. Videatur præter Jacobum van Gruytrode, Jacobum à Paradiso, Jon. Saskeridem, Marloratum, Franciscum Lambertum, Ludovicum Rotium, Vignetum, &c. qui ab aliis passim allegantur, *Carolus Gallus*, Professor Leydensis, in *clave Prophetica nova* in Apocal. edita 1592. quamvis quoad modum adimpletionis & quoad ordinem temporum, nonnulli inter se differant. Si igitur occurrat Prophetia aliqua, cujus complementum non potest referri ad Testam. Vet. referri necessario debet ad Test. Novum. Examinandum igitur: utrum referri debeat ad *primam periodum*, an vero ad *secundam*, *tertiam &c.* Si prædictio contineat res, quæ cum rebus in prima periodo prædictis exacte & eo ordine conveniunt, eo referendæ erunt. Si res prædicantur ejusdem generis, quæ continentur in secunda, ad secundam referantur; & sic ad tertiam, quartam, usque ad ultimam. Tum inquirendum est, quis sit

eventus, aut historia particularis, quæ secundum omnes circumstantias, in ista periodo cum ista prædictione conveniat. Ubi talem eventum inveneris, is erit complementum istius Prophetiæ, adeoque verus ejus sensus, eoque Prophetam collineasse, concludendum est.

*Regula in Script. S. interpretanda.*

XIII. In interpretanda S. Scriptura, hæc regula sedulo observanda est: *verba Scripturæ S. significant, quidquid significare possunt, nisi quid obstet*: id est, quidquid ex fontibus Hebrææ & Græcæ Linguæ, ex connexione antecedentium & consequentium, ex analogia fidei, & scopo Sp. S. ex tali loco colligi potest. Nihil enim significare possunt, nisi ex ipso instituto Sp. Sancti. Ex. gr. Psalmo 2. fit mentio de *Regno Christi*. Ergo quidquid in toto isto Psalmo dicitur de *gloria Regis*, de *submissione populorum*, ac *hostibus ejus*, illud debet intelligi de *Christo* ejusque *Ecclesia*, aut de *hostibus Ecclesiæ*; non autem, sensu aliquo exili, de *Davide*, aliove Rege, aut de hostibus Davidis, qui tunc temporis vixerunt. Ita mentio fit de terra *Canaan*, de *Hierosolymis*, de *templo*, de *victimis*, de *sanguine*, de *purificationibus*, & id genus alia, quæ significare possunt *J. Chr.* ejus *mortem*, *resurrectionem*, *expiationem animarum nostrarum*, ideo & revera significant. Dici non potest quantum usum habeat hæc regula, in exponendis mysteriis salutis, in interpretandis Prophetis, & in refutandis *Judæis*, *Socinianis*, *Pontificiis*, *Remonstrantibus* aliisque, qui, quotiescunque fit mentio de Divinitate Christi, & Spiritus S. eorum operationibus, de Regno & gloria Christi, de hominis peccato, ejusque morte spirituali, de gratia Dei, & conversione hominum &c. cum non observent hanc regulam, sensum S. Script. extenuant, adeoque veritatem occultant.

*Hujus Regulæ est magnus usus.*

*Script. S. integritas.*

XIV. Scriptura S. de qua hactenus egimus, *integra* & *perfecta* ad nos pervenit. Male igitur docent *Mahomedani*, *Pontificii*, *Sociniani* aliique eam esse corruptam, & *integram* ad nos non pervenisse. Non fuit corrupta *ante tempora Christi*; quia Christus ipse fatetur: ne *jota* neque *apicem perire posse*. Matth. 5: 18. Nec *post tempora Christi*. (1. quia obstat diligentia Masoretarum, qui numerarunt literas, puncta, & accentus totius Script. S. (2. quia magna fuit multitudo Codicum, ut si vel maxime quidam, tamen non omnes, potuissent corrumpi. (3. quia non potest ostendi *tempus*, *locus*, nec *auctor* corruptionis. (4. quia, si judæi corrupissent, maxime corrupissent loca, quæ arguunt incredulitatem & impietatem suam, & vaticinia de Christo, & ista loca, quæ religionem Christianam probant.

bant. Gratis dicunt Pontificii: *Vetus Test. interiisse in excidio Hierusalemitano;* cum 2. Reg. 25. 2. Chron. 36: 19. ubi vastatio urbis & templi memoratur, de combustione sacrorum librorum nulla fiat mentio, præter quam quod in ipsa captivitate eos exstitisse pateat Dan. 9: 2. & Neh. 8: 8.

XV. Et quamvis I. *de quibusdam libris fiat mentio in S. Scriptura, qui hodie ignorantur;* non sequitur tamen illos periisse, poterant enim olim alios habuisse titulos, aut forte fuerunt tanquam quædam *capita* & *partes* librorum, non integri, veluti *liber fœderis.* Exod. 24: 7. *Liber Rationis Regni.* 1. Sam. 10: 25. *Liber domini.* Es. 34: 16. Nam isti libri in iisdem locis, ubi memorantur, exstant. Ex. gr. 1. Sam. 10. fit mentio de libro *rationis Regni*, ubi videtur ספר significare *partem*, non autem integrum librum. Quidam etiam libri memorantur, qui alibi extant, qualia erant *verba*, *res gestæ* & *acta Davidis*, *Nathani* Prophetæ, *Gadis*, *Salomonis* & *Samuelis*, de quibus 1. Chron. 29: 29. & 1. Reg. 11: 43. qui sunt ipsi libri *Samuelis* & *Regum. Lamentationes* Jerem. 2. Chron. 25: 25. videntur esse ipse liber Lament. qui hodie exstat. Nec omnes libri qui citantur in S. Script. divinitus inspirati fuerunt; citantur enim & Poetæ Ethnici, veluti *Epimenides* Act. 17: 28. *Aratus* 1. Cor. 15: 33. *Calimachus.* Tit. 1: 12. adeoque, etsi res memorabiles & sententias graves continerent, quales forte fuerunt libri *Enochi* (si quid scripsit) Judæ vers. 14. *Scripta Salomonis.* 1. Reg. 4: 32. *Libri Regum Medorum & Persarum.* 2. Chron. 12: 15. & 35: 25. Ester. 10: 2. aliique de quibus alibi fit mentio, nihilominus *Philosophici*, *Politici* & *Forenses* tantum fuerunt, non autem *Canonici*, ut perire potuerint, manente integro Codice Sacro. II. Non constat ex Col. 4: 16. *ullam Epistolam a Paulo scriptam fuisse ad Laodicenses;* sed potius *ex Laodicea*, quod potest intelligi de ipsis Laodicensibus aut alio aliquo viro sancto, qui ad Paulum scripsit, vel alia epistola à Paulo scripta, forte *ad Timotheum*, ut nonnulli volunt. Forte erat epistola non *Canonica*, sed alia quædam à Paulo exarata: quis enim dicet Apostolos nihil aliud scripsisse, quam epistolas Canonicas? cum procul dubio multa scripserint ut privati. Sic & Paulus 1. Cor. 5: 9. dicit: III. *Scripsi vobis in Epistola*, quod intelligendum de ipsa 1. Epistola ad Corint. vel de alia non Canonica, quæ tamen faciebat ad ædificationem. IV. *Si quædam aliter leguntur in versionibus Samaritana, τῶν septuaginta, vulgata, aut apud Patres;* tunc Patres & versiones *imperfecta* dicendæ sunt, non textus Hebræus aut Græ-

*Argum. adversar.*

cus

cus corruptus. Ita V. & *Apoſtoli quædam allegant ex L X X. verſione, quæ aliter ſonant ac in Hebræo*, ſed ſenſus ſemper eſt idem, ut ut verba diverſa; ideo & Apoſtoli textum Græcum retinuerunt, quoniam familiarior erat Judæis Græcis, & facilius à Gentilibus poterat inveſtigari. Aliquando ſenſum paraphraſtice exponunt. Ut Exod. 12: 40. ubi adduntur hæc verba *in terra Canaan & Ægypti*, quæ verba in Hebræo non reperiuntur; quia 430. anni, de quibus ibi agitur, initium ſumpſerunt à prima promiſſione Abrahamo facta. Eadem vide Pſ. 40. 7. Col. cum Hebr. 10: 5.

XVI. VI. *Critica & variæ lectiones quæ occurrunt apud Talmudicos alioſque auctores, & emendationes, quarum integrum volumen conſcripſit doctiſſimus Capellus*, nihil faciunt ad corruptionem Scripturæ Sac. nam variæ lectiones nihil corrumpunt, cum poſſint emendari ex optimis Codicibus, ex analogia Grammaticæ & fidei; præterquam quod iſta critica plurimum ſint inutilia, & ſæpiſſime ſine iis ſenſus clarior & aptior ſit. VII. Si *nonnulla occurrant Chronologica, quæ à nobis non ſatis apte poſſunt explicari*; non ſequitur, *loca iſta eſſe corrupta*, aut *latere contradictionem*; cum nobis circumſtantiæ, quæ ad perfectam intelligentiam iſtorum locorum requiruntur, ignotæ ſint. Caremus enim plerumque hiſtoriis Veterum, eorum Genealogiis, Chronologiis, Geographiis, ritibus, &c. quemadmodum jam dictum eſt cap. 11. Th. 12. Nec ſemper attendimus ad initium anni, quod varium, vel 1. ab exitu ex Ægypto à menſe *Niſan*. Exod. 12: 2. 2. aliquando à condito mundi, vel à menſe *Tiſri*, ut nonnulli volunt; vel à menſe *Af*. 3. Aliquando à primo die quo Rex incepit regnare. 4. ſæpe quo Rex ſolus regnavit. 5. aliquando quo regnavit cum patre. 6. Nonnunquam ſumenda pars anni pro toto anno. Quæ omnia niſi accuratiſſime examinentur, ut aliquando à nobis, ob circumſtantias ignotas, non ſatis accurate examinari poſſunt; inſuperabiles pariunt difficultates. Ex. gr. 2. Chron. 21: 2. *Joſaphat* dicitur *Rex Iſraelis*, cum fuerit *Rex Jehudæ*. Ubi *Iſraelita* dicitur eodem ſenſu ac omnes Judæi, qui ita vocantur, propter nomen *Iſrael* communi patri Jacobo datum. Sic & *Achas* 2. Chron. 28: 19. dicitur Rex *Iſraelis*, ut ut fuerit Rex *Jehudæ*. Sic & de aliis alibi. VIII. Quod ſi vel maxime *vox quædam omiſſa eſſet, vel irrepſiſſet in textum, vel mutata eſſet*, id tamen nihil corrumperet in rebus fidei. Veluti 2. Chron. 22: 2. Achazias dicitur *natus 42. annos, quando incepit regnare*. Ibi emendatione neceſſario opus eſt: cum pater ejus Joram habuerit tantum 40. annos, cum in-

inciperet regnare Achazias. Et quamvis credamus, non temere recurrendum esse ad emendationes, tamen, ubi absoluta necessitas id postulat, tuto fieri potest, præsertim si emendatio commoda alibi in S. Scriptura ultro se offerat, secundum analogiam historiæ, & si fidei non sit contraria: quemadmodum de Achazia legimus. 2. Reg. 8: 26. eum fuisse XXII. annorum, cum regnare inciperet. Nulla igitur est ratio, quare cum LXX. interpretibus aliisque viris doctissimis non legamus in utroque loco XXII. & non XLII. *annos.* Nam quod quidam 2. Chron. 22: 2. XLII. annos explicare velint de Regno quod Achazias obtinuerit cum patre, aut potius de Regno Omri; id à Judæis haustum est, contradicit analogiæ historiæ, & manifestam facit vim textui Hebræo. Ut quicunque gloriantur, se posse conciliare ista duo loca sine emendatione, laureolam in mustaceo se invenisse putent. Quare necessario locus 2. Chron. 22: 2. emendandus est, ex 2. Reg. 8: 26. aut dicendum erit, cum doctissimis *Belgis* in notis suis, *quomodo isti loci sint conciliandi, est admodum obscurum;* cum *Piscatore*, *Deodati*, aliisque bene multis, eum esse *insolubilem*, ἄλυτον. Idem dicendum est de loco Act. 7: 16. ubi dicitur *Abraham* emisse sepulchrum ab Emor filio Sichem; cum tamen *Jacob*, non *Abraham*, sepulchrum emerit. Genes. 33: 19. Ergo legendum est *Abrahami*, ὁ Ἀβραὰμ scil. *Abrahami* filius, *Jacobus.* Aut pro ἀβραὰμ restituendum erit nomen Ἰάκωβος. Ut credibile sit, nomen *Abraham* ab incauto aliquo librario, non à Luca, infractum esse, aut addendam aliam aliquam vocem, ut veritas historiæ staret. De locis quibusdam aliis idem esto judicium.

# DOCTRINÆ
## *DE*
# FOEDERIBUS DEI.
## PARS II.
## DE PARTIBUS FOEDERATIS.
### LOCUS II.
### *De Deo ejusque Attributis.*
### CAPUT I.
#### *De Existentia Dei.*

*Deus Consideratus* ὀυσιωδῶς & ὑποστατικῶς.

I. PRimam partem fœderis, nempe *Instrumentum fœderis*, ubi de *Sacra Scriptura*, absolvimus. Sequitur pars secunda, scilicet de *Partibus fœderatis*, *Deo* & *Homine*, ubi obiter quoque suo loco agetur de *Angelis*. Duplici modo Deus in suo verbo se manifestat. I. ὀυσιωδῶς in sua natura, atque *essentia*, prout ex ipsa ratione demonstrari potest. II. ὑποστατικῶς, qualis est in sua *subsistentia*, Pater, Filius & Spiritus Sanctus; quæ non tam *naturalis*, quam *revelata* cognitio Dei est.

*Cognitio Dei, alia est I. Innata.*

II. Est autem cognitio Dei alia *innata*, alia *acquisita*. Hæc illam sequitur eamque præsupponit, ut nunquam vel minimam possimus habere suspicionem de Deo, sine ista cognitione innata. Quid? ne vocabulum quidem *Dei*, sine ea unquam intelligeremus. *Innata cognitio* est ipsa *Idea*, quam habemus de *Numine aliquo summe perfecto, quo perfectius concipi non potest.* Parum refert sive istam *ideam* vocemus πρόληψιν cum *Epicuro*, testante *Cicerone de. Nat. Deor.* lib. 1. sive dicamus *cogitatio*, sive *conceptus*, sive *perceptio*, sive *Notio*, sive *Repræsentatio*, aut *repræsentamen*, sive κοιναὶ ἔννοιαι *communes notiones*, modo de re con-

conveniamus, nempe dari in mente nostra aliquam *notam*, quæ nobis repræsentet *numen aliquod summe perfectum*. Cum omnia ista vocabula *conceptus*, *perceptio*, *notio*, *repræsentatio* & πρόληψις sint metaphorica, desumpta à rebus crassis & corporeis, æque ac vocabulum *idea*, & cum pleraque sint vocabula generalia, nec specifice exprimant modum cogitandi, quem habemus de Deo, non magis ac ipsa *cogitatio*, malumus retinere vocabulum *Idea*, ad designandum istum modum cogitandi, quem habemus de Deo; cum non minus quam reliqua vocabula omnia commode possit applicari rebus incorporeis, easque repræsentare, quam vocabula reliqua; & cum Theologi pariter ac Philosophi Deo ipsi soleant attribuere *ideas* æternas rerum futurarum: ut *idea* non semper debeat dici formata à re corporea, nisi dicamus, Deum ipsum ideas suas à rebus corporeis hausisse ab æterno, quæ esset ipsa impietas. *Idea* Dei igitur nobis non repræsentat imaginem Dei corpoream, sed summam perfectionem, quæ cum extensione sive corpore plane nihil commune habet.

III. Dari in mente hominis talem *ideam*, tam clarum est, ut nemo etiam de Deo possit dubitare, vel ejus existentiam negare, quin *ideam* istam in mente habeat, & quidem tunc præsentem, sic enim dubitaret, aut judicaret de re ignota, quo nihil absurdius nec iniquius dici potest. Multo magis *ideam* Dei habent ii, qui eum existere adfirmant, alias perinde esset ac si affirmarent existere *blictri*, cujus vocis nullum habent conceptum, nullam *ideam*. Non tamen sequitur ideam istam menti nostræ semper actu præsentem esse, sic enim nihil nisi Deum cogitaremus: cum nulla idea nobis semper actu possit esse præsens, quin de ea semper, & de ea tantum cogitemus, & de nulla alia re, propter imbecillitatem mentis nostræ, quæ non permittit, ut plures, multo minus omnes, ideas simul præsentes habeamus; hoc enim soli Deo proprium est, qui unico nutu ideas omnium rerum simul contemplatur, atque præsentes habet.

*Datur Idea de Deo naturaliter.*

IV. Hæc idea dicitur repræsentare ens summe perfectum, quo perfectius nihil excogitari potest. Non quod habeat perfectiones tantum *relativas*, sed *absolutam* & *omnimodam perfectionem* in se, quæ nihil de *non ente* participat. Et quamvis multæ perfectiones menti nostræ soleant obversari, quotiescunque de Deo cogitamus, id tamen non fit ex *natura Dei*, sed ex *infirmitate mentis* nostræ, quæ assuevit

*Ea repræsentat ens summe perfectum.*

res, etiam simplicissimas, quasi per partes concipere; alias si serio ad ideam Dei attendamus, animadvertemus eam esse simplicissimam, in Deo esse tantum perfectionem unicam eamque simplicissimam, quæ omnes perfectiones infinito modo superat. Et cum nulla major perfectio concipi possit quam *voluntas*, sequitur ideam Dei nobis repræsentare voluntatem simplicissimam, quæ unico nutu, unicaque volitione vult, novit, & efficit quicquid unquam fuit, est, & erit in æternum. Hac simplici voluntate nihil perfectius excogitari potest, ut necessario Deus dicendus sit, *actus purissimus*. Unde sequitur Deum esse *immutabilem*, *causam* omnium rerum, *independentem*, & ab eo omnia dependere, in quocunque sint statu, aut ordine, Deum totam suam vitam ac beatitudinem simul & semel possidere, adeoque esse *æternum*, nec ullum tempus in eo concipi posse. Sequitur etiam inde, *ideam* de Deo nullo modo posse conferri cum idea, quæ ponit aliquam *compositionem*, ex *multis virtutibus*, *perfectionibus*, *potentiis*, *actibus*, & *facultatibus*; multo minus conferri posse eam cum idea aliqua *ficta*, & quæ ex ideis multorum corporum est composita; cum omnis compositio, ut ut ex rebus excellentissimis, ponat imperfectionem & rem finitam. Nam etsi perfectio Dei omnes perfectiones contineat, immo omnes infinito modo superet, tamen ejus perfectio, ut est summa, ita & unica & simplicissima est.

*Idea Dei non est composita ex multis perfectionibus.*

*Non est adæquata.*

V. Quamvis hæc idea nobis repræsentet *Ens summe perfectum*, non sequitur tamen eam esse *adæquatam*; id est nos exacte & perfectissime posse aut debere cognoscere essentiam Dei, omnesque ejus virtutes comprehendere; cum nulla detur res, etiam minima, cujus essentiam adæquate cognoscamus. Immo eo ipso, quod idea Dei mihi repræsentet perfectionem infinitam, fateri cogor, me eam non posse *adæquate* comprehendere, aut me ipsum esse infinitum adeoque Deum. Nec est de natura entis summe perfecti, ut comprehendamus omnes & infinitas ejus perfectiones adæquate; sed tantum illud ens habere perfectionem infinitam: quemadmodum cognoscere possum *triangulum*, scilicet tres habere angulos duobus rectis æquales, quamvis non perfecte cognoscam omnia, quæ in triangulo continentur; aut quemadmodum possum cognoscere Imperatorem esse supremum Monarcham in suo Regno, quamvis non cognoscam omnes ejus virtutes, divitias, potentiam & id genus alia.

*Non potest augeri, nec diminui.*

VI. Cum hæc idea talis sit, ut summam & infinitam perfectionem nobis repræsentet, sequitur eam nec augeri, nec diminui posse; infini-

finito enim addi nec demi quicquam potest. Et quamvis nobis nonnunquam innotescant perfectiones quædam de Deo, quas antea non noveramus, inde tamen non sequitur, ideam quam de Deo habemus augeri: sed tantum eam fieri clariorem & distinctiorem, quemadmodum Mathematicus, qui novit omnes affectiones Trianguli, multo distinctius novit triangulum, quam rusticus qui naturam trianguli in genere tantum novit, scilicet triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales. Aut quemadmodum Aulicus distinctius novit Imperatorem, qui cognoscit multas ejus virtutes, potentiam, consilia &c. quam rusticus qui ista omnia non novit. Nihilominus tamen rusticus habet ideam trianguli, aut Imperatoris, non minus quam summus Mathematicus, aut primus Minister Imperatoris, novit enim *triangulum*, non tantum per *negationem*, quid non sit, non esse quadratum, non circulum, non rhombum: sed & positive, eum *habere tres angulos duobus rectis æquales*. Ita novit Imperatorem, non tantum non esse infimum subditum, non ministrum, sed esse summum, qui reliquis omnibus imperet. Unde sequitur iterum ideam Dei omnimodam realitatem nobis repræsentare, & rem *positivam*, non *negativam*, adeoque Deum definiri debere (quantum definiri potest) non per terminos *negativos*, sed potius per *affirmativos*, & *positivos*.

*Fit tamen clarior & distinctior.*

VII. Inter summas perfectiones, quæ menti nostræ obversantur; præcipua est *existentia necessaria*. Nota quod dicam, non tantum *existentiam*, sed *existentiam necessariam*. Habent quidem omnes creaturæ *existentiam*, sed non *necessariam*. Quicquid enim creatum est, esse suum ab alio habet adeoque & *existentiam*, ut, si mundus existat, non sequatur eum *necessario existere*, quia sequens hora nullam habet necessariam connexionem cum hac hora, aut tempus futurum cum tempore præsenti. Eadem igitur virtute, qua res creata est, & esse suum habet, eadem quoque conservatur, & *existentiam* suam in posterum conservat. Ergo omnis existentia creaturæ non est *necessaria* sua natura, sed *possibilis*, *mutabilis* & *dependens*. Omne autem dependens & mutabile est imperfectum. Sequitur igitur summam perfectionem esse *existentiam necessariam*, adeoque non posse concipi summe perfectum, quod non habeat necessariam existentiam.

*Præcipua perfectio, quam repræsentat, est Dei necessaria existentia.*

VIII. Ex hac autem idea de ente summe perfecto, facile potest probari *existentia* Dei, cum à *priori*, tum à *posteriori*. A *priori*, scilicet ab ipsa natura entis summe perfecti. Nam *quicquid clare & distincte* per-

*Ex ista idea Dei probatur ejus existentia. I. à Priori.*

*percipio rei alicui inesse; id ei revera inest, sed clare & distincte percipio existentiam necessariam inesse enti summe perfecto; Ergo existentia ei revera inest;* sive, quod idem significat, *Ens summe perfectum revera existit.* Quemadmodum enim impossibile est, ut concipiam *corpus* sine *extensione; Spiritum* sine *cogitatione; triangulum* sine *tribus angulis*, ita impossibile est, ut concipiam *ens summe perfectum*, sine *existentia;* sive impossibile est, ut concipiam *summam perfectionem*, sine *existentia necessaria.* Non potest dici: ens summe perfectum habet *existentiam* tantum *ex hypothesi*, si scilicet tale detur ens; sive si detur talis perfectio, sequitur eam tunc necessario existere. Notandum enim est, primo ideam de ente summe perfecto non pendere à nostra voluntate, ut eam possimus formare, aut non formare, eique affingere hoc vel illud pro lubitu nostro, quotiescunque id nobis placet; sed eam sese ultro menti nostræ offerre, quotiescunque de Deo cogitamus, eodemque modo sese offerre omnibus hominibus. Unde necessario sequitur existentiam entis summe perfecti, in *conceptu* vel *idea*, quam de eo habemus, non contineri ex *hypothesi*, sed actu ei inesse. Deinde notandum est, ideam entis summe perfecti nobis semper repræsentare ens *positivum*, nec aliter de tali ente nos posse cogitare, adeoque actu existere; cum aliter à nobis ne concipi quidem posset. Tandem serio attendendum est ad id quod jam diximus: summam perfectionem continere *existentiam necessariam*, adeoque tales *perfectiones ex hypothesi* fingi non posse, sed *actu existere*, & quidem *necessario*, ut *existentia* summæ perfectionis, sive *ens summe perfectum* ne fingi quidem aut supponi possit, sed semper menti nostræ sese offerat, tanquam *actu* & *necessario* existens: quod enim habet *existentiam necessariam*, necessario existit.

*Idea Dei à nobis formari non potest, sed menti ultro se offert.*

IX. Hinc necessario sequitur, *existentiam* entis summe perfecti nunquam posse concipi, ut *possibilem*, sed tanquam *actu* existentem. Nam si ens summe perfectum non existeret *actu*, tunc esset plane impossibile, & nunquam existere posset. Non enim posset à se produci, cum nihil sit causa sui ipsius; nec ab alio: cum quicquid est extra tale ens, sit imperfectum, adeoque non possit producere infinite perfectum. Ut concipere ens summe perfectum cum existentia *possibili*, sit concipere ens summe perfectum cum existentia *impossibili*, adeoque *idea* entis summe perfecti repræsentaret *nihil*, quod esset contradictorium. Verum est me posse concipere *triangulum*, qui tres habeat angulos duobus rectis æquales, ex *hypothesi*, si existat trian-

*Existentia Entis summe perfecti non potest concipi ut possibilis; sed ut actu existens.*

gu-

gulus; aut *corpus* quod habeat extensionem, ex *hypothesi*, si existat corpus: quia triangulus & corpus non habent necessariam existentiam, cum sint res dependentes, finitæ & mutabiles. Sed isto sensu non possum concipere *ens summe perfectum*, quod habeat omnes perfectiones, ex hypothesi si existat; quia ens summe perfectum habet existentiam *necessariam*, ut non possit non actu existere, quod enim *necessario* existit, illud nunquam potest non existere, sed actu semper existit.

*Ex Idea Dei probatur ejus existentia à Posteriori.*

X. Per eandem ideam entis summe perfecti, demonstratur II. *existentia* Dei etiam à *posteriori*. Nam *idea* ista causam aliquam habere debet extra nos. Non enim potest à nobis fingi; tunc enim quot homines, tot ideæ diversæ effingerentur de Deo. Nunc autem in omnibus hominibus semper eadem reperitur, de ente summe perfecto, adeoque est immutabilis, & ad talem ideam mens nostra necessario determinatur, ut eam non possimus pro arbitrio fingere, vel aliter concipere, nec mutare, nec negare, nec abjicere.

*Idea Dei non potest immitti, nisi ab ipso Deo.*

XI. Ineptum est quod quidam dicant, eam *nobis immitti per sensus externos; (* 1. Cum nulla daretur cognitio Dei *innata*, *sed acquisita* tantum. *(* 2. cum per sensus externos nihil immittatur, præter motus corporeos. Sed nulla *cogitatio* est in motu corporeo; quomodo ergo poterit in me producere cogitationem, qualis est idea? Nec acuratius loquuntur, qui dicunt, nos ideam istam habere per *revelationem externam*, & *doctrinam*, aut per *ratiocinationem* & *discursum*. Non negamus quidem per *sensus externos*, per *motus corporeos*, per *disciplinam*, *institutionem*, *ratiocinationem* & *discursum*, ideam istam in nobis excitari, secundum leges ac connexionem, quam Deus voluit esse inter mentem nostram & motus corporeos, ut quotiescunque talis per sensus nostros fit motus, nos talem etiam habeamus ideam vel cogitationem. Sed præterquam quod revelatio externa & institutio fiant tantum per sensus, adeoque per motum corporeum, qui in se nullam continet cogitationem, multo minus eam nobis imprimere potest, uti jam modo ostendimus, certum est, omnem *institutionem*, *ratiocinationem*, & *discursum* necessario *ideam* istam præsupponere; cum sine ea omnis *sensus*, *discursus*, & *institutio* plane esset inutilis. Nam etiamsi aliquis in æternum aspiceret cœlum & terram, etiamsi in æternum audiret facundissimum subtilissimumque oratorem ac Philosophum, qui demonstraret existentiam Dei, tamen nisi prius in mente haberet ideam de Deo,

Deo, nunquam intelligeret quid ſignificet vox *Deus*, quam toties audit, non magis quam *bliċtri*, cujus nullam habet ideam. Hoc locum habet in omni diſciplina: nam diſciplina rerum ideas in nobis præſupponit, nobis ideas non dat, ſed ex mente noſtra eas eruit, & nobis quaſi præſentes ſiſtit. Ita niſi haberem innatam ideam *motus*, *ſolis*, *lunæ* &c. nunquam caperem quid dicat Mathematicus quotieſcunque loquitur de *motu* iſtorum corporum, adeoque nunquam fierem Mathematicus. Quid? per omnes ipſius ſermones nunquam intelligerem, quid ſignificet *Sol*, quid *Luna*, quid ſit *movere* &c. Habemus igitur ideas rerum ante loquelam, ante ſermonem. Immo habemus *ideas* rerum *naturaliter*, ſermonem autem *ex inſtitutione*. Sed & hoc notari debet; quod ſi idea Dei nobis immittatur per *diſcurſum*, *inſtitutionem*, & *ratiocinationem*, eandem quæſtionem ſemper remanere. Rogabo enim ego unde priores illi, qui nos docuerunt, ideam iſtam hauſerint? Ponamus Adamum docuiſſe filios ſuos, quid ſit Deus, & hos iterum poſteros ſuos. Unde Adamus ſuam ideam habuit? Dices procul dubio, Deum ejus unicum fuiſſe auctorem. Cur igitur non dicemus, eundem Deum & nobis dediſſe ideam entis ſumme perfecti, quemadmodum rerum omnium quas novimus, aut quas unquam cognituri erimus? Sed ponamus Deum unicam tantum mentem, unicum angelum, aut unicam animam creaſſe, ſine ullo corpore, ſine ullo alio etiam Spiritu. An illa mens, quæ nullam potuiſſet accipere inſtitutionem, nec per ſenſus, (cum nec ſenſus haberet: nec res ſenſibiles exiſterent) nec per diſcurſum; an, inquam, illa mens nullam habuiſſet ideam Dei? Immo maxime, alias creata fuiſſet *athea*, quod eſſet blaſphemum. Ergo ideam Dei ex ſe ipſa elicuiſſet, quia eam à Deo, uti nos, impreſſam habuiſſet. Sequitur igitur Deum eſſe cauſam ideæ meæ, quam de eo habeo, adeoque Deum exiſtere.

*Eam effingere nemo poteſt.*

XII. Sed cum *idea* iſta nobis repræſentet *ens ſumme perfectum*, quod in ſe continet omnes perfectiones, immo tantam perfectionem, ut nulla dari poſſit major: Certum eſt, nos eam effingere non poſſe. Quicquid enim effingo, illud fingo ad aliquas perfectiones, quas reperio vel *intra me*, vel in alia aliqua re *extra me*. Jam certum eſt, me eam non poſſe effingere ad perfectiones *meas*, quia experior omnes meas perfectiones eſſe *finitas*, adeoque *valde imperfectas*. Ut, ſi vellem effingere ideam Dei ad meas perfectiones, perinde eſſet, ac ſi vellem concipere *ſummam perfectionem* tanquam

*im-*

*imperfectionem*, aut *summum ens*, in quo nihil est, quod non sit *positivum*, & summe *perfectum*, tanquam *negativum*, & merum *Nihil*, quæ esset turpissima contradictio. Quemadmodum igitur homo pingendi artis imperitissimus, non potest depingere picturam aliquam elaboratissimam, ita sane fieri non potest, ut ego, qui nihil, quod non sit imperfectum, in me reperio, effingere possim ideam entis summe perfecti. Nec possum eam effingere ad rem aliquam *extra me*, ob eandem rationem; quia quicquid est extra me, præter Deum, est imperfectum æque ac ego: quare mihi non potest repræsentare summam perfectionem, multo minus potest in me producere ideam, quæ summam contineat perfectionem. Ergo solus Deus, qui est summe perfectus, ideam entis summe perfecti in nobis producit.

*Nullam possumus habere ideam quæ non habeat causam & exemplar extra nos.*

XIII. Experimur etiam in nobis, quod nullam unquam habeamus, nec habere possimus ideam, quæ non habeat aliquod *exemplar extra se actu existens*. De *cœlo*, *terra*, *sole*, *luna*, *homine*, *equo*, *arbore*, *lapide* &c. nulla est quæstio. Sed ponamus id ipsum quod vocare solemus *figmentum*, ut *centaurum*, *pegasum*, vel *equum alatum*. Habet sane idea centauri, vel pegasi causam suam exemplarem extra mentem meam actu existentem. Nemo enim nescit dari *centaurum*, id est *hominem* & *equum*. Figmentum tantum consistit in eo, quod componam partes quæ non sunt componendæ, quod *humano capiti* adjungam (ut loquitur poeta.) *pectus equinum*. Aut quod equo dem alas alicujus avis. Ut ut sit, clarum est, ideam *centauri* habere causam exemplarem extra se, scilicet in homine & equo. Multo magis igitur dicendum erit, ideam entis summe perfecti habere causam aliquam exemplarem actu existentem, quæ omnes perfectiones, quæ mihi per istam ideam repræsentantur, in se contineat eminenter. Aut dicendum erit, objectum *ideæ* rei perfectissimæ esse *Nihil*, quæ iterum esset manifestissima contradictio.

XIV. Tandem animadvertimus, quod nos, qui talem ideam habemus, à nobis ipsis non simus. Nam per istam ideam agnoscimus perfectiones, quas nobis deesse intelligimus. Eas autem nobis dedissemus, si à nobis ipsis existeremus; aut potius eo ipso, quod à nobis essemus omnes haberemus perfectiones. Unde necessario colligitur, nos non tantum existentiam nostram, sed & ipsam ideam de ente summe perfecto, non à nobis, nec ab ulla

creatura, quæ æque ac nos finitam tantum habet perfectionem, sed ab ipso numine summe perfecto & infinito, quod omnes perfectiones summas continet, habere.

*Modus Deum cognoscendi Nobilissimus.*

XV. Hic est cognoscendi modus nobilissimus, ex intima mentis nostræ natura desumptus. Per quem non tantum cognoscimus *quod Deus sit*, sed etiam *quid sit?* nempe *Ens summe perfectum;* quamvis omnem ejus perfectionem ac essentiam non cognoscamus adæquate. Hac sola cognitione, ut ex superioribus liquet, convicti sumus de existentia Dei, etiamsi præter mentem nostram nihil esset in rerum natura, uti thes. 10. demonstravimus. Sequitur igitur hac cognitione Dei, ex idea ejus, & quæ *innata* optime dicitur, negata, (si negari posset) nullam dari cognitionem *innatam*, quid? nullam nos posse acquirere cognitionem de Deo, nec ullum posse habere sensum Religionis, sive revelatæ, sive naturalis; ea autem posita, facile procedere cognitionem *acquisitam*, *horrorem conscientiæ*, *reverentiam summi numinis*, adeoque *Religionem.*

*II. Cognitio Dei alia est acquisita.*

XVI. Cognitio igitur Dei *acquisita* est ea, quam habemus per contemplationem operum Dei, cum creationis tum conservationis. Fieri enim non potest, ut vel parum contemplemur opera Dei; cœlum, terram, solem, lunam, stellas, animalia, arbores, herbas; ut attendamus ad causarum seriem, ordinem, concatenationem, & subordinationem, mutationes, vicissitudines, diem, noctem, anni partes, tempestates, & id genus alia, quin adducamur ad numen aliquod summe perfectum, id est ad Deum, qui omnium rerum est creator & conservator. Ideo & *cœli* dicuntur *enarrare gloriam Dei.* Ps. 19. Et *invisibilia Dei, jam inde a condito mundo ex iis quæ fecit mente animadversa pervideri, æternitatem videlicet ejus tum potentiam, tum divitias.* Rom. 1: 20. vide Es. 40: 26.

*Probatur Existentia Dei ex causarum subordinatione.*

XVII. Sed vel sola *causarum subordinatio* nos ad Deum ducit. Cum enim videamus animalia, arbores &c. generari fructusque quotannus protrudi, omniaque interire & nova renasci, oportet ut præterita initium habuerint, non minus quam præsentia. Si initium habuerunt, id non potest peti ab æterna causarum serie, cum mens nostra talem seriem concipere non possit, immo eam abhorreat, & necessario subsistere debeat in aliquo primo, quod reliquis omnibus dederit initium, primumque animal aut arborem produxerit. Videmus quotidie filium nasci à patre, patrem ab avo, avum ab abavo, deavo, tritavo &c. donec perveniamus ad

ad primum aliquem hominem, nisi dicamus numerum majorum nostrorum esse infinitum, quod sanæ rationi repugnat. Ergo subsistendum erit in primo aliquo homine, qui reliquis omnibus initium dedit. Sed cum primus iste homo non potuerit esse à se, (cum nihil sit causa sui ipsis) nec ab alio homine, nisi dicamus patrem esse à filio, filium à patre, & sic in infinitum, quæ esset circulatio ridicula & plane impossibilis; sequitur primum istum hominem fuisse productum, ab ente isto summe perfecto, independente, cujus jam habemus ideam, vel cognitionem *innatam*.

*Ex operibus Dei.*

XVIII. Quis non videt infinitam requiri sapientiam atque potentiam, ad opus totius hujus universi, ut cœlestia & terrestria tam pulchre conspirent, ad conservationem sui? Ut provisum sit ad conservationem animalium & hominum, non tantum individui, sed & speciei? Sed remaneamus in ipso μικροκόσμῳ homine. Attendat quilibet ad mentem suam, & fingat se nullos habere sensus externos; tot cogitationes, quot habet singulis momentis, unde illæ? Nonne à Deo sapientissimo & potentissimo? Cum non sit in potestate hominis, ut vel minimam cogitationem produceret. Si enim ipse cogitationem producerem, hoc facerem per voluntatem meam; sed cum hæc vellem, jam præsens esset cogitatio, ergo à voluntate mea non dependeret, sed à potentiori numine, quod & meam voluntatem, & omnes meas cogitationes producit ac conservat. Et sane cum mens mea existere pergat, à se autem nec existentiam nec durationem existentiæ habere possit, nec cum ulla sit necessaria connexio inter cogitationem præsentem & futuram, nec inter existentiam mentis hac hora, & inter existentiam ejus futuram, opportet necessario ut agnoscam ens aliquod independens, & summum, à quo omnia dependent, & quod mentem meam potest producere & conservare.

*Ex Conscientia hominis.*

XIX. Huc referri quoque possunt *metus* & *horror conscientiæ; Lex naturalis cordi inscripta, notæ justi & injusti, boni & mali, æqui* & *iniqui;* Politicorum *astus, vaticinia; eventus* rerum prædictarum; *miracula, apparitiones*, & id genus alia, de quibus in Scriptura S. fit mentio, quæ tot sunt testes supremi alicujus numinis. Hanc cognitionem Dei naturalem, cum *innatam ideam*, tum *acquisitam* agnovit Paulus. Rom. 1. eamque vocat τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. Deus enim id ipsis ἐφανέρωσε, cum per *impressam ideam*, tum per *opera creationis* & *conservationis:* cum per cognitionem *innatam*, tum per *acquisitam*.

*Hæc propositio Deus existit, est clarissima & prima veritas.*

XX. Sequitur igitur hanc propositionem *Deus existit*, omnium veritatum esse primam, verissimam & clarissimam; immo multo veriorem clarioremque quam hanc: *totum est majus sua parte.* Quia *totum* non habet existentiam necessariam, sed potest non existere; adeoque vera tantum est ex hypothesi, *si existat* aliquod *totum*, tunc *est majus sua parte.* Sed hæc propositio, *Deus existit*, vera est, non tantum ex hypothesi, sed absoluta & naturali necessitate, quia ponit summam perfectionem, quæ habet existentiam *necessariam*, ut non possit non existere. Adeo etiam ut sine eo reliqua omnia essent impossibilia, nec unquam existere potuissent; cum nihil possit esse causa sui ipsius, nec ab alio ente imperfecto queat produci: nam præterquam quod istud ens imperfectum suam existentiam debuisset habere à summo ente, nihil posset producere ex nihilo. Unde necessario sequitur, serio attendentem ad ideam, quam habet de Deo, & ad ejus opera, de Deo ne per momentum quidem *dubitare posse.* Nam quemadmodum puerilis esset credulitas, pro vero recipere, id cujus non habes claram & distinctam perceptionem, ita stulta pariter & obstinata esset dubitatio, si quis vellet dubitare de re clare & distincte percepta, adeoque de Deo, cum clare & distincte percipiat Deum esse ens summe perfectum, quod habet existentiam necessariam. Ut, quicunque is sit, qui hæc hactenus nondum accurate perpendit, ut de tanta veritate dubitet, is protinus attendere debeat ad omnia argumenta ista, quæ ipsi promptissime ob oculos ponunt ens summe perfectum, adeoque necessario existens. Non enim puto, quemquam homines velle cogere (quemadmodum cogi non possunt) ut in animo suo persuasi sint, de tanta veritate, in re tam sancta, tanti momenti, tamque necessaria pro pace & tranquillitate conscientiæ, animæque salute, nisi istam veritatem clare percipiant; cum quilibet, etiam in rebus non tanti momenti, ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ debeat πληροφορεῖσθαι Rom. 14: 5. Patet igitur quid censendum sit de sententia *Socinianorum*, *Vorstii*, & *Remonstrantium*, qui cognitionem naturalem de Deo negant. Utrum igitur ullus unquam exstiterit *atheus* speculativus, qui revera crediderit *nullum dari Deum*, merito dubitatur. Si tamen ulli unquam fuerunt *athei*, id proculdubio ortum habuit, non tantum ex vita profana ac contemptu verbi Dei, sed & ex mystarum levitate, superbia, ambitione, libidine dominandi & vita corrupta, ex fœda superstitione, scientiarum & sanioris Philosophiæ ignorantia, & ex perversis conceptibus

*An de Deo possit dubitari?*

*Utrum dentur Athei, & unde?*

bus de Deo spiritibusque, tanquam de rebus extensis adeoque corporeis.

*Deus est à se utrum Negative, an Positive,*

XXI. Cum Deus sit ens summe perfectum, adeoque independens, facile responderi potest ad quæstionem; an *Deus sit a se*? Quanquam ista quæstio inutilis est, tamen à Scholasticis, qui Philosophiam & Theologiam multis quæstionibus inutilibus repleverunt, examinari solet. Sunt qui respondent Deum esse à se *negative*; quod intelligunt, *Deum nullam habere causam sui*; quod quidem verissimum est, cum ens summe perfectum sit independens ab omni causa. Nihilominus tamen, cum ipsum *nihil* etiam non sit à se positive, ac *nullam habeat causam sui*, & cum Deus sit ens summe *positivum*, ut sit ipsa *entitas*, (detur venia verbis) sequitur omnia quæ de Deo dicuntur, in nostra mente ponere conceptum magis *positivum*, quam *negativum*, ut commodius responderi possit, si dicamus, Deum esse à se *positive*, id est, Deum esse אל שדי ens summe *sufficiens*, quod *in se habet omnem sufficientiam ad existendum*, ut à nullo alio dependeat, sed *sua perfectione necessario existat*. Ut *à se esse* nihil aliud significet, quam *habere summam entitatem*, *sufficientiam*, *perfectionem necessariamque existentiam*, quæ omnia sunt *positiva*, non autem *negativa*, adeoque hoc sensu rectius diceretur à se *positive*, quam *negative*.

## CAPUT II.

### *De Dei Unitate, Nominibus, & Attributis in Genere.*

*Deus est Unus.*

I. Cum Deus sit ens summe perfectum, sequitur eum quoque esse *unicum*, nec posse habere æqualem. (1. Nam ab ente summe perfecto omnia dependent: alias non esset rerum arbiter & Dominus, adeoque ens perfectius concipere possemus, scilicet tale à quo omnia dependeant, & quod omnium esset Dominus. Si autem à Deo omnia dependent, sequitur aliud independens dari non posse, adeoque Deum esse tantum unum. (2. Adde quod si darentur plures dii, perfectione essent *æquales* vel *inæquales*. Si *æquales*, tunc neuter esset *summus*, adeoque neuter esset Deus. Si *inæquales*, tunc iste, qui minor esset, non esset Deus. (3. Tandem plures darentur *omniscii*, & *omnipotentes*. Alter alterum posset impedire in operatione sua, vel non posset. Si neuter posset, tunc neuter esset Deus; si posset, is solus esset Deus qui alterum impediret. (4. Ideo Deus in S. Scriptura dicitur בדד *solus*. Deut. 32: 12. Deut. 4: 35. &

 6: 5.

6: 5. *Jehova unus est.* vide Es. 44: 8. Joh. 17: 3. Ephes. 4: 6. Impium igitur est dogma *Manichæorum*, qui duos Deos ponunt. Alterum *principium boni*, alterum *principium mali*, & *Socinianum*, qui duos Deos essentia diversos fingunt, alterum *Deum summum* & æternum, alterum *factum* sub Novo Test. Jes. Christum.

*Polytheismus, ejusque causa.*

II. Ineptissimus igitur est *Polytheismus* gentilium, qui suos habebant Deos Deasque majorum & minorum gentium. Nullam aliam originem videtur habere *Polytheismus*, præter confusam *ideam*, quam quidam de Deo habebant, qui singulam perfectionem quasi Deum respiciebant. Aut quod nonnulli impensius, quam par erat, amarent patronos, Principes, Heroas, unde eos cœperunt adorare post mortem, ut gratum testarentur animum, aut per adulationem propter amicos viventes, qui rerum potiebantur. Aut tandem, quod animadverterent in S. Scriptura, Deo varia attribui nomina & ephitheta, ut יהוה ארון צבאות עליון פן שילה די &c. Hinc factum est, ut crediderint quodlibet nomen significare aliquem Deum, unde eorum *Adonis*, *Javo*, *Jovis*, *Sabazius*, Ἥλιος, δεὺς, *Silenus*, *Pan*, &c.

*Deus non indiget Nomine.*

III. Cum Deus sit *unicus*, sequitur eum *nomine* non indigere, quandoquidem nomina instituta sunt, ut alter ab altero ejusdem naturæ distingueretur. Deus autem parem non habet, quia est *unicus*, immo & *ineffabilis*. Gen. 32: 29. פלאי sive *mirabilis*. Jud. 13: 18. Et quamvis natura rei nobis non innotescat ex nomine, quasi per cognitionem nominis perveniremus ad cognitionem rei; cum contrarium verius sit, id est cum res nobis nota esse debeat, antequam cognoscamus nomina rerum, quare cognita re facilius pervenimus ad notitiam nominis; adeo ut non tam de nominibus Dei, quam de ejus existentia & natura esse debeamus soliciti; nihilominus tamen ut mentem nostram apud alios exprimeremus, & ut aliis constaret, de quo nobis sermo sit, quotiescunque de Deo loquimur, necesse est, ut adhibeamus aliquod vocabulum, per quod eum notemus, & ab aliis rebus omnibus discernamus.

*Nomina Dei in S. Scriptura Vet. Test.*

IV. Hinc Deus ipse in verbo suo plura sibi dedit nomina, quorum quædam exprimunt *essentiam* ejus, ut אהיה יהוה & יה; quædam *attributa*: ut אל *à fortitudine* Ps. 22: 2. quia solus Deus fortis est. Dan. 11: 36. quamvis etiam angelis & hominibus, ipsis quoque idolis conveniat. Exod. 15: 11. Es. 44: 10. Mal. 2: 11. שרי à *sufficientia*, quasi *Scheddai qui sufficit* Gen. 17: 1. non à שדד *vastavit*. ארין

Mal.

Mal. 1: 6. Deut. 10: 17. & אדני. Et אלהים vel à *cultu*, ab Arabico אלה *coluit*, vel ab Hebr. אלה *juravit*. Genes. 17: 3, 7. Deut. 29: 12, 13. Ut ut in plurali legatur, tamen in singulari intelligitur, ut Ps. 45: 7. כסאך אלהים *Solium tuum o Elohim*, alias dicendum esset כסאכם. Non *soli Deo*, sed & ipsis creaturis convenit אדון & אלהים / ut *Angelis* & *Principibus* populi, præsertim sub Vet. Test. Ps. 8: 6. & 82: 16. Joh. 10: 34, 35. Hinc & θεοὶ λεγόμενοι. 1. Cor. 8: 6. Sic & *falsi Dii* אלהים dicuntur. Exod. 20: 3. Et *Dagon*. Jud. 16: 23. & *vitulus*. Exod. 32: 4. צבאות ab effectu *exercituum* suorum, qui sunt omnes creaturæ. עליון. à *celsitudine*, cum supra omnes creaturas sit evectus, gloria, majestate, potentia, bonitate &c.

*Præcipuum nomen Dei est* יהוה

V. Præcipuum tamen nomen in Vet. Test. est יהוה. Significat istam vitam & necessariam immutabilemque existentiam Dei, ab היה quia de eo solo in æternum dici potest *fuit*, cum nuda creatura nullam habeat necessariam existentiam; ideo hoc nomen nulli creaturæ unquam attributum est, ut contrarium pessime doceant *Sociniani*, sed soli Deo summo: uti patet Ps. 83: 19. *tibi soli est nomen* יהוה. Es. 42: 8. *Ego sum* יהוה *illud est nomen meum* &c. Nehem. 9: 6. *Tu solus es* יהוה: Et Hos. 12: 5. יהוה *est memoriale meum*. Exod. 6: 1, 2, 3. *Ego sum* יהוה &c. *nomine meo* יהוה *cognitus sum*. Si autem alicubi *Angeli* dicantur יהוה, ut Genes. 18. ibi per angelum non debet intelligi nuda creatura, sed verus Deus. (1. quia futura prædixit. (2. futura ipse facturus erat. Genes. 28: 17. (3. Sodomam poterat destruere, vel ei parcere, si vellet. (4. Abrahamus eum adoravit, ut sese coram eo *cinerem* fateretur. Nec causam suam tuebuntur *Sociniani*, quod quidam dicti sint יהשוע & יצדק &c. cum id tantum dicatur in compositione, nulla autem creatura absolute dicatur יהוה. Idem intelligendum est *de altari* quod vocatur יהוה נסי Exod. 17: 15. & de *nova urbe* dicta יהוה שמה Ezech. 48: 35. *Altare* enim illud & *nova civitas*, vera sunt symbola J. Chr. veri יהוה Christus enim est *altare*, de quo commedunt electi, Hebr. 9. is est in *S. civitate*; nempe in *Ecclesia*, tanquam in sua domo, immo tanquam in proprio corpore habitat, adeoque ibi est יהוה tanquam Rex & caput.

*Pronunciatio nominis* יהוה

VI. Vera *pronunciatio* hujus nominis, quomodo Moses & Prophetæ legerint, hactenus ignoratur. (1. cum veteres varie admodum scripserint Græce & Latine, ut Ἰωυα *Jova*, *Jao*, *Jevo*, *Jahve*, *Jahave*, *Jehova*, &c. (2. cum veteres *Judæi* pronuncia-

cia-

tio dicenda est) non tantum est *brevissima*, sed & nulli alii rei, præter Deum, convenit: Nam qui dicit *summe perfectum*, dicit omnia; cum summæ perfectioni nil addi, nihil detrahi possit.

*Deus est substantia:*

IX. Cum Deus sit ens summe perfectum, sequitur eum esse *substantiam*; quia summa perfectio *accidens* esse non potest; cum omne accidens sit dependens, Deus autem independens. Et cum sit *substantia*. (non quod *substet accidentibus*, non enim est de essentia substantiæ, ut substet accidentibus, sed tantum ut *per se subsistat*, quod Deo perfectissime convenit) sequitur eum esse *substantiam spiritualem*, sive esse *spiritum*. Clamat verbum Dei. Joh. 4:24. *Corpus* esse non potest. (1. quia corpus est compositum, & partem habet extra partem, adeoque in partes resolvi potest, quæ est maxima imperfectio. (2. quia in corpore nihil est præter extensionem, figuram, motum, quietem, ubi nulla cogitatio; adeoque nulla actuositas, nulla felicitas, ac beatitudo. Deus autem cum sit summe perfectus, summeque beatus, sine actu & cogitatione concipi non potest, ergo non corpus sed necessario Spiritus dicendus est.

*Est Spiritus.*

*Spiritualitas quid?*

X. *Spiritualitas* autem, cum sit maxime quid *positivum*, male exprimitur per *negationem*; veluti, est substantia *immaterialis, invisibilis, impalpabilis, incorruptibilis, immortalis* &c. cum hæc omnia etiam dici possint de *nihilo*, immo & quædam de *corpore*. Non enim sufficit ad definiendum hominem, ut dicam *non est canis*, sed ejus essentia exprimenda est, non quid *non sit*, sed *quid sit?* Est igitur *spiritualitas* omnis quædam perfectio. Adeoque *Dei spiritualitas* est *summa ac perfectissima ejus cogitatio*, intellectus & voluntas; (1. quia Deus est summe *actuosus*, immo *actus purissimus*. (2. quia est summe perfectus & beatus, quæ omnia non consistunt nisi in perfectissima cogitatione. Quicquid igitur menti nostræ sese offert tanquam corporei quid, & quod ponit aliquam compositionem à Deo illico removendum est. Cum autem in Deo, præter summam & perfectissimam cogitationem, nihil concipi possit, quod non sit *corporeum*, & quod non ponat aliquam compositionem, sequitur in sola ista *summa* ac *perfecta cogitatione* consistere ejus *spiritualitatem*. Inepte igitur nonnulli olim, & nostro sæculo *Spinoza* docuerunt: *mundum esse ipsum Deum*. Inepte *Audaus* & ejus proles ἀνθροπωμορφῖ) & *humaniformiani*, Deo formam humanam affingere ausi sunt. Nam etsi Deo attribuatur *corpus* & *membra*, tamen id tantum ἀνθροποπαθῶς dicitur, sed θεοπρεπῶς intelligendum est. Errat & *Vorstius*, qui Deum

*Est quid Positivi.*

*Mundus non est Deus.*

reddit compositum ex materia & forma, adeoque non aliter spiritualem docet, nisi quod non habeat *crassam materiam*, ut & *spiritus animales* ob subtilitatem materiæ dicuntur spiritus. Ex *crassis & corporeis conceptibus* orta est omnis *idolomania* Ethnicorum & Pontificiorum, contra Deut. 4: 15. & Es. 40: 18. 25. A quo errore nobis facile cavemus, si assuescamus serioribus meditationibus, si quicquid habet rationem corporis à *spiritibus* removeamus, eisque nihil affingamus, quod *spiritualitati* repugnat. Tandem si Deum concipiamus tanquam ens summe perfectum, &, ut optime Theologi docent, tanquam *actum purissimum*: Actus autem purissimus nullum corpus, nullamque compositionem admittit, nihil præter perfectissimam cogitationem.

*Idolomania unde?*

XI. Intellecta *spiritualitate* Dei, facile intelligitur quid sit ejus *vita*. Cum omnis perfectio & beatitudo consistat in vita, sequitur Deum, cum sit ens summe perfectum & beatum, etiam habere *vitam*. Sed & S. Scriptura Deo vitam attribuit, immo καθ' ἐξοχὴν *Deus vivens* dicitur. Genes. 16: 14. *Fons vitæ*, & *immortalis*. Deut. 32: 40. Es. 37: 17. Actor. 14: 14, 15. *Vita* igitur, si accurate loqui velimus, nulla est nisi *intellectualis*. Nam vita *vegetativa* & *sensitiva*, quæ solet attribui plantis & brutis animantibus, nulla est, nisi dicamus illis etiam inesse *cogitationem*, aut *motum* esse vitam, quo sensu & stellis & horologiis possit adscribi vita, immo & vento & nubibus & fluviis & navibus &c. Apparet igitur *vitam*, proprie loquendo, non posse attribui, nisi rebus intelligentibus, quales sunt *Deus*, *angeli* & *anima humana*. Igitur *vita* non differt ab ipsa *spiritualitate*, estque nihil aliud quam ipsa *cogitatio*. Est igitur *vita* Dei ipsa *essentia Dei actuosa*, quatenus intelligit & vult, uno verbo: *vita Dei est perfectissimus & immutabilis cogitandi actus.*

*Dei vita quid?*

*Definitio vitæ.*

XII. Quanquam vita angelorum & hominum etiam consistat in *cogitatione*, multum tamen differt à vita Dei. Deus vitam à se habet, nos à Deo tanquam *vitæ fonte*. (2. Vita Dei est ipsissima ejus essentia, nostra autem tanquam actus secundus concipitur. (3. Vita Dei est æterna & permanens, nostra fluxa. (4. Dei vita simul est, habet enim unicum actum cogitandi immutabilem; ut non male à Boëtio dicatur: *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*, quæ est vita absolute, & verissima *immortalitas*. Nostra autem vita est successiva, mutabilis, imperfecta, & finita, quia nostras cogitationes omnes non habemus semel & simul, unico actu cogitandi, præsentes.

*Vita Angelorum differt a vita Dei.*

XIII.

XIII. Cum Deus sit ens summe perfectum, sequitur eum etiam esse *Infinitum*. Quæ *infinitas* tamen non est concipienda per modum *extensionis*, aut *repletionis*, quo sensu à quibusdam *spacia imaginaria* dicuntur *infinita:* & prout ab aliis *mundus* concipitur *indefinitus*, quia extensionis ejus nullos possunt concipere limites: hoc enim sensu nihil concipi potest *finitum*, præter solum corpus, quod est extensum, adeoque limites & fines habet; ut, quicquid concipiamus sub aliqua *extensione* & *diffusione* ad certos aliquos fines, & tanquam *in infinitum extensum*, nobis sese necessario repræsentet, sub conceptu plane corporeo: adeo etiam ut ipsa *spacia imaginaria*, si dentur, sint *mundus aliquis infinitus & æternus.* Hoc igitur sensu, præter corpus, nulla *essentia* rerum potest dici *finita* vel *infinita.* Imprimis de *spiritu* intelligi non potest; cum *spiritualitas* consistat in *cogitatione*, cogitatio autem non possit dici ad hos vel illos fines sese extendere, aut se extendere in infinitum. Nihilominus cum, in essentia rerum dentur quædam attributa, quæ ad quantitatis terminos, vel ad objecta finita referuntur, vel non referuntur, essentiæ non male dicuntur *finita* vel *infinita.* Quare optime essentia Dei dicitur *infinita*, quia nulla dantur in eo attributa, quæ ad certos quantitatis terminos referantur, aut quæ objectis finitis limitari aut circumscribi possint.

*Dei infinitas quid?*

*An essentia ulla dici possit infinita?*

XIV. Aptissime igitur Deus dicitur *infinitus*, ratione *perfectionum*, quia ejus perfectionibus nulli possunt poni limites. Estque Deus infinitus *positive* & *absolute*, non tantum *negative* & *comparative*, vel respectu nostri, quoniam ejus limites non possumus comprehendere, ut pessime docuit *Vorstius*. Hoc sensu potius *indefinitus* quam *infinitus* diceretur, quemadmodum mundus quibusdam *indefinitus* dicitur, quia ejus limites comprehendere non possunt; aut quemadmodum numerus stellarum, aut arenæ maris, nostro respectu, est *infinitus*, quia à nobis ignoratur.

*Deus dicitur infinitus, ratione perfectionum.*

XV. Fluit autem hæc *infinitas* Dei ex summa ejus *perfectione*, cui nulli limites poni possunt. Quemadmodum *infinitas*, ita & *perfectiones* in Deo omnes sunt absolute tales, nullamque admittunt mixturam imperfectionis, ut in creaturis. Perfectiones, quæ aliquam imperfectionem ponunt in creaturis, ut *generare*, in Deo dicuntur *virtualiter* & *eminenter*; reliquæ, ut *scientia*, *voluntas*, *potentia*, *bonitas*, *justitia* &c. *formaliter.* Perfectum esse Deum ex S. Script. quoque patet. Mat. 5. versu ult. *Estote perfecti, ut pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.*

*Infinitas Dei fluit ex summis ejus perfectionibus.*

*Ideo attributa in Deo multa.*

XVI. Quo plura *attributa* aut perfectiones rei alicui attribuuntur, quo ejus essentia perfectior excellentiorque est. Cum autem Deo omnia attributa omnesque perfectiones attribuantur, quæ sub unica ac simplicissima perfectione omnes continentur, sequitur Deum esse ens *summe perfectum*. In creaturis quidem dantur attributa quædam *essentialia*, ut ex. gr. *extensio* in corpore; *cogitatio* in spiritibus, quæ constituunt ipsam eorum essentiam; quædam *accidentalia*, ut *figura*, *motus*, *quies* in corpore: vel in mente nostra *modi cogitandi*, puta *intelligere*, *velle*, hoc vel illo modo *intelligere* aut *velle*, *negare*, *affirmare*, *dubitare*, *amare*, *odisse* &c. At in Deo nulla concipi possunt attributa *accidentalia*, sed omnia sunt *essentialia* tantum, id est sunt ipsissima ejus essentia, adeoque de essentia ejus dicuntur, non tantum *virtualiter* & *eminenter*, sed etiam *formaliter* & natura sua. Nam quemadmodum *extensio* est attributum essentiale corporis, & quidem ipsum corpus, *cogitatio* attributum essentiale mentis, immo ipsa mens; ita sane attributa Dei, ejus scilicet *scientia*, *voluntas*, *potentia*, *justitia*, *clementia*, *bonitas*, *misericordia*, est ipse Deus *intelligens*, *volens*, *potens*, *justus*, *clemens*, *bonus & misericors*.

*In Deo nulla sunt attributa accidentalia, sed omnia essentialia*

XVII. Vehementer igitur errant *Sociniani* & *Remonstrantes*, qui docent *attributa* Deo inesse tanquam *accidentia* quædam, sive sint Dei *facultates*, quibus agit, sive *actiones*, sive *qualitates*; quare negant Dei *simplicitatem* & *immutabilitatem omnimodam*, de quibus alibi, ubi de *simplicitate* & *immutabilitate* agendum erit. Non igitur distinguuntur attributa ab essentia Dei, nec à se invicem *realiter*, vel distinctione *reali*, quia hæc distinctio locum habet tantum inter *res* & *res*, & necessario ponit compositionem. Sic enim posset concipi essentia Dei, non conceptis ejus attributis; immo conceptu meo possem attributa ab essentia separare, quod fieri neutiquam potest. Non possum enim formare conceptum de Deo sine *justitia*, sine *misericordia* &c. quin idea quam habeo de Deo plane pereat; quemadmodum possum concipere hominem, sine ejus attributis accidentalibus, non destructo homine. Nec distinctione *modali* attributa ab essentia distinguuntur; quia *modalis* est inter *rem* & ejus *modum*, ut inter manum complicatam vel extensam. Sed talis distinctio ponit *compositionem* ex re & modo rei, ut & *variationem*, omnis enim modus est mutabilis. At Deus est simplicissimus sine compositione, immutabilis sine variatione, cum omnis compositio

*Attributa Dei quomodo distinguantur inter se, & ab ipsa Dei Essentia.*

positio & mutatio ponat imperfectionem. Ergo in eo nulla distinctio *modalis.*

XVIII. Distinguuntur igitur *attributa* Dei ab *essentia* ejus, & *à se invicem* distinctione *rationis*, quatenus sola cogitatione attributum ab essentia, & unum attributum ab alio abstrahimus. Ex. gr. possumus considerare *justitiam* Dei, non considerata tota ejus *essentia*, aut *justitiam*, non considerata ejus *misericordia:* non quod mens nostra neget hoc vel illud attributum dari in Deo, (sic enim ipsam essentiam Dei negaremus) sed tantum quod ad illud attributum, dum hoc consideramus, non attendamus, propter imperfectiones mentis nostræ, quæ non potest omnes perfectiones Dei simul contemplari: prout non possumus comprehendere totam longitudinem telæ uno intuitu; sed per diversas ulnas, tanquam diversas partes, ad integram longitudinem pervenimus: vel quemadmodum non possumus totam terram simul contemplari, sed nunc ad dextram, nunc ad sinistram respiciendum est. Hæc distinctio non est *rationis ratiocinantis*, ut Philosophi barbare loquuntur, qua idem à seipso distinguitur pro arbitrio hominis, ut *Petrus a Petro, gladius ab ense*, quæ distinctio nulla est: sed est distinctio *rationis ratiocinatæ*, quæ habet fundamentum in re respectu variorum actuum Dei, & diversorum objectorum, in quibus Deus virtutes suas exerit. Alium enim *affectum* producit *amor* Dei quam *odium*, aliud etiam *objectum* habet *odium*, nempe *Esavum*; aliud ejus *amor*, nempe *Jacobum.* Rom. 9. Hinc fit ut attributa Dei definitione differant, non ex parte rei & sua natura, sed respectu intellectus nostri; quatenus intellectus alium conceptum format ex. gr. de *bonitate*, quam de *justitia*; alium de *amore* quam de *odio*, de *voluntate* quam de *potentia* &c.

*Quo sensu Attributa Dei de se prædicentur?*

XIX. Prædicantur igitur attributa Dei de se invicem in sensu *identico*, ut loquuntur Scholastici, non *formali*, quia in re sunt unum & idem cum essentia & inter se, quamvis in nostro conceptu aliam habeant formam: alium enim conceptum formamus de *voluntate* Dei, quam de ejus *justitia* &c. de aliquo *attributo*, quam de tota *essentia* ejus. Hinc fit ut attributa Dei prædicentur de essentia ejus, & de se invicem *abstracte* & *concrete*, in sensu *identico* non *formali.* Sic vere dicere possum, *Deus est justus, bonus*, &c. *Deus est justitia, est bonitas*, &c. ut & *justitia* Dei est ejus *bonitas*, est *scientia*, est *voluntas*, vel *misericordia est justitia* &c. Sed falsum esset, si dice-

 rem

rem: conceptus, quem habeo de *justitia*, est idem conceptus, quem habeo de *Deitate*, de *misericordia*, de *æternitate* &c. Nam solus conceptus ex. gr. quem habeo de *justitia* aut *misericordia* mihi non repræsentat totam *Deitatem* omnesque ejus perfectiones. Et quamvis essentia Dei, quæ est una ac simplicissima perfectio, à nobis concipiatur quasi ei inessent diversa attributa perfectionesque; nullus tamen est error in mente nostra, sed tantum imperfectio; quod uno intuitu & adæquato conceptu ejus perfectiones omnes non possimus comprehendere. Hinc fit, ex infirmitate mentis nostræ, ut primo concipiamus essentiam Dei, tanquam omnium attributorum fontem atque radicem, deinde attributa ejus, tanquam perfectiones ab essentia ortas, & quæ essentiæ insint *in esse secundo*, uti loquuntur Scholastici; immo ut diversa concipiamus attributa: cum revera, sed tota ipsius essentia non differant, nec à se invicem, sed tota ipsius essentia sit unica & simplicissima perfectio.

*Objectio.*

*Attributa Dei quæ?*

XX. Ex vario isto concipiendi modo, varie solent attributa Dei distingui. I. In *propria*, ut *bonitas*, *justitia*, *sapientia*, *&c.* II. *Metaphorica*, ut quando Deus dicitur *Rupes*, *Leo*, *Ignis* &c. III. *Positiva*, ut *bonitas*, *sapientia*, *justitia*. IV. *Negativa*, ut *immensitas*, *infinitas*, &c. V. *Absoluta* sunt *intellectus* & *voluntas*. VI. *Relativa*, Ex. gr. quando dicitur *Dominus*, *Creator*, *Gubernator* &c. quæ postrema Deo insunt in *concreto* tantum, non autem in *abstracto*. Non enim possum dicere Deus est *creatio*, sed *creator*.

*Sunt vel I. Communicabilia, vel II. Incommunicabilia.*

XXI. Celeberrima distinctio attributorum Dei est, qua distinguuntur in *communicabilia* & *incommunicabilia*. Proprie tamen loquendo, nulla sunt *communicabilia*, cum sint *proprietates*; implicat enim contradictionem, si dicamus proprietates posse communicari: multo minus proprietates Dei, quæ includunt summam perfectionem, communicari possunt creaturæ imperfectæ. Et cum omnes proprietates Dei sint essentiales, immo ipsa essentia, sequitur nullam posse communicari, quin tota essentia communicetur, quod esset absurdum. Nihilominus tamen analogice & æquivoce, quædam dici possunt *communicabilia*, quia eorum quædam vestigia reperiuntur in creaturis, qualia sunt *scientia*, *voluntas*, *bonitas*, *justitia*. Quæ *incommunicabilia* dicuntur, sunt ea, quæ ne analogice quidem alteri communicari possunt, ut *Æternitas*, *Immensitas*, *Infinitas*, *Omnipræsentia*, *Simplicitas* &c.

*Attributa absoluta.*

XXII. Attributa Dei *absoluta* sunt duo tantum, *intellectus* & *voluntas*,

*luntas*, quæ & *interna* dici debent, cum ipsam essentiam spectent, nulla habita ratione rerum externarum. Reliqua omnia sunt *externa* tantum, & Deo attribuuntur respectu creaturarum, suntque magis *denominationes externæ*, *relationes*, aut *negationes*, quam *interna & absoluta* Dei attributa.

*Utrum intellectus in Deo præcedat voluntatem?*

XXIII. De attributis Dei *absolutis* & *internis* quæritur, utrum *Intellectus* præcedat *voluntatem*, an vero *voluntas* sit ante *Intellectum?* In homine *scientia* præcedit *voluntatem*, nam *ignoti nulla cupido*. Quare voluntas nostra aliquo modo dependet ab intellectu, & intellectus à rebus, quæ sese cognoscendas intellectui offerunt, quod est signum nostræ imperfectionis, ac dependentiæ. Cum autem Deus sit ens summe perfectum, nulla ratione dependens, ejus voluntas potius dicenda est præcedere intellectum; non enim prius cognoscit, ut postea velit; sic enim res existerent ante ejus intellectum & voluntatem, adeoque à Deo essent independentes. Cum autem è contrario omnes res, in quocunque sint statu, nexu, natura & ordine, tales sint, quia Deus eas tales voluit, adeoque à voluntate ejus dependeant, sequitur Deum eas prius voluisse, & volendo cognovisse. Deinde cum idea Dei sit ab ejus voluntate (sua enim voluntate vult se & res omnes) & cum istius volitionis sibi necessario sit conscius, certum est, eum res cognoscere volendo: adeoque hoc sensu voluntatem Dei præcedere ejus scientiam.

XXIV. Fateor conceptu esse arduum, *quomodo Deus voluerit res ab æterno?* aut quomodo *voluntas* Dei præcedat ejus *intellectum*; siquidem *ignoti nulla cupido*, adeoque concipi non possit, quomodo Deus res voluerit antequam eas cognoverit? Sed cogitandum est, (1. Deum esse Ens *independens*, creaturas *dependentes*, ut nullam naturam habere possint, quam Deus prius cognoverit, & cognitam voluerit; sed quamlibet rem habere suam naturam, quam Deus eam habere voluit. (2. Deum non operari diversis modis cogitandi, (nisi secundum nostrum concipiendi modum) sed unico modo, & quidem actu simplicissimo, immo per essentiam ipsam. (3. Recurrendum esse ad id quod est causa omnium, sed illud est sola voluntas Dei: quælibet enim res talem habet naturam, ordinem & statum, qualem Deus ipsi largitus est ex libera sua voluntate. (4. ultimo cogitandum est: quod, quemadmodum essentia Dei est infinita, ita & ejus operandi modum esse infinitum, adeoque nos non magis posse capere ipsius *operandi modum*, quam ejus *essentiam*.

XXV. Ni-

XXV. Nihilominus cum Deus intuendo suam potentiam infinitasque suas perfectiones, easque cognoscendo simul intueatur & cognoscat res omnes futuras & possibiles, easque cognoscendo velit, ac volendo efficiat (quandoquidem ejus *scientia* & *potentia* ab ipsa *voluntate*, sua natura, non differt, sed tantum secundum nostrum concipiendi modum) videtur hac ratione *scientia* Dei praecedere ejus *voluntatem*. Porro cum in rebus intellectu & voluntate praeditis soleamus intellectum concipere ante voluntatem, non male agetur prius de *scientia* Dei, postea de ejus *voluntate*.

## CAPUT III.

### *De Scientia & Voluntate Dei.*

*Deus habet scientiam & voluntatem.*

I. EX summa Dei perfectione, spiritualitate & vita, necessario sequitur, eum etiam habere *Intellectum*, sive *Scientiam* & *Voluntatem*. Et cum sit summe beatus, eum Scientiam & Voluntatem quoque habere constat; cum sine scientia aut voluntate nulla beatitudo concipi possit, ut non tantum impie; sed & absurde statuat *Spinoza*, *ad Dei naturam nec intellectum nec voluntatem pertinere*. Eadem absurditate Plinius aliique ipsum *mundum* volunt esse Deum: Nam cum haec machina intellectu & voluntate careat, caret & gaudio, ubi autem nullum gaudium, quae beatitudo, quae perfectio? Scientiam Dei depraedicant haec loca. Ps. 139: 2. *Tu cognoscis sedere meum & surgere meum, & intelligis cogitationem meam è longinquo.* Psal. 7. *Scrutatur corda & renes.* Ideo אל דעות *Deus scientiarum* dicitur 1. Sam. 2: 3. Hebr. 4: 13. *Omnia sunt nuda & patentia oculis ejus. Et corda nostra novit.* 1. Joh. 3: 20. Apoc. 2: 23.

*Scientia & voluntas quomodo Deo insint?*

II. Deo autem *Scientia* & *Voluntas* non insunt per modum *habitus* aut *facultatis*: cum ne in ipso quidem homine *scientia* distinguatur realiter à *voluntate*, nec ab ipsa *mente*; sed tantum tanquam diversus modus cogitandi concipi debeat. Deo igitur inest per modum actus simplicissimi: quia in Deo unica tantum est ac simplicissima idea, qua suas perfectiones omnesque res *praesentes* & *futuras*, *necessarias*, *contingentes* & *possibiles* unico intuitu semel & simul per essentiam suam perfecte contemplatur & cognoscit. Hinc patet scientiam Dei esse *Noeticam* tantum, non autem *Dianoeticam* vel *discursivam*; adeoque Deum omnia cognoscere per essentiam suam, cum ejus scientia nihil aliud

*Scientia Dei est Noetica.*

sit

ſit quam ſimpliciſſima ejus eſſentia, cum aliqua connotatione ad res cognoſcibiles. Non igitur novit ut homo, qui per multam & operoſam ratiocinationem ex notiori deducit id quod minus notum eſt: ſed omnia unico intuitu & actu cognoſcit, quæ unquam fuerunt, quæ ſunt, & quæ in æternum futura ſunt.

III. *Cognoſcit* igitur Deus, *quicquid cognoſci poteſt.* Et primo quidem cognoſcit ſeipſum; nullæ enim creaturæ ſcientiam Dei terminare poſſunt. Cognoſcit igitur ſuam *eſſentiam*, *decreta* ſua, omneſque *actiones*, quas ſecundum decretum ſuum operatur. *Nota enim ei ſunt omnia opera ſua ab omni ævo.* Act. 15: 18. Cognoſcit *Angelos*, *mentem* humanam, omneſque hominum *cogitationes.* Nam *ſcrutatur corda & renes.* Pſal. 7. *Novit animum filiorum hominum.* 1 Reg. 8: 39. *Lacrymas & vagationes noſtras.* Pſ. 56: 9. Res *minimas*, *pulviſculos*, *tricas* & *pilos capitis*, *paſſerculos*, *herbas* & *lilia agri.* Matth. 6: 26. & 10: 29. *Univerſalia* & *entia rationis*, res *particulares*, *bonas* & *malas.* *Cognoſcit malitiam hominis in terra.* Gen. 6: 5. & Jerem. 16: 17. *Iniquitas noſtra ab ejus facie non eſt abſcondita.* Et quamvis *univerſalia*, res *fictas* & *entia rationis* non cognoſcat eodem actu cognoſcendi ac homines, ea tamen cognoſcit, cognoſcendo cogitationes hominum, & quicquid ſub eorum cogitationes cadit. Ut ut etiam *peccata* non ſint res, ea tamen cognovit, cum ſint aberrationes ab ejus voluntate, quam voluntatem certiſſime novit, adeoque peccata, quæ ei ſunt oppoſita. *Cognovit malitiam hominis.* Gen. 6: 5. *Nec iniquitas eorum abſcondita eſt a facie mea.* Jer. 16: 17. Hinc & *poſſibilia* ac *futura* novit cognoſcendo potentiam ſuam; adeoque ea cognoſcit, quæ neque ſunt, neque fuerunt, neque unquam futura ſunt, ſed quæ, poſitis certis quibuſdam conditionibus, exiſtere potuiſſent. Ita novit *Tyrios*, *Sidonios & Sodomitas ſeſe convertiſſe*, *ſi editæ fuiſſent virtutes*, *quæ in Chorazim & Betſaida factæ ſunt.* Matth. 11: 22, 23. Kehelitas Davidem tradidiſſe, ſi eo aſcendiſſet. 1 Sam. 23: 12. Sed quamvis Dei ſcientia ſit infinita, tamen dici non poteſt cognoſcere res actu infinitas numero, cum res numero infinitæ actu exiſtere non poſſint, & cum opera Dei ſint determinata. Sed de *infinito* nobis, qui *finiti* ſumus, non multum eſt diſputandum; cum captum noſtrum ſuperet.

*Dei Cognitio.*

*Novit peccata.*

IV. Hinc etiam novit futura *contingentia:* Nam etſi quædam dicuntur *contingentia*, quæ naturalem & neceſſariam nullam habent cauſam, atque connexionem cum ſua cauſa, adeoque potuiſſent non exiſtere; ut ſint *contingentia* tantum reſpectu agentis cauſæ ſe-

*Novit futura contingentia.*

cundæ à qua producuntur, cum iſta cauſa potuiſſet non agere; nihilominus tamen ratione decreti Dei, nihil eſt *contingens*, ſed omnia ſunt *neceſſaria:* quia Deus cauſam & eventum decrevit, ut ſcil. cauſa ſecunda exiſteret, ut iſta cauſa operatur, & ut hoc modo operaretur. Cum autem omnia iſta, quæ nobis *contingentia* dicuntur, ab ipſo Deo decreta ſint, ſequitur Deum ea omnia quoque noviſſe; ut impie *Socinus* & *Vorſtius* negent, Deum futura contingentia certo præſcire. Non enim ſequitur, uti contendunt, I. *ſi Deus omnia novit atque decrevit, tunc homo, angelus omneſque cauſæ ſecundæ coacte agunt, & liberum arbitrium tollitur, adeoque Deus eſt auctor peccati.* Nam etſi neceſſario, ex neceſſitate decreti, homo agat, tamen non coacte, ſed liberrima voluntate agit, quia Deus decrevit, non tantum ut homo ageret, ſed etiam ut libere ageret. Nullam enim coactionem in noſtra voluntate unquam experimur. II. Quamvis igitur *futura contingentia non ſint ſcibilia hominibus*, ſunt tamen *ſcibilia* Deo, quia ea decrevit, & ratione Dei non ſunt *contingentia.*

*Argumenta adverſar.*

V. Quamquam in Deo unica tantum eſt *ſcientia* ut & *voluntas*, nihilominus ſecundum noſtrum concipiendi modum *ſcientia* Dei varie dividi ſolet. Alia dici ſolet *Theoretica*, qua ſcilicet ſe novit, & in iſta cognitione acquieſcit. Alia *Practica*, qua novit res potentiæ ſuæ ſubjectas; non tantum ut res in ſua idea contemplatur, ſed ut eas ſuo tempore producit, bona faciendo & promovendo, mala autem permittendo & ordinando.

*Diſtinctio ſcientiæ Dei.*

VI. Dividitur quoque in *Scientiam ſimplicis intelligentiæ*, & *Scientiam viſionis.* Scientia *ſimplicis intelligentiæ* dicitur ea, qua Deus ſeipſum cognoſcit, & res omnes quæ potentiæ ſuæ ſubſunt. Hæc etiam dicitur *indeterminata*, *neceſſaria*, *coëſſentialis* & *naturalis.* Deus ſine hac ſcientia concipi non poteſt, cum ei naturalis ſit. Scientia *viſionis*, alias etiam *intuitiva* dicitur, ea eſt, qua res omnes futuras, ſive præteritas intuetur. Hæc etiam dicitur *determinata*, quia Deus ab æterno determinavit, quæ fieri voluit; & *libera*, quia dependet à libera Dei voluntate, ut res hoc modo exiſteret, & ut eas hoc modo ſciret, cum eas potuiſſet alio modo ordinare, adeoque ſcire.

*Scientia ſimplicis intelligentiæ.*

*Viſionis.*

VII. Non ſatis caute loquuntur, qui dicunt per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, Deum *ante ſuum decretum* concipere res omnes, *in natura ſua*, & in *ſuis ideis*, ſive ſint poſſibiles, ſive impoſſibiles, ſive

*Error circa ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.*

ſive veræ, ſive falſæ, ſive contingentes, ſive neceſſariæ: ſic enim multi darentur rerum ordines, qui à voluntate & decreto Dei eſſent independentes: & Deus per decretum ſuum non tam ordinaret res ipſas, ut ſint futuræ vel poſſibiles, quam quod tantum ordines rerum per omnipotentiam ſuam è ſtatu poſſibilitatis traduceret in ſtatum futuritionis, id eſt, efficeret ut ea, quæ jam ſuam habent naturam, ante voluntatem alterius, adeoque ab alia independenter, revera exiſterent. Ergo res aliquando in ſuo eſſe ac natura eſſent independentes à decreto & voluntate Dei; quod eſſet contra ſummam Dei perfectionem; certum enim eſt, omnem futuram rerum exiſtentiam, ordinem, poſſibilitatem, & naturam, rerum veritates, in quocunque ſtatu res quælibet ſit, dependere à Dei decreto & voluntate, nullum autem habere res ordinem, ſtatum, aut nexum, *ex ſua natura ante decretum Dei*: ut etiam *nihil ſit in ſtatu poſſibilitatis, quod non ſit futurum*; cum quicquid non eſt futurum, ideo non ſit futurum, quia Deus decrevit; ut non eſſet futurum, ergò & impoſſibile ſit. Opponi quidem ſolet; *decretum Dei verſari circa res poſſibiles, quæ tamen nunquam ſunt futuræ, adeoque iſtas res à Deo ſpectari & cognoſci poſſe, in ſuo ſtatu non futuritionis, ante decretum Dei, tanquam poſſibiles tantum, atque ſic in hoc caſu iſtam ſcientiam Dei, quæ ejus decretum præcedat, locum habere.* Sed facilis eſt reſponſio. Nam ejuſmodi *poſſibilia*, quæ nunquam ſunt futura, revera *nihil* ſunt, nec talia poſſibilia dantur, niſi noſtro tantum concipiendi modo. Ut, ſi accurate loqui velimus, dicendum ſit, omnem ſcientiam Dei, de rebus extra ſe, eſſe *ſcientiam viſionis.*

*Objectio.*

*Cadit ſcientia media.*

VIII. Hinc neceſſario cadit *Scientia media* Jeſuitarum, Socinianorum, Remonſtrantium aliorumque, qui Scientiam aliquam Deo attribuunt, quam vocant *mediam*, inter Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *Scientiam viſionis*, quia de utraque participare creditur. De *Scientia ſimplicis intelligentiæ* participare quidem dicitur, quatenus creditur præcedere omne decretum Dei de rebus futuris; De *Scientia viſionis* autem, quatenus verſatur circa res futuras. *Scientia media* igitur erit ea, qua *Deus ex hypotheſi res futuras cognoſcit, etſi abſolute non ſint, aut nondum ſint.* Ex. gr. An Deus non præſciverit Adamum ſua libertate abuſurum, ſi eum talem conderet, donis ejuſmodi ornaret, tentari permitteret, etiam antequam eum creare, & donis ejuſmodi ornare decreverit? Et ſic de reliquis, quæ ex hominum & angelorum libero arbitrio dependent. Volunt igi-

*Quid ſit?*

tur quod per hanc Scientiam Deus, ante decretum suum; ex hypothesi noverit eventus contingenter futuros, si creatura rationalis cum his vel illis conditionibus & circumstantiis ponatur, quamvis tamen conditiones illæ nunquam futuræ sint.

*Scientia Media nulla datur.*

IX. At (1. hæc non esset scientia, sed *opinio* & mera *conjectura*, quæ Deo attribui non potest sine impietate. (2. Nihil est, sive possibile, sive futurum, sive ex hypothesi, sive absolute, quod non sit tale ex decreto Dei, adeoque quod Deus non noverit scientia *visionis*, non autem ficta aliqua scientia *media*. (3. Quia homo esset independens à Deo in suis actionibus, etiam in conversione, illisque quæ ad salutem pertinent, quod repugnat summæ perfectioni Dei. (4. Si darentur ordines, status, veritates, & naturæ rerum ante decretum Dei, quæ ab æterno Dei decreto & libera ejus voluntate non essent decretæ, & in talem statum positæ, sequeretur, eas nulla potestate, nec divina, nec humana, determinari unquam posse, cum essent æternæ: Unde necessario sequeretur, (5. dari aliquam absolutam ab æterno necessitatem, per quam res ita sint determinatæ, ut aliter se habere non possent, adeoque dari *fatum*, à quo & creaturæ & Deus ipse dependeret: unde *liberum arbitrium* everteretur, non minus quam per absolutum Dei decretum, quod Jesuitæ & Remonstrantes tantopere reformidant. Non sufficit, ut respondeant, *nos ignorare modum & causam unde rerum futuritio dependeat:* cum enim negent decretum Dei esse causam istius futuritionis, aliam deberent demonstrare causam futuritionis & eventus rerum, adeoque eam scire deberent. Nos sane novimus futuritionem omnium rerum dependere à voluntate Dei. Inepte quoque dicunt, *causam futuritionis esse liberam voluntatem hominis;* cum voluntas hominis dependeret (secundum eorum sententiam, qua statuunt, *Deum res futuras prævidisse ante decretum suum*) ab æterna aliqua necessitate, & nescio quo, uti jam ostendimus, *cæco Fato.*

*Argum. adversar.*

X. Exemplum quod adfertur de Adamo: *Deum scilicet prævidisse, etiam ante decretum suum, Adamum sua libertate abusurum, si ejusmodi donis ornaretur, & tentari permitteretur*, est ἀπροσδιόνυσον. Deus enim ante decretum suum de Adamo nihil prævidere poterat; sed decernendo creationem Adami cum ejusmodi donis, & permissionem tentationis atque lapsus, simul etiam noverat eum lapsurum. Ergo prævidit, per scientiam, non *mediam*, sed *visionis*. II. Quod opponi solet, de *Kehilitis* & *Davide* 1. Sam. 23: 12. De *gentibus igno-*

*tis*

*ti sermonis.* Ezech. 3: 6. De *civibus Sidonis & Tyri.* Matth. 11: 21. &c. *Ubi Spir. Sanct. loquitur sub aliqua conditione de quibusdam eventibus, qui tamen nunquam sunt futuri;* illa omnia referri possunt ad scientiam *visionis*, & ad decretum Dei; per quod res omnes, earumque ordo, nexus, status, contingentia, necessitas, sive absoluta sive conditionata ab æterno ponitur. Deinde istis locis indicatur tantum, quid ex Dei decreto & ordinatione consequi soleat: & non tam prædictionem rei futuræ notant, quam significant qualis sit status rerum istarum, & quæ sint molimina & consilia hominum. Tandem indicatur quid Deus circa istos homines facturus fuisset, si id cum eorum statu & tempore convenisset. Maxime autem in istis locis respiciendum est ad scopum Spiritus S. qui est, non ut doceret rem sub tali conditione esse futuram, sed potius ut odiosa comparatione peccata hominum, pertinaciam, & ingratum animum exprobraret.

*Dei Voluntas.*

XI. Secundum Dei attributum internum, proprium, absolutum & essentiale est ejus *voluntas.* Cum Deus sit ens summe perfectum, necesse est ut habeat voluntatem, cum voluntas sit summa perfectio. Idem probat ipsius *spiritualitas* & *vita*, quæ consistit in cogitatione, ad quam refertur *intellectus* & *voluntas.* Hinc in verbo Dei toties de voluntate Dei fit mentio. Mat. 6. *Fiat voluntas tua.* Rom. 9: 9. *voluntati ejus quis resistet;* Ephes. 1. *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vide Es. 46: 10. Ps. 115. 10.

*Voluntas Dei quomodo ab ejus essentia distinguatur?*

XII. *Voluntas* Dei, quemadmodum ejus *Scientia*, non distinguitur ab ejus *essentia;* nisi secundum nostrum concipiendi modum, in *sensu formali*, quia nos sub alia ratione formali concipimus ejus *voluntatem* quam *scientiam.* Non autem distinguitur in sensu *identico*, cum sit ipsa Dei *essentia.* Unde etiam sequitur: Deo voluntatem (quod jam de scientia dictum est) non inesse per modum *habitus superadditi*, sed tantum per modum *actus simplicissimi.* Quid? cum Deus sit *actus purissimus*, sequitur eum semper velle; nec posse unquam non velle, adeoque voluntatem in Deo esse actum vitalem, sine quo concipi non potest, nisi dicamus, eum concipi posse sine vita. Non sequitur, *si Deus libere vult, ergo actum volendi potest suspendere.* Vult enim libere, cum ipsum velle sit actus liberrimus, tamen non potest non velle, cum ei sit actus essentialis. Unde sequitur, nec ab ipsa essentia Dei realiter distingui voluntatem, sed esse ipsissimam Dei essentiam: cum ne in ipso quidem homine *scientia* & *voluntas*, quatenus sunt cogitatio, ab ejus *essentia* realiter

diſtinguantur, quandoquidem ſunt ipſa mentis eſſentialia attributa, quibus tota natura mentis conſtituitur, multo minus diſtincta dici poteſt voluntas Dei ab ejus eſſentia.

*Deus uno actu vult omnia.*

XIII. Quemadmodum Deus uno intuitu, unicoque cogitandi actu res omnes cognoſcit, ita & uno actu voluntatis: id eſt unica volitione ſeipſum reſque omnes, præſentes, præteritas, futuras, neceſſarias, contingentes, abſolutas & conditionatas, bonas & malas, ab æterno, liberrima & immutabili voluntate vult & voluit: ut nihil poſſit concipi, in quocunque ſit ſtatu, quod non ita dependeat à Dei voluntate. Uno igitur eodemque actu voluntatis vult condere & deſtruere, creare & perdere, amare & odiſſe, plectere & condonare: ut inter iſtas volitiones nullum debeat ſtatui diſcrimen, niſi reſpectu noſtri concipiendi modi, & ex parte diverſorum conceptuum, quos ſecundum varios effectus & objecta nos formamus. Ut etiam unicus iſte actus voluntatis Dei ſit ipſius conſilium, & decretum, creatio, & conſervatio, rerum ſtabilitas & mutatio, immo ipſa annihilatio, ſi qua daretur, quod ſuo loco, ubi de *creatione*, & *conſervatione*, clarius patebit. Hinc facile reſpondetur ad quæſtionem: utrum Deus non potuerit *aliter velle*, quam voluit? Optime reſpondent Scholaſtici: Deum non potuiſſe *aliter velle*, ſed potuiſſe *velle aliter*, id eſt non potuiſſe *alio actu* velle, cum alius actûs volendi in Deo concipi non poſſit, quamvis ſecundum ſuam libertatem potuiſſet velle *res alias:* ut ut tamen, ſi ad ipſius voluntatem præſentem attendamus, dici non poſſit, cum ſemel tamen voluerit, quod alia poſſit velle, quia contrariæ voluntates in Deum non cadunt.

*An Deus potuerit aliter velle?*

*Voluntas Dei eſt libera.*

XIV. Cum *libertas* ſit propria *voluntati*, ſequitur *voluntatem* Dei eſſe *liberrimam:* eo magis cum à nulla vi externa determinari, & ad hoc potius quam ad illud, hoc modo potius, quam alio modo, ad volendum cogi poſſit. *Licet enim Deo facere quod vult in rebus ſuis.* Matt. 20: 15. Eſt igitur voluntas Dei *indifferens*, reſpectu omnium rerum, quas extra ſe voluit. Et quamvis omnis *indifferentia* ſit magna imperfectio in creaturis, cum eis certus præſcriptus ſit ordo, extra quem nihil perfectum eſſe poteſt; nihilominus in Deo eſt maxima perfectio, cum nullum ordinem aliunde præſcriptum habeat. Notandum tamen eſt, reſpectu Dei ipſius, attributorumque eſſentialium, Deum *indifferentem* dici non debere. Ex. gr. non debet dici indifferens ut ſe amaret, vel non amaret, ut ſe conſervaret,

*Eſt indifferens.*

vel

vel non conſervaret, ut ſe abnegaret, vel non abnegaret, uno verbo, ut ſit ſumme perfectus, vel non perfectus. Implicat enim contradictionem, ut ſit non ſumme perfectus, & ut ens ſumme perfectum non ſemper ametur, & in ſuo ſtatu non maneat.

*Deus naturam rerum instituit ita ut ab ejus vol. omnia dependeant.*

XV. Sequitur igitur Deum inſtituiſſe naturam talem, qualis nunc eſt, liberrime, ſecundum actum voluntatis ſuæ; ut nihil ſit, vel poſſibile, vel impoſſibile, neceſſarium, vel contingens, vel abſolutum, vel conditionatum, quod Deus ita non voluerit: ut quælibet res in tali ſit ſtatu, in quo à libera voluntate Dei decreta & poſita eſt. (1. quia alias res quædam in ſua natura & in ſtatu ſuo poſſent eſſe independenter à Deo, quod ſummam ejus perfectionem everteret. (2. quia, ſi ſerio attendamus ad opera Dei, certum eſt, nos ante ejus voluntatem & decretum nihil poſſe concipere. Unde ſequitur, ante ejus voluntatem, nullam à nobis poſſe nec debere concipi veritatem, adeoque nullas dari æternas veritates extra Decretum Dei. Adeoque quamlibet rem talem habere veritatem, naturam, modum, nexum, ordinem, legem, bonitatem & dependentiam, quam Deus liberrima ſua voluntate ei dare voluit. Patet quoque nullam Dei voluntatis cauſam aſſignari poſſe, nec ullam objecti bonitatem eum movere poſſe, ut vel illud velit, unum alteri præferat. *Miſeretur enim cujus vult, & quem vult indurat.* Rom. 9: 18.

*Voluntas Dei eſt Æterna.*

XVI. Eſt igitur voluntas Dei *Æterna*, cum omnes res antecedat, earumque ſit cauſa, eo magis cum ab ipſa *eſſentia* Dei ſua natura non differat. *Deus* enim *nos elegit ante jacta mundi fundamenta.* Epheſ. 1: 4. Et *gratia Chr. nobis data eſt ante tempora ſæcularia.* 2. Tim. 1: 9. Deinde & *immutabilis* eſt. (1. quia omne *æternum* eſt *immutabile.* (2. quia in Deo non eſt niſi unicus actus volendi, cum autem actus iſte ſit ſimpliciſſimus & puriſſimus, adeoque ipſa eſſentia Dei, ſequitur iſtum actum volendi eſſe *æternum*, adeoque *immutabilem.* (3. Clamat S. Scriptura. Eſ. 46: 10. *Concilium meum ſtabit.* Pſ. 33: 11. *Conſilium Domini in ſæculum conſiſtit.* Malach. 3: 6. *Ego Jehova non mutor.* Jacob. 1: 17. *Apud Deum non eſt mutatio, nec umbra variationis.* Impie igitur docent *Sociniani*, *Vorſtius* aliique: decretum Dei circa creaturas non eſſe æternum; ſed Deum multa velle demum in tempore, quæ antea non voluit. Deinde ipſius voluntatem eſſe *mutabilem*; Deum nunc hæc, modò illa velle, ſecundum variam diſpoſitionem hominum. Unde Deum dependentem reddunt, de volun-

*Eſt Immutabilis.*

*Objectum vol. Dei.* luntate hominis. Sed de hisce plura, ubi de *Decretis* Dei. De *objecto* voluntatis Dei, non opus est ut multa dicamus; patet enim ex dictis, eum velle se, omnesque res extra se propter se. Nam *ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.* Rom. 11:36. Vide Prov. 16:4. vult *Non vult peccata.* autem *res*, ergo non vult *contradictoria*, nec *peccata*, quia proprie nihil sunt, ergo ea proprie ne velle quidem potest.

*Voluntas Dei à nobis varie concipitur.* XVII. Quamvis in Deo unica tantum sit voluntas, unica volitio, actusque volendi unicus, nihilominus, cum à nobis diverse consideretur voluntas Dei, secundum nostrum concipiendi modum, pro ratione diversorum objectorum, circa quæ versatur, vel in *operando*, vel *approbando*, *mandando*, *prohibendo*, *promittendo* & *comminando*, varia quoque à nobis dici solet. Hinc alia dicitur *voluntas Dei efficiens*, alia *approbans.* Phil. 2:13. *Deus operatur in nobis velle & perficere, secundum beneplacitum suum.* Alia *occulta*, alia *revelata.* Deut. 29:29. *Quæ occulta sunt, Deo nostro sunt, quæ revelata sunt, nobis & filiis nostris.* 1 Cor. 2:8, 10. *Occultam Dei sapientiam, quam præfiniverat Deus ante sæcula, nemo principum hujus sæculi cognovit.* Hactenùs erat voluntas Dei occulta. Mox de *Revelata*: *Nobis autem Deus revelavit per spiritum suum.*

*Voluntas beneplaciti & signi.* XVIII. Dividitur quoque in *voluntatem beneplaciti*, & *voluntatem signi.* Aliis potius in voluntatem *præcepti*; quæ divisio commodior videtur. Voluntas *signi* vel *præcepti* est ea, qua Deus hominibus significat quid ab eis fieri velit. *Beneplaciti* sive *decreti*, qua Deus decrevit, id quod in homine facere vult. Ex. gr. Deus vult, voluntate signi vel præcepti, ut parentes liberis suis procurent omnia quæ sunt necessaria ad longam vitam, quamvis forte decreverit voluntate *Beneplaciti* & *Decreti*, ut liberi subito moriantur. Ita Deus voluit voluntate *signi* & *præcepti*, ut *Abrahamus* se accingeret, ad immolandum filium suum *Isaacum*: quamvis voluntate *decreti* & *beneplaciti* eum in vita conservare voluerit. Si tamen accurate lo- *Non sunt diversæ voluntates.* qui velimus, voluntas *beneplaciti* & *signi* duæ diversæ voluntates non sunt, (in Deo enim unicam tantum esse voluntatem, jam demonstratum est) sed unica tantum, quæ vario modo se habet circa hominem, & homini sese varie manifestat. Una enim eademque voluntate Deus varie se manifestat *Abrahamo.* Primo enim ei mandat, ut *Isaacum immolaret*, quamvis eadem voluntate decreverit *Isaacum in vita conservare.* Deinde revelavit Abrahamo, quod primo momento ei non patefecerat, scil. se Isaacum conservaturum. Primo actu

istius

iſtius voluntatis erga Abrahamum declarat dominium ſuum in hominum vitam, & ſimul exigit obedientiam ab Abrahamo. Ad hunc actum voluntas Dei à nobis concipitur tanquam voluntas *ſigni* ſive *præcepti*. Secundo autem actu patefecit decretum ſuum. Et hunc actum dicimus voluntatem *decreti*, vel *beneplaciti*. Ergo mandata Dei non abſolute, ſed comparate cum finibus ſuis ſpectanda ſunt. Et ſemper nobis attendendum eſt ad voluntatem Dei revelatam, donec Deus occultam ſuam voluntatem quoque manifeſtaverit. Ita pie & prudenter egerunt fideles Ceſareæ, qui, quum audiviſſent vincula prædicta eſſe Paulo, valde quidem contriſtati fuerunt, quia voluntas *decreti* & *beneplaciti* ipſis nondum fuerat revelata, quare dixerunt: *fiat voluntas Dei*. Act. 21 : 14. Quamvis prædictum fuerit vincula parata fuiſſe, nihilominus meliora ſperant à miſericordia Dei, quæ tandem Deus patefaceret ad liberationem Pauli. Male igitur *Lutherani* accuſant Reformatos, quaſi in Deo ponerent voluntates contrarias.

*Signum voluntatis; non voluntas ſigni dicendum eſt.*

XIX. Si tamen recte loqui velimus, certum eſt, nullam voluntatem dici poſſe *voluntatem ſigni*; ſed potius inverſo ordine dicendum eſſe, *ſignum voluntatis approbantis*. Omnia enim mandata, promiſſiones & comminationes ſigna tantum ſunt voluntatis Dei, quid ſcilicet Deus à nobis fieri velit, non autem quid decreverit. Nec ſunt diverſæ voluntates, ſed omnis voluntas, proprie loquendo, eſt voluntas *beneplaciti*. Nam quando Deus mandat, approbat, promittit & comminatur, hoc ſemper fit ex ejus *beneplacito*. Et quamvis primo intuitu totum ejus conſilium non innoteſcat, fit tamen ſuo tempore, ubi Deo placuerit.

*Voluntas antecedens & conſequens, abſoluta & conditionata.*

XX. Diſtingui etiam ſolet voluntas Dei in voluntatem *antecedentem* & *conſequentem*, *abſolutam* & *conditionatam*. *Jeſuitæ*, *Remonſtrantes* aliique per voluntatem *antecedentem*, & *conditionatam* intelligunt eam, per quam ex. gr. Deus vult ſalutem ſub certa conditione, ita tamen ut non velit, ſi prævideat creaturam non velle. Per *conſequentem* vel *abſolutam* vult *ſalutem* hominis abſolute, ubi prævidit hominem crediturum; vel *damnationem*, ubi prævidit eum non crediturum. Per voluntatem *antecedentem* vult omnium hominum ſalutem; per *conſequentem*, quorundam tantum, ſcil. eorum qui credunt. Sed hæc non eſſet *voluntas*, ſed potius *velleitas*, adeoque ſummam in Deo imperfectionem ponit, quæ vix in hominem prudentem cadere poteſt: cum prudens nihil velit quod ignorat,

rat, & quod non certo poteſt efficere. Adde quod, quamvis *res volita* ſint *conditionata*, voluntas Dei tamen, circa eaſdem res, ſit abſoluta: cum Deus abſolute velit rerum conditiones, non minus quam res ipſas. Nam ſi Deus vult alicujus vitam, vult etiam ut habeat alimenta, medicamenta, & reliqua omnia, quæ ad vitam ſunt neceſſaria. Si vult ſalutem Petri ſub conditione fidei, abſolute & eadem voluntate abſoluta, qua ipſi vult dare ſalutem, vult etiam ei dare, atque revera dat fidem, reſipiſcentiam, & quicquid Deus ipſe in verbo ſuo ad ſalutem hominis poſtulat. Sed de hiſce plura ubi de *Decretis* Dei, de *Electione* & *Reprobatione*.

## CAPUT IV.

### *De Dei Potentia, Affectibus & Virtutibus.*

I. HActenus egimus de attributis Dei internis & abſolutis, ſcilicet de *Scientia* & *Voluntate*, ſequitur ut agamus de attributis *relativis*. Hæc dicuntur vel *Affectus*, ut *Amor*, *Odium*, *Ira*, *Deſiderium*, *Averſio*, *Gaudium*, *Triſtitia*, *Spes*, *Miſericordia*, *Pœnitentia* &c. vel *Virtutes*, ut *Juſtitia*, *Sanctitas*, *Veritas*, *Manſuetudo*, *Longanimitas*, *Severitas* &c. vel dicitur *Principium exequens*, qualis eſt *omnipotentia*. Vel refertur ad *locum*, & dicitur omnipræſentia; vel ad *tempus*, & dicitur *Æternitas*. Parum refert quo ordine procedamus, modo rem ipſam non negligamus. Nos prius agemus de *Principio exequente*, ſive de *omnipotentia* Dei: cum ſit ipſa Dei efficax voluntas, de qua actum eſt, adeoque non minus referenda ſit ad voluntatem Dei, quam ejus *affectus*. Primum itaque de *Potentia* Dei, poſtea de ejus *affectionibus*, & tandem de ejus *virtutibus*.

*Principium exequens.*

II. Principium igitur exequens eſt *omnipotentia* Dei. Non enim Deo, tanquam Domino, adſcribenda eſt tantum ἐξουσία *poteſtas*, ſive ſupremum *jus* & *dominium*, ſed & ipſa δύναμις id eſt *aptitudo*, *vis* & *potentia*, quia efficit quod ſuæ poteſtati ſubeſt. Potentia *paſſiva* à *Vorſtio* aliiſque Deo peſſime attribuitur, cum ponat aliquam imperfectionem & mutationem, quæ in Deum cadere non poteſt. Jacob. 1: 17. Nam etſi Deus dicatur *coli*, *amari*, *blaſphemari*, Deo tamen inde nihil novi accedit, nec per pietatem, nec per impietatem noſtram. Job. 35: 7. & 22: 2. Nec quicquam ei acceſſit per *creationem*, niſi relatio quædam externa, quæ nihil ponit in Deo. Et quamvis filius *generetur*, Sp. Sanct. *procedat*, inde tamen non ſequitur

*Eſt Omnipotentia.*

*In Deo nulla potentia poſſiva.*

tur Deum quicquam esse passum. Nam 1. *generatio* filii & *processio* S. Sanct. non referuntur ad attributa essentialia, de quibus hic est quæstio, sed tantum ad personalia. 2. *Generatio* & *processio* æternæ sunt & naturales, ergo nullam ponunt passionem, quæ Deo in tempore accidat. 3. Generatio & processio non *passionem*, sed actionem & summam perfectionem denotant. 4. Non potest dici, quod filius unquam generari potuerit, aut de Sp. S. quod unquam potuerit procedere; cum generatio & processio sint æternæ non minus quam ipsa essentia Dei. 5. Tandem generatio & processio denotant *mysterium*, quod captum nostrum superat. Ergo sola potentia activa Deo competit, cum, ut optime loquuntur Scholastici, sit *actus purissimus*. Et sane Deum non tantum *potentem*, sed & *omnipotentem* esse, sequitur ex summa ejus perfectione, cum *omnipotentia* non sit minima perfectio. Docet idem S. Scriptura. *Deus noster in cœlis est, facit quicquid vult.* Ps. 115: 3. Rom. 11: 36. Vide 2. Chron. 20: 6. Luc. 1: 37. Hinc & *παντοκράτωρ omnipotens* dicitur. 2. Cor. 6: 18.

*Objectio.*

III. Cum attributa ab essentia Dei & à se invicem sua natura non differant, sed tantum secundum nostrum concipiendi modum, ut ostendimus Cap. præced. sequitur *potentiam* ejus nihil aliud esse, quam *efficacissimam ejus voluntatem, quatenus se exerit erga creaturas.* Ideo Deus omnia, quæcunque fecit, facit, & facturus est unico ac simplicissimo nutu voluntatis suæ fecit; ut unico isto ac æterno actu voluntatis creet, ac conservet spiritus, corpora, eorumque operationes, motus & mutationes, uno verbo, quidquid in rebus concipi potest. Quamvis eadem voluntate, secundum varias relationes, dicatur *creare, conservare, gubernare, destruere, punire, benefacere* &c. Et sane *omnipotentiam* Dei esse ipsissimam ejus *efficacem voluntatem*, patet. (1. quia est numen summe perfectum, ergo & modo perfectissimo operatur; perfectior autem modus operandi concipi non potest, quam is, qui fit per voluntatem: ita ut quam primum vult rem existere, ea quoque ad ejus nutum illico existat. (2. quia nulla est major connexio inter applicationem corporis & productionem operis, quam inter applicationem voluntatis & effectum. (3. quia si conciperetur *vis* aut aliud quid à voluntate Dei distinctum, per quod operaretur, tunc conciperetur essentia Dei composita, quod est absurdum. Ista *vis* esset creata vel increata. Si creata, unde & a quo esset creata? (4. quia in S. Scriptura operari dicitur per solum mandatum. *Fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1.

*Potentia Dei est ipsa ejus voluntas.*

 Ps. 148:

Pſ. 148: 5. *ejus voluntati quis reſiſtet?* Rom. 9: 19. Hinc *conſilium*, id eſt *decretum*, ſive *voluntas*, quæ ſunt eadem, & *manus* Dei pro eodem ſumuntur. Act. 4: 28. Non eſt igitur potentia Dei concipienda ut noſtra, quaſi ad ſingulam actionem nova voluntas requireretur, aut quaſi præter voluntatem, multis motibus, conatibus, & magno molimine opus haberet ad operandum.

*Deus in producendis operibus non opus habet materia præexiſtente. Nec inſtrumentis; nec tempore.*

IV. Cum autem potentia Dei ſit ipſa ejus voluntas efficax, ut omnia ad ejus nutum & conſilia neceſſario ſeſe ſiſtant, ſequitur 1. Deum in producendis operibus ſuis non opus habere materia ulla præexiſtente, ſed omnia ad ejus voluntatem adeſſe ex nihilo. 2. Deum nullis indigere inſtrumentis in creandis rebus; voluntas enim inſtrumento ad volendum non indiget. Nec major eſt connexio inter applicationem inſtrumenti (ſive nihilo applicetur, ſive rei alicui) & inter productionem rei, quàm inter applicationem voluntatis ſumme perfectæ ad nihil, ut res illico exiſtat. Vide Pſal. 33: 6. Heb. 1: 3. 3. Deum mora aut tempore non egere, voluntas enim in momento omnia operatur. 4. Non poſſe fatigari, cum voluntas *laſſari non poſſit.* Eſ. 40: 28. 5. Deum ſe per liberrime agere, nec aliunde poſſe determinari, cum voluntas cogi non poſſit. Pſal. 115: 3. 6. Sequitur quoque omnia potentiæ Dei eſſe ſubjecta. Nulla enim eſt ratio quare Deus non æque hoc poſſit velle ac illud.

*Quid ſit impoſſibile.*

Deinde *apud Deum nihil eſt impoſſibile.* Luc. 1: 37. Ideo non tam *potens* dicendus eſt quam *omnipotens*; non tam *κρατεῖος* quam *παντοκράτωρ*, 2. Cor. 6: 18. Apoc. 1: 8. Phil. 3: 21. *Impoſſibile* igitur eſt id, quod Deus non vult, quod propter ſummas ſuas perfectiones non poteſt velle, & quod naturam ejus everteret. Quamvis igitur non temere debeamus definire, quid Deus poſſit, quid non poſſit, ne infinitæ ejus potentiæ limites poſuiſſe videamur, nos qui finiti ſumus; nihilominus tamen Deum poſſe efficere *contradictoria*, id eſt ut *res ſit ſimul & non ſit*, dici non poteſt. Hoc enim everteret ejus voluntatem & potentiam, quia volendo nihil tamen voluiſſet, & operando nihil operatus eſſet. Sic impoſſibile eſt, ut Deus faciat *triangulum*, qui non habeat tres angulos. Sic enim contra voluntatem opeparetur, quia, quando vult *triangulum*, neceſſario vult eum habere *tres angulos.* Sic impoſſibile eſt ut faciat *bis duo*, quæ non ſint *quatuor:* nam, quando facit *bis duo*, vult ut exiſtant *quatuor*, alias plura aut pauciora exiſterent quam vult, quæ ſummam notarent imperfectionem. Ita non poteſt *ſemetipſum annihilare*, aut *odiſſe:* cum

*Deus non facit contradictoria.*

ejus

ejus ſumma perfectio involvat neceſſariam exiſtentiam, uti ſuo loco probavimus: neque poſſibile ſit, ut odio habeat ſummam perfectionem. Non poteſt ſe creaturæ manifeſtare, ut ab ea *odio habeatur*: cum ſit ſumme perfectus, ſummumque bonum, ac voluntatem noſtram ita creaverit, ut bonum cognitum odiſſe non poſſit. Non male igitur nonnulli dicunt, Deum hæc *non poſſe potentiſſime.*

V. Non ſequitur igitur Deum non eſſe omnipotentem. I. *quia non poteſt facere contradictoria*, cum contradictoria nihil ſint, & ſummam ejus perfectionem evertant. II. Nec ideo neganda eſt ejus omnipotentia, *quia non poteſt producere creaturam infinite perfectam;* quia infinita perfectio involvit *neceſſariam exiſtentiam*, quæ in creaturam non cadit; quod enim neceſſario exiſtit, non poteſt creari. Hinc etiam patet Deum infinitam ſuam potentiam creaturæ, veluti naturæ humanæ Chriſti, communicare non poſſe, ut contendunt *Lutherani:* multo minus ſuam divinitatem, ut docent *Sociniani.* *Objectiones.*

VI. Ex his, quæ de *potentia* Dei diximus, facile reſponderi poterit ad quæſtionem Scholaſticorum: utrum *Scientia* Dei ſit cauſa rerum, an vero ejus *voluntas.* Quatenus *Scientia* Dei, quemadmodum omnia ejus attributa, eſt ipſa ejus *eſſentia* in *ſenſu identico*, eatenus dici poteſt cauſa rerum. At, ſi conſideretur in *ſenſu formali*, certum eſt, non *Scientiam*, ſed *voluntatem* eſſe cauſam rerum. Deus enim (1. operatur & producit res omnes extra ſe, non per ſuam *ſcientiam*, ſed per efficaciſſimam *voluntatem* ſuam. Pſal. 115: 3. (2. Novit bona & mala, vera & falſa, tamen mala & falſa per ſuam cognitionem non efficit. (3. Eſſentiam omneſque perfectiones ſuas novit, tamen eas non efficit. Ergo *Scientia* Dei, ſtricte ſumpta, quæ dicit meram cognitionem, non eſt cauſa rerum, ſed ejus efficax voluntas. I. Fruſtra dicitur: *Intellectum eſſe ipſam eſſentiam Dei, Deum autem operari per eſſentiam, ergo & per intellectum.* Nam, etſi ſit ipſa eſſentia in ſenſu *identico*, tamen non eſt in ſenſu *formali*. At in ſenſu *formali* non poteſt concipi operari per *intellectum*, ſed per *voluntatem* tantum; alias juſtitia Dei eſt etiam ejus eſſentia in ſenſu *identico*, tamen, ſecundum noſtrum concipiendi modum, non poteſt dici operari per *juſtitiam.* II. Et quamvis Deus dicatur *creare verbo ſuo.* Pſal. 33: 5. & *dixit fiat lux, & facta eſt lux.* Gen. 1. inde tamen nihil probabunt: *verbum Dei* ſignificat ejus *decretum* & *voluntatem*, magis quam nudam *Scientiam* prout à nobis concipitur.

*Utrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum, an ejus voluntas?*

*Objectiones.*

Taceo quod Psal. 33: 5. intelligi debeat *verbum ſubſtantiale*, id eſt *filius Dei*, qui toties in S. Scriptura *verbum* dicitur.

*Affectus an in Deo?* VII. Cum *affectus* proprie in homine ſignificent motus animi, quare & cultiore latinitate *motus animi* dicuntur, & auctoribus inferiorum ſæculorum *affectus*, quia animum *movent* & *afficiunt*, Deo proprie non ſunt attribuendi, quaſi aliquid *pateretur*, (prout & barbare *paſſiones* dicuntur.) Hoc enim eſſet contra ſummam ejus perfectionem, conſtantiam, immutabilitatem, ſimplicitatem, potentiam & beatitudinem; cum ipſius volitio eſſet imperfecta, & ab alterius actione dependens, eſſet compoſitus ex eſſentia & affectibus, quos evitare & præcavere non poſſet; & in horas mutaretur, nunc in hoc eſſet ſtatu, modo in alio. Adde quod ejus quies & tranquillitas ſæpe turbaretur.

*Quid in Deo?* VIII. Cum igitur Deus ſit ſumme perfectus & immutabilis, ſequitur *affectus* in eo nihil aliud eſſe, quam *actus* quoſdam ſimpliciſſimæ & immutabilis voluntatis, qui notant tantum variam relationem ad creaturas, reſpectu variarum actionum, quas Deus circa eas exercet. Quia autem varii iſti actus habent fundamentum in creaturis, ideo à nobis concipiuntur quaſi Deo ineſſent tanquam verus aliquis affectus. Exempli gr. quando Deus peccata punit, tunc dicitur creaturæ *iraſci* & peccatum *odiſſe*, quia fundamentum pœnæ & odii eſt peccatum. Quando electis largitur bona, præſertim ſpiritualia, tunc dicitur eos amare, eorumque miſereri, quia objectum, & quaſi fundamentum *miſericordiæ*, eſt *miſerus*. Hæc autem nullum motum, nullam mutationem turbationemve in Deo ponunt. Attribuuntur igitur Deo per ἀνθρωποπάθειαν, quod tamen θεοπρεπῶς intelligendum eſt, ſecundum *effectus* quos exercet extra ſe, non autem ſecundum *affectus* in ſe ipſo. Ejuſmodi enim *effectus* ab hominibus concipi non poſſunt, niſi per modum *affectus*.

*In Deo nulli affectus more humano.* IX. Peſſime igitur *Sociniani*, *Vorſtius*, *Remonſtrantes* & multi inter *Anabaptiſtas* Deo attribuunt *affectus* proprie ſic dictos & more humano, qui poſſint adeſſe & abeſſe ipſius eſſentiæ, Deumque poſſint afficere aliqua commotione, nunc hoc, nunc alio modo, aliter per *iram*, aliter per *amorem*, nunc vehementius, modo remiſſius, pro ratione objecti, & gravitate delicti, qui vix homini attribui poſſunt, niſi impotentioris animi. Non ſufficit ut dicant: *Deum iſtis mutationibus & imperfectionibus lædi non poſſe, quod ab immenſa ejus*

bono-

*bonorum copia*, uti loquuntur, *omnis imperfectio, &, quæ inde fieri potest, læsio absorbeatur, omniaque illa, quæ summæ illius beatitudini contraria esse videntur, per summam Dei sapientiam & potentiam in bonum & gloriam ejus convertantur.* Nonne hoc est de Deo habere cogitationes, ut de homine aliquo gravissima passo, adeoque qui opus habet consolatione, ad erigendum animum? eodem modo quo Paulus solatur sanctos. Rom. 8: 21. Deinde quocunque modo Deus se consoletur, fieri tamen non potest, ut non sentiat motum ingratum, quo illius beatitudo, saltem ad aliquot momenta, non turbetur, quotiescunque aliquid ei accidit contra voluntatem.

X. Præcipuus *affectus* in negotio salutis est *amor* Dei, estque vel *generalis*, quo creaturas suas amare dicitur, & quo bonitatem suam rebus communicat. Nam quicquid creaturæ habent bonitatis & perfectionis, id à Dei bonitate habent. Deus enim viderat creaturas, & *ecce omnia erant valde bona.* Gen 1. Eodem amore, non tantum omnia creat, sed etiam conservat; *facit exoriri solem super bonos & malos, & mittit pluviam super justos & injustos.* Matt. 5: 45. vel est *particularis* erga electos. Joh. 3: 16. Iste amor tantus est, ut ejus respectu Deus vix res alias amare dicatur. 1. Cor. 9: 9. *An Deus curam gerit boum?* Dividitur quoque amor Dei in amorem *benevolentiæ*, & amorem *amicitiæ*. Aliis in amorem *antecedentem* & *consequentem.* Amor *benevolentiæ* est ejus *bonitas*, qua sese hominibus communicavit, ante omnem actum virtutis & obedientiæ. Hinc Deus *bonus* dicitur. Matt. 19: 17. *amor* & ipsa *charitas*. 1. Joh. 4: 8. Amor *Amicitiæ* est is, quo Deus amat creaturam justam, & suæ sanctitati conformem, sibique placentem. Amore *benevolentiæ* ab æterno delexit electos suos. *Sic dilexit mundum, ut dederit filium suum unigenitum &c.* Joh. 3: 16. Amore *complacentiæ* dicitur amare eos, qui jam credunt in Christum. Nam *sine fide nemo potest placere Deo,* Heb. 11: 6.

*Dei Amor. Generalis. & Particularis. Amor benevolentiæ. Amicitiæ. Complacentiæ.*

XI. Dicitur etiam *amor* Dei particularis erga electos *misericordia*, quo alterius miseria ei cordi est. Locum habet erga peccatores, cum sint *miseri.* Dicitur quoque amor Dei *gratia*; quæ distinguitur in *gratiam, gratis datam*, & *gratiam gratos facientem.* Prior nihil aliud est, quam donum Dei, quod hominibus mera sua gratia largitur, absque ulla dignitate creaturæ, quæ sæpe electis & reprobis communis est. *Est distinctio donorum, sed idem Spiritus distribuit singulis sicuti vult.* 1. Cor. 12: 4. Vide Matt. 5: 45. Gratia *gratos faciens*,

*Misericordia. Dei Gratia. Gratis data. Gratos faciens.*

*ciens*, eſt benevolentia & benignitas Dei erga nos, qua nos abſque meritis propriis ſibi gratos reddit in J. Chriſto, *qua nos gratis effecit ſibi gratos.* Epheſ. 1: 6. Peſſime docent *Pontificii:* nos habere gratiam *gratis datam* à Deo: at vero *gratiam gratos facientem* ex nobis ipſis; quatenus bene utamur priori iſta gratia, adeoque digni fieremus, ut à Deo amaremur, eique grati eſſemus.

*Gratia Sufficiens & Efficax.*

XII. *Jeſuitæ* & *Remonſtrantes* diſtinguunt inter gratiam *ſufficientem* & *efficacem*. *Sufficiens* eis dicitur, quam Deus omnibus hominibus indiſcriminatim largitur, hinc & gratia *univerſalis* vocatur: qua ſcilicet omnis homo poſſit cognoſcere myſteria redemptionis, ea credere, ſibi applicare, & ſervari, ſi velit, & ſi recte utatur libero ſuo arbitrio; quæ tamen non ſit *efficax*, ſi homo ea non recte utatur. *Efficax* autem *gratia* eis illa eſt, quando homo, libero arbitrio recte utendo, eam non rejicit, ſed ſibi applicat, in Chriſtum credit & ſervatur. Sed hæc diſtinctio eſt ineptiſſima. Nulla enim poteſt concipi gratia *ſufficiens*, quæ non ſit ſimul *efficax*: ut ſit maniſeſtiſſima contradictio: dici gratiam *ſufficientem*, quæ non ſit *efficax*. (1. Nam ei, quod eſt *ſufficiens*, nihil poteſt addi. (2. Nunquam explicabunt quid gratia efficax addat gratiæ ſufficienti: aut, ſi quid addatur, à quo id fiat? Utrum à Deo, an ab homine. Si Deus aliquid addat ut fieret *efficax*, tunc prior iſta gratia non poteſt dici *ſufficiens*; adeoque gratia Dei *ſufficiens* erit non *ſufficiens*, ante iſtud additamentum. Si homo aliquid addit, tunc non erit gratia Dei, ſed gratia hominis. Sequitur igitur nullam datam eſſe gratiam *ſufficientem*, niſi ſolis electis, quæ ſimul eſt *efficax*. Sed de hiſce plura, ubi de gratia & viribus ad recipiendum fœdus gratiæ neceſſariis agendum erit.

*Odium quomodo in Deo.*

XIII. Opponitur amori *odium*, quod nihil aliud eſt, quam actus voluntatis Dei, qua creaturam ſpernit & rejicit. Vel etiam eſt relatio Dei ad peccatorem, quatenus eum punit, & indignum declaret cum quo habeat ullam communionem. Deus odit & punit *peccatorem* & *peccatum* ſimul; ut etiam puniat peccatorem eo fine, ut ei ſit male & ut ſolvat debitum. Hominibus idem jus non competit. Solum enim peccatum odiſſe debent, non peccatores. Nec poteſt judex in puniendo peccatore intendere *malum*, ſive *cruciatum* proximi, ſed gloriam Dei, & conſervationem Reipublicæ & Eccleſiæ, per correctionem & per exemplum.

XIV. Ad *amorem* Dei referri poteſt ejus *Deſiderium*, *Spes*, *Gaudium*,

*dium*, *Misericordia*, *Gloria &c.* Ad *odium* ejus *Ira*, *Aversio*, *Metus*, *Tristitia*, *Irrisio*, *Pœnitentia &c.* de quibus in scriptura sit mentio. Sed illa omnia facile explicabuntur ex iis, quæ de *amore* & *odio* diximus.

*Varii affectus.*

XV. Egimus de *Affectibus*, nunc de attributis, quæ *virtutes* dicuntur, quibus *affectus*, vel *motus animi* solent moderari. Non quod Deus ullo moderamine opus habeat, sed quatenus denotant summam ejus perfectionem, & quatenus revera ab ejus essentia non differunt. Enimvero si Adamus in statu integritatis habuit virtutes, immo multo plures quam in statu corrupto, quamvis in eo nulla fuerit *concupiscentia* mali, nulla *lucta* cum peccato, ut promptissime, & propria voluntate virtutes exercuerit, nulla necessitate aut pugna contra vitia coactus, multo magis virtutes omnes in Deo concipi possunt, quamvis in eo nullum concipiatur vitium, cum in summa sanctitate semper sit tranquillus, justissimus & beatissimus, *Resipiscentia*, *pudor* & *verecundia*,.cum ne in ipsis quidem hominibus, proprie loquendo, virtutes sint. (1. quia morali lege non mandantur. (2. quia omnibus hominibus non sunt necessariæ sed peccatoribus tantum; quamvis aliquo modo ad *virtutem* referantur, quatenus hominem adducunt ad odium peccati & amorem boni, quale odium peccati, & qualis amor boni ex virtute procedunt, multo minus Deo adscribendæ sunt.

*De virtutibus Dei.*

XVI. Præcipuæ virtutes quæ in S. Script. Deo attribuuntur sunt *Justitia*, *Sanctitas*, *Veritas*, *Mansuetudo*, *Severitas*, *&c.* Maxime considerandæ veniunt ejus *Justitia* & *Veritas*. Nonnulli *Justitiam* ad *Veritatem*, alia potius *veritatem* ad Justitiam referunt, ut *veritas* sit justitia *dicti*, altera justitia *facti*. Nos primo de *Justitia*, postea de *veritate* agemus. Est autem *Justitia* Dei in genere considerata, quæ alias generalis dici solet, ejus rectitudo & sanctitas, in omnibus ejus actionibus, ut sit omnium virtutum quasi quædam complexio. Cum enim Deus sit justus & sanctus, omnia ejus opera sancta & justa sunt. *Rupis illius opus est perfectum, omnes enim viæ ejus sunt jus. Deus fortis, fidelis & expers iniquitatis, justus & rectus est.* Deut. 32. *Oculi ejus sunt puri, & iniquitatem videre non possunt.* Hæc *justitia* eadem est ac ejus *sanctitas*, unde Deus toties *sanctus* dicitur. Lev. 11:46. 1 Petr. 1:15.

*Præcipuæ virtutes in Deo.*

*Quid justitia?*

XVII. Justitia *particularis* magis est *relativa*, & respicit id quod alteri convenit, & quasi ex lege debetur. Dicitur *commutativa* vel

*Justitia Commutativa & Distributiva.*

*distributiva.* Justitia *commutativa* Deo non est adscribenda, eodem sensu quo & hominibus, in quibus per justitiam fit reciproca quædam obligatio partium, ex naturali aliqua communione, aut ex certis contractibus, quibus alter alteri obligatur, ut staret promissis. Hoc enim locum habere non potest, nisi inter homines, qui sunt pares & ejusdem conditionis. Nos autem, cum simus creati à Deo, ab eoque dependeamus, nostrique juris non simus, sed Deo adstricti, nullum nobis competit jus in Deum quo nobis adstringeretur. *Quis enim prior dedit & reddetur ei?* Rom. 11: 35. *Et quid habemus, quod non accepimus?* 1. Cor. 4: 7. Vide Job. 35: 7. & 22: 2. Ergo *commutativa* justitia Deo attribui neutiquam potest. (1. quia in creaturam dignum meritum reperiri non potest, quod à Deo compensetur. (2. quia quicquid boni præstamus, id Deo debemus. Luc. 17: 10. Psal. 2: 13. Ut si jus aliquod intercedit inter Deum & hominem, id soli ejus bonitati adscribendum sit, sed nulli officio aut obligationi. .

*Justitia punitiva & arbitraria*

XVIII. Dicitur quoque justitia Dei *punitiva* vel *arbitraria.* Dei justitia *punitiva* est summa ejus sanctitas, quatenus creaturam suæ sanctitati vult conformem, eamque punit si ab ea deflectat per peccatum. Hinc dicitur *constans Dei voluntas puniendi peccatum.* Vide 2. Thess. 1: 6. Psalm. 9: 9. Apoc. 19: 11. Punit autem Deus peccata, non eodem modo ac fine, quo homines, ut tantum propulsaret illatam injuriam, aut ut peccator corrigeretur, & ut aliis daretur exemplum, quo à peccato absterrerentur: sed propter ipsam peccati fœditatem, & ex odio peccati & peccatoris. Ideo locum habet maxime post hanc vitam, ubi nec propulsatio injuriæ, nec correctio, non exemplum amplius locum habere potest: sed solummodo ut justitiæ suæ satisfieret. *Hinc & Deus vindictæ appellatur.* Psal. 94: 1. 1. Thess. 4: 6. Hebr. 10: 30. Psal. 5: 6, 7. Secus res sese habet inter homines. Judices enim non puniunt ut domini, sed ut ministri & nomine Dei tantum. Nullum enim proprie dictum jus habent in creaturam, nisi quatenus eis à Deo concessum est. Deinde non puniunt ex odio in peccatorem, & ut justitiæ suæ satisfieret, sed ex mandato & lege Dei, ad repellendam injuriam, ad correctionem peccatoris, ad exemplum, & ad conservationem reipublicæ: nec post mortem, nec animam punire possunt, nec debent. Justitia *arbitraria*, quæ & *œconomica* dicitur, est ea, quam Deus exercet in hujus mundi gubernatione; quando sæpe bonos cum ma-

malis punit, ad generis humani correctionem; & ad exemplum, aliove fine ad conservationem Ecclesiæ suæ. Eo referuntur calamitates, quæ integris populis acciderunt. Ezech. 21:. 3. ubi Deus minatur se *excisurum justum cum improbo.* Differt autem justitia *vindicativa* ab *arbitraria.* (1. quia *vindicativa* omnia peccata & peccatores punit; *arbitraria* sæpe gravissima peccata & sceleratissimos homines impunitos præterit; immo Deus nonnunquam per arbitrariam electos suos gravius affligit, quam reprobos & sceleratos. (2. quia per *vindicativam* Deus punit ex odio; sed per *arbitrariam* sæpe ex amore castigat.

## CAPUT. V.

*De Dei Veritate, ejusque luce in Conscientia hominis.*

I. EXaminata *Justitia* Dei, sequitur ut de ejus *veritate* quoque dicamus. Deum esse verum, patet ex omnibus ejus verbis & operibus. *Rectum est verbum Dei, & omne opus in fide.* Psal. 3:4. Est etiam *fidelis.* 2. Cor. 1:18. & *verus*, cum omnis *homo sit mendax.* Rom. 3:4. Hinc ἀψευδὴς dicitur Tit. 1:2. & *verus Deus.* Joh. 17:3. Est אלהי אמן Es. 65:16.

*Dei veritas.*

II. *Veritas* Dei omnis *veritatis* fons & causa est, ut extra Deum nihil concipi possit, quod omnem suam essentiam, naturam & veritatem non habeat à voluntate Dei. Nulla autem res ante voluntatem ejus poterat obversari ipsius intellectui, ut eam vellet. (1. quia Deus est summe perfectus, necessario sequitur, omnes rerum naturas, essentias, bonitates, ordines, nexus, & veritates ab eo dependere; alias possemus concipere ens perfectius Deo, scilicet tale à quo omnia dependeant, unde sequeretur Deum nôn esse Deum. (2. Si daretur natura, essentia, ordo, status, aut veritas ante voluntatem Dei, illa natura, veritas &c. vel à se esset, vel ab alio. Si ab alio, ergo à Deo qui est ens primum & æternum. Si à se, ergo res ipsæ essent Dii, quod esset impium. (3. quia istæ naturæ, essentiæ, bonitates & veritates æternæ ante voluntatem Dei, determinarent Dei voluntatem & bonitatem, adeoque ab eis tanquam à, nescio quo, fato dependeret. (4. quia ante voluntatem Dei nihil concipi potest, nihilque fuit; nihili autem nulla est natura, essentia, ordo, status, bonitas nec veritas; ergo nulla natura, veritas &c. ante voluntatem Dei. Caveant igi-

*Nulla veritas nisi à Deo.*

tur ſibi, ii qui dicunt, non omnem bonitatem & veritatem rerum pendere à voluntate & decreto Dei, ne ſibi fingant abſurdos illos conceptus, quibus concipiant res æternas ante voluntatem Dei, adeoque à Deo independentes, unde ſumma Dei perfectio, abſolutum ejus imperium, primitas & providentia evertitur.

*Dei fidelitas.*

III. Ex hac *veritate*, ſive *veracitate* Dei ſequitur ejus *fidelitas*, quæ eſt ejus conſtantia in promiſſis & comminationibus, eſt enim Deus *fidelis & juſtus.* 1. Joh. 1: 9. Pſal. 143: 2. Non ſequitur Deum ſerio non agere cum homine, I. quia ex. gr. *juſſit ut Abrahamus filium immolaret, quem tamen immolatum noluit:* Deus enim mandaverat ut Abrahamus ſeſe accingeret ad immolandum filium, & hoc revera voluit. Deinde Abrahamus filium ſuum revera mactavit voluntate, & iſta mactatio ſufficiebat, nec aliam Deus intenderat, ut ex eventu patet. II. *Si Deus mandavit Pharaoni ut populum dimitteret, cum tamen vellet ut Pharao populum non dimitteret,* non minus tamen Deus ſerio egit. Nam etſi Deo placuerit, ut populum ad aliquod tempus detineret Pharao, ut magis magiſque obdureſceret, populum tamen ſuo tempore dimiſit. III. Idem dicendum eſt de *Ninivitis; quamvis Deus minatus ſit, ſe eos perditurum, quos tamen non delevit,* nulla erat *ſimulatio*, quia iſta comminatio continebat conditionem, ſcil. *niſi reſipiſcerent.* Ergo in ejuſmodi mandatis magis eſt reſpiciendum ad ſcopum Dei illudque præceptum, quam ad ejus decretum & occultum conſilium, quod ignoramus.

*Argumenta adverſar.*

*Deus hominem decipere non poteſt.*

IV. Ex eadem veracitate Dei ſequitur, impoſſibile eſſe, ut Deus nos decipiat; cum nos ita creaverit, ut verum à falſo diſcernere poſſimus, adeo etiam ut non poſſimus non aſſentiri iis, quæ *clare & diſtincte percipimus*, immo ut ne ad momentum quidem de iis poſſimus dubitare. Quid? Deum ipſum mendacem & fallacem redderemus, ſi *clare & diſtincte perceptis* nollemus aſſentiri. Nonne furor eſſet hiſce veritatibus; *bis duo faciunt quatuor: Si æqualia ab æqualibus demas, reliqua erunt æqualia. Triangulum habet tres angulos duobus rectis pares. Totum eſt majus ſua parte. Cogito, ergo ſum res cogitans. Sol omnia illuminat, ergo lucet. Contrecto hunc librum, ergo eum habeo in manibus.* &c. me aſſenſum nolle præbere? Nonne Deus, qui nobis tales ideas dedit, accuſaretur deceptionis? Unde manifeſtiſſime apparet, impoſſibile eſſe, ut fallamur: quotieſcunque judicamus de re aliqua *clare & diſtincte percepta.* Hæc enim eſt unica via, per quam Deus omnem veritatem, ſive in Theologicis, ſive in naturalibus, ad con-

conscientias hominum manifestat, ut loquitur Paulus 2. Cor. 4: 2.

V. Cum autem clara & distincta illa perceptio sit ipsum lumen Dei ejusque testimonium, quo se veritatemque suam ad conscientiam nostram manifestat, certissimum est: *conscientiam nec falli nec fallere unquam posse:* quam veritatem, non sine causa, nunc fusius examinabimus. Nihil enim aliud intelligimus per *conscientiam*, quam clarissimum istud *lumen*, per quod non tantum cognoscimus omnes nostras cogitationes, sed per quod etiam plenissime sumus persuasi de veritate rerum, in verbo Dei, aut in sana ratione revelatarum, ita ut ne minima quidem contradictio, aut dubium, in mente nostra amplius possit habere locum. Certissimum enim est, dari certas quasdam & indubitatas veritates, sive in natura, sive in Scriptura revelatas. Veluti in rebus naturalibus: *Contrecto hunc librum. Sol est lucidus & calidus. Totum majus est sua parte. Cogito hominem*, aut *canem. Cogito, ergo sum res cogitans. Bis duo faciunt quatuor.* In rebus Theologicis. *Habeo ideam entis summe perfecti. Novi me legisse in S. Scriptura: Deus creavit cœlum & terram: Christum natum ex virgine Maria, mortuum, sepultum esse, resurrexisse & ascendisse in cœlum*, & id genus infinita alia, de quibus nullum esse potest dubium, adeo ut si aliquis ea negare vellet, furere & manifesta phrenesi laborare dicendus esset. Lumen autem illud evidentissimum, quo ejusmodi veritates videamus clarissime, proprie *conscientia* dicenda est.

*Conscientiam non posse fallere nec falli.*

*Quid sit Conscientia?*

VI. Non autem per *conscientiam* debemus intelligere, ut vulgo solent, omne *judicium*, ipsa etiam *præjudicia*, *conjecturas*, & *opiniones*. Hæc enim non procedunt ex *veritate* & *lumine* Dei, sed ex nebulis corruptæ nostræ mentis, & nimia in judicando præcipitantia, antequam rem clare & distincte perceptam habeamus, ut nec ex conscientia procedant, nec ad conscientiam referenda sint, sed potius ad cor hominis corruptum, quod consistit in deceptione. Jer. 17:9. Ita Pontificius judicat, carnem non esse comedendam die Veneris. At non judicat ex *conscientia:* cum Deus id non docuerit; quare veritatem & lumen istud divinum non habet in mente; sed judicat ex vana *opinione* & *præjudicio*, quod habet de potestate Ecclesiæ. *Conscientia* ei tamen dictat, se ita judicasse: *Ecclesiam habere potestatem esum carnis prohibendi;* In hoc conscientia eum non fallit, quia revera ita judicavit. Et cum semel judicaverit (etiamsi falso) Ecclesiam posse prohibere esum carnis, conscientia ei dictat; ab esu carnis abstinendum esse, secundum illud judicium, quod crediderit

*Conscientia non sunt judicium, præjudicium, conjectura, opinio &c.*

 ipsum

ipsum Deum carnem prohibuisse per Ecclesiam. Et hic iterum conscientia eum non fallit; quoniam revera abstinendum est à rebus, quas credimus à Deo esse prohibitas. In isto actu Pontificii quædam sunt, uti videtis, quæ ad *præjudicium*, adeoque ad *errorem*, alia quæ ad *conscientiam*, sive ad *veritatem* & certam persuasionem referri debent. Ex *præjudicio* & *errore* judicat: Ecclesiam habere potestatem prohibendi esum carnis. Ex *conscientia* & ex *vero* novit se ita judicasse. Ex eadem *conscientia* & ex *vero* deinde judicat: *Si Deus per Ecclesiam prohibuit esum carnis, ergo abstinendum est.* Ita Pharisæus Lucæ 18: 12. judicat se esse justum, quia decimas dedit de rebus omnibus, & quia bis jejunavit per singulas hebdomadas, adeoque animum habet tranquillum, ut & Deo gratias agat ob tantam justitiam. *Judicium* illud quod crediderit, justitiam perfectam, ob quam homo potest gloriari apud Deum, consistere in decimatione, in jejuniis & ejusmodi excercitiis corporeis, non fit ex *conscientia*, sed ex præjudicio falso & opinione recepta. Si ex conscientia judicasset, examinavisset verbum Dei; quæ sit vera justitia, quam Deus exigit? animadvertisset eam non consistere in operibus, adeoque ex conscientia aliter judicasset. *Conscientia* ei quidem dicta, se judicasse; hæc ad perfectam justitiam sufficere; seque perfecisse ea quæ justitiam exigere judicaverat, & in hoc eum non fallit, cum revera ita judicaverit. Porro *conscientia* ei dictat, se debere esse tranquillum, & in justitia sua posse gloriari, ex hypothesi si recte judicaverit, se justitiam omnem adimplevisse. Et in hoc eum quoque non fefellit. Nam si justitia consistit in decimatione & in jejunio, & quia decimas dedit & jejunavit, certissimum est, eum esse justum, & habere causam gloriandi. Ita Paulus Act. 26: 9. ex *præjudicio* Pharizaico judicavit Ecclesiam Christi delendam esse. Hoc ei non dictavit conscientia. Si ad prophetias & signa temporum attendisset, aliter ex conscientia judicasset: animadvertisset Christum venisse, adeoque ejus Regnum esse propagandum. *Conscientia* ei dictavit, cum judicaverit Christianos esse persequendos, se optime egisse, quod eos persequutus fuerit. Nec in hoc eum fefellit conscientia: cum ea facienda sint, quæ homo judicat ex lege Dei facienda esse. Ejusmodi exempla infinita alia adferri possent. Ut ut sit, apparet actum conscientiæ semper esse verissimum, eamque nunquam falli nec fallere posse, adeoque omnem *errorem* esse in *præjudicio*, quando homo judicat ex nimia præcipitantia, ante rem

*Error non est in Conscientia, sed in Præjudicio.*

clare

*clare & destincte perceptam*; ob auctoritatem magistrorum, parentum, superiorum, ex communi opinione, ex inveterato præjudicio, ex mancipiorum ingenio, qui credere solent aliorum *αὐτὸς ἔφα*, ac ab iis instar pecudum se impelli sinunt: vel ex segnitie & impotenti ac muliebri animo ac impatientia, quod diuturnis & severioribus meditationibus non possint inhærere, judiciumque suspendere, donec rem clare & distincte perceperint. Hinc peccata atque *errores*, non *conscientiæ*, sed *ignorantiæ* adscribuntur. *Si principes Judæorum novissent dominum gloriæ, nunquam eum crucifixissent.* 1. Cor. 2: 8. Deponenda ergo sunt omnia præjudicia, si ex *conscientia* agere velimus, nam qui ex *præjudicio*, ex *conjectura*, aut ex *auctoritate* magistrorum judicat, etiamsi forte fortuito *verum*, (ut olitor etiam quandoque oportuna loquitur) tamen non *vere*, non *recte*, nec ex conscientia judicat.

*Ut sciamus, nos ex Conscientia judicasse nullo κριτηρίῳ opus est.*

VII. Non opus igitur est, ut quæras aliquod *κριτήριον* quo cognoscas: utrum judices ex *conscientia* an vero ex *præjudicio?* Utrum *judicium*, vel (uti dici solet) *Conscientia erret* teque *fallat*, an vero *non fallat:* & utrum recte judicaveris? Attende ad propriam mentem tuam, utrum rem per omnes circumstantias, sepositis omnibus præjudiciis, ex causis suis examinaveris, utrum habueris clarum & distinctum rei conceptum, ita ut ne minimum dubium aut contradictio amplius locum habuerit. Uno verbo, attende ad exempla, quæ jam à nobis sunt proposita. Utrum rem ita perspexeris, & tam certo de ea persuasus fueris, ac de hac veritate: *Cogito. Cogito hominem. Contrecto hunc librum. Bis duo faciunt quatuor. Legi in S. Scriptura: Deus creavit cœlum & terram*; & ejusmodi infinita alia, quæ continent indubitatas veritates. Quemadmodum persuasissimus es, conscientiam te in hisce exemplis non *fallere*, eamque hic *errare* non posse, adeoque te in hisce credendis judicasse ex *conscientia*, non ex *præjudicio*, ita & in reliquis veritatibus omnibus, quæ hisce sunt similes. Uno verbo; si nosti quid sit agnoscere *indubitatam veritatem*, nosti etiam quid sit *conscientia*, & quid sit *judicare ex conscientia?* Si autem indubitatam veritatem hactenus non agnovisti, miserrimus es scepticus, aut cum sana ratione hactenus insanivisti. Sed plane injustum est, petere ejusmodi *κριτήριον*, cum veritas, quando sese manifestat conscientiæ, tam clare luceat sua natura, ut nulla alia luce, nullo indice opus sit. Quando enim vides lucem solis, des mihi *κριτήριον* te lucem solis revera videre. Nonne di-

*Conſcientia non poteſt peti κριτήριον.*

diceres ſtultum eſſe eum, qui ejuſmodi κριτήριον peteret, cum ſol propria ſua luce ſatis clare prodat ſemetipſum? Adde quod ſi opus eſſet aliquo κριτηρίῳ indubitatæ veritatis, poſſem eodem jure petere κριτήριον veri κριτηρίου, atque ſic progreſſus daretur infinitum. Nonne Logici ſolent obſervare hanc regulam? propoſitiones immediatas demonſtrari non poſſe, quia ſine demonſtratione ſciri poſſunt. Et dari cognitionem quæ ſine ſcientia generatur, quando propoſitiones ſua luce conſpicuas, pleno mentis aſſenſu amplectimur, ſine ulla probatione. Videatur Ariſtoteles. Poſter. Anal. lib. 2. cap. ult.

*Male diſtinguitur inter conſcientiam errantem & non errantem.*

VIII. Dices forte: Omnes tamen Theologi & caſuiſtæ ita loquuntur, ut quodlibet *judicium*, ſive verum, ſive falſum, quod homo de rebus facit, vocent *conſcientiam.* Cur ergo quæris devia? Cur non loquimur cum vulgo, & diſtinguimus *Conſcientiam* in *errantem* & *non errantem;* ut *præjudicia*, *opiniones*, & *conjecturæ* referantur ad *conſcientiam errantem*, indubitatæ autem iſtæ veritates ad *conſcientiam non errantem?* Sed mihi videtur non minus temere quam magiſtraliter dici: omnes Theologos ita loqui. Quis enim novit ſententiam omnium Theologorum? Nemo id novit, nec noviſſe poteſt, nec debet. Deinde ita non loquuntur ii, qui ſolent accurate loqui cum verbo Dei. Ita cum vulgo non poſſumus loqui, niſi cum vulgo velimus errare, niſi inſulſa & contradictoria velimus docere. Quid inſulſius & magis contradictorium, quam ſi dicamus *ſcientiam errantem?* ſive enim dicas *conſcientiam* ſive *ſcientiam errantem*, perinde erit, ut patet ex iis quæ jam diximus. Si aliquis hanc abſurditatem poſſit digerere, ut *lux* dicatur *tenebræ*, tunc facile digerere poterit, ut *ſcientia* dicatur *error.* Hæc autem digerere non poſſunt, qui, uti in rebus ſeriis opportet, ovum ovum vocare ſolent, præſertim qui ſtilum Spiritus S. amant, & qui cum Deo loquuntur. Imprimis autem *conſcientia errare* dici non debet, ſi reſpiciamus omnes abſurditates, quæ inde ſequerentur, ut mox patebit.

*Probatur conſcientiam nec falli nec fallere.*
*Conſcientia eſt ſcientia.*

IX. Conſcientiam autem falli nec fallere unquam poſſe, præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, patet quoque (1. Ex ipſo nomine. Eo enim ipſo quod eſt *conſcientia*, neceſſario debet eſſe *ſcientia.* Quod autem in compoſitione dicatur *conſcientia* & non *ſcientia*, id non tollit vim vocis, & veram ejus ſignificationem. Nam quemadmodum *cohabitatio* eſt vera *habitatio*, & is qui *convenit*, revera *venit;* ita is qui *conſcit* certo *ſcit*, & qui habet *conſcientiam*, revera habet *ſcientiam.*

tiam. Dicitur tamen *conſcientia* potius quam *ſcientia*, quia id, quod homo certo novit, illud non ſolus novit; ſed illud ſemper novit cum Deo, qui veritatem iſtam menti noſtræ manifeſtat. Deinde quod conſcientia dictat, id dictat omnibus hominibus, cum habeant impreſſas communes notas, eandem & veritatem & lumen Dei; ut eadem ſemper in omnibus hominibus, aut actu oſtendat, aut ſaltem eadem oſtendere poſſit, unde non male *conſcientia*, quia cum aliis ſcit. Aut etiam quia convicti ſumus, nos ſcire non tantum per *conjecturam*, ſed certo & indubitato, nobiſque conſcii ſumus nos id ſcire: ut ſit quaſi duplex *ſcientia*. Primo nos rem ſcire; deinde & perſuaſos eſſe, aut nobis conſcios eſſe, nos eam ſcire. Ut, ſi velimus accurate loqui, nulla detur *ſcientia*, quæ non ſit *conſcientia*: quia non tantum ſcimus cum Deo aliiſque mentibus, ſed & nobis ſemper *conſcii* ſumus nos ſcire. Hinc Apoſtolus Rom. 9: 1. dicit: *conſcientiam nobiſcum teſtari.* & 1. Cor. 2: 11. *Spiritum hominis noviſſe res quæ ſunt hominis.* & 1. Cor. 4: 4. *nihil mihi conſcius ſum.* Cum igitur *conſcientia* ſit ipſa *ſcientia*, quam de rebus habemus cum Deo, quomodo poterit errare? quandoquidem non tantum eſſet impium dicere, ſcientiam Dei poſſe errare, ſed etiam quia *ſcientia* & *error* ſunt contraria, ut non verius poſſimus dicere: *ſcientiam* aut *conſcientiam errantem*, quam *lumen tenebroſum*; non enim magis *lux* opponitur *tenebris*, quam *conſcientia* errori. Hinc optime Germanice & Belgice dicitur **gewiſſe/ geweeten/** & **bewuſtheyt**: quæ vocabula etiam omnem *errorem* excludunt, & nihil ponunt niſi meram *certitudinem* ac *ſcientiam*. Nec aliter vocabula συνείδησις & *conſcientia* apud optimos auctores Græcos & Latinos ſumuntur, quam pro *ſcientia.* videatur Mon. Marcel. in voce *ſcius.*

*Cur dicatur Conſcientia potius quam ſcientia?*

X. (2. Eodem plane ſenſu *conſcientia* ſumitur ab auctoribus *ſacris*. Dicitur enim Hebraice *lucerna*, ſive *lumen* in medio hominis Prov. 20: 27. *Lumen quod omnia revelat.* Epheſ. 5: 13. *Lumen* quia mentem *illuminat*, & veritatem *oſtendit*, ubi nullæ tenebræ erroris. (3. Nulla eſt *veritas* quæ à conſcientia non animadvertatur, ſi ipſi oſtendatur. Ergo & ipſa debet eſſe vera, alias errorem pro veritate indicaret. Sic nullus eſt *error*, quem conſcientia non reprobet. Ergo & ipſa non poteſt *errare*. (4. Dicitur peccatores redarguere, uti vidimus in *Pharizæis*, *qui propria conſcientia convincebantur peccati.* Joh. 8: 9. Si errare poſſet conſcientia, nunquam poſſet convincere peccatorem, poſſet enim peccator dubi-

*Quid conſcientia apud auctores ſacros?*

tare, utrum conſcientia ſua non erret, & ſibi falſum dictet? (5. Conſcientia dicitur in homine teſtari, ſcilicet utrum legem Dei adimpleverit, an non? utrum ſancte vixerit an ſecus? adeoque hominem *accuſare* vel *excuſare* ubi recte aut male egerit. Rom. 2: 15. & 9: 1. 2. Cor. 1: 12. quod non aliter poteſt intelligi, niſi quod Deus ipſe hominem convincat peccati, aut recte facta ejus laudet. Adeoque eum accuſet vel etiam excuſet. Et ſic Deus *ad conſcientiam ſeſe manifeſtare* dicitur. 2. Cor. 4: 2. Unde & *conſcientia Dei* vocatur. 1. Pet. 2: 19. Et Sane Deus non utitur *falſo* teſtimonio, aut teſtibus, qui poſſint *errare*, ſed teſtibus omni exceptione majoribus. Nec poſſum ſilentio prætcrire (6. quod *conſcientia*, cum dicatur ipſum Dei *lumen, veritas, teſtis,* & *judicium*, adeoque *conſcientia Dei*, neceſſario locum Dei in mente noſtra teneat. Quemadmodum enim Deo competit, ut in re ſua ſit teſtis & judex ſimul, ut agat in re propria *accuſatorem, teſtem* & *judicem*, ita & *conſcientiæ* ſoli, conceſſum eſt illud privilegium, ut hominem accuſet, contra eum teſtetur, eumque ſimul judicet, condemnando, aut abſolvendo. Propria enim conſcientia hominem accuſat, ei dicendo: *tu peccaſti.* Eadem contra peccatorem teſtatur. Ego *perſuaſa ſum te peccaſſe, me præſente, me vidente omnia feciſti.* Unde optime Conſcientia dici ſolet *mille teſtis.* Quid? *mille teſtibus* præſtat. Nam etſi mille teſtes, immò omnes homines ſint mendaces neque poſſint fallere, propria tamen conſcientia me fallere non poteſt. Etiamſi omnes homines mihi dicerent, ex. gr. me *non cogitare; Bis duo non eſſe quatuor; me non contrectare hunc librum. Me in S. Script. non legiſſe, Deum creaſſe cœlum & terram:* Si tamen *Conſcientia* mea mihi contrarium teſtetur, ei potius credam, quam omnibus hominibus, quia credendo *Conſcientiæ*, credo *Deo*, qui per eam in me teſtatur, & cujus vicem conſcientia gerit. Quemadmodum *accuſat* & *teſtatur* contra peccatorem, ita & eum *condemnat: ſuo judicio condemnati ſunt.* Tit. 3: 10, 11. vide 1. Joh. 3: 20, 21. Quemadmodum autem Deus falli nec fallere poteſt, ſive hominem accuſet, ſive contra eum teſtetur, ſive condemnet eum, ità nec conſcientia quæ Dei quaſi vicaria eſt. (7. Monentur fideles, ut *ſeipſos explorent utrum ſint in fide*, & per fidem *in Chriſto.* 2. Cor. 13: 5. Ut *ſe ipſos probent*, utrum ſint in ſtatu ut *comedant panem & bibant vinum*, tanquam certiſſima ſymbola & pignora corporis Chriſti crucifixi; & ſanguinis ejus effuſi. 1. Cor. 11: 28. Tandem monet Paulus Rom. 14: 5. ut *quilibet in*

*ſua*

*sua mente plene persuasus sit.* (8. Hinc & ipsi *pastores quotidiè è suggestu non malè provocant ad conscientiam auditorum, ut eos convincant*, & ad pietatem adducant. Quomodo autem homo se *explorabit*, nisi per propriam *conscientiam?* Quomodo *in mente sua plene persuasus* erit, nisi per *conscientiam* propriam? Quorsum Deus homines hortaretur, ut seipsos *explorarent*, id est, ut propriam conscientiam consulerent? Quorsum pastores ad conscientiam remitterent auditores, si conscientia posset *falli* aut *fallere?* Quomodo homo *in sua mente esset plene persuasus* de ulla veritate, sive Theologica sive naturali, si falleret aut falleretur? Semper enim hæreret dubius, utrum conscientia, quando hoc vel illud dictat, non decipiatur, aut etiam utrum non decipiat? Adeoque de nulla veritate unquam plene persuaderi poterimus, contra expressa verba Pauli Rom. 14; 5. Propriæ enim conscientiæ, id est mihi ipsi fidere amplius non possem: vera enim prudentia postulat, ut iis, qui nos vel semel fefellerunt, nunquam credamus.

XI. (9. Hinc dubitandum esset, utrum hoc verum sit, *Bis duo faciunt quatuor. Totum majus est sua parte. Cogito ergo sum res cogitans. Legi in S. Script. Deus creavit cœlum & terram: Christus natus est ex virgine Maria* &c. Quid? De omnibus esset dubitandum. Nemo unquam esset persuasus: *esse Deum, esse Religionem, esse mundum, se habere corpus & animam*, se *existere*. (10. Nemo unquam posset certo scire, utrum peccaverit, nec ne? Dubitare merito posset, ex. gr. homicida, utrum in lege Dei legerit: *Non occides*, etiam eodem momento, quando hæc legit apertis oculis & attenta mente. Nesciret utrum revera hominem occiderit, quamvis id conscientia omnibus momentis testetur: ignoraret quippe utrum à conscientia non decipiatur, an ipsa conscientia non sit decepta: adeoque nunquam esset in statu resipiscentiæ. (11. Hinc injusto in jus vocaretur peccator, injusto criminis confessio ab eo peteretur. Quid enim confiteretur, quamdiu propriæ conscientiæ diffidere debet? Injusto igitur à judice puniretur. Multo minus ipse judex certus esse posset: semper enim ei dubitandum esset, utrum testes à conscientia propria non sint decepti, utrum non ipse ab ea decipiatur, quando audit accusationem, & testimonium, dubitabit utrum testes audiverit? utrum reus crimen fassus sit? etiamsi conscientia alte clamet id factum esse. (12. Nec Christus peccatori exprobrare posset: *Esurivi & non cibasti me* &c. posset enim respondere peccator: verum est, conscientiam meam

*Absurda quæ sequuntur istam sententiam; conscientiam posse falli & fallere.*

mihi dixiſſe, me nihil dediſſe pauperibus, meque te non cibaſſe; ſed eadem mea conſcientia me ſæpius fefellit, ut ei non potuerim fidere, utrum juſſeris an non, ut te cibarem, & utrum revera aliquid pauperibus denegaverim. Immo juſto dubitavi, utrum ullus unquam pauper exſtiterit? Unde ſequeretur peccatorem juſto puniri non poſſe. (13. Nemo unquam perſuaſus eſſe poſſet, ſe revera credere in Chriſtum, ſe vivere ſecundum legem Dei. Nam etſi conſcientia ei dictaret, quod habeat omnes actus eſſentiales fidei, *aſſenſum*, *fiduciam* in Chriſtum verumque *amorem* Servatoris, adeoque veram *fidem*, ſe pie & ſancte vixiſſe: Nihilominus tamen juſtam cauſam haberet dubitandi, utrum unquam in Chriſtum crediderit, an eum non publice & in animo abnegaverit potius, & an non adulteria, homicidia, furta & omnia ſcelera commiſerit? Adeoque de veritate atque fide in mente ſua nunquam poſſet eſſe certus, contra monitum Pauli Rom. 14: 5. Uno verbo, nemo unquam perſuaſus eſſe poterit, nec de regeneratione ſua, nec de ſalute æterna. Ex his omnibus manifeſto patet, nihil pernicioſius ſtatui poſſe, quam ſi dicatur *Conſcientiam poſſe falli aut fallere:* nam ſi *conſcientia* poſſet *errare*. (14. homo nec Deo, nec homini, nec ſibi ipſi fidere unquam poſſet, in negotio Religionis, in contractibus, quia nemo perſuaſus eſſet de fidelitate propriæ conſcientiæ ſuæ, multo minus alterius: ut neceſſario tollenda eſſent omnia commercia, omnes contractus, ſtipulationes, juramenta, judicia forenſia, ſocietates hominum; immo & ipſa Religio & judicium divinum. Vanæ eſſent quoque omnes exhortationes, leges, præcepta, promiſſiones, comminationes. Nullus eſſet locus præmiis & pœnis. Uno verbo, horrendus introduceretur in mundum ſcepticiſmus, perpetua dubitatio, horrida confuſio & merum Chaos.

*Sublata ſcientia tollitur mens.*

XII. Futile eſt, quod quidam dicant: I. *omnes facultates mentis noſtræ eſſe corruptas, hinc & ipſam conſcientiam debere eſſe corruptam, adeoque eam poſſe errare.* Nam etſi corrupta ſit mens, tamen non eſt deſtructa. At mens plane eſſet deſtructa, niſi conſcientia ſana & falli neſcia remanſiſſet. Nulla enim eſſet in mente *ſcientia*, ſi nulla *conſcientia*, ut ex ſuperioribus patet. At ſi tollas ſcientiam, tolles ipſam mentem, cum ſine ſcientia mens ne concipi quidem poſſit. Poſſumus quidem concipere, poſt peccata, intellectum, qui rem tam clare non repræſentet, ut ante peccatum: (quamvis tamen ne

ne sic erret intellectus non magis quam facula, quæ res tam clare non ostendit ac sol, tamen res *vere*, non *falso*, ostendit) nihilominus repræsentat vere, etiamsi obscurius. Possumus concipere voluntatem, quæ falso judicat, tamen judicat. At non possumus concipere *conscientiam errantem*; si enim erraret, non esset *scientia*, adeoque non *conscientia*. Deinde non fuit ita corrupta mens nostra, quin Deus ei conservaverit id quo opus habet, ut se veritatesque suas homini manifestaret. At non posset Deus se homini manifestare, nisi id fieret per conscientiam. 2. Cor. 4: 2. Ut ut mens sit corrupta, Deus tamen Scepticismum noluit introducere. Nec ideo voluit esse sine *testimonio*. Act. 14: 17. Sed quale esset testimonium Dei sine conscientia, quæ errare non potest? *Invisibilia Dei cernuntur*. Rom. 1: 20. Sed quomodo hoc fieret, nisi homo haberet certam conscientiam? Tandem non ita corrupta est mens, quin Deus voluerit in ea demonstrare, etiam post peccatum, justitiam & misericordiam suam, quin voluerit adducere hominem ad Religionem, eumque convincere mali, & solari ob recte facta. Quomodo autem hoc fieret, si conscientia esset fallax, ut non posset certo animadvertere voluntatem Dei ejusque veritates? Debebat igitur conscientia remanere integra & verax. Ita ut ipsi etiam Diaboli omnesque damnati habeant *conscientiam non errantem*. Conscientia enim iis semper fidelissime ac verissime dictat: se peccasse, se cruciari, & justas luere nequitiarum pœnas.

*Ipsos Diabolos habere Conscientiam non errantem.*

XIII. Nec ideo sequitur conscientiam posse *errare*, I. quia dicitur *polluta*. Tit. 1: 15. 1. Cor. 8: 7. *infirma*. 1. Cor. 8: 7. 10: 12. & *læsa*. 1. Cor. 8: 12. & 10: 28. *Conscientia Idoli*. 1. Cor. 8: 7. *cauterio adusta*. 1. Tim. 4: 2. *Bona*. Act. 23: 1. 1. Tim. 1: 5, 19. 1. Pet. 3: 21. Hebr. 13: 18. *ἀπρόσκοπος*. Act. 24: 16. *Pura*. 1. Tim. 3: 9. 2. Tim. 1: 3. Heb. 9: 14. *Consummata*. Hebr. 9: 9. *conscientia Peccati*. Hebr. 9: 14. & 10: 2. & *mala*. Heb. 10: 22. Quocunque nomine vocetur, tamen nunquam dicitur *errare*. Nam esse *pollutum*, *infirmum*, *læsum*, *cauterio adustum*, *conscientiam habere Idoli, peccati*, aut *malam*, hæc omnia non significant conscientiam *errantem*. Conscientiæ sæpe attribuuntur nomina rerum circa quas versatur *præjudicium*, aut etiam *ipsum judicium* verum. Si homini exprobret *pollutionem*, dicitur *polluta*. Si *malum* aut *peccatum* exprobret, dicitur *conscientia mala*, aut *conscientia peccati*. Si aliquis ex *infirmitate* & tenui cognitione judicat, dicitur *infirma*. Si perverse judicaverit de rebus consecratis

*Conscientia polluta quid?*

*Conſcientia Infirma, Idoli quid?* *idolis*, conſcientia, quæ ei tale judicium manifeſtat, & actiones quas poſt tale judicium commiſit, dicitur *conſcientia idoli*, ex. gr. Multi Judæorum & Chriſtianorum, qui de libertate Chriſtiana nondum recte erant edocti, judicabant legem cibariam adhuc obſervandam eſſe, non eſſe comedendum de animalibus, quæ ex lege Cæremoniali immunda erant, nec de idolothytis, quæ in macello vendebantur, adeoque immundum judicabant eum qui talia comedebat. Male quidem judicabant ex præjudicio & falſa opinione. Si tamen aliquis comedit, conſcientia ei recte dictavit, ſe comediſſe, & cum judicaverit talem eſum polluere hominem, ideo conſcientia eum declaravit *immundum*, unde & ipſa conſcientia *immunda* dicitur. Tit. 1: 15. 1. Cor. 8: 7. quia immundiciem exprobravit. *Immunda.* Si aliquis judicavit, non eſſe comedendum de idolothytis, & tamen comedit, conſcientia ei exprobravit, cum comediſſe, ac idololatriam commiſiſſe, hinc, quia *idoli* cultum exprobravit, dicitur *conſcientia idoli*, 1. Cor. 8: 7. *Idoli.* Quoniam autem ex fidelibus multi, ex defectu cognitionis, ſolebant dubitare, utrum libere poſſint comedere, an non? adeoque metuebant & titubabant inter comedendum, neſcientes utrum bene an male egerint, ideo & ipſa conſcientia, quæ tantum dubium & timores iſtos oſtendebat, hominemque nec accuſabat nec excuſabat, quamdiu dubius hærebat, vocatur *infirma*. 1. Cor. 8: 7, 10, 12. *Infirma.* quia homini iſtam *infirmitatem* & animum dubium oſtendebat. Si tamen aliquis comederit, etſi dubitante animo, neſciens utrum male an bene fecerit, revera ex infirmitate & dubio peccavit: quia quilibet debet eſſe *perſuaſus in mente ſua*. Rom. 14: 5. Si infirmus aliquis, de libertate Chriſtiana minus edoctus, videret alium, qui novit diſcrimen ciborum eſſe ablatum, comedentem talia, infirmus ille tunc contriſtabatur, quia putabat illud eſſe magnum peccatum. Cum autem ſui judicii & triſtitiæ ſibi eſſet conſcius, ejus conſcientia *læſa* dicebatur. 1. Cor. 8: 12. *Conſcientia Læſa.* quia ſcil. læſionem judicavit. Quando autem infirmus aliquis judicat, non eſſe comedendos certos cibos, & tamen alios comedentes videt, judicat eos peccaſſe, quod comederint, & eis non minus ac ſibi abſtinendum eſſe; & quia conſcientia ei dictat ſe judicaſſe, neminem habere libertatem comedendi, ideo *conſcientia* infirmi dicitur *alterius libertatem judicare*. 1. Cor. 10: 29. Infirmus itaque antequam comederet inquirebat, utrum ſint cibi liciti, an non, ne de illicitis comederet, ut ſic conſcien-

ſcientia ſibi non poſſit exprobrare, ſe cõmediſſe de eo quod judicaverat illicitum. Hoc autem vocatur *inquirere propter conſcientiam*, ſcilicet ne conſcientia quid mali exprobrare poſſet. Is autem, qui de libertate Chriſtiana edoctus eſt, novit puris omnia eſſe pura, legem cibariam & de idolothytis. Exod. 34: 15. &c. eſſe abolitam, ideo ſe comedere poſſe ſine peccato, de omni creatura; quare dicitur *non inquirere propter conſcientiam.* 1. Cor. 10: 25, 27. quia noverat conſcientiam ideo nihil mali poſſe exprobrare.

*Conſcientia cauterio aduſta quid?*

XIV. Conſcientia *cauterio aduſta*, 1. Tim. 4: 2. non poteſt dici *errans*; nam quod reſectum aut aduſtum eſt, illud nec *verum* nec *falſum* eſt. Uno verbo, ubi nulla eſt *conſcientia*, ibi non eſt *conſcientia errans*; Dicitur autem *cauterio reſecta* vel *aduſta* in impiis, qui voluptates, divitias, honores, potentiam omnes ſuas faciunt delicias, unde ſeipſos obdurant & animum obfirmant, contra ſenſum peccati, ablandiuntur ſibi quantum poſſunt, ſe non peccaſſe aut peccata non eſſe pœna digna. Et ut obliviſcantur ſcelera, ne conſcientia ipſis impietatem exprobret, in alias nequitias ſe conjiciunt, ut gula, ſcortatione, aliiſque actionibus vanis, animum recreent, & omnem ſenſum peccati tanquam cauterio adurant & reſecent, adeoque conſciéntiam omnem *a ſe propellant.* 1. Tim. 1: 19. ut dulcius ingenio indulgeant, inſtar *bruti*, quod nullam habet conſcientiam actionum ſuarum. Pſal. 94: 8. Quid hæc faciunt ad conſcientiam errantem? *Conſcientia peccati* dicitur, Hebr. 9: 14. & 10: 2. Non quod ipſa conſcientia in officio *peccet* aut *erret*, cum id fieri non poſſit, ſed tantum, quod homini oſtendat, per ſacrificia legalia peccatum non poſſe expiari, ſed *reatum* ſemper incumbere peccatori; adeoque peccatum quotidie exprobrat, donec vera facta ſit expiatio per Jeſum Chriſtum, qui debuit animam dare pro reatu. Eſ. 53. Dan. 9.

*Conſcientia peccati quid?*

*Conſcientia mala aut bona quid?*

XV. *Mala* dicitur *conſcientia* Hebr. 10: 22. quando homini exprobrat *malum*, eumque convincit peccati. Ita quoque dicitur *bona.* Act. 23: 1. 1. Tim. 1: 5, 19. 1. Petr. 3: 21. Heb. 13: 18. quando hominem ſolatur, ob recte facta, eique nil mali exprobrat, ſed teſtatur eum habere veram fidem & reſipiſcentiam. Uno verbo *mala* eſt, quando *condemnat*, *bona* quando *abſolvit.* Rom. 2. ut judex dicitur malus aut bonus, non quod erret, aut non erret, ſed quod *bonam* aut *malam* ſententiam pronunciet. Eodem ſenſu dicitur *ἀπρόσκοπος*. Act. 24: 16. quando homini teſtatur ſe vixiſſe ſine offen-

*Quid sit Conscientia ἀπρόσκο-πος, & consummata? Pura quid?*

offensa erga proximum. Sic & *consummata* dicitur. Hebr. 9: 9. ea quæ testatur, reatum esse expiatum per sanguinem Christi, adeoque alio sacrificio typico non amplius esse opus, sed *omnia* jam *consummata esse.* Sic & *pura* vocatur 1. Tim. 3: 9. 2. Tim. 1: 3. Hebr. 9: 14. quando testatur homini fideli, se per sanguinem Christi esse purificatum, usum ciborum sine discrimine sibi esse concessum, omniaque jam sibi esse pura: cum sua natura nihil impurum sit, sed tantum respectu hominis, qui à peccato impurus factus est; quare & *mentem impuram* habere dicitur, ac propter eum creaturæ vanitati obnoxiæ sunt. Rom. 8: 20. Cum igitur impii ob peccatum habeant *mentem impuram*, ut omnia ipsis sint *impura*, fideles qui *corda* habent *purificata per fidem*. Act. 15: 9. *mentem* habent *puram*, & eorum conscientia nihil impuri ipsis exprobrat, quare dicuntur & conscientiam habere *puram.*

*Conscientia quid?*

XVI. Ex his omnibus manifesto patet, *conscientiam* esse nihil aliud quam ipsam *scientiam*, quam Deus superesse voluit in creaturis ratione præditis, in ipsis etiam peccatoribus, immo & Diabolis, ut de vero & falso, bono & malo, justo & injusto, æquo & iniquo persuasi & convicti essent. Cum alias nec Deum possent agnoscere, nec eum glorificare, nec haberent sensum peccati & pœnarum, nec ullam possent recipere consolationem, nec frui æterna gloria. Uno verbo esse ipsam lucem & testimonium Dei in hominis mente, per quam omnium cogitationum atque actionum nostrarum sumus conscii: adeoque eam, *nec falli nec fallere posse*, nisi dicamus: Deum ipsum nos fallere, quod cogitatu esset impium.

*Quo sensu dici possit: hominem sibi posse ab errore cavere?*

XVII. Cum autem conscientia errare non possit, & cum omne id, quod clare & distincte percipimus, necessario verum sit, satis quoque patet, *hominem sibi posse cavere ne unquam erret, modo sibi caveat, ne judicet de re non clare & distincte percepta.* Certum enim est, omnem errorem esse in judicio, quare quamdiu homo non judicat, non potest errare. Sed hanc libertatem experimur in nobis, ut nunquam ad judicandum cogamur. Quid? cum judicare sit actio voluntatis, & voluntatis natura consistat in libertate, adeo ut *cogi* & *velle*, sunt directe opposita, sequitur voluntatem nulla vi externa cogi posse ut judicet. Nec puto ullum mortalium audere, si serio ad actiones mentis suæ attendat, affirmare, se unquam ad judicandum coactum fuisse, aut cogi posse. Quotiescunque igitur male judicamus, id libere facimus, adeoque libere erramus; ut error

sem-

semper consistat in *judicio*, & libera nostra *voluntate.* Ergo ne erres, suspendendum est judicium, ut non judices, re nondum clare & distincte percepta. Ubi autem res clare & distincte est percepta, tuto judicas, nullus est error, nec esse potest. Nemo est tam praefractae frontis, ut non fateatur, se posse sibi cavere ab errore, & saepissime sibi cavisse. Alias fateri cogeretur, se semper errare, quae esset summa insipientia. Cum igitur nobis conscii simus, nos non semper errasse, sed saepissime nobis cavisse ab errore, attendendum est, quomodo mens nostra disposita fuerit, quotiescunque non erravimus? Experiemur nos judicium suspendisse, & non judicasse, nisi re clare & distincte percepta. Ergo eodem modo semper agendum esset, si nunquam velimus errare. In *rebus Philosophicis* sane homo nunquam debet judicare, ante claram & distinctam perceptionem. Quid enim Respublica aut Ecclesia detrimenti caperet, si philosophus usque ad extremum momentum vitae dubitaret, utrum ex. gr. in luna sint sylvae, montes? utrum detur *materia prima*, *formae substantiales*, utrum *educantur ex potentia materiae*, an non? At vero in rebus agendis furor esset, si nihil velimus aggredi, nisi ubi clare & distincte percipimus rem habituram optatum successum. Alea saepe jacienda est, ne morbo, bello, fame aliisque malis opprimamur, ante claram nostram & distinctam perceptionem. Quantum autem ad *res Theologicas*, certum est, nihil esse credendum, quod non clare & distincte percipimus in verbo Dei, aut in sana ratione, esse revelatum: cum *quilibet debeat esse plene persuasus in mente sua.* Rom. 14:5. In rebus fidei iterum nemo cogitur, ut judicet de aliquo dogmate, antequam clare & distincte perceperit, id in verbo Dei revelatum esse. Eo minus, cum Deus conscientiam nostram non cogat, nec ab ullo hominum eam cogi velit. Quidquid enim credimus, id liberrime credimus. Et quamvis Deus mentem nostram ad credendum flectat, operatur tamen in ea, ita ut naturam ejus, quae est libertas, non evertat; sed ita eam flectit, ut sponte sua & liberrime velit, convenienter suae naturae, & quo efficacius à Deo ad volendum determinatur, eo liberius vult. Patet igitur naturam voluntatis nostrae talem esse, ut judicet, & ut liberrime judicet, nec ad judicandum eam unquam cogi posse; adeoque *hominem sibi cavere posse ab errore, modo caveat sibi a praecipitantia.*

XVIII Nihilominus tamen fatendum est, homines in continuos

*Error unde?*

tinuos errores incidere, & ſibi parum cavere ne errent, præſertim autem eos, qui cupiditatibus nimium ſunt mancipati, qui lumen Sp. Sanct. auxiliumque Dei negligentius petunt, qui minus ſunt prudentes, qui mentem parum habent effictam ad ſerias meditationes, & qui per ſegnitiem, ac puerilem credulitatem, malunt ab aliis duci ut automata, & credere quod magiſtri, quod vulgus credit, quod fert communis opinio, quam quod ſana ratio aut verbum Dei dictat, quæ homine prudente, præſertim pio diſcipulo Chriſti, indigna ſunt. Hæc autem incuria & *præcipitantia oritur ex corrupta noſtra natura*, unde naturalis cæcitas in mente, ſegnities, torpor & præcipitantia in voluntate, ut mens avertatur à veritate rerum, & non ſatis attendat. Quare judicium ſe præcipitat & aſſentitur iis, quæ non ſatis accurate habet explorata. Adeoque quamvis habeamus iſtam libertatem naturalem, ut poſſimus judicium ſuſpendere, & aſſenſum cohibere ab iis quæ nondum clare & diſtincte percepimus, experimur tamen in nobis hanc quoque imperfectionem, ut poſſimus aſſentiri rebus nondum clare & diſtincte perceptis. Id præcipue locum habet in peccatore, eo magis cum intellectus, etſi ipſe non fallatur, tamen objecta minus clare demonſtret, eſt enim in homine peccatore inſtar exiguæ faculæ, cum in Adamo fuerit lucidiſſimum aſtrum. Hinc in voluntate majori attentione opus eſt, antequam aſſenſus præbeatur, quam in Adamo. Cum autem menti per peccatum inductus ſit torpor & ſegnities, ideo voluntas nimia ſecordia & facilitate ſe præcipitat ad judicandum ante rei naturam cognitam. Adde quod, cum tota noſtra natura corrupta ſit, mens vergat ad res terrenas, quæ faciunt hujus mundi delicias, unde concupiſcentiæ pravæ, ingens perverſitas, & via glabra, ut voluntas facile ſe præcipitet ad judicandum, re nondum ſatis accurate percepta. Hinc optime docent orthodoxi, voluntatem noſtram, poſt corruptionem peccati, quamvis habeat naturalem ſuam libertatem, nihilominus tamen eam eſſe *ſervam*, ſervitute morali & conditionis.

*Præcipitantia in judicando unde?*

*Solvitur difficultas.*

XIX. Verum quidem eſt, Deum impiis *mittere efficaciam erroris, ut credant mendacio.* 2. Theſſ. 2: 11. unde fit ut ad mendacia & errores, ad quos propter corruptionem naturæ ſatis propenſi ſunt, facile delabantur. Inde tamen non ſequitur, hominem ſibi non poſſe cavere ab errore, modi ſibi caveret à præcipitantia. Nam quod fraudibus & mendacio Diaboli credat, id non fit, quod ejus voluntas

tas ad credendum cogatur, (libertime enim credit) ſed quod tanta ſit hominis corruptio, ut pronus ſit ad præcipitandum judicium, &, non invocato auxilio Dei ejuſque lumine, mendacium judicet eſſe veritatem. Multo minus ſequitur: hominem naturaliter pervenire & capere poſſe veritatem, adeoque totam ſalutem dependere à viribus naturalibus, & libero arbitrio. Sane aliud eſt ſibi cavere ab errore, aliud eſt agnoſcere omnem veritatem, præſertim in rebus ſpiritualibus. Nam homo non cadit in errorem non judicando, ſed veritatem agnoſcit recte judicando. Habet igitur homo poteſtatem, non judicandi, modo cohibeat præcipitantiam, ſed non poteſt recte judicare in rebus ſpiritualibus, quia *actio* requiritur, quam à ſe non habet, non magis quam mortuus; quum revera ſit mortuus in peccatis ſuis. Epheſ. 2. Adeoque, ut in ſpiritualibus recte agat, ut miſteria ſalutis videat, agnoſcat, de iis recte judicet, ea ad ſalutem amplectetur, opportet ut à Spiritu Sancto ex mortuis ſuſcitetur, illuminetur, moveatur & agatur; ut magis Spiritus S. in homine operetur, quam homo ipſe.

*Hæc ſententia minime convenit cum deliriis Pelagianorum &c.*

XX. Hinc patet quam parum hæc ſententia conveniat cum *Pelagianorum*, *Socinianorum*, *Remonſtrantium* aliorumque dogmate, cum nos tantum inveſtigemus *cauſam errorum*, nempe nimiam in judicando *præcipitantiam*, quam ex naturæ noſtræ *corruptione*, quam ubique docemus, ortam ſtatuimus; cum hi mentem noſtram nullo modo *corruptam*, nec voluntatem ulla ratione *ſervam* dici volunt; ſed tam perfectam eam docent, ac animam Adami in ſtatu integritatis, aut per gratiam reſtitutam in omnibus; qui libertatem ponunt in *indifferentia*, quaſi voluntas *libera* dici deberet tantum, quatenus, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, homo poſſet velle, vel non velle, agere vel non agere, tantaſque haberet vires naturales, ut ſibi ſemper poſſet cavere à nimia præcipitantia, modo vellet. Deinde docent, non tantum hominem ſibi poſſe cavere ab errore, ſed & tantas habere vires naturaliter, ut veritates ſalutis poſſit cognoſcere ſuis viribus, eaque amplecti vel rejicere pro libitu, ut ſi credat vel non credat, id dependeat à libero ejus arbitrio & viribus naturalibus; quam ſententiam non ſolum Sacræ Script. ſed & ſanæ rationi contrariam rejicimus. Sed de hiſce plura, ubi de *Libero Arbitrio*, & de *viribus ad recipiendum fœdus gratiæ neceſſariis.*

## CAPUT VI.

*De Omnipræsentia, Æternitate, Simplicitate & Immutabilitate Dei.*

*Immensitas Dei quid?*

I. ATtributorum Dei quædam referuntur vel ad *locum*, ut *omnipræsentia*, vel ad *durationem*, ut *Æternitas*, *Infinitas* & *Immensitas* Dei, proprie ad *omnipræsentiam* ejus referri non debent: Nam *infinitas* significat summas ejus perfectiones, quatenus Deus nullos fines agnoscit in ulla suarum perfectionum: unde Dei essentia omniaque ejus attributa *infinita* dici debent, quia infinite perfectus est. Eodem sensu sæpe sumitur ejus *immensitas*. Nihilominus per *immensitatem* auctores sæpe solent significare attributum aliquod *relativum*; quatenus nulla datur res, per quam perfectio Dei terminari aut mensurari possit. Præsertim cum Deus sit omnis materiæ expers, *immensus* dici debet. Male igitur *infinitus* aut *immensus* dicitur, quasi essentia Dei *extensa* & *diffusa* esset in infinitum, & quasi haberet aliquam *quantitatem* continuam. Hæc enim sunt meræ proprietates corporeæ, unde qui tales habent conceptus, ex Deo faciunt corpus, magis quam spiritum

*Ubi & ubiquitas quid?*

II. Idem dicendum est, de *ubi* & *ubiquitate*, quæ nihil aliud significant quam *spacium* aut *locum* à corpore occupatum; immo, si accurate loquamur, *spacium*, *locus* aut *ubi* est ipsum *corpus*, ut nec *ubi* nec *ubiquitas* attribui possit, nisi corporibus. *Ubi* relationem habet ad corpora *particularia*, *ubique* autem aliquo sensu dicit *corpora omnia*. Nam quod in *ubi* est, id habet quantitatem extensam ad certos aliquos limites quousque omnia alia corpora removet; ut non dicatur *ubi*, nisi respectû circumjacentium corporum quibus est præsens, ut aut propria convexitate, aut concavitate & superficie aliorum corporum *terminetur*, *definiatur* & *circumscribatur*. Quare *alicubi* esse *definitive*, vel *circumscriptive* est unum idemque. Ut igitur sola corpora sunt in *ubi*, sive in *loco*, ita sola *corpora particularia*, sive *partes* totius mundi corporei, sunt in *ubi*, vel in *loco*. At tota machina rerum corporearum, quæ omne spacium locumque occupat, proprie dici debet *ubique*, quia extra mundum corporeum nec *ubi* nec *locus* concipi potest. Spiritus autem, qui non habet corpus nec extensionem, nullo loco nullisque limitibus *definiri* aut *circumscribi* potest, unde nec in *loco*, nec in *ubi*, nec *ubique* hoc sensu

dici

dici poteſt. Hinc Tò *ubique* nulli Spiritui, ſi rigide, accurate, & ſecundum rei naturam loqui velimus, attribui poteſt.

*Quo ſenſu Deus dici poſſit eſſe ubique?*

III. Nihilominus ſi per Tò *ubique* intelligamus *omnipræſentiam* Dei, quatenus præſens eſt, non tantum rebus corporeis, ſed & Spiritibus, Angelis & animabus, illa phraſis, *Deus eſt ubique*, admitti poteſt. Deinde cum Deus creaverit & hactenus conſervet omnia *corpora*, *ſpacia*, *loca* & *ubi*, certum eſt eum etiam omnibus *corporibus*, *ſpaciis*, *locis* & omni *ubi* eſſe præſentem. Et cum *ubique* operetur *per eſſentiam*, etiam *ubique* eſt per eſſentiam. Præſtat tamen ut dicatur *omnipræſentia*, quam *ubiquitas*: cum *omnipræſentia* nullam *localitatem*, nullamque *extenſionem*, aut *diffuſionem* includat, & cum Dei præſentiam in *ſpiritibus* non minus quam in rebus *corporeis* denotet: *ubiquitas* autem, ſtricte loquendo, ſolis *corporibus* poſſit attribui.

*Deum eſſe omnipræſentem probatur.*

IV. Deum eſſe *omnipræſentem* (1. clamat tota Scriptura S. *cœli cœlorum eum non continent.* 1. Reg. 8: 27. *An non cœlum & terram impleo?* Jerem. 23: 24. Non longum *abeſt ab unoquoque noſtrum*: Act. 17: 27. *Cœlum eſt ſolium meum, & terra ſcabellum pedum meorum.* Eſ. 66: 1. Pſ. 139: 7, 9. (2. ſequitur ex ſumma Dei perfectione, cum res omnes creaverit & conſervet, cum iis neceſſario omnibus præſentem eſſe. Ubi enim Deus creat & conſervat, ibi eſt efficaciſſima ejus voluntas; ubi autem eſt Dei voluntas, ibi ipſe præſens eſt, cum ejus voluntas ſit ipſa ejus eſſentia.

*Deus omnibus rebus eſt æque præſens.*

V. Nulla poteſt concipi ratio, quare Deus uni rei magis ſit præſens quam reliquis omnibus; & cum omnibus rebus ſit præſens, utique omnibus præſens eſt quoad eundem *modum præſentiæ*. Adeoque omnibus rebus præſens eſt, ſecundum *operationes* & ſecundum *eſſentiam*; cum operatio ab eſſentia divelli non poſſit, quandoquidem Deus operatur per eſſentiam: vane igitur *Vorſtius* (à quo non multum recedunt *Remonſtrantes*, præſertim *Epiſcopius*) ſtatuit, Deum ſecundum *eſſentiam* eſſe tantum in *cœlo*, tanquam Regem in Palatio ſuo incluſum; in reliquis autem partibus mundi per mandata, præcepta & operationes. Deum autem rebus omnibus eſſe præſentem per *eſſentiam*, non autem per operationes tantum, patet. (1. quia *operatio* ejus ab *eſſentia* ſeparari non poteſt, cum Deus operetur per eſſentiam, uti dictum eſt. (2. quia nulla excogitari poteſt ratio, quare ens ſumme perfectum magis ſit præſens per *eſſentiam*, huic rei, ex. gr. *cœlo*, quam reliquis omnibus; cum omnia eodem vo-

luntatis actu creet & conservet. ( 3. Si Deus omnibus rebus non esset præsens eodem modo per *essentiam*, illud esset, vel quod non posset, vel quod non vellet. Eum *non velle*, dici non potest, cum res omnes voluerit creare & conservare. Si *non potest*, à potentiori vi impeditur; ergo non erit Deus omnipotens. ( 4. Si fingant Deum *cœlo* tantum hactenus præsentem fuisse quoad *essentiam*, postea eodem modo etiam velle esse præsentem terræ, aliisque corporibus, illud fieri non posset, nisi per motum localem; unde sequeretur Deum esse corporeum, quæ est summa impietas: qualem tamen non abhorret Vorstius, unde etiam timet, ne Deus *inquinetur sordibus*, si in terra esset. Sequitur igitur Deum esse omnibus rebus præsentem, non tantum per *operationem*, sed & per *essentiam* simul, adeo etiam, ut nulla præsentia Dei concipi possit nisi per *essentiam*. Pessime igitur affirmat Episcopius, sufficere ut credamus: Deum res humanas in terra curare, iisque præsentem esse, sua providentia & gubernatione, quamvis nostris conceptibus ejus essentiam in cœlo collocemus; adeoque quæstionem esse tantum de *modo omnipræsentiæ*, non autem de *omnipræsentia* ipsa. Nam si in creaturis extra cœlum non est præsens *secundum essentiam*, sequitur ejus omnipræsentiam *secundum essentiam*, quæ sola atque unica est Dei præsentia, negari. Et, cum non detur præsentia Dei nisi secundum *essentiam*, sequitur, hac negata, *omnipræsentiam* ipsam negari, non tantum *modum* omnipræsentiæ.

*Modum omnipræsentiæ Dei non possumus capere.*

VI. Fatendum tamen est, nos *modum omnipræsentiæ* Dei, qua scilicet *modo* omnibus rebus sit præsens, capere non posse; cum ejus essentia infinita captum nostrum, qui finitus est, in infinitum superet. Dicitur Deus vulgo tribus modis præsens. *Enter*, *præsenter*, & *ubique potenter:* quæ loquutio, si cum grano salis accipitur, tollerari posset. At si per τὸ *enter* intelligant aliquam *localitatem*, *diffusionem* & *extensionem*, quasi ejus substantia undique diffusa esset instar aeris aut alterius corporis; deinde si *potentiam* Dei ab ejus *essentia* distinguant, quasi ejus voluntas efficax, & summa potentia aliud quid esset quam ipsa ejus essentia, tunc absurdissimum esset illud dictum. Si autem per *præsenter* & *ubique potenter* intelligant ipsam efficacissimam voluntatem Dei, quatenus *voluntas* est ipsa *potentia* Dei, & per *enter* eandem *voluntatem* ac *essentiam:* cum Deus operetur per essentiam, tunc ista loquutio tollerari potest. Sed hæc uno verbo exprimi possent, scilicet: *Deum esse omnibus rebus*

*præ-*

*præsentem secundum essentiam.* Ut loquutio ista non tantum sit barbara, sed & inutilis.

VII. Sunt qui de modo *omnipræsentiæ* Dei omnino disputare nolunt: cum modum istum plane incomprehensibilem judicent, quamvis de re ipsa persuasi sint. Sane dantur res multæ, de quibus persuasissimi sumus, quamvis earum modum ignoremus. Ita plene convicti sumus, voluntatem nostram dependere à Deo, & tamen eam esse liberrimam: quamvis non perfecte concipere possimus, quomodo voluntatis libertas, cum dependentia in operatione & cum providentia Dei consistat. Persuasissimi sumus Deum esse æternum, cum sit independens, & necessariam habeat existentiam, quæ initium nec finem habere possit, modum tamen æternæ existentiæ non accurate capimus; cum simus finiti & temporanei. Docet quoque Mathesis duas concipi posse lineas quæ ad se inclinent, & tamen in infinitum se non tangant. Quàm pauci sunt, qui hæc capiunt? Et sane multo cautius & magis pie agunt illi, qui de *modo omnipræsentiæ* malunt plane tacere, quam Deum fingere extensum adeoque corporeum, in quas cogitationes plerumque incidunt ii, qui de *ubiquitate* multa temere effutiunt periculosa & absurda.

*Omnipræsentia per modum extensionis concipitur.*

VIII. Alii omnipræsentiam concipiunt per modum *extensionis* & *diffusionis*, instar aeris aut totius machinæ undique *extensæ* & *diffusæ*. Et quamvis fateri soleant essentiam Dei non esse *extensam*, nec *diffusam*, fatentur tamen etiam, se Deo attribuere *extensionem* & *diffusionem*, propter imbecillitatem intellectus sui. Unde constat, quocunque etiam modo intellectum suum excusent, eos tamen habere de Deo conceptus plane corporeos, nec aliter Deum sibi repræsentare quam diffusum & extensum; nisi utantur vocibus plane deceptricibus, ut omnino aliud intelligant per *extensionem* & *diffusionem*, quam hactenus voces istæ significarunt. Deinde si agnoscant *imbecillitatem* & *errorem* intellectus sui, quando Deum concipiunt tanquam *extensum*, quare intellectum suum non corrigunt, antequam concipiant? quare non aliter concipiunt, ut conceptus conveniat rei? Si non possunt; cur ab omni conceptu non abstinent, & cur non fatentur, se modum omnipræsentiæ Dei concipere non posse? Nonne præstaret pie tacere & modeste nostram ignorantiam fateri, de rebus divinis, quam de iis multa crasse, absurde & modo corporeo velle falso effutire?

IX. Non-

*Deus non est in spaciis imaginariis.*

IX. Nonnulli, ut suos conceptus corporeos, de omnipræsentia Dei, clarius explicarent, concipiunt Deum *diffusum* & *extensum*, non tantum in mundo, sed & extra mundum, in nescio quibus *spaciis imaginariis*. Fateor, si Deus concipiendus est in *infinitum extensus*, tunc necessario sequi, aut mundum esse *infinitæ extensionis*, aut dari debere ejusmodi *spacia imaginaria*. Sed mundum in infinitum extensum esse, hactenus non est probatum. *Spacia* autem dari *imaginaria* extra mundum, aut ante creatum mundum, est ipsa absurditate absurdius. (1. Ista enim spacia aliquid essent, vel nihil. Si aliquid, ergo non sunt extra mundum, nec ante mundum creatum; nam quidquid est aliquid, id est in mundo, & creatum cum mundo. Necessario igitur dicendum est, ista spacia esse *nihil*. Si *nihil*; ergo nullum de iis possumus habere conceptum, nihil possumus de iis affirmare aut negare. Nihil enim ineptius est, quam si velimus formare conceptum de *nihilo*. Quicunque *nihil* vult concipere, debet mentem abstrahere ab omni conceptu. Quando enim prorsus nullum habet conceptum, tunc concipit *nihil*. Ridiculum est, quod quidam dicant: *nos non posse quidem concipere aut intelligere spacia imaginaria, sed posse ea imaginari*: quia, si diis placet, *concipere & imaginari* distinguuntur. Nam etsi multa sint quæ *concipimus*, quamvis ea non possimus *imaginari*, quales sunt *spiritus*, & omnes res *spirituales*; nihilominus quicquid *imaginamur*, illud etiam *concipimus* & intelligimus. Non enim solum *imaginamur* res corporeas, sed eas simul *concipimus* ac *intelligimus*. Nec possemus scire nos *imaginari*, nisi statim ejus rei haberemus conceptum. Cum autem *spacia* ante creatum mundum & extra mundum non possimus *concipere* aut *intelligere*, sequitur nos ea non posse *imaginari*. Puerile quoque est, dicere: *spacia imaginaria* ante creatum mundum, aut extra mundum fuisse aliquid *potentialiter*. Nam id, quod est *potentia*, revera nihil est, eo ipso quod sit *potentia* tantum; nisi dicamus philosophos ipsos, qui hæc statuunt spacia, etiam fuisse ante creatum mundum, quia fuerunt *potentialiter*. (2. Igitur homines illi, qui statuunt spacia imaginaria ante mundum creatum, ostendunt se habere conceptum de *mundo* aliquo *æterno*, & dum ponunt spacia extra mundum, indicant se habere conceptum de mundo *in infinitum extensio*. (3. Cum igitur ejusmodi spacia nulla dentur, (sunt enim *nihil*, fatentibus ipsis etiam eorum imaginatoribus) sequitur Deum, ante creatum mundum, & extra mundum, si sit in ejusmodi

*Non dari spacia imaginaria.*

*Inter* imaginari & concipere *quænam differentia?*

*Spacia non sunt* potentialiter.

modi spaciis, in *nihilo* esse. Sed secundum istos auctores, *quod est in nihilo, id non existit:* quod de Deo velle affirmare esset impium. (4. Deinde cum Deus non sit *extensus*, ipsis fatentibus, quid opus est concipere *spacium extensum* ad ipsius *omnipræsentiam?* (5. Tandem, ista spacia *omnipræsentiam* & *immensitatem* Dei potius evertunt, quam ponunt: cum conceptum plane corporeum involvant, quandoquidem tali spacio Deum *coextensum* & *commensurabilem* fingunt. (6. Adde, cum ante creatum mundum præter Deum nihil fuerit, Deum nulli rei fuisse præsentem, nec in ullo *ubi:* unde necessario sequitur, *ubiquitatem* non esse ejus attributum *essentiale*, sed tantum *relativum*, positis rebus creatis. Nisi hoc sensu omnipræsentia dicatur essentialis, scil. quod Deus tantam habeat perfectionem, ut, positis rebus, iis necessario & sua natura præsens sit. Fuit igitur ante creatum mundum, ut nunc, אל שרי *Deus sufficiens*, qui nec *loco*, nec *ubi*, nec ulla *re* ad existendum indigeret, cum in se habeat existentiam necessariam.

*Quo sensu omnipræsentia Deo sit essentialis?*

*Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset?*
*Tunc, ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.*

X. *At*, inquiunt, *posito Deum annihilare omnem aera in dolio aliquo, aut etiam intra convexitatem terræ nostræ usque ad concavitatem cœli beatorum, tunc daretur vacuum in dolio, in toto spacio à terra usque ad cœlum. Illud autem vacuum esset spacium imaginarium.* Ad quæ notandum est 1. (a) nos nullam habere revelationem de ulla annihilatione; (b) nullum exemplum id unquam factum esse, (c) nullum conceptum quomodo id fieri possit? Ergo de annihilatione nobis prorsus tacendum esse. 2. Si Deus aera annihilaret, certissimum esse, res non manere in suo statu. Omnia enim latera dolii statim coinciderent, quemadmodum & cœlum & terra, seque tangerent eodem momento, & eodem modo quo aer annihilaretur. Contradictoria enim concipiunt, quicunque concipiunt distantiam inter corpora, ita tamen ut nullum aliud corpus tertium intercedat. Cur enim manus meæ sese tangunt? quia à nullo alio corpore seperantur. Cur nunc à se distant? quia per tertium aliquod corpus interjacens, puta aera, aut aliud aliquod, separantur. Idem dicendum est de *lateribus dolii*, de *cœlo* & *terra*, ut & de reliquis corporibus omnibus. Difficultas quam nonnulli movent: *Concipi non posse, omnia puncta superficiei concavæ dolii uniri posse, nisi ipsa superficies annihiletur, posse annihilari absque motu, posse moveri nisi pellantur undique a corporibus*

*externis, corpora externa, ea posse impellere, cum nihil sit, quo cogantur occupare spacium quod deserunt, impossibile quoque esse ut occupent aliquod spacium, quin tantum vacui relinquant alibi:* Addam & ego graviorem difficultatem: *Latera dolii, si incidant, ut se tangant, movebuntur. Si movebuntur in momento moveri debent, quia & annihilatio fieret in momento, sed motus in momento fieri non potest.* Multæ sane hic continentur difficultates, si semel capere possimus atque concederemus ejusmodi *annihilationem. Nam uno absurdo dato, aliud sequitur.* Repeto igitur, dato, non concesso, *aëra annihilari in dolio, certissimum esse, latera sese tangere:* Corpora enim, inter quæ nihil reperitur, eo ipso, quia nihil intercedit, sese tangunt: ut manus meæ sese tangunt, quia nullum corpus interjacet. Dico iterum res *non remansuras in suo statu*, & prorsus alium fore mundum, si vel minimum corpus annihiletur. Sane qui concipere possunt *nihil* (quale esset *spacium imaginarium*) sub specie *corporis* (quale est *longum, latum & profundum*, sive *Extensio*) facile omnes reliquas absurditates concipient. Me sane, qui ejusmodi *annihilationis* nullum habeo *conceptum*, nec *exemplum*, nec *revelationem:* immo qui scio, *Deus opus manuum suarum non destruere*, Job. 10. non multum sollicitat ista cura de *unitis punctis dolii concavi*, de eorum motu, de corporibus impulsis & externis impellentibus, de spacio quod occupant atque deserunt, nec de vacuo, quod alibi relinquunt, nec de motu in momento. Quid est absurdius, quam concipere *nihil*, quale est *vacuum*, sub specie *corporis*, quale ed *extensum* in longum, latum & profundum. Quia talia concipit, contradictoria concipit. Dicit se concipere *nihil* in dolio, cum revera concipiat *corpus*. Qui semel hæc digesserit, reliqua omnia digeret.

*Omnipræsentia Dei tanquam punctum.*

XI. Alii igitur concipiunt omnipræsentiam Dei tanquam *punctum.* Non quod credant Deum esse punctum aliquod, sed ut ab eo removerent omnem extensionem. Sed illud punctum est aut *Mathematicum*, aut *Physicum.* Si prius, tunc nihil est, extra nostram imaginationem. Ergo Deus concipiunt ut in nihilo. Si *Physicum* intelligant punctum, tunc spacium extensum concipiunt, quamvis angustissimum. Ut sequeretur, Deum esse angustissimo spacio coextensum. Igitur non differunt ab iis, qui concipiunt Deum coextensum spaciis imaginariis, nisi tantum quod spacium angustius, & extensionem minorem concipiant.

XII. Non possumus igitur concipere omnipræsentiam Dei, ni-

nisi per ejus *operationes*, cum omnia creet & conservet, & quidem per essentiam, quandoquidem essentia Dei est maxime actuosa, immo *actus purissimus.* Certissimum est Deum in omnibus creaturis, sive sint spiritus, sive sint corpora, potenter operari. Cum autem operetur per voluntatem & voluntas sit ipsa essentia, sequitur eum operari per *essentiam*; ergo rebus omnibus per essentiam est præsens, quod supra demonstratum est. Quam facile igitur Dei *omnipræsentiam* concipiatur per modum *operationis*, quis non videt? (α) Sane si omnis intellectus & voluntas concipiatur, sine relatione ad locum aut ad spacium, in ipsis etiam spiritibus creatis, multo magis in Deo. Ergo ipsius præsentia concipitur, nulla habita ratione *loci*, *spacii* aut *ubi*. (β) Si Deus nil nisi spiritus creasset, absque ullo corpore, proculdubio spiritibus istis præsens fuisset, sua operatione, creando & conservando, adeoque ipsis præsens fuisset per *essentiam* suam; cum eos creasset & conservasset per *essentiam*, uti ostendimus. Tamen eis non fuisset præsens per ullum *spacium*, aut *ubi*, cum nondum fuisset creatum, sed tantum per *operationes* suas. Ergo & eodem modo dicendus est præsens rebus omnibus, cum spiritibus, tum rebus corporeis. (γ) Et sane quotiescunque Deus in S. Scriptura dicitur *præsens*, toties fit mentio de ejus *operationibus*. Apostolus Paulus Act. 17. vix dixerat: *Deum non longum abesse ab unoquoque nostrum*, quin statim addiderit: *In eo enim vivimus, movemur & sumus.* Optime igitur Cl. *Goclenius*, in Scholiis Timpleri Metaphysicæ, *Deus omnia implet, non ut locatum, sed efficiendo, operando, & conservando.* Doctissimus *Amyraldus* Disp. Salmur. part. 3. Disp. de Transsubst. 3. *Qui potest esse aliquid in loco, & tamen in eo non localiter? Illud esse in loco, dicit ordinem existentiæ alicujus rei ad locum, in quo ordine sita est localitas. Et inter esse in loco, & coexistere loco, commensurari loco, plane nihil interest. Junius* Oper. T. 2. P. 1846. *Cognoscimus Deum non aliter in rebus creatis esse, quam ut principium universale, id est causam efficientem & continentem omnia.* Ejusmodi sexcenta alia jam ab aliis adducta sunt ex *Polano*, *Ursino*, *Hoornbeeckio*, aliis.

*Recte concipitur omnipræsentia Dei per operationem.*

XIII. Et cum Deus vario modo *operetur*, etiam vario modo dicitur *præsens.* In *cœlo*, est *glorificando.* In *terra* & in *electis* suis, gratias suas, fidem, spem, charitatem &c. *largiendo.* In *reprobis*, eos *obdurando* & *puniendo.* In *inferno*, damnatos *cruciando.* Ergo per *operationes* Dei pulcherrime, clarissime, & sancte concipimus ejus *omnipræsentiam.* Quicquid igitur *localitatis*, *spacii extensionis*, *quantitatis*,

*Deus varie dicitur præsens, secundum varium modum operandi.*

*tis*, uno verbo *corporei*, menti nostræ obversatur, id à conceptu, quem habemus de eo ejusque præsentia, sedulo removeri debet, ne in *Vorstii*, *Socinianorum*, & *Anthropomorphitarum* hæresin delabamur. Sufficiat nobis ex S. Scriptura, ex summa Dei perfectione, ejusque operationibus clarissime constare, Deum omnibus rebus esse præsentem & quidem *per essentiam*, quamvis *modum* ejus *præsentiæ* capere non possimus.

*Æternitas Dei.*

XIV. Attributum Dei, quod ad tempus referri solet, dicitur *Æternitas*. Deum esse *æternum* patet (1. Ex summa ejus perfectione, quæ involvit existentiam necessariam, ut Cap. I. ostendimus, ergo & æternam. (2. Si non esset æternus, originem haberet ab alia aliqua causa summe perfecta, adeoque non esset Deus, & quæstio maneret: quis originem dederit primæ illi causæ? (3. Clamat S. Scriptura. Es. 40: 28. *Deus noster æternus est.* Vide Ps. 9: 9. Job. 36: 26. Unde & *æternus Deus* dicitur. Rom. 16: 26. (4. Hinc ejus attributa æterna dicuntur; ut *potentia*. Rom. 1: 20. quare & *immortalis* vocatur. 1. Tim. 6: 26. (5. Idem indicat ejus nomen יהוה, ita enim dictus est à *vita*, vel ab *essentia*, quæ necessariam involvit existentiam. Unde non male à Gallis vertitur, *l'Eternel*, *æternus*, quia solus æternus est.

*Æternitas nullas habet partes.*

XV. In *æternitate* Dei non est concipiendum *præteritum*, *præsens* & *futurum*, cum sint partes *temporis* non *æternitatis*: sed tota ejus *duratio*, æque ac *existentia*, consistit in *præsenti*. Nec ita considerari debet existentia Dei, quasi diutius durasset nunc quam initio creationis mundi, & adhuc diutius duraturus esset Deus, post aliquot myriadas annorum. (1. Sic Deus acquireret novam existentiam, & ætatem, ut quo diutius staret, eo perfectior redderetur, ut creatura, quod est absurdum: cum existentia Dei ab ejus essentia non distinguatur. (2. Compositus esset ex *essentia* & *existentia*, quod esset contra ejus summam simplicitatem & perfectionem. (3. Haberet *successivam* & *fluxam* existentiam, adeoque imperfectam. Ut igitur Deo non attribuitur *ubi*, ita nec quando. Quemadmodum *ubi*, ut ostendimus, repugnat *omnipræsentiæ*, ita & *quando* everteret *æternitatem*. Et quemadmodum *ubi* involvit *extensionem* & *quantitatem*, ita concipi non potest *quando*, sive successiva duratio, nisi cum relatione ad aliquem motum, ad quem rerum existentia possit mensurari, quasi earum duratio isti motui esset coextensa; quod in Deo locum habere non potest, nisi dicamus motum aliquem fuisse ab æterno, quod est impossibile.

XVI.

XVI. Si per *durationem* intelligamus ipſam *exiſtentiam*, tunc & Deus *durare* dici poteſt: cum interire non poſſit, ſed permaneat. Hoc ſenſu Deus proprie durat, cum neceſſariam habeat exiſtentiam, & independenter permaneat. Creatura autem ne ad momentum quidem *durare* aut *permanere* poteſt, niſi à Deo conſervetur. At ſi per durationem intelligamus fluxam & ſucceſſivam exiſtentiam, per partes temporis, *præteritum*, *præſens*, & *futurum*, tunc Deo adſcribi non poteſt; cum talis duratio conferatur ad durationem alterius rei, puta ſolis, lunæ &c. quæ motum habet ad quem commenſuratur. Sed ut Deus omnes ſuas perfectiones ſimul poſſidet, ſic & ſuam exiſtentiam ac durationem. Ut uno intuitu infinitæ ſuæ ſcientiæ omnia novit, & uno actu voluntatis omnia vult & efficit, ita & unico quaſi momento totam poſſidet exiſtendi perfectionem, ut ejus exiſtentia concipi debeat ſine motu, ſine ſucceſſione aut innovatione, nec magis menſurari poſſit ejus exiſtentia poſt creationem, quam ante creationem, cum nullus eſſet motus. Optime ſane à Boëtio *æternitas* dicitur: *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*; quod ſane de ſolo Deo, nulla autem creatura, intelligi poteſt, ut peſſime docet *Vorſtius*. Nulla enim eſt creatura, quæ vitam poſſideat *interminabilem*, cum omnes creaturæ ſuos habeant *terminos*, cum reſpectu *durationis* & exiſtentiæ, tum reſpectu omnium *perfectionum*. Nec ulla fingi poteſt creatura, quæ *totam vitam ſuam perfecte ſimul poſſideat*, id eſt omnes perfectiones quas creatura, per totum tempus ſuæ exiſtentiæ, acquirere poteſt. Unde etiam patet, peſſime *Vorſtium* & *Socinianos* in æternitate Dei poſuiſſe partes & ſucceſſionem: dum diſtinguunt inter tempus *externum*, quod ad motum & durationem alterius rei confertur, quale creaturæ adſcribunt, & inter tempus *internum*, ac *infinitum*, quod Deo attribuunt: ut Deus non minus ac ipſæ creaturæ dici poſſet, fuiſſe in *præterito*, exiſtere in *præſenti*, & fore in *futuro*. Cum Deus omnes ſuas perfectiones totamque eſſentiam ac exiſtentiam ſimul & ſemel poſſideat; ſequitur fictum eſſe illud tempus *internum*, cum nullum detur *præteritum* aut *futurum internum*, ſed *externum*, tantum, reſpectu creaturarum, collatum cum motu rei alterius, quod in Deo, nec ante nec poſt creationem, locum habere poteſt. Eſt igitur *æternitas* indiviſibilis, & omnium temporum diſcrimina complectitur quaſi punctum aliquod indiviſibile.

*Duratio quo ſenſu de Deo dici poſſit.*

*Æternitas quid?*

*Diſtinctio temporis interni & externi nulla eſt.*

Objectiones. XVII. I. Quamvis dicatur is *qui erat*, *qui est & qui futurus est*. Apoc. 1: 4. inde tamen non sequitur *in æternitate Dei dari partes temporis, nempe præteritum, præsens* & *futurum*; nam illa loquutio impropria est, & mera denominatio externa, per aliquam relationem ad durationem rerum, quod scilicet Deus existat, etiam dum dantur ejusmodi tempora & temporum partes, quibus duratio creaturæ mensurari solet. II. Ita & עתיק יומים *antiquus dierum dicitur*. Dan. 7: 13. quia revera non habet annos nec dies qui numerari aut finiri possint; ut sit loquutio plane metaphorica. III. Eodem sensu dicuntur *ejus anni nunquam finiri*. Ps. 102: 28. IV. *Primus* quoque vocatur & *novissimus*: quia revera est prima causa omnium rerum, nec initium nec finem agnoscit. Non sequitur tamen in ejus æternitate dari partes temporis. V. Eodem sensu dicitur *decrevisse ante mundi jacta fundamenta*, vel *ante sæcula*; hoc dicitur respectu mundi, non Dei, cum Deus non habeat *ante se*, sed *mundus*: nam & mundus & tempus, & partes temporis ab eo initium habent, non quod ipse indigeat ullo tempore, aut ejus partibus. VI. Et quamvis *in æternitate nullæ dentur partes temporis, præteritum, præsens* & *futurum*, non sequitur tamen: *rem posse esse simul & non esse*, quasi *esset respectu æternitatis, non esset respectu finiti alicujus temporis, & realis ipsarum rerum in suo tempore existentiæ*, uti argutatur *Vorstius*. Nam res creatæ non coexistunt æternitati, sed tempori tantum, quare semper *temporales* sunt, non autem *æternæ*. VII. Stulte quoque colligit: *Deum ratione æternitatis efficere posse ut præteritum non sit vere præteritum, & ut futurum non sit vere futurum, quia præteritum non amplius est, futurum nondum est, & tamen utrumque revera præsens est in æternitate, si utrumque æternitati coexistit*: inepte enim æternitati attribuit *præteritum* & *futurum*. Cum autem ea in æternitate non sint, sequitur Deum quoque non efficere, ut *præteritum* non sit *præteritum*, & *futurum* non sit *futurum*. VIII. Nec ideo, quia in æternitate non dantur partes temporis, sequitur, *ipsas temporum differentias inter se coexistere, v. gr. primum hujus mundi annum, quo creatus est Adamus, esse hunc ipsum annum quo vivimus*. Hoc verum esset si diceretur: in *tempore* non esse *præteritum* & *futurum*, quod de æternitate tantum adfirmatur. Confundit igitur *Vorstius tempus* cum *æternitate*. IX. Tandem ridiculus est, quando addit: *Ergo res aliter orirentur & occiderent in æternitate, quam revera oriuntur & occidunt in proprio suo tempore*: cum in *æternitate* nihil *oriatur* nec *occidat*. Est enim *æternitas*, ut di-

dictum est, *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, ubi mutatio, qualis est *ortus* & *occasus*, non habet locum.

XVIII. Ex his omnibus patet, *æternitatem* esse attributum soli Deo proprium, nec ulli creaturæ communicari posse; cum nulla creatura excogitari possit, quæ omnem suam essentiam omnesque suas perfectiones simul possideat, quæ non habeat existentiam fluxam, mutationi, successioni, & vicissitudinibus obnoxiam. Absurde igitur nonnulli *Lutheranorum* affirmant, *dari posse æternitatem aliquam participatam*, quemadmodum docent *ubiquitatem participatam*. Manifestam involvit contradictionem talis *æternitas participata*. Constat quoque nec *mundum*, ut vult *Aristoteles*, nec *materiam primam*, ut delirat *Socinus*, nec *cœlum tertium*, in quo Deus tanquam palatio ab æterno habitaverit, nec *spacia imaginaria*, ut inepte adfirmant *Scholastici*, nec quidquam fuisse ab æterno, præter solum Deum. Tamen si attendamus ad solam omnipotentiam Dei, non capimus, cur Deus ab æterno mundum non creare potuerit.

*Æternitas est attributum soli Deo proprium.*

*Et incommunicabile.*

XIX. Quamvis in Deo tot dentur attributa, uti hactenus ostendimus, ita ut, quo plura dentur, eo perfectior sit, nihilominus Deus est *simplicissimus*. Nullam enim agnoscit *compositionem*. Nec *Logicam*, ex *genere & differentia*; nec *Physicam* ex *materia* & *forma*, aut ex *partibus*, aut ex *subjecto* & *accidenti*. Nec *Metaphysicam*, ex *actu* & *potentia*, ex *essentia* & *existentia*, aut ex *natura* & *supposito*. Simplicissimus igitur est Deus. (1. quia, quicquid in Deo est, ipse Deus est. Nam ejus essentia non distinguitur revera ab ejus attributis, nec ipsa attributa aliter à se invicem distinguuntur, quam secundum nostrum concipiendi modum. (2. Non opus habet pluribus *perfectionibus*, quæ simul naturam ejus perficiant. Nam singula perfectio, sive singulum attributum summam in se continet perfectionem. Si enim singulum attributum non contineret omnem perfectionem, tunc attributa ejus essent imperfecta, adeoque Deus, qui est summe perfectus, constaret pluribus attributis imperfectis, quod esset absurdissimum. (3. Ex pluribus *substantiis* Deus componi non potest, quia quod darentur in eo *substantiæ*, tot darentur *dii*. (4. Nec ex substantiarum *partibus*, quia in easdem partes posset resolvi, adeoque esset *corruptibilis*. (5. Nec ex *modis* & *substantia* est compositus: quia *modi* essentiam tantum perficiunt; At Deus continet in se omnem perfectionem. Est igitur Deus *actus purissimus* & *simplicissimus*, habetque omnimodam simplicitatem, non tantum comparate, &

*Deus est simplicissimus.*

*Singula perfectio in Deo, summam continet perfectionem.*

re-

respectu creaturarum, quæ majorem haberent compositionem quam Deus, ut nonnulli delirant. Hæc est ratio quare Deus loquatur de perfectionibus suis in *abstracto*, non tantum in *concreto*, ut de hominibus. Ideo non tantum *Sanctus*, *Verus*, *Lucidus*, *Amans* &c. dicitur; sed & *Sanctitas*, *Veritas*, *Lux*, & *Amor*. Amos. 4: 2. Ps. 89: 36. Heb. 6: 13. 1. Joh. 1: 5. & 4: 8.

XX. Pessime igitur *Sociniani*, *Vorstius*, *Remonstrantes* omnimodam simplicitatem Dei negant, uti ostendimus, ubi egimus *de attributis in genere*. Stipula leviora sunt argumenta, quibus errores suos probare conantur. *Attributa* enim ab essentia non distinguuntur *realiter*, uti toties dictum est. Nec *ei insunt accidentaliter*: cum sint ipsa *essentia*. I. Si in Deo *multa sint attributa*; id dici debet nostro tantum concipiendi modo: sed tota istorum attributorum complexio ipsam constituit *simplicitatem*. II. Nec *S. S. Trinitas facit compositionem*, cum una tantum sit essentia, ut suo loco patebit. III. Nec *ulla tandem compositio oritur ex ejus actionibus*, quia Deus agit per unicum & simplicissimum nutum voluntatis suæ, quæ ab essentia non distinguitur.

*Objectiones.*

*Deus est immutabilis.*

XXI. Ut Deus est *simplicissimus*, ita & *Immutabilis*. (1. Est *Jehova qui non mutatur*. Malach. 3: 6. *apud quem non est transmutatio nec conversionis umbra*. Jac. 1: 17. *Rex immortalis & incorruptibilis*. 1. Tim. 1: 17. (2. Quidquid mutatur ab alio & fortiori mutatur. At Deo nihil datur fortius, cum sit ens summe perfectum. (3. Quicquid mutatur, vel in *melius*, vel in *deterius* mutatur. Non in *melius* mutaretur Deus, quia summa perfectio melius recipere non potest. Non in *deterius*, quia desineret esse Deus. (4. Quicquid mutatur, id mutatur vel *quoad essentiam*, vel quoad *accidentia*. Deus non mutatur *quoad essentiam*, quia desineret esse Deus. Nec quoad *accidentia*, cum nulla habeat. Est enim, uti demonstratum est, *simplicissimus*. Insulsum est, I. quod dicant *Mennonitæ*, *Christum mutatum esse ex Deo in hominem*: cum sit homo factus per incarnationem, assumendo naturam humanam, non mutando naturam divinam in humanam, quod esset impium cogitatu. II. Nec *mutat Deus consilia, decreta aut voluntatem suam*; ut nugatur *Vorstius* aliique. *Consilium meum stabit*, ait Deus, *& faciam omne beneplacitum meum*. Es. 46: 10. *Nec est homo qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat*. Num. 23: 19. Et si quædam animadvertatur *mutatio*, est in creaturis, non in Deo. Sed de hisce plura, ubi de *Consiliis*, & *Decretis* agendum erit.

*Objectiones.*

LO-

# LOCUS III.

# DE TRINITATE.

## CAP. VII.

*De Trinitate in Genere.*

I. EGimus de Deo οὐσιωδῶς, prout consideratur in natura sua; nunc de eo ὑποστατικῶς, adeoque de S.S. *Trinitate* agendum erit. Ante omnia sub incudem revocanda erunt vocabula *Natura*, *Essentia*, *Existentia*, *Suppositum*, *Persona* & *Subsistentia*, quibus vocabulis istud mysterium tradi solet.

II. *Natura* dicitur à *nascendo*, ut, stricte loquendo, solis creaturis attribuatur. Cum tamen significet etiam id ipsum quod est res, vel ipsam essentiam, non male Deo quoque attribuitur. Hinc falsi Dii dicuntur, *non natura Dii.* Οἱ μὴ φύσει Θεοί. Gal. 4:8. Græce φύσις, ὢν & οὐσία à verbo εἶναι. Hebræis תושיה Job. 12: 16. ab eodem verbo substantivo יש *est*: ut & apud Latinos *Essentia*, ab eodem verbo *est*. & יהוה ab היה *fuit*. Dicitur θειότης. Rom. 1:20. & μορφὴ τοῦ Θεοῦ. Phil. 2: 6.

*Natura quid?*

III. Omnis res, quæ habet *essentiam*, sive naturam, habet etiam *Existentiam*, quæ non debet concipi ut *modus rei*, sed ut actus ipse; nihil enim aliud est, quam *actus* quo res existit, non tantum in conceptu nostro, ut *rosa* tempore hyberno, sed *actu in se*. Cum *accidentia* proprie loquendo non sint *entia*, sed tantum substantiæ *modificatio*, sequitur *accidens* non habere *existentiam* nisi in ipsa *substantia*. Est igitur substantia *ens per se subsistens*, quæ scilicet nulla alia re ad existendum indiget præter solum Deum. Non autem est de essentia substantiæ ut *substet accidentibus*, ut patet in Deo, in quo nullum est *accidens*. Estque substantia vel *materialis*, & dicitur *suppositum*, vel *intellectualis* aut *spiritualis*, & dicitur *persona*.

*Existentia.*

*Substantia quid?*

IV. *Subsistentia* est substantiarum *modus*. Aliquando sumitur in *concreto*, & tunc significat *suppositum*, vel *personam*. Aliquando in *abstracto*, pro *modo* quo res dicitur subsistere. *Subsistentia* in *abstracto* non consistit in *incommunicabilitate*, per quam res non possit jungi cum alia, ad constituendum unum cum ea *suppositum*, sed in ipsa in-

*Subsistentia quid?*

*incommunicatione*, vel *negatione unionis cum alio*, *ad constituendum suppositum vel personam*. Subsistentiam non esse aliquid *possibile*, qualis est *incommunicabilitas*, sed id quod jam actu adfirmari potest, id est ipsam *præsentem negationem unionis cum alio*, patet (1. quia *subsistentia* dicitur de re quæ actu existit, & quæ actu cum alia non est juncta. Sic ex. gr. quælibet gutta aquæ habet suam *subsistentiam*, adeoque facit *suppositum*, quia cum aliis guttis *actu* non est unita, non quod ei non *possit* uniri. (2. quia quælibet substantiarum partes naturales à se distinctæ possunt constituere unum suppositum, & ex uno supposito plura fieri possunt. Ex. gr. mille guttæ alicujus liquoris, quamdiu sunt disjunctæ, quælibet habet suam subsistentiam, adeoque facit suppositum, tamen conjungi possunt omnes, & constituere unicum suppositum tantum. Ergo earum subsistentia non consistit in *incommunicabilitate*, (alias nunquam possent communicari aut jungi) sed in ipsa actuali *incommunicatione*: cum altera alteri non sit conjuncta. Idem dici potest de ramo separato ab arbore; suam enim habet subsistentiam, adeoque suppositum facit, uniri tamen & inseri potest trunco alicui, & cum eo facere unicum suppositum, unamque arborem. (3. Adde quod quilibet angelus suam habeat subsistentiam, adeoque sit persona; est enim *substantia singularis intelligens*. Ergo ejus subsistentia consistit in sola negatione unionis cum alio, quod cum nulla substantia sit junctus actu, sed non consistit in *incommunicabilitate*, quia per absolutam potentiam fieri posset, ut ad rem aliam ordinaretur, ad constituendum cum ea totum.

*Objectiones.* V. Inde tamen non sequitur I. *Si angelus assumat sibi corpus œconomicum, si homo conjungat sibi pallium, unum fieri suppositum angelum cum pallio*, quia angelus non jungeretur corpori œconomico, nec homo pallio, ut fieret unum suppositum, sive totum: nam *subsistentia* dicitur *negatio unionis*, non cum re qualibet, sed cum tali substantia cum qua fieret *suppositum*, vel *persona*. Adde quod retorqueri possit: Si *subsistentia* consistit in *impossibilitate conjunctionis*, tunc sequeretur omnem *conjunctionem* necessario ponere *suppositum*, adeoque angelum cum corpore, aut hominem cum pallio facere unum *suppositum*. II. Nec timendum est, *animam separatam a corpore esse personam*; cum, in eo esse ullam absurditatem, nondum probatum sit; quemadmodum non est absurdum, si dicamus: guttam vini, separatam à toto dolio, ramum avulsum ab arbore suam habere

bere subsistentiam, adeoque esse oppositum. Nemo negabit, cadaver ab anima separatum habere suam subsistentiam, adeoque esse suppositum sine anima. Cur ergo anima separata à corpore suam non habebit *subsistentiam?* cur non erit *suppositum* sine corpore? Si autem suam habet subsistentiam sine corpore, adeoque cum sit *suppositum*, quid erit si non persona? Cum omne *suppositum intellectuale* sit *persona*. Nec tamen inde sequitur: *in homine tres obtinere personas.* 1. *per conjunctionem corporis & animæ, seu totius compositi.* 2. *peculiarem animæ post separationem à corpore.* 3. *rursus compositi per redunionem in resurrectione.* Nam triplex tantum daretur status ejusdem personæ, non tres personæ. Alius esset status in hac vita, alius post mortem, alius post resurrectionem. In hac vita anima est persona cum corpore unum hominem constituens. Post mortem esset persona à corpore separata, ita ut non diceretur homo. Post resurrectionem iterum cum corpore hominem constituit: ut alius esset status totius dolii liquoris; alius guttæ separatæ; alius, si iterum uniantur guttæ. In quocunque statu sit liquor, tamen suam semper habet *subsistentiam*, adeoque facit *suppositum*. Sed hæc non sunt dogmata fidei, & quousque applicari possint rebus divinis, examinabimus ubi agendum erit de *incarnatione*.

VI. Ex his ultro constat, quid sit *suppositum?* Nempe substantia singularis, alteri non juncta, ut cum ea faciat totum. Ex. gr. hic lapis, hæc arbor est suppositum. Hæc gutta liquoris est suppositum, quamdiu cum altera non est juncta. *Personæ* vocabulum antiquitus in sola scena usum habuit, significans eum qui in Theatro comparuit. Hinc *personatus*, qui alium repræsentat ac ipse est, qui, cum sit *Iro* pauperior, tamen Regem & ditissimum *Crœsum* se fingit. Græcis dicitur πρόσωπον. Duobus vocabulis veteres usi sunt. Græci dicebant πρόσωπον & ὑπόστασις. Latini eodem modo *Persona* & *Subsistentia*, quæ eadem significant quæ Græca. Tutius fuisset, si retinuissent solum hoc vocabulum ὑποστάσεως, sic enim cum S. Scriptura loqueremur. Nam vocabulo ὑποστάσεως utitur Paulus Hebr. 1: 3. ubi Christum dicit ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Nihilominus cum vocabula *persona* & πρόσωπον in Ecclesia Christiana sint recepta, non temere debent rejici; verba enim valent usu. Sed & ipsum vocabulum πρόσωπον occurrit pro *homine* 2. Cor. 1: 11. quemadmodum apud *Ciceronem, Cornel. Nepotem* aliosque auctores non raro *hominem* significat;

*Suppositum quid?*

*Persona quid?*

*πρόσωπον & ὑπόστασις.*

æque ac apud Germanos, Gallos alioſque. Sunt qui putant hanc eſſe differentiam inter ὑπόστασιν & πρόσωπον, quod prius ſignificet quamlibet rem quæ habet ſubſiſtentiam, inanimatam non minus quam animatam, quam Scholaſtici *ſuppoſitum* vocant, *perſona* autem ſubſtantiam intelligentem; qualis eſt Deus, Angelus, & homo. Nihilominus tamen ὑπόστασις ſive *ſubſiſtentia* utrumque ſignificat, id eſt ipſam etiam ſubſtantiam intelligentem. Heb. 1: 3.

*ὑπόστασις & πρόσωπον.*

VII. In myſterio Trinitatis per ὑπόστασιν, ſi in concreto ſumatur, & per πρόσωπον nihil aliud intelligimus, quam ſubſtantiam intelligentem, ut & per Latinum *Perſona.* Delirant igitur Menonitæ aliique Syllabarum aucupes, cum in Eccleſia Chriſtiana nolint tollerare vocabulum *perſonæ;* quamvis in S. Scriptura *Patri*, *Filio* & *Spiritui S.* attribuantur omnia quæ perſonæ propria ſunt, ut poſtea patebit, ubi de Deitate filii & Spiritus S. agemus. Non opus erit ut multis probemus filium & Spiritum S. eſſe perſonas. Ubi enim probaverimus eſſe verum *Deum*, ultro ſequetur, eſſe etiam veras *perſonas.*

*Tres dari perſonas.*

VIII. In unica eſſentia Dei tres dantur *hypoſtaſes*, ſive *perſonæ;* *Pater*, *Filius* & *Spiritus S.* Hinc dicitur *Trinitas.* Germanice *dreyfaltigkeyt*, Belgice **Drievuldigheyt**, aliis tamen melius **Drieenigheyt**, *triunitas*, ad indicandum unam tantum eſſe *naturam*, quamvis tres dentur *perſonæ.* Et ſane quoties legimus tres dari perſonas in natura divina, non debemus talem conceptum formare, qualem formamus, quando concipimus tres perſonas finitas: cum nunquam poſſimus concipere tres perſonas inter homines, quin concipiamus tres naturas diſtinctas, adeoque tres homines. In Deo autem unica tantum concipienda eſt eſſentia, unica ſubſtantia, adeoque unicus tantum Deus, ſed tres ſubſiſtendi modi; ita ut in eſſentiæ unitate ſint tres ſubſiſtendi modi. Quamvis ne hoc quidem poſſimus ſatis clare concipere: quomodo in una eſſentia tres poſſint eſſe ſubſiſtendi modi, ita ut eſſentia non multiplicetur, nihilominus tamen credendum eſt, cum in verbo Dei ita revelatum ſit. Immo credere debemus eſſe *myſterium*, adeoque cum ſit myſterium à nobis perfecte capi non poſſe, quomodo ſit, & cur ita ſit. Ut vix doctius aut ſolidius poſſimus reſpondere ad cavillationes Socinianorum, quam ſi dicamus: nos hoc myſterium credere, quia in verbo Dei revelatum eſt, τὸ πῶς autem, id eſt quomodo id fieri poſſit, à nobis ignorari, nec capi poſſe, cum ſit *myſterium.*

*Vocabulum*

IX. Igitur in Eccleſia Chriſtiana tuto poſſumus adhibere vocabulum

bulum *Trinitatis*; ut male nonnulli illud ex Ecclesia Christiana proscribere voluerint, non minus quam vocabula *Personæ*, *Incarnationis*, *Sacramenti &c.* Nam etsi *Trinitas* αὐτολεξεὶ in Verbo Dei non legatur, tamen res ipsa exstat. Apostolus Johannes 1. Ep. 5: 8. de *tribus* loquitur. Sed de his inferius plura dicenda erunt.

*Trinitas retineri potest.*

X. Sunt qui putant tres personas ab essentia distingui *ratione*, & quidem *ratione rationata*: quia ab essentia non differunt *re*, sed tantum quod putent hanc distinctionem habere fundamentum in re. Sed hæc distinctio multis displicet, quia locum habet in *attributis* Dei, uti suo loco ostendimus. Alii igitur *modalem* distinctionem putabant. At, si accurate loqui velimus, nec *modus* Deo attribui potest; cum *modus* sit tantum rerum finitarum, & semper ponat aliquam *compositionem* & *mutationem* in rebus modificatis: quæ in Deo locum habere non possunt, cum omnia possideat per essentiam, adeoque præter essentiam ei nihil attribui possit. Cum tamen dicamus in unica essentia dari *tres modos subsistendi*, adeoque quasi *modos* concipiamus, posset sano sensu dici, personas ab essentia distingui *modaliter*, sed improprie & quasi per analogiam aliquam: ut intelligamus per *modum*, quod alicui attribuitur, modo aliquo eminenti, quod à nobis, accurate loquendo, nec concipi nec exprimi potest. Quicquid enim de mysterio Trinitatis concipimus, eo redit: nempe Deum in verbo suo se nobis manifestasse, ut *Deum unum*, sed ita ut in unica ista essentia sint quædam, quæ non sunt nuda tantum nomina, aut denominationes, aut attributa, sed quæ alio modo differant, quamvis nullum possimus formare conceptum, quomodo differant.

*Quomodo personæ distinguantur ab essentia.*

XI. Quæstio est non minus ardua, quomodo ipsæ personæ à se invicem distinguantur? *Sabelliani* olim, & *Servetus*, sæculo præterito, unicam tantum credebant personam, sed propter varias operationes & diverso respectu illam personam dici nunc *patrem*, nunc *filium*, nunc *Spiritum S.* eodem modo quo varia Deo adscribuntur attributa, quæ tamen non aliter ab ipsa essentia divina distinguantur, quam secundum varia effecta, & ad nostrum concipiendi modum. Sed hæc sunt falsissima, cum Sacra Script. loquatur de *Patre*, *Filio* & *Sp. S.* non ut de tribus attributis, sed ut de tribus *personis*, eisque omnia illa attribuat, quæ personis conveniunt, ut patebit. *Philoponus*, *Valentinus Gentilis*, aliique *Tritheitæ*, uti inde dicti sunt, ad aliud extremum delapsi sunt, ut crederent, non tantum

*Personæ quomodo à se invicem distinguantur.*

tum tres perſonas, ſed tres Spiritus, adeoque tres Deos; Sed hanc impietatem exploſimus, ubi oſtendimus pluralitatem Deorum repugnare ſummæ Dei perfectioni.

*An Diſtinctio realis?*

XII. Nonnulli *realem* ponunt diſtinctionem, inter tres perſonas. Non ſtricte, quaſi in Deo darentur plures res, quæ inter ſe differant, ſic enim Deus eſſet compoſitus, aut tres darentur Dii, ſed ſenſu aliquo amplo & lato, quia perſona revera à perſona diſtincta eſt, extra noſtrum conceptum, ut à cerebro humano conficta non ſit. Alii autem, cum hæc diſtinctio nimis ſit lata, aliiſque rebus accommodari poſſit, *modalem* dicebant diſtinctionem: cum ipſæ perſonæ conſtituantur per modus exiſtendi incommunicabiles, quales ſunt *generare* in *Patre*, *generari* in *Filio*, & *ſpirari* in *Spiritu S.* Nihilominus ſi *modus* ſumatur, prout ſua natura ſonat, id quod *modificat*, & aliquam compoſitionem atque mutationem ponit, *modalis* quoque dici non poterit. Cum in Deum nullus poſſit cadere modus, aut modificatio, ut ſuo loco oſtendimus. Igitur, rigide loquendo, perſonæ divinæ nec *ratione*, nec *reali* nec *modali* diſtinctione diſtinguuntur.

*An Modalis?*

*An Perſonalis?*

XIII. Alii itaque hanc diſtinctionem dixerunt *perſonalem.* Sane cum ſit diſtinctio inter *perſonas*, deberet etiam dici *perſonalis.* At quæſtio ſemper manet, quænam ſit illa diſtinctio *perſonalis?* Utrum *rationis* an *realis*, an vero *modalis?* Dicendum igitur eſt, id à nobis ignorari. Nam cum idem in creaturis non occurrat, ut tres perſonæ unam ac ſimpliciſſimam conſtituant eſſentiam, ſequitur ejuſmodi diſtinctionem à nobis cognoſci non poſſe, cum ejus nullum formare poſſimus conceptum. Unde quoque ſequitur, nos nullum poſſe invenire vocabulum ſatis aptum, ad iſtam diſtinctionem exprimendam. Ut adverſariorum cavillis ſuper hac re, nunquam ſolidius nec verius reſpondere poſſimus, quam ſi dicamus: nos iſtam diſtinctionem nec capere, nec exprimere poſſe: ſed credendum eſſe, dari tres perſonas diſtinctas in unica natura divina, cum in verbo Dei ita revelatum ſit.

*Perſonæ diſtinguuntur proprietatibus perſonalibus.*

XIV. Ut ut ſit, certum eſt tres perſonas diſtingui proprietatibus perſonalibus. *Pater* dicitur *generare* filium, & cum filio emittere Spiritum S. Hinc *prima* perſona dicitur αὐτοφυὴς & αὐτογένετος. *Filius* dicitur à patre *generatus.* Pſal. 2: 7. *Filius meus es, hodie genui te.* Et ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Hebr. 1: 3. Et εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, καὶ πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Col. 1: 15. Hinc &

ſe-

*secunda* persona dicitur. *Spiritus S.* dicitur *spiratus* & *procedens* à patre & filio. Hinc vocatur *Spiritus veritatis, qui à patre emittitur.* Joh. 15: 26. & *tertia* persona. Hoc sane ordine recitantur Matth. 28: 19. *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Et 1. Joh. 5: 7. *Tres sunt in cœlis qui testantur, Pater, Sermo, (filius) & Spiritus S.* Igitur Patris proprietas personalis est *generare* filium. *Filii* proprietas est *generari.* Et *Spiritus Sancti* proprietas *spirari* vel *procedere* à patre & à filio. Unde apparet personas constitui, non per ipsas relationes, sed per *relationum fundamenta*; qualia sunt ἀγεννησία in *Patre*; *Generatio* in *filio*; & *spiratio* in *Spiritu S.* Quamvis igitur proprietates personales exprimantur nominibus relativis, illæ tamen relationes *patris, filii,* & *Spiritus S.* male dicuntur à Scholasticis *entia realia* & *substantiæ per se subsistentes.* Sic enim plura *entia*, plures *substantiæ* essent in Deo; unde Deus deberet esse compositus, aut multiplex. Quidquid etiam Scholastici disputent de *Relationibus* divinis & notionibus, deque distinctione inter *Relationes* & *Notiones*, plus habet subtilitatis quam soliditatis, & magis tendit ad intricandum hoc mysterium, quam ad explicandum.

*Patris proprietas Personalis est generare. Filii generari, Sp. S. spirari.*

XV. Secundam personam à patre *generari*, exsertis verbis dicitur. Psal. 2: 7. *Filius meus es, hodie genui te:* qui locus nec de Davide, nec de ulla creatura intelligi potest, cum ibi filio attribuantur tot res, quæ non nisi summo Deo attribui possunt. Veluti quod debeat possidere *fines terræ hæreditatem*, quod ad eum omnes debeant *confugere*, id est in eum credere, & *confidere.* In Hebræo habetur verbum חסה, quod semper Deum respicit, id est, non semper est qui confugit ad Deum, non ad creaturam. vide vers. 8, 11. Hinc & *genitus*, immo *unigenitus* dicitur; & quidem *habere gloriam ut unigeniti à patre.* Joh. 1: 24. Deus dedit *filium unigenitum.* Joh. 3: 16. Et πρωτότοκος. Hebr. 1: 6. Col. 1: 15, 16, 17. Sic & *filius* vocatur. Prov. 30: 4. *Et quod nomen filii ipsius.* Et *filius Dei.* Luc. 1: 35. *Filius Dei proprius.* Rom. 8: 32. *Filius Dei dilectus.* Matth. 3: 17. יחיד *unicus.* Zachar. 12: 10. *Filius Dei benedicti.* Marc. 14: 61, 62. Se *demonstrasse filium Dei in potentia, per resurrectionem mortuorum* dicitur. Rom. 1: 4. Quæ omnia non possunt intelligi de aliqua adoptione, sed de vera generatione, ut sit *filius* Dei per naturam. Adeoque tali sensu *nemini, nec angelo ulli, unquam dictum est: tu es filius meus, hodie genui te.* Hebr. 1: 5. Ut optime Judæi judicaverint Christum, quum *diceret se Filium Dei*, se reddidisse *æqualem Deo.* Joh. 4: 18, 19.

*Secunda persona dicitur generari.*

XVI.

*Non generatur essentia; sed persona.*

XVI. Cum autem unicus tantum ſit Deus, patet per hanc generationem non generari *eſſentiam*, ſed *perſonam* tantum, quamvis tamen eſſentia perſonis communicetur: cum Pater, Filius & Spiritus S. poſſideant eandem eſſentiam. Et eadem quidem eſſentia communicatur filio, non ſpecie tantum, ut fit in hominibus, ſed numero. Ergo non alius *Deus* à Patre eſt genitus, ſed tantum alia in Deitate *perſona*. Eſt igitur hæc generatio plane ſupernaturalis & myſtica, à qua removeri debet, quidquid mutationis & imperfectionis in generatione creaturarum reperitur. Non, ut inter homines, pater eſt alius à filio ratione eſſentiæ, nec partem ſubſtantiæ amittit; ſed eandem eſſentiam infinite perfectam filio communicat. Non eſt prior filio tempore; ſed filius eſt æternus æque ac pater. Nec filius ob generationem hanc à patre dependet, ſed ſupremus & independens eſt Deus, qui & pater. Non certo aliquo momento fit hæc generatio, ut poſtea ceſſaret; ſed ut hæc generatio eſt æterna, ita æterna quoque manet. Eſt itaque generatio *impropria*, ſi conferatur cum generatione creaturarum; ſed tamen *propria in divinis*, quamvis myſtica, & à nobis capi non poſſit. Nec in dubium revocari poteſt, non magis quam ipſa Trinitas Perſonarum in una Eſſentia.

*Generatio fit ἀκαταλήπτως, ἀχρόνως.*

XVII. Et hæc quidem veteres ſolebant dicere facta eſſe *ἀκαταλήπτως*, *incomprehenſibiliter*: nam *generationem ejus quis enarrabit?* Eſ. 53: 8. Deinde *ἀχρόνως ſine tempore.* Pſalmo 2. *Hodie* (id eſt *ab æterno*) *genui te.* Mich. 5: 1. *Egreſſiones ejus ſunt ab antiquo, à diebus ſæculi.* Prov. 8: 22, 23. *Dominus poſſedit me à principio viæ ſuæ.* Joh. 1: 1. *In principio fuit verbum & verbum erat apud Deum.* Joh. 8: 58. *Antequam Abraham fuit, ego fui.* *ἀχωρίστως inſeparabiliter.* Joh. 1: 1. & 14: 10, 11. *Ego ſum in patre & pater in me eſt.* *ἀπαθῶς ſine paſſione.* Cum nec *pater* nec *filius* quidquam per iſtam generationem paſſi ſint. Hinc patet *proprietates* perſonales non debere appellari *perfectiones*, quaſi una perſona altera perfectior eſſet: cum tres perſonæ eandem poſſideant eſſentiam. Nec ideo, quia pater *generat* filium, ejus *cauſa* dici poteſt, ſed tantum principium relationis: quia *eſſentia* in divinis nec generat, nec generatur. Ut ſatis incaute ex *Remonſtrantibus* nonnullus in patre poſuerit aliquam dignitatem & poteſtatis prærogativam, perſonaſque Trinitatis non *coordinatas*, ſed *ſubordinatas* dixerit, quaſi inæqualiter poſſiderent divinitatem. Cum tamen in verbo Dei nullum diſcrimen inter tres perſonas ponatur, niſi reſpectu I. *ordi-*

*ἀχωρίστως.*

*ἀπαθῶς.*

*dinis*, quatenus *Pater* dicitur *prima* persona, *Filius secunda*, & *Spiritus S. tertia.* Matt. 28: 19. 1. Joh. 5: 7. II. *Operationis:* cum Pater *à se*, Filius *à patre*, & Spiritus S. *ab utroque* agere dicatur. Sic Pater dicitur *misisse Filium.* Gal. 4: 4. Filius *missus* à patre. Spiritus S. ab utroque *procedere.* Joh. 14: 26. & 15: 26. Patri attribuitur *creatiò*, Filio *Redemptio*, & Sp. S. *Sanctificatio.*

XVIII. Quemadmodum *Patris* proprietas est *generare*, quia filium generavit: *Filii generari*, quia à Patre est genitus: ita proprietas *Sp. S.* est ἐκπορεύειν *procedere* vel *spirari*, quia à Patre & filio procedit. Per hanc autem ἐκπόρευσιν non intelligenda est talis *processio*, qua effectus procedit à causa sua, quemadmodum mundus dicitur processisse à Deo, Cain ab Adamo patre suo. Sed quemadmodum *generatio* Filii Dei plane alio sensu sumi debet ac generatio hominis, ita & *Processio* Spiritus S. Nullam enim ponit in Spiritus S. dependentiam, imperfectionem, posterioritatem temporis, aut minorem dignitatem. Hoc tamen certum est, dari aliquam distinctionem inter *generationem* Filii, & *Processionem* Spiritus S. quemadmodum inter ipsas personas. Sed quemadmodum distinctionem personarum capere non possumus, ita nec distinctionem inter *generationem* Filii & *processionem* Spiritus S. Ut ut sit, hoc novimus: Filium *generari* & Spiritum S. *procedere.* Nusquam legimus Spiritum S. *generari*, sed tantum Filium.

*Proprietas Sp. S. est procedere.*

XIX. Procedit autem Spiritus S. non à solo Patre, ut docet Ecclesia Græca, sed à Patre & Filio. (1. quia non minus *Filii* quam *Patris* Spiritus dicitur. Joh. 16: 15. Et *Spiritus Christi.* Rom. 8: 9. Phil. 1: 19. Gal. 4: 6. 2. Thess. 2: 8. (2. quia *Christus* dicitur *mittere* Spiritum S. non minus ac Pater. Joh. 15: 26. & 16: 7. (3. Die Pentecostes per *Filium* effusus est Spiritus S. æque ac per Patrem. Act. 2: 33. (4. quia Spiritus S. de *Chr. accepit quod renunciaret nobis*; & Pater eum misit in nomine *Filii*, Joh. 14: 26. & 15: 26. (5. Idem docet *Christus* symbolo externo *spirationis.* Nam afflavit Apostolos suos & dixit: *recipite Spiritum S.* Joh. 20: 22. Quamvis dicatur Joh. 15: 26. παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, non sequitur tamen, eum à Filio etiam non processisse; cum alibi affirmetur eum etiam à *Filio* processisse, uti ostendimus. Sed & intelligi hic potest processio *temporalis* & œconomica, in salutem Ecclesiæ, non *æterna.* Qui ex Græcis dicunt Spiritum S. *procedere à Patre per Filium*, non adeo absurdi sunt; cum Pater omnia per Filium operari dicatur.

*Objectio.*

XX. Hæc de *natura, essentia, existentia, supposito, persona* & *subsistentia*. De *distinctione* personarum ab essentia, & personarum inter se ipsas, deque *proprietatibus personalibus*, *generatione Filii*, & *spiratione Sp. Sancti*. Nunc quædam dicenda erunt de S. S. *Trinitate* ipsa, nec non de *divinitate Filii* & *Spiritus S.* Trinitatem ex ratione probari posse, nullo modo credimus, cum sit *mysterium*, & ejus nullum possimus formare conceptum, saltem in hoc corrupto statu peccati. Quicquid enim captum nostrum superat, ut ejus conceptum non possimus formare, id etiam ex ratione non possumus demonstrare. Immo inter *mysteria* non esset censendum si à nobis capi, & per rationem demonstrari posset. I. Non enim sequitur: *si Deus est summe perfectus, ergo tres debent dari in ejus essentia personæ.* II. Nec si *bonus* est & *omne bonum sui est communicativum*. Cum multæ res sint bonæ, quæ tamen se non communicant, præterquam quod Deus suam bonitatem possit communicare, eo modo & tempore quo vult. III. Nec ex *intellectu*, quasi *se intelligendo necessario deberet generare Filium, personam sibi similem.* IV. Nec ex *voluntate; quod se amando emitteret Spiritum S.* cum intellectus & voluntas sint ipsa essentia Dei. Adde quod *intelligere* & *velle* sint Dei actiones essentiales, non personales. V. Nec ex *Potentia* Dei sequitur *Trinitas*. Nam si Deus per æternam potentiam & actuositatem necessario deberet producere personas, non sequeretur eum debere tres producere, nec magis sequeretur eum producere tres personas, quam plures Deos. VI. Nec quicquam probant similitudines desumptæ à *sole*, *radio*, & *luce*, aut ab *iride* ejusque *coloribus*. Nec à *Triangulo*, & tribus lateribus, à *trina dimensione corporis*, à *fonte* & *rivulis*. Cum omne simile claudicet, præsertim quum res spirituales nihil commune habeant cum ejusmodi rebus corporalibus. VII. Nec ab *intellectu*, *voluntate* & *memoria in anima humana*. Cum ab ipsa mente revera non distinguantur, sed tantum diversi sint cogitandi modi: præterquam quod in Deo intellectus & voluntas sint ipsa essentia Dei, ut dictum est. VIII. Quæ adferuntur *ex fragmentis Sybillarum*, *Platonis*, *Trismegisti aliorumque*, maximam partem falsa sunt, aut ab auctoribus aliter intelliguntur. Tandem si ullam illius mysterii habuerunt cognitionem, eam hauserunt à veteri Ecclesia Judæorum.

*Trinitas non potest probari ex ratione.*

*Argumenta eorum qui credunt Trinitatem demonstrari posse ex Ratione.*

XXI. *Angelis* hoc mysterium esse notum, dubitare non debet: cum Deum adorent, talem qualis est, Patrem, Filium & Spir. S. *Adamo* quoque in statu integritatis notum fuisse certum est.

*Trinitas nota est Angelis, & Adamo.*

est. (1. quia Deum debuit recte adorare, ergo & rectam debuit habere de Deo sententiam. (2. quia ei Filius Dei repræsentatus fuit, per *sacramentum arboris vitæ*, uti suo loco ostendemus. Utrum autem specialem hujus mysterii, habuerit revelationem, an vero aliam innatam ideam Dei in isto statu perfecto, ac nos post corruptionem, non opus est ut operose inquiramus. Ab Adamo tamen cognitionem hujus mysterii propagatam fuisse ad Patriarchas, dubitari non debet. A patriarchis, tandem à Mose & Prophetis propagatum est usque fere ad tempora Christi, circa quæ tempora, Religione paulatim Pharisæorum tricis deturpata, hoc mysterium è corde multorum deletum est.

*Trinitas probatur.*

XXII. Probatur S. S. *Trinitas* (1. ex locis, ubi fit mentio de *pluralitate* personarum. Genes. 1: 1. *Ab initio* אלהים *creavit cœlum & terram.* Vix dubitari potest quin Deús exprimatur vocabulo, quod pluralitatem significat, ob pluralitatem personarum. Unde forte & ipsi Ethnici plures Deos finxerunt. Quamvis non ignorem אלהים etiam dici de persona una, ut de *Aharone*, qui dicitur אלהים Mosis. Exod. 4: 16. quemadmodum & ארונים de *Pharaone*. Gen. 40: 1. & 42: 30. Scio quod & falsis Diis attribuatur, ut *Dagoni*. Jud. 16: 23, 24. Quod alia vocabula reperiantur, quæ, ut ut sint pluralia, tamen singularem rem denotant, ut בעלים Es. 1: 3. בהמות Joel. 1: 20. Inde tamen non sequitur quod אלהים ab origine non significaverit tres personas S. S. Trinitatis. Usu enim vocabula mutantur, & varias significationes assumunt. Pluralitatem personarum probant hæc loca. Genes. 1: 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Et cap. 3: 22. *Ecce homo factus est ut unus ex nobis.* Inepte dicunt *Judæi* & *Sociniani*, Deum in istis locis alloqui *angelos*; cum angelorum sapientiam & potentiam superet creatio hominis. Non enim possunt ex nihilo producere animam hominis. Multo minus dici potest: Deum introduci tanquam potentissimum aliquem regem, qui de se loquatur in plurali numero, ut majestatem suam exprimeret. Hic enim non est stilus Linguæ Hebrææ. Quamvis fortassis aliquis solus loquatur, tanquam de pluribus, ut *Bildad* Job. 18 & alibi: id intelligi debet, quo loquatur nomine plurium. ... & unum tanquam plures alloquitur. Nec talis loquutio nota ... apud Orientales: nam non nisi posterioribus sæculis ab occidentalibus populis ad Orientales transiit. Et Genes. 19: 24. *Deus de* ... loquitur. *Jehova pluit super Sodomam sulphur & ignem a Jehova.* Et

*Exceptio.*

*Exceptio.*

Pf. 45: 8. *O Deus! Deus tuus unxit te.* Pf. 110: 1. *Dominus dixit domino meo.* Hof. 1: 7. *Salvabit eos Deus per Jehovam Deum ipsorum.* Deut. 9: 17. *Exaudi Deus noster propter Dominum.*

*Probantur tres personæ.* XXIII. Quamvis in hifce locis non dicatur præcife dari tres perfonas, plures paucioresve, nihilominus tamen. (2. ex aliis locis conftat tres dari, non plures nec pauciores. Hæc non obfcure indicantur. Num. 6: 24, 26. *Benedicat Jehova: Faciem lucere faciat Jehova; tollit faciem Johova fuper te.* Conftat ex τρισαγίῳ *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova exercituum.* Ef. 6: 3. Et tribus viris qui יהוה dicuntur. Genef. 18: 19. Dan 9: 10. Pfalmo 33: 6. *Cœli facti funt verbo Domini, & omnes eorum exercitus per Spiritum oris ejus.* (3. Clarius explicatur in Novo Teftamento. Matth. 28: 19. *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Baptizari* in nomine alicujus, fignificat *confecrari* ad ejus cultum. Eft enim baptifma *atteftatio bonæ confcientiæ coram Deo.* 1. Pet. 3: 21. Dicuntur quidem fideles Veteris Teft. Baptizari εἰς τὸν μωσῆν. 1. Cor. 10: 2. id eft *per minifterium Mofis*, ut & *in Baptifmo Johannis*, Act. 19: 3. fecundum baptifma & ad ritum externum baptifmatis Johannis. Non autem *in nomine Mofis*, aut *in nomine Johannis.* 1. Joh. 5: 7. *Tres funt qui teftantur in cœlis: Pater, Sermo, & Spiritus Sanct. & hi tres unum funt.* Futile eft quod *Sociniani* excipiant; intelligendam effe *unitatem teftimonii* & *confenfus*, non de *unitate effentiæ.* Nam eo ipfo quod fit unitas confenfus, tres perfonæ debent habere unam effentiam. Quicquid enim Deus non eft, illud eft mutabile & errori obnoxium. Verum etiam eft, verba ifta non exftare in multis codicibus Græcis & aliarum linguarum, ut ipfe *Lutherus* eum etiam in prima verfione omiferit; tamen ab Orthodoxis non eft infractus, ut contendunt *Sociniani;* cum legatur in multis codicibus purioribus vetuftiffimis. Potius ex quibufdam codicibus erafus eft, ab antiquiffimis *Antitrinitariis.* Adeo verum eft locum in vetuftiffimis & optimis codicibus extitiffe, ut ipfi *Sociniani* in verfione fua Germanica Racovii impreffa anno 1630. locum iftum non omiferint. Matth. 3: 16, 17. *Pater* apparet in voce: *Hic eft Filius meus* &c. *Filius* in natura humana: & *Spir. Sanct.* in figura columbæ. Et Joh. 14: 16, 17. *Rogabo patrem, & dabit vobis alium paracletum.* Ubi *Pater* rogatur à *Filio & Spiritus Sanct.* datur. Ergo conftat tres dari perfonas in unica effentia divina. Sed hæc clariora fient, ubi probaverimus *Filium* & *Sp. S.* effe verum & fummum Deum cum *Patre.*

*Exceptio.* (margin, beside "excipiant")

*Exceptio.* (margin, beside "Lutherus")

XXIV.

XXIV. Quæ *Sociniani*, *Judæi* aliique *Antitrinitarii* solent opponere contra Sanctum hoc mysterium, nullius sunt momenti. Nam I. omnia ista loca, ubi fit mentio de *uno Deo*, veluti Deut. 6: 4. *Jehova Deus noster*, *Jehova unus est*. 1. Cor. 8: 4, 6. *Nobis est unus Deus pater omnium*. Ephes. 4: 6. *Unus est Deus* &c. 1. Tim. 2: 5. & ejusmodi alia, intelligenda sunt de unitate *essentiæ*, non *personæ*. Nec procedit. II. *Unum non sunt tria; Deus est unus; ergo non sunt tres*. Verum enim est, *unam essentiam* non esse *tres essentias*, unam *personam* non tres *personas*: Verum tamen etiam est, unam essentiam subsistere in tribus personis. Nec ideo III. *si Pater est Deus*, *Filius est Deus*, & *Spiritus Sanctus Deus*, *tres dantur substantiæ*, sive *tria infinita*: quia unica tantum est essentia, una *substantia*, unicum *infinitum*, in tribus personis. Et quamvis IV. *Persona sit substantia individua intelligens*, inde tamen non sequitur, *Patrem*, *Filium & Sp. Sanct. quia sunt tres personæ*, *etiam esse tres substantias*. Cum in divinis res aliter se habeat, & tres personæ possideant eandem essentiam, in quo versatur totum mysterium. Nec V. *tres dantur*, *scil. essentia & tres personæ*, quia personæ ab essentia non distinguuntur realiter. Possident enim tres personæ eandem essentiam. Merum sophisma est, quando dicunt VI. *Deus est una essentia in tribus personis*, *Patre*, *Filio*, *& Sp. Sancto. Pater est Deus. Ergo pater est tres personæ*, *Pater*, *Filius & Sp. Sanctus*. Nam ex puris particularibus nihil concluditur. Præterquam quod syllogismus sit in prima figura, ubi major deberet esse universalis. Ejusdem commatis est hoc argumentum. VII. *Pater est verus Deus. Filius non est Pater. Ergo Filius non est Deus*. Syllogismus enim est in prima figurâ, adeoque minor deberet esse affirmans. Ergo talis deberet esse Syllogismus in forma: in secunda figura. *Omnis persona divina est Pater. Filius non est Pater. Ergo Filius non est persona divina*. Tunc negatur major: cum & Filius & Spiritus Sanct. sint personæ divinæ. Falsa etiam est consequentia: VIII. Si *Pater habet totam essentiam*, *Filius totam*, *& Sp. Sanct. totam. Ergo tres sunt essentiæ*. Habent enim tres personæ unam tantum essentiam. Nec probabunt unam tantum esse personam, ex hoc axiomate. IX. *Quæ conveniunt in uno tertio*, *conveniunt inter se. Pater*, *Filius & Sp. Sanct. conveniunt in uno tertio*. Idem enim sunt respectu tertii, in quo conveniunt. Sed conveniunt in *essentia*, ergo eadem est tribus personis. At non conveniunt in *persona*. Hoc sophisma X. *Essentia divina est Pater*, *Essentia divina est Filius. Ergo Filius est pater*, habet quatuor terminos. Nam in

*Argumenta adversar.*

in majori intelligitur essentia divina characterizata per *ἀγεννησίαν*, qualis est *Pater*. At in minori characterizata per *generationem*, qualis est *Filius*. Tandem impie dicunt. XI. hoc dogma de S. S. *Trinitate non habere usum practicum;* cum sit fundamentum totius Religionis Christianæ, & cum contineat *mysterium pietatis*. 1. Tim. 3: 16. Nisi enim hoc statuatur, justitiæ divinæ nunquam satisfactum fuerit pro peccatis nostris, adeoque nulla certitudo peccata nobis esse remissa, nullaque consolatio fuerit.

## CAPUT VIII.

*De Deitate Filii & Spiritus Sancti.*

I. EX præcedenti disputatione satis probatum patet mysterium S. S. *Trinitatis*. Nihilominus clarius patebit veritas, ubi ostenderimus *Filium* & *Spiritum Sanct.* esse verum Deum. De *Patre* nulla est quæstio. Ergo demonstrandum erit: *Filium* & *Spiritum S.* æque esse Deum ac *Patrem*, unde necessario colligitur revera tres esse personas, in una essentia divina. Filium autem esse verum summum Deum, probatur ex ejus 1. *Nominibus*, 2. *Attributis*, 3. *Operibus*. 4. & *cultu divino*. (1. Ex *nominibus;* dicitur enim α אלהים Ps. 45: 7. *O Elohim solium tuum est in æternum*, & vers. 8. *Unxit te, o Elohim, Deus tuus.* Et Psalmo 68: 8, 9. Ubi plus semel אלהים vocatur. Istum autem Psalmum intelligendum esse de Christo, docet Paulus Ephes. 4. Et Psalmo 82: 1. *Elohim judicat in medio Elohim:* id est *Christus* sedit in medio principum *populi Judaici*, qui erant etiam Elohim sub Vet. Test. Christi *consortes*, & typi veri Dei & Elohim futuri Jesu Chr. eosque redarguit sceleris. β ארון *Dominus*. *Dixit Dominus Domino meo.* Ps. 110: 1. Malach. 3: 1. *Et subito veniet dominus quem queritis.* Quamvis hæc nomina *Elohim* & *Adon* etiam creaturis aliquando attribuantur, tamen *Deum* sæpissime significant, præsertim ubi in tali sensu proponuntur. Adde quod in hisce locis *Filius* dicatur *Elohim* eodem modo quo & *Pater*. γ. Et יהוה *Jehova* dicitur. Es. 40: 3. *Præparate viam Jehovæ:* id est Christo, ut explicatur Marc. 1: 2, 3. Matth. 3: 3. *Servabo eos per Jehovam.* Hos. 1: 7. At servati sumus per Christum, cum nulla alia detur salus. Act. 4: 12. *Regem Jehovam Deum exercituum viderunt oculi mei.* Es. 6: 5. Ille autem Rex est *Christus*. Nam hæc dixit Esaias cum videret gloriam J. Chr. Joh. 12: 40, 41. *Jehova* misit

*Christus vocatur Deus in Vet. T.*

*Exceptio.*

sit serpentes ignitos, & Judæi dicuntur *Jehovam tentasse.* Num. 21: 5, 6. & 14: 22. Ps. 95: 9. Hæc de Christo iterum dicuntur. 1. Cor. 10: 9. quod is tentatus fuerit, quare à serpentibus perierint. Ps. 102: 17, 20, 27. *Jehova apparuit cum gloria sua &c.* Paulus hæc de Christo vult intelligi. Hebr. 1: 10. Et Ps. 68. *Jehova ascendit in altum.* Is erat Christus, explicante Paulo. Ephes. 4: 8, 9. Tandem Christus dicitur *Jehova justitia nostra.* Jerem. 23: 6. quod non nisi de Christo intelligi potest, ut ex toto contextu patet. Ineptiunt *Sociniani*, quando dicunt יהוה etiam convenire creaturis, & Jeremiam intelligere per יהוה urbem Hierusalemitanam: quia dicitur יקרא לה יהוה וגו'. Indicatur hac phrasi tantum, quod Deus justitiam suam maxime manifestaturus sit Hierosolymis, uti revera ibi factum est in Chr. *servo justo* Dei, & qui ipse est *justitia nostra.* Eodem modo ut & Ezech. 48: 35. *Et urbis nomen erit* יהוה שמה *Jehova ibi est.* Cum ibi revera habitaverit, ibi passus sit, ibi resurrexerit, in cœlum ascenderit, ibique Spiritum S. effuderit. Si igitur Christus est *Jehova*, est etiam summus Deus; cum non nisi de solo summo Deo dicatur. Ps. 83: 19. *Tibi soli est nomen Jehova.* Es. 42: 8. *Ego sum Jehova, hoc est nomen meum.* Nehem. 9: 6. *Tu solus es Jehova.* Quod dicant *Sociniani*, etiam *Angelum* vocari יהוה Genes. 18. falsum est, cum iste angelus sit ipse summus Deus.

*Exceptio.*

II. In Novo Testamento dicitur Θεὸς expressis verbis. 1. Joh. 5: 20. vocatur *verus Deus & vita æterna.* Et Rom. 9: 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est supra omnes Deus benedictus in sæcula.* Gratis à *Socinianis* dicitur: hic esse apostrophen ad Patrem, adeoque *Patrem* non *Filium* vocari Deum. Quod quam falsum sit, constat: cum de solo Christo fiat mentio, qui est secundum carnem ex patribus. *Deus est manifestatus in carne.* 1. Tim. 3: 16. Non Pater est *manifestatus* in homine, ut volunt *Sociniani*, cum nullum esset mysterium, non magis ac si diceretur in Mose manifestatus. Sed Christus, qui *visus est angelis, prædicatus gentibus* &c. qui fuit Deus ab æterno, manifestatus est, in natura humana: id est *sermo* æternus caro *factus est.* Joh. 1. *Est magnus Deus & Servator.* Tit. 2: 13. *Deus ecclesiam redemit sanguine suo.* Act. 20: 28. Erat *in forma Dei & non putavit raptum esse æqualem Deo.* Phil. 2: 6. Non per raptum & arrogantiam se dixit Deum, ut Reges sub Vet. Test. impii, qui Dii [illegible] volebant, tanquam consortes & picturæ veri Dei J. Chr. & ut Antichristus. 2. Thess. 2: 4. & Imperatores Romani, qui etiam inter

*Christus vocatur Deus in Test. Novo.*

*Exceptio.*

ter Deos referri volebant, & *Divi* dicti sunt: sed *verus Deus* erat. Nec infringit vim hujus loci, quod dicatur *in forma Dei.* Hæc enim loquutio significat *verum Deum:* quemadmodum esse *in forma servi*, significat non fictum, sed *verum servum.* Falsum est, Christum fuisse in forma Dei per *gloriam miraculorum;* & in forma servi quando eam deposuit: cum eam nunquam deposuerit. Fecit enim miracula in profundissima exinanitione; ut patet, dum penderet in cruce, & in sepulchro ipso, ex quo surrexit propria sua potentia. Sed & *omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo corporaliter.* Col. 2: 9. id est non per umbras ut in Vet. Test. sed in veritate, prout veritas *corpus*, & cærimoniæ ac picturæ Vet. Test. umbræ dicuntur. Hebr. 10: 1. Insulsum est, quod *Sociniani* per *Deitatem* significari velint *doctrinam* aut *cultum Dei.* Adde quod ibi agatur de Christi *persona*, non autem *doctrina.* Tandem Christus ipse docet in eo consistere vitam æternam, ut agnoscatur *verus Deus.* Joh. 17: 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Chr.* Falsissime docent *Sociniani, solum verum Deum* referri ad *Patrem* tantum, & opponi *Jesu Christo.* Opponitur enim *falsis Diis* & Pater & Filius. Nec quicquam juvat hæresin, quod Τὸ *solum verum Deum*, præponatur, & *Christus* sequatur. Nihilo tamen minus uterque est *verus Deus.* Ejusmodi phrasin vide 1. Cor. 9: 6. quamvis Τὸ *solus* immediate jungatur cum Paulo, tamen idem quod de *Paulo* adfirmatur, de *Barnaba* quoque intelligi debet.

*Exceptio.*

*Exceptio.*

*Christi divinitas probatur ex ejus attributis.*

III. Secundo probatur divinitas Christi ex *attributis* divinis, quæ ei attribuuntur. Cum enim attributa Dei sint ipsa essentia Dei, ut suo loco ostendimus, sequitur eum habere essentiam divinam, qui divina habet attributa. Attribuitur autem Filio. (1. *Omniscientia.* Est enim יעץ *Consiliarius* Dei. Esaiæ 9: 5. qui cum Patre inivit *consilium pacis.* Zachar. 6: 13. de salvandis hominibus, qui Ecclesiæ dat consilium & sapientiam. Hinc & ipsa *Sapientia* vocatur Prov. 8: 22. Et *sapientia* Dei 1. Cor. 1: 24. Et super eo dicitur esse *spiritus sapientiæ* & *prudentiæ.* Es. 11: 2. 1: 2, 3. Non tantum *sapiens*, sed *omniscius* & *omnisapiens* est; quia *cognoscit Patrem.* Matt. 11: 27. Intelligenda ibi est sapientia divina: quia *cognoscit patrem*, *ut Pater cognoscit Filium.* Ideo est *dominus*, *qui novit omnia*, testante Petro. Joh. 21: 17. *Scrutatur corda & renes.* Ap. 2: 23. quod de summo Deo dicitur. Ps. 7: 10. 1. Reg. 8: 39. *Coram ejus oculis omnia sunt patentia.* Heb. 4: 13. (2. *Omnipotentia.* Es. 9: 5. dicitur אל גבור *Deus fortis*

fortis. *Spiritus roboris quievit super eum.* Es. 11: 2. *Omnia sibi subjicit efficacia sua.* Phil. 3: 21. *Verbo potentiæ suæ omnia sustentat.* Heb. 1: 3. Ideo παντοκράτωρ *omnipotens* dicitur. Ap. 1: 8. *Habet potentiam dandi vitam cui vult.* Joh. 5: 21. Inepte dicunt *Sociniani*, Christi potentiam esse independentem in exercitio; sed dependentem in suo principio, scilicet quod eam acceperit à Patre. Est enim manifesta contradictio potentia *dependens* & *independens*: quia creatura omnibus modis est dependens: ut enim res est dependens à sua causa in existentia, ita & in operatione. Deinde Christus sibi attribuit eandem potentiam quam habet Pater. Sed Pater habet potentiam independentem. Ergo & Filius. (3. *Omnipræsentia.* *Altior factus est cælis.* Hebr. 7: 26. *Ero vobiscum ad consummationem sæculi.* Matt. 28: 20. *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, qui est in cælo.* Ergo dum Christus hæc loquitur est in cœlo, quia ab æterno fuit. Non significat ergo *cælestia cogitare*, ut male explicant *Sociniani.* Joh. 3: 13. Ephes. 4: 9, 10. quia tanquam supremus Deus in cœlo & in terra præsens est. *Ubi duo aut tres congregati erunt in nomine meo, ero in medio eorum.* Matt. 18: 20. (4. *Æternitas. Tu es Filius meus,* HODIE *genui te.* Ps. 2: 7. Ubi τὸ *hodie* significat ipsam *æternitatem.* Et optime quidem, cum æternitas sit semper *præsens*, adeoque perpetuum *hodie.* *Egressus ejus sunt ante, à diebus sæculi.* Mich. 5: 1. *Jehova possedit me, initio viæ suæ ante molitiones suas.* Prov. 8: 22. Ideo vocatur *Pater æternitatis.* Es. 9: 5. *In principio erat sermo.* Joh. 1. *Nec initium dierum nec finem habet.* Hebr. 7: 3. *Est idem heri, hodie & in sæcula.* Hebr. 13: 8. Α. & Ω. *principium & finis.* Apoc. 1: 8. *Priusquam Abraham fuit ego sum.* Joh. 8: 58. Scilicet priusquam *Abraham exstitit* (quamvis multa sæcula exstiterit ante Christum natum) non autem *priusquam Abraham factus est pater multarum gentium*, ut istum locum pessime detorquent *Sociniani.* Negant enim Judæi Christum exstitisse ante Abraham, cum nuper natus diceretur. Affirmat Christus se prius exstitisse, quia scil. fuit æternus.

*Exceptio.*

*Exceptio.*

V. Tertio probatur ex *Operibus divinis*, quæ Christo attribuuntur. *Opera divina* Filio attribui, patet (1. Ex iis quæ dicta sunt de *omnipotentia.* (2. Ex *creatione.* Nam *verbo Dei cæli facti sunt.* Ps. 33: 6. *Per eum omnia facta sunt.* Joh. 1: 3. *Fert omnia verbo potentiæ suæ.* Hebr. 1: 3. Col. 1: 16. *Per Christum condita sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terris* &c. quæ loca male intelliguntur à *Socinianis* de creatione secunda, & de mundo per Euangelium renato. Nam status Ecclesiæ sub Novo Test. dicatur *novum cælum & nova terra.*

*Ex Operibus.*

*Exceptio.*

Es. 65: 17. 2. Pet. 3: 13. Apoc. 21: 1. quo fideles dicuntur *renati*, & *novæ creaturæ*. Joh. 3: 3. 2. Cor. 5: 17. tamen negatur in istis locis Johannem & Paulum loqui tantum de *regeneratione*: cum manifesto constet per totum caput 1. Ev. Joh. ibi fieri mentionem de *prima creatione mundi*. Conatur Johannes probare divinitatem Christi 1. quia Christus est æternus. 2. quia omnia creavit. Et si vel maxime intelligerentur ista loca de *regeneratione* Ecclesiæ, sequeretur tamen, Christum esse verum Deum. Et eo magis, cum non nisi solus Deus corda hominum possit renovare. Omnem absurditatem superat, quod dicat: Christum in utraque creatione, sive prima, sive secunda substinere tantum vices *instrumenti*: quia Col. 1: 16. dicitur, *omnia δι' ἀυτȣ̃ per ipsum facta sunt.* Sequeretur enim ipsum Deum Patrem esse instrumentum, cum de eo etiam dicatur Rom. 11: 36. *δι' ἀυτȣ̃ per ipsum, ad ipsum sunt omnia.* Vide Hebr. 2: 10. 1. Cor. 8: 6. Sed quo sensu Christus *instrumentum* dicetur creationis, si nondum extitit? factus enim est, secundum *Socinianos*, demum quando natus est ex Maria. Et si vel maxime exstitisset, quid ad creationem contulisset nuda creatura? An etiam corpora, Spiritus & animas ex nihilo produxisset ut instrumentum? Quis hæc intelliget? Nec quidquam potuisset conferre ad creationem secundam, sive ad *regenerationem*. Non enim potest nuda creatura Spiritum Sanct. effundere, corda renovare, vitam spiritualem dare. Eodem sensu Moses, Prophetæ, Paulus reliquique Apostoli dicendi essent *instrumenta creationis*, omniaque per eos facta esse, quod tamen nusquam in S. Scriptura legitur. Nihil dicam de *miraculis* Christi, quod seipsum ex mortuis suscitaverit, unde potentiam plane divinam demonstravit, testante Paulo Rom. 1: 4. in cœlum ascenderit, Spiritum Sanctum miserit, quæ sunt opera plane divina.

*Exceptio.*

*Ex honore & cultu divino.*

V. *Quarto* probatur ex *honore* & *cultu divino*, qui Filio attribuitur, non minus quam Patri. Nam *omnes honorant Filium quemadmodum honorant Patrem.* Joh. 5: 23. *Qui non honorant Patrem, non honorat Filium, qui eum misit. Pater eum sanctificat.* Joh. 10: 36. *Ille Spiritus me glorificat.* Joh. 16: 14. *Omnes Angeli Dei eum adorant.* Hebr. 1: 6. *Ei sunt subjecti angeli, & potestates & principes.* 1. Pet. 3: 22. *Dignus est agnus, ut accipiat potestatem, & honorem & gloriam.* Apoc. 5: 12, 13. *Exaltatus est supra omnia, ut omnia genua coram eo sese flecterent.* Phil. 2: 9, 10. 1. Cor. 1: 2. Ideo dicitur *dominus & Rex gloriæ.* 1. Cor. 2: 8. Ps. 24: 7, 10. *Omne genu coram eo se debet flectere, & jurare in nomen ejus.*

*ejus.* Rom. 14: 7, 8. &c. Quare etiam Christus petit à Patre eandem gloriam, quam habuit ab æterno. Joh. 17: 1, 5. Erat enim invocatus in Vet. Test. Ps. 2: 11, 12. Dan. 9: 17.

VI. Absurdissime conantur vim hujus argumenti infringere, dicendo: Christum esse adorandum propter Deitatem aliquam participatam, non naturalem; Patrem esse summum Deum per naturam, Filium subalternum, utrumque tamen propter Deitatem adorandum. Sane gloria divina non potest attribui nudæ creaturæ, sine blasphemia. (1. Quem adoramus in eum credimus. Rom. 10: 14. in eo omnem fiduciam ponimus. Sed *maledictus est qui fiduciam ponit in homine.* Jer. 17: 5. (2. Quem adoramus, eum credimus *omnisapientem*, *omnipotentem* & *summe bonum*, quod de creatura ne cogitari quidem potest. (3. *Unicus est Deus* natura. Deut. 6: 4. *Is solus est adorandus.* Matt. 4: 10. (4. Ipsi angeli nolunt adorari, quia Deus solus adorandus est. *Conservus sum, adora Deum.* Apoc. 19: 10. & 22: 9. Hinc ultro patet sub Novo Test. creaturas non magis esse adorandas quam sub Vet. Test. Eo minus cum sub Nov. Test. nullos agnoscamus Deos, quales erant Sacerdotes & Principes V. T. Ps. 82. *Patres carnis.* Hebr. 12. *Rabbi, Domini, Magistri* &c. Matt. 23. ut sub Vet. Test. sed unicum tantum habeamus summum Deum Jesum Chr. 1. Cor. 8: 5, 6, Ephes. 4: 6.

*Sub Novo Test. nullæ creaturæ adorandæ.*

VII. Cadit quoque *adoratio inferior*, quæ magis sit *invocatio* quam *adoratio*, ut iidem *Sociniani* garriunt, & quæ sit peragenda ab iis qui in *terra* vivunt, non in *cælis*, nec *in æternum*, quemadmodum inceperit adorari tantum post ascensionem in cœlos. Ob miraculosam conceptionem, ob excellens munus, quod sit legatus Dei, ob miracula & exaltationem munusque Regium, quod exercet in Ecclesiam, cum sit Deus æternus, ut supra demonstratum est; cum non faciat Deum *miraculosa nativitas*, nisi dicant Adamum ac Evam fuisse Deos. Nec *exaltatio*; alias *Enochus* & *Elias* quoque Dii essent. Nec *excellentia muneris*, cum & *Moses* fuerit vir excellentissimus, *legatus Dei* & *Rex Ecclesiæ.* Nec *miracula*; cum *Moses*, *Prophetæ* ac *Apostoli* insignia fecerint *miracula*, & tamen *Dii* non dicti sint. Sed adoratus est Chr. antequam nasceretur homo, sub Vet. Testam. in cœlis ab ipsis *angelis Dei:* Hebr. 1: 6. Phil. 2: 9, 10. &c. Dan. 19: 17. Ps. 2: 11, 12. Ut non aliam gloriam petat à Patre, quam illam quam habuit ab æterno. Joh. 17: 1. Sed & turpissime contradicunt *Sociniani*, dicendo Christum esse factum Deum

*Nulla est adoratio inferior.*

adorandum ſub N. Teſt. & tamen iſtam adorationem magis eſſe *invocationem* quam *adorationem*. Taceo quod committant horrendam idololatriam, quod *ſerviant iis, qui natura non ſunt Dii.* Gal. 4: 8. Qualem ſane idololatriam Deus nuſquam juſſit ſub Novo Teſt. ut falſo docent; cum ipſe teſtetur *ſe gloriam ſuam alteri non daturum.* Eſ. 42: 8.

*Reſpondetur ad argumenta adverſariorum.*

VIII. Ex hiſce patet quam male Sociniani Deitatem Filii evertere conentur. I. eo quod 1. Cor. 8: 4, 6. & Epheſ. 4: 6. Paulus dicat: *nobis eſt unus Deus Pater omnium.* Cum id de unitate naturæ intelligendum ſit, non de unitate perſonæ: & cum non negetur, *Filium* eſſe Deum æque ac Patrem; præterquam quod Deus opponatur *Diis dictis* ſub Veteri Teſt. quales ſub Novo Teſtamento non habemus. Adde quod & ipſe Chriſtus dicatur *dominus per quem ſunt omnia*, quod non niſi de ſummo Deo intelligi poteſt. II. Eodem modo intelligi debet Paulus 1. Tim. 2: 5. *Unus Deus & unus Mediator Dei* & *hominum, homo Jeſus Chriſtus.* Idem enim qui dicitur *Deus* eſt etiam *Mediator;* cum Mediator ſit Deus & homo. Nec ideo negat Paulus *Deitatem* Filii, quia addit: *homo Chriſtus Jeſus.* Oſtendit tantum Paulus conditionem Mediatoris, quod ſit *Deus* & *homo.* Tam ſpecifice facit mentionem de natura humana, quia in ea paſſus eſt, & ſine ea Mediator eſſe non potuiſſet. III. Loca Joh. 1: 14. Hebr. 1: 3. Phil. 2: 6. Col. 1: 15. & ejuſmodi alia, ubi Chriſtus dicitur *imago Dei, in forma Dei, Deo æqualis* &c. non contradicunt, ſed probant divinitatem J. C. Nam qui in *forma Dei* eſt, quique ejus proprie dictam habet *imaginem*, ut Filius Patris, is utique debet eſſe verus Deus: non minus quam is, qui habet imaginem hominis, eſt verus homo. Sane eodem ſenſu quo Chriſtus dicitur ſumpſiſſe *formam ſervi*, eodem modo fuit in *forma Dei*, ſcilicet vere, proprie, & ſecundum omnem emphaſin. IV. Si Chriſtus dicatur *Patre minor*, ei *ſubjectus*, apud Patrem *Mediator*, *Sacerdos*, *facere voluntatem Patris*, *à Patre accepiſſe*, ab eo *glorificari*, & ſi qui alii ſunt modo loquendi his ſimiles, hæc omnia intelligenda ſunt, vel de natura humana J. C. vel de ipſius officio & Regno œconomico, tandem de ſtatu exinanitionis. V. Hoc ſenſu Pater dicitur *dediſſe judicium Filio.* Joh. 5: 22, 27. Pater enim ut *judex*, Filius ut *ſervus* ſe habet in negotio redemptionis noſtræ. Sed & eodem in loco dicitur *Filius habere vitam in ſe æque* ac Pater. Multas ſane gratias Filius à Patre accipit œconomice & ſecundum officium mediatoris in bonum

num Ecclesiæ, tamquam Deus & homo simul. VI. Hoc sensu dicitur *minor Patre.* Joh. 14: 28. quia Pater tenet locum *judicis*, Filius *servi.* Ps. 40: 9. Es. 42: 1. & 53: 11. Phil. 2: 7. VII. Eodem sensu Filius Patri dicitur *subjectus* & *regnum traditurus.* 1. Cor. 15: 24. quatenus ultimo die judicii Regnum œconomicum cessabit, ubi Ecclesia omnis erit triumphans, ut Christus se, id est totum corpus suum, quæ est Ecclesia, traditurus & subjecturus sit Patri. Et *sic erit finis*, non Regni sui *naturalis*, quod est æternum. Dan. 2: 44. Apoc. 4: 8. sed *œconomici*, quod possidet ut mediator. VIII. Hoc sensu dicitur *Mediator*, *Sacerdos apud Patrem*, *Patris facere voluntatem*, ejus *quærere gloriam*, *non suam* tantum. IX. Eodem sensu dicit Joh. 12: 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Ubi necessario subintelligi debet *tantum*, hoc modo: *non credit in me tantum.* Sic enim sumitur ista particula negandi *non* Ephes. 6: 12. *Non enim habemus bellum contra carnem & sanguinem;* id est *non tantum contra carnem & sanguinem*, alias certum est, nos habere bellum contra carnem & sanguinem, uti patet Rom. 7: 23. & 8: 7. & Gal. 5: 17. Ita sane Christus venit, ut faceret *non tantum suam voluntatem*, ut quæreret *non tantum suam gloriam*, sed etiam Patris. Sane, in Filium æque ac in Patrem esse credendum, clamat tota Scriptura, præsertim Joh. 6. Adeo ut *qui negat Filium non habeat Patrem, & qui confitetur Filium, confiteatur etiam Patrem.* 1. Joh. 2: 23. Et per Filium credimus in Patrem. 1. Pet. 1: 21. X. Si *Christus fatetur se ignorasse diem judicii*, Marc. 13: 32. id intelligi debet de natura humana, quæ habet scientiam finitam, non de natura divina. XI. Nec unquam negavit Christus se habere potentiam *semetipsum resuscitandi* ex mortuis; aut sibi *corpus formandi.* Nam etsi *Pater adaptaverit corpus*, Hebr. 10: 5. & quamvis *Pater* dicatur eum *resuscitasse*, 1. Cor. 6: 14. 1. Cor. 15: 15. inde tamen non sequitur *Christum seipsum non resuscitasse, & nihil præstitisse ad formationem corporis sui.* Actiones enim externæ divinitatis, quales sunt formatio corporis, & resuscitatio ex mortuis, sunt communes tribus personis. Est sane Christus & princeps & auctor vitæ, qui vivificat quem vult. Joh. 5: 21. & 10: 17. Et cum alios potuerit resuscitare, ut *Lazarum*, cur & non seipsum? XII. Christus etiam non *negat se non posse dare sedere ad dextram & ad sinistram.* Matt. 20: 23. Loquitur enim ibi de Regno terreno, quale sibi fingebant Filii Zebedæi; sed regnum cœleste Christum dare posse, satestatur. *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.* Apoc. 3: 21.

*Divinitas Spiritus S. probatur.*
1. *Ex nominibus.*

IX. Quemadmodum *Filii*, ita & *Spiritus Sancti* divinitas probatur I. Ex *nominibus* divinis. II. Ex *Attributis.* III. Ex *operibus.* IV. Ex *honore & cultu divino.* Et *primo* quidem ex *nominibus.* Cum nomen יהוה nulli creaturæ, sed soli Deo summo attribuatur, sequitur Spiritum S. esse summum Deum, quandoquidem etiam יהוה vocatur. Legimus Jerem. 31: 31. *Ecce dies venient, ait Jehova, & pangam cum domo Israël novum fœdus.* Hic autem Jehova est *Sp. S.* Hebr. 10: 15, 16. ubi Paulus respicit ad locum Jeremiæ, dicendo *testificatur nobis & ipse Spiritus S.* Ita Exodi 17. Ps. 95: 7, 8. legimus Israëlitas in deserto *tentasse Deum.* At Paulus Hebr. 3: 7, 8, 9. dicit eos *Spiritum S. tentasse.* Es. 63: 10. Judæi dicuntur *contristasse Spiritum S.* quo respicit Paulus Ephes. 4: 30. ne *contristate Spiritum S.* Sed Ille *Spiritus S.* qui contristabatur, *Jehova* vocatur. Num. 14: 9. Sed & κύριος *Dominus*, quod idem est ac si אדוני vel יהוה, dicatur. 2. Cor. 3: 17. *Quando vero sese converterit Israël ad dominum, tolletur illud velamen:* Statim explicat Apostolus quis sit ille *dominus: Spiritus autem*, inquit, *est ille* Dominus. Et *Deus* dicitur. Num. 12: 6. Deus ipse testatur, se loquuturum *Prophetis.* Hebr. 1: 1. dicit: *Deum patribus loquutum esse per Prophetas.* At ille *Deus* est *Spiritus S.* 2. Pet. 1: 21. *Sancti homines loquuti sunt acti Spiritus S.* Vide Luc. 1: 68, 70. Ideo mentiri *Deo* & *Spiritui Sancto* idem significat, quia Spiritus S. est ipse Deus. Vide Act. 5: 34. Ideo & *templa Dei* dicuntur fideles, & *Sp. Sancti*, immo & ipse *Sp. S.* dicitur *habitare* in illis. 1. Cor. 3: 16. & 6: 9.

2. *Ex attributis.*

X. *Secundo* probatur divinitas Spiritus Sancti ex *attributis* plane divinis, quæ ei attribuuntur. Veluti ( 1. *Omnisapientia. Novit* enim *ea quæ sunt hominis, & ea quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.* 1. Cor. 2: 10, 11. Etiam *scrutatur omnia*, & quidem *profunditates Dei. Scrutari* hic, ubi de Deo dicitur, significat summam sapientiam, quemadmodum Deus revera dicitur *scrutator cordium & renum.* Ps. 7: 10. Jerem. 17: 10, 11. Ergo *scrutari* non notat imperfectam cognitionem, ut in hominibus, quemadmodum nugantur *Sociniani.* ( 2. *Voluntas. Distribuit* enim *dona Dei unicuique prout vult.* 1. Cor. 12: 11. ( 3. *Omnipræsentia.* Ps. 139: 7. *Quo ibo à Spiritu tuo? si ascendam in cœlos, illic es: si sternam mihi in inferno, ecce te.* ( 4. *Æternitas, Christus* enim *se obtulit per Spiritum æternum.* Hebr. 9: 14. Et sane *Spiritum S.* exstitisse ante omnes creaturas, vel inde patet, quod *incubaret aquis*, Gen. 1: 2. ab initio creationis. Nihil futilius est, quam velle intelligere per Spiritum *ignem*, *aera*, aut *substan-*

*Exceptio.*

*tiam*

*tiam*, ex qua creati ſint angeli. Cum *ignis*, *aer*, & *ventus* creata fuerint tantum ſecundo & tertio die, ut patet Gen. 2. confer verſ. 6. & 13. Angeli ex nihilo creati ſunt, cum ex nulla ſubſtantia præexiſtenti creari poſſint. Illa enim ſubſtantia eſſet *corpus* vel *ſpiritus*. Non *corpus*, cum ex corpore ſpiritus fieri non poſſit. Non *ſpiritus*, quia omnis ſpiritus habet intellectum & voluntatem, adeoque in alium ſpiritum transformari non poteſt.

XI. *Tertio* probatur ejus divinitas ex *Operibus divinis*. Attribuitur enim ei æque ac *Patri* & *Filio*. ( 1. *Creatio*. Pſ. 33: 6. *Deus ornavit cælos per Spiritum ſuum*. Job. 22: 13. ( 2. Dat *vitam* homini. Spiritus *Dei fortis fecit me, & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi*. Job. 33. 4. Immo ipſam dat ( 3. Vitam ſpiritualem. Unde & *Spiritus vitæ* vocatur. Rom. 8: 2. Joh. 3: 5. ( 4. Dat varia *dona*. 1. Cor. 12: 11. *α. Dona linguarum*. Act. 2: 4. β. Dat *cognitionem* & in omnem *ducit veritatem*. Joh. 14: 26. Hinc & *Spiritus ſapientiæ & revelationis* dicitur. Epheſ. 1: 17. *Myſteria* ſalutis revelat. 1. Cor. 2: 9, 10. γ. Dat *Fidem*. Gal. 5: 22. Unde & *Spiritus Fidei* vocatur. 2. Cor. 4: 13. δ. *Mittit Prophetas & Apoſtolos* cæteroſque ſervos ad Eccleſiam. Actor. 13: 2. & 28: 25.

3. *Ex operibus.*

XII. *Quarto* Honor & *cultus divinus* ei attribuitur. Habitat enim in electis tanquam in *templis* ſuis. 1. Cor. 3: 16. & 6: 19 quia ſcilicet in corde eorum colitur, ut Deus ſummus in Templis ſuis. *In ejus nomine baptizamur*. Matth. 28: 19. At in nomine alicujus baptizari, eſt deſtinari ad ejus cultum. Per eum *vota concipiuntur*. 2. Cor. 13: 13. Vide quoque Apoc. 1: 4, 5. ubi Spiritus Sanctus *ſeptem Spiritus* vocatur, propter varia dona, propter perfectionem & ſeptem Eccleſias, quas in Aſia fundavit. Et ſane *Spiritum Sanctum* intelligi, & quidem tanquam verum Deum à Johanne invocari, patet, quia *Spiritum* eodem modo invocat ac *Patrem & Filium*. Contra eum *peccatur*. Epheſ. 4: 30. Hebr. 10: 29. Eſa. 63: 10. Committur contra eum peccatum, nempe *blaſphemia*, quæ *nunquam remittitur*. Matth. 12: 31, 32.

4. *Ex honore & cultu.*

XIII. Peſſime igitur *Antitrinitarii* negant Spiritum Sanctum eſſe *perſonam* divinam, ſed ſignificare aut *Deum Patrem* ipſum; aut aliquod *donum* Dei; aut Dei aliquod *accidens* aut *attributum*. Sane *Spiritum Sanctum* non eſſe *Patrem* ipſum, ſed aliam perſonam, patet, quia exſertis verbis *alius* dicitur *paracletus*, & *a Patre miſſus*. Joh. 16. deinde ubique à *Patre* æque ac à *Filio* diſtinguitur. 1. Joh. 5: 7.

*Sp. S. non eſt ipſe Pater.*

7. Matt. 3: 16. & 28: 19. Adde quod in œconomia trium personarum, in negotio redemptionis nostræ omnino alia opera attribuantur Spiritui Sancto ac Patri. Nec est *donum* aliquod, cum sit donorum auctor. 1. Cor. 12: 11. Multo minus potest dici aliquod *accidens*, aut *attributum* Dei: cum in Deum nulla cadant *accidentia*, ob summam perfectionem, & immutabilitatem. Nec *attributum*, cum *attributa* in Deo non sint distincta ab ejus *essentia*. Nec ulla ratione illa omnia, quæ Spiritui S. attribuuntur, uti demonstravimus, ut *nomina*, *attributa*, *opera* & *cultus* divinus, possunt adscribi *accidenti* aut alicui *attributo*, sed personæ divinæ tantum. Quemadmodum nunquam legitur, *accidens* aut *attributum* aliquod assumpsisse speciem aliquam corpoream, veluti figuram *columbæ*. Matt. 3: 16. & *linguarum ignearum*. Act. 2: 3. Hisce adde, quod *Spiritus* Græce πνεῦμα sit generis neutrius, tamen de Spiritu S. ponitur in masculino, quoniam *Deus* Θεὸς est masculini generis. Vide Joh. 16: 13. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος (pro ἐκεῖνον) τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Et Ephes. 1: 13, 14. ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν. pro ὅ ἐστιν. Scilicet quia respicitur ad *Deum*, quoties de *Spiritu S.* fit mentio.

*Nec donum.* *Nec accidens aut attributum.*

## LOCUS IV.

## CAPUT IX.

*De operibus Dei internis.*

I. EGimus de Deo οὐσιωδῶς & ὑποστατικῶς, nunc agendum erit de ipsius *operibus*. Quemadmodum actiones hominum dicuntur aliæ *immanentes*, aliæ *transeuntes*, ita & opera Dei alia sunt *interna*, alia *externa*. *Interna* sunt *Consilia* & *decreta*. *Externa* iterum alia sunt opera *naturæ*, qualia sunt *creatio* & *conservatio;* alia sunt opera *Redemptionis*, de quibus agit tota doctrina de *fœdere gratiæ*.

*Decretum Dei quomodo vocetur.*

II. *Decretum* Dei in S. Script. dicitur προορισμὸς Rom. 8: 29, 30. Ephes. 1: 5. πρόγνωσις. 1. Pet. 1: 2. Rom. 11: 2. πρόθεσις Rom. 8: 29. Ephes. 1: 11. 1. Tim. 1: 9. εὐδοκία Ephes. 1: 5. Matt. 11: 26. Quamvis in homine *consilia* distinguantur à *decretis*, prout *consilia* solent præcedere *decreta*, & prout sapientes prius solent deliberare quid sit agendum, & tandem, re accurate pensiculata, procedendo à notiori ad minus notum, decernunt: Nihilominus cum talis deli-

liberatio & perquisitio ponat imperfectionem, ac notat antecedentem ignorantiam, proprie loquendo *Consilia* in Deo non præcedunt ipsius *decreta*. Nec *decreta* ejus à *Consiliis* distinguuntur: cum ideas omnium rerum simul & semel præsentes habeat, res omnes unico intuitu cognoscat, unoque actu voluntatis omnia decernat ob summam perfectionem.

III. In omni decreto hominum hæc tria requiruntur. I. *Idea* sive *conceptus rei in mente*. II. *Voluntas approbans* vel *improbans*. III. *Finis* ac *scopus* propositus. Hæc necessario ponunt aliquam dependentiam & imperfectionem in nobis: cum non possimus habere ideam rei, nisi res prius exstet extra mentem nostram; quare *intellectus* noster patitur à re quæ sese extrinsice offert; ita & *voluntas* nostra. Proprie igitur loquendo hæc tria Deo attribui non possunt. Tamen secundum nostrum concipiendi modum, dici posset *Idea* vel *conceptus* Dei summa ejus *sapientia*; *Voluntas approbans* vel *improbans* ac *scopus*, ipsissima Dei *voluntas*.

*Quid requiratur in decreto hominis.*

IV. Ergo stricte loquendo in Deo nulla est *idea*, nisi ejus *voluntas* dicatur *idea*. Et sic quidem unica tantum erit *idea*, uti unica tantum est *voluntas* Dei. Cum autem *voluntas* Dei sit ipsa ejus *essentia*, uti ostendimus ubi de voluntate Dei egimus, sequitur *consilia* ejus & *decreta* ab ejus *essentia* distingui non debere, nisi secundum nostros concipiendi modos. Unde sequitur, *decreta* Dei, rigide loquendo, inter *opera* ejus recensenda non esse. (1. quia sic conciperemus in Deo varios cogitandi modos ab essentia distinctos; quemadmodum in hominibus, in quibus *decreta* revera ab eorum essentia distinguuntur, qui non operantur per essentiam, quare etiam homines compositi dicuntur ex actu & potentia, uti loquuntur Metaphysici. Cum autem ejusmodi compositio in Deum non cadat, quia in eo nihil ex potentia educitur in actum, nec ullus *modus*, multo minus *cogitandi modus*, in eo locum habeat, sequitur Deum operari per solam voluntatem, adeoque per essentiam; est enim Deus *actus purissimus*. (2. Ergo cum Deus decernat per absolutam voluntatem, & cum ejus voluntas ab essentia non differat, sequitur ejus *decreta* non esse *opera* ab essentia distincta. Hinc quoque fluit, *decreta* Deo non inesse per modum *accidentis*, & *inhæsive*, quæ in horas mutentur, ut delirant *Sociniani*, *Vorstius* & *Arminiani*, sed modo aliquo perfectissimo *attributive* & *denominative* instar *attributorum* Dei, quæ realiter ab ipsa essentia non differunt. Ut res decretæ in Deo nihil

*Quo sensu in Deo detur idea.*

*Decreta Dei an inter ejus opera recensenda?*

*Deo non insunt per modum accidentis.*

T po-

ponant præter *denominationem extrinſecam*, quæ nullam adfert mutationem in ipſa ejus natura.

*Quid in Deo concipiamus circa decreta ejus.*

V. Quamvis *decreta* Dei ab ipſius *voluntate* adeoque *eſſentia* realiter non differant, nihilominus tamen cum ea vix aliter concipere poſſimus quam more humano, ſolemus in Deo contemplari. I. *Actum voluntatis*, per modum *actus vitalis*, ſcilicet *intellectionem* & *volutionem*, quæ, ut ut ſint ipſa *eſſentia* Dei (cum Deus omnia per *eſſentiam* cognoſcat & velit) tamen intellectum & voluntatem animadvertimus tanquam adhuc indifferentes ad creaturas. II. *Tendentiam* & *Relationem* ad extra verſus creaturas, quæ nihil aliud eſt reſpectu Dei, quam nova denominatio extrinſeca, quæ nihil ponit in re, nullam ergo in Deo dicit novam perfectionem aut mutationem. III. *Rem ipſam decretam*, tanquam *objectum* decreti Dei. Priori modo decretum Dei conſideratum, eſt *neceſſarium*, cum *intellectus* & *voluntas* ſint eſſentiales, immo ipſa *eſſentia*. Secundo modo eſt *liberum*: cum Deus potuiſſet, eadem voluntate eodemque *decreto*, rem non decernere, aut aliter decernere.

*Decreta Dei nullam habent cauſam.*

VI. Cum *decretum* Dei ſit ejus *voluntas* & τὸ *decernere* Dei ſit ipſiſſimum ejus *velle*, ſequitur ejus *decreta nullam poſſe habere cauſam*, adeoque à nulla re Deum moveri poſſe, ut hoc vel illud velit. (1. quia *decreta* Dei ſunt ipſa *eſſentia* Dei, quæ nullam habet *cauſam*. (2. quia ſunt *æterna*; ſed æternitatem nihil antecedit, nec ullam æternitas poteſt habere cauſam. (3. Ipſa decreta ſunt cauſa omnium cauſarum; ut in quocunque ſtatu res ſint, à Deo ita decreta ſint. Nam ſi ſumamus *decretum* Dei pro *voluntate* ejus, qualis eſt voluntas Dei *ſua natura*, tunc eſt ipſe Deus. Si eam reſpiciamus in *ſua tendentia*, relatione & determinatione ad extra, erga effectus, qui inde fluunt, tunc naturam rerum omnium præcedit, & eſt cauſa omnium cauſarum. Ultro igitur corruunt *ſcientia media*, *voluntas conſequens*, *meritum* & *fides prævisa*, quæ Deum quaſi excitarent, & voluntatem ejus ad hoc vel illud decernendum moverent.

*Decreta Dei ſunt æterna.*

VII. Sequitur etiam *decreta* Dei eſſe *æterna*. (1. probatur ex S. Script. *Nota ſunt Deo omnia opera ejus à ſæculo.* Act. 15: 18. *Elegit nos Deus ante mundi jacta fundamenta.* Epheſ. 1: 4. 1. Cor. 2: 7. 2. Tim. 1: 9. (2. quia ab eſſentia, quæ eſt æterna, non differunt. (3. quia Deus eſt ſumme ſapiens, ideo ab æterno voluit, adeoque illud decrevit. Peſſime igitur adfirmant *Sociniani*, *Vorſtius* &c. Deum antecesſiſſe decreta ſua, adeoque ejus decreta eſſe temporanea. (1. quia

*Deus decreta ſua non antecedit.*

Deus

Deus præcessisset semetipsum, cum sit *actus purissimus*, cujus essentia consistit in perfectissimo actu, quem concipimus per modum *intellectus* & *voluntatis*, qualia sunt ipsius decreta. (2. Si decreta sua præcessisset Deus, illud factum fuisset tempore *finito*, vel *infinito*. Si *finito* tempore, tunc Deus non esset æternus: cum isto tempore finito tantum ante decretum exstitisset. Si *infinito* tempore, sequitur Deum fuisse ab æterno sine voluntate & sine decreto, quod in naturam spiritualem cadere non potest, multo minus in spiritum æternum & perfectissimum, cujus essentia consistit in *æterno actu volendi*, adeoque in *voluntate*. Absurde dicunt: I. *causa est ante causatum, Deus est causa decretorum suorum, ergo est ante decreta* sua: quandoquidem Deus non est *causa* decretorum suorum, sed *principium*, quia est *actus purissimus*. II. Nec *decernit deliberando*; sed omnes ideas semper præsentes habet simul, adeoque unico æternoque nutu voluntatis omnia decernit. Quo quis majorem habet sapientiam, quo minus deliberat; cum autem Deus sit summe sapiens, plane nulla deliberatione opus habet, præterquam quod deliberatio præsupponat dependentiam, à re, de qua deliberatur, quasi aliquid esset bonum aut malum ante voluntatem Dei, quod Deus eligeret: sic enim ejus voluntas dependeret à naturali bonitate rei, non esset in Dei voluntate, ut hoc vel illud vellet, aut decerneret: sed rem necessario deberet velle, ex naturali & independente bonitate rei.

*Objectiones.*

VIII. Est etiam decretum *immutabile* (1. quia est *æternum*: at vero æternum mutari non potest. (2. Quia Deus est summe sapiens & summe potens, qui nullam habet rationem mutandi uti homines. Nam quod homines mutent consilia sua, id procedit vel ab *ignorantia*, quod optimum non præviderint; vel ab *impotentia*, quod non possint exequi decreta sua. (3. Docet S. Scriptura. *Consilium meum stabit, & faciam omne meum beneplacitum.* Es. 46: 10. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, nec Filius hominis quem pœniteat. Numquid dixerit quod non faceret.* Num. 23: 19. vide Ps. 115: 3. Rom. 11: 29. Es. 14: 24. 1. Sam. 15: 29. Non tamen sequitur I. *hominem & angelos agere necessario, si Dei decretum est immutabile.* Agunt quidem necessario ex *necessitate decreti*, non ex *necessitate coactionis*, quæ sola *libertati* opponitur. Deus decrevit ut homines & angeli liberrime agerent. II. Ineptissimum igitur est. *Deum mutare decreta sua singulis horis, ad mutabilem voluntatem hominis. Ut si homo credat, Deus*

*Decretum Dei est immutabile.*

*Objectiones.*

*ei decernat salutem; si idem respuat fidem, Deus mutet prius consilium & ei decernat pœnam æternam:* ubi enim Deus semel decrevit dare alicui *salutem*, ubi etiam simul decrevit ei dare *fidem*, & *perseverantiam* in fide, adeoque absolute & sine mutatione decrevit; nam *gratia & vocatio Dei est sine resipiscentia.* Rom. 11: 29. III. Nec ideo Dei decreta dicenda sunt *mutabilia*, quod legamus *eum pœnituisse.* Gen. 6: 3. Joel. 2: 14. Jon. 3: 9. cum *effectum* tantum mutetur, vel opus Dei, non autem ipsum *decretum* Dei.

IX. Sequitur quoque decretum Dei esse *liberrimum* & *independens*, *immo* & *indifferens.* (1. quia *libertas* est summa perfectio, adeo etiam ut sit indifferens; quæ *indifferentia*, quamvis sit *imperfectio* in creaturis, est tamen summa *perfectio* in Deo. (2. quia voluntas Dei cogi non potest: cum id ne in creaturis quidem fieri possit.

*Decretum Dei est liberum.*

(3. Docet S. Script. *Deus noster facit quod vult.* Ps. 115: 3. *An figulus non habet potestatem, ut ex eadem massa faciat vas ad decus* &c. Rom. 9: 21. Jer. 18: 6. Matt. 11: 26. Ita tamen Deus non debet concipi indifferens, quasi posset *suspendere actum ipsum volendi & decernendi*, hoc enim fieri non potest, cum tota ejus natura consistat in *actu*, est enim *actus purissimus*, & cum hac ratione esse posset sine actu voluntatis, adeoque sine decreto. Adeo sane essentiale est Deo decretum, ut vel hoc debuisset decernere, se nolle decernere, nolle creare. Libera tamen est ejus voluntas ac decreta, si ea concipiamus ad modum tendentiæ ad extra, quia potuisset res alias decernere, aut alio modo & nexu.

*Decretum Dei nullum habet objectum.*

X. Si concipiamus *decretum* Dei in se & tamquam *actum vitalem*, tunc, stricte loquendo, nullum erit ejus *objectum.* (1. quia nihil exstitit ante decretum, (2. quia decreti Dei nulla potest dare causa. (3. quia ipsum decretum Dei est causa omnium rerum. Si vero per *decretum* intelligamus id, in quod Deus decernendo tendit, & quasi determinatur, tunc ejus *objectum* erit omnis res *possibilis*, *impossibilis*, *præsens*, *futura*, *contingens*, *necessaria*, *absoluta*, *conditionata;* in quocunque enim statu, natura, ordine, aut nexu res sit, id habet à decreto Dei, immo ipsa etiam *peccata:* cum Deus decreverit ea permittere, & dirigere ad suam gloriam.

*Decretum Dei est unicum & absolutum.*

XI. Quamvis Deus decreverit tot tamque varias res, nihilominus *unicum* tantum datur *decretum* Dei, idque *absolutum*, nullum *conditionatum*, nec aliud alii contrarium est, uti somniant *Sociniani*, *Vorstius*, *Episcopius*, *Jesuitæ* &c. unico enim & absoluto actu volun-

voluntatis decrevit, quidquid fieri, aut non fieri, debet; immo res tam varias & sibi quasi contrarias & oppositas; ita ut unicum illud decretum in Deo assumat diversas relationes, ob diversa objecta, atque res quæ inde procedunt. *Quamvis Deus res quasdam decernat sub certa aliqua conditione, veluti salutem Petro sub conditione si credat; res decreta* tamen tantum est *conditionata*, non autem *decretum* ipsum: absolute enim decrevit Petro dare *salutem* & conditionem, nempe *fidem*, ac *perseverantiam* in fide.

XII. Inter varia Dei *decreta;* à Theologis maxime considera- tur illud quod versatur circa salutem hominis, & quod dici solet *prædestinatio.* Duplici modo consideratur *prædestinatio*, 1. ut *Electio.* 2. ut *Reprobatio. Prædestinatio est decretum Dei æternum & immutabile, de manifestanda gloria sua, per exercitium justitiæ & misericordiæ suæ.* Cum *prædestinatio* sit decretum, non minus refertur ad *voluntatem*, quam ad *intellectum*, (1. quia omne decretum est actus voluntatis. Hinc (2. non tantum dicitur πρόγνωσις 1. Pet. 1:20. sed & εὐδοκία & θέλημα Ephes. 1:5, 9, 11. 2. Tim. 1:11. Matt. 11.26. & πρόθεσις Rom. 8: 27, 28. & προορισμὸς Act. 4: 28. quæ omnia actus voluntatis sunt. Rom. 18:28, 29. Ephes. 1:5.

*Prædestinatio præcipuum Dei decretum.*

XIII. *Electio est speciale Dei decretum æternum de manifestanda gloria sua, per exercitium misericordiæ suæ, in quibusdam hominibus. Electio*, quemadmodum omne decretum, est *æterna.* (1. unico enim decreto Deus determinavit quicquid hactenus factum est, & quod in æternum fiet. Hoc enim postulat summa Dei sapientia & infinita ejus perfectio. (2. Idem docet S. Scriptura. *Ab æterno cognita sunt Deo omnia opera ejus.* Act 15: 18. *Elegit nos in Christo ante fundationem mundi.* Ephes. 1: 4. *Ante tempora sæcularia.* 2. Tim. 1:9. 1. Cor. 2: 7. Delirant igitur *Remonstrantes*, & quicunque cum illis docent, Deum eligere hominem tantum *in tempore*, postquam homo Christum vera fide amplexus est, & in ista fide perseveravit; ut Deus vix dici possit hominem elegisse, nisi in ipso articulo mortis, cum ante ultima suspiria homo fidem possit excutere, seque reddere indignum electione & salute. Quam falsa sit hæc sententia patet ex (1. summa Dei perfectione. (2. ex locis scripturæ à nobis jam modo allegatis, & (3. ex eo quod voluntas Dei de eligendo homine dependeret de voluntate hominis in credendo & perseverando. Et quamvis *homo credat in tempore*, non sequitur tamen eum in tempore electum esse. Sed Deus eum elegit ab æterno, ad hoc ut in tempore crederet.

*Electio quid?*

*Deus non eligit in tempore.*

*Nulla datur causa impulsiva electionis.* XIV. Hinc necessario sequitur, nullam dari *causam impulsivam* electionis, præter solam *voluntatem* & *εὐδοκίαν* Dei. (1. quia electio est *æterna*, at ab *æterno* ante electionem nihil fuit, quod Deum posset movere, (2. quia voluntas Dei libera est, & à nulla re dependet nec determinatur, sed ea ipsa omnia determinat. (3. Docet S. Script. *Etiam Pater quia ita placuit tibi.* Matt. 11: 16. *Non est volentis nec currentis, sed Dei gratificantis.* Rom. 9: 16, 17, 18. *Libuit Patri dare vobis Regnum cœlorum.* Luc. 12: 32. vide Rom. 9: 22, 33. Non ergo elegit nos, ut docent *Lutherani*, propter *meritum Christi* (1. quia ipse Christus electis datus est ex amore & electione Dei. Joh. 3: 15. Ergo meritum Christi non potest esse *causa electionis*, sed tantum ejus consequens & effectus.. (2. Non eligimur, quia Christus nobis datus & meritus est, sed Christus nobis datus & meritus est, quia electi sumus: ut Christus *electionem* sequatur, non autem præcedat. (3. Quia Electio respicit *finem*; sed meritum Christi *medium* & exequutionem. At *finis* præcedit *medium*. Nihil juvat adversarios, I. quod Ephes. 1: 4. Paulus dicat *Deum nos elegisse in Christo*. Sumus enim *electi in Christo*, non *propter ejus meritum*, sed tanquam *in capite* nostro; quia is est *princeps salutis nostræ*. Hebr. 2: 10. qui *salutem* quidem nobis meritus est, non autem ipsam *electionem*. Multo minus electi sumus ex *fide prævisa*, aut ex *bonis operibus*. (1. quia *fides* & *bona opera* sunt tantum *via* ad salutem, non *causa electionis*. (2. quia ad fidem & bona opera eligimur ut ea faceremus, non quod ea jam fecerimus. *Quos prænovit, etiam prædefinivit conformes imaginis Filii.* Rom. 8: 29. Ergo antea *conformes* non fuimus. *Elegit nos, ut essemus* (non quod tales fuerimus) *sancti & inculpati in conspectu ejus.* Ephes. 1: 4. *Creati sumus in Christo J. propter bona opera* (non quod ea fecerimus, aut quod Deus ea præviderit) *sed quæ Deus ante præparavit, ut in iis ambularemus.* II. Nihil probant ex Ps. 4: 4. *Dominus separavit sibi pium:* quia sibi separavit quosdam ut essent pii, non quod tales fuerint. Ineptissime *Remonstrantes* aliique docent, Deum elegisse homines, quod in hos minorem præviderit malitiam, aut elegisse propter *congruentiam auxilii*. (1. Cum ex dictis pateat, nec *fidem*, nec ullam in homine fuisse *congruentiam*, immo *inimici* dicamur, quando Deo reconciliamur. Rom. 5: 10. Col. 1: 22. *mortui in peccatis nostris.* (2. Quicquid habemus *fidei*, & *bonorum* operum, id habemus ex ista *electione*, quod scilicet ad ea electi & destinati simus. *Vobis datum est cognoscere mysteria Regni cœlorum.* Matt. 13: 11.

*Electio non fit propter congruentiam auxilii.*

*No-*

*Nobis datum est, non solum in Christum credere, sed etiam pro ipso pati.* Phil. 1:29. Sic & ipse Spiritus S. dat fidem. 1. Cor. 12. 9, 12. Gal. 5: 22. *Nemo venit ad Filium, nisi Pater eum trahat.* Joh. 6: 44. &c. (3. Non minus igitur eligimur ad media, id est ad *fidem* & *bona opera*, quam ad *finem*, nempe ad *vitam aeternam.* (4. Ejusdem conditionis sunt omnes electi ac *Jacobus* & *Esavus*, qui nihil quicquam *boni aut mali fecerant*, quum Deus eos eligeret. Rom. 9: 11, 13. Ergo nec *fidem*, nec *dispositionem ad fidem*, nec *bona opera*, nec *congruentiam auxilii* habuerunt. (5. Alter se ab altero *discernere* non potest, nec *quicquam habemus quod non acceperimus.* 1. Cor. 4: 7. Si autem in electis fuisset praevisa vel *fides*, vel *bonum opus*, aut quicquid illud sit, quod Deum movisset, ut eos eligeret, tunc sane aliquid habuissent ante electionem, & seipsos ab aliis discrevissent & electione dignos reddidissent.

*Agendum esse de Electione non Angelorum, sed hominum.*

XV. Quamvis ipsi etiam *Angeli* sint *praedestinati*, quidam *electi*, quidam vero *rejecti*, uti patet 1. Tim. 5: 21. ubi *angeli electi* dicuntur, & *principium suum servasse*, alii *ad judicium vinculis aeternis servati*, Judae vers. 6. tamen nobis examinandam proposuimus *praedestinationem* & *electionem hominum* tantum, non *angelorum.* Non autem *omnes*, sed quidam tantum hominum *electi* sunt, ut nihil absurdius dici possit, quam omnes homines, sine ulla exceptione, electos esse à Deo, uti fautores gratiae universalis & liberi arbitrii docent. At quosdam tantum electos esse patet. (1. quia nulla electio concipi potest sine praeteritione quorundam; ergo quidam tantum, non omnes eliguntur. (2. quia multi sunt *reprobati*, uti infra de reprobatione patebit. (3. quia *pauci sunt electi*: Ergo non *omnes.* Matt. 20: 16. (4. docet hoc S. Scriptura; *Jacobum dilexi, Esavum odi.* Malach. 1: 2, 3. Rom. 9: 11, 12, 13. *Electi seduci non possunt.* Matt. 24: 24. Ergo quidam possunt *seduci*, qui non sunt *electi.* *Ego vos elegi ex mundo.* Joh. 15: 19. ergo non *totum mundum.* *Dominus separavit sibi pium.* Ps. 4: 4. Id est quem vera pietate donavit, ergo non eos, quos in impietate reliquit. Sed haec fusius probabuntur, ubi de *objecto mortis Christi*, *gratia universali*, & de ipsa *reprobatione.*

*Non omnes homines sunt electi.*

*Praedestinatio continet Reprobationem aeque ac Electionem.*

XVI. Hinc necessario sequitur, in *praedestinatione* non tantum quosdam fuisse electos, sed & reliquos *reprobatos*; adeoque praedestinationem continere non minus *reprobationem*, quam *electionem.* (1. Sane nulla potest concipi *electio* sine *reprobatione*, quemadmodum non potest concipi mons sine valle. Ideo (2. S. Script. docet *multos esse vocatos, sed paucos electos.* Matt. 20: 16. Ergo non omnes sunt

*electi*;

*electi;* qui autem non sunt *electi*, *utique reprobati* sunt. *Jacobum dilexi, Esavum odi.* Malach. 1:2,3. Rom. 9:11,12,13. *Electio consequuta est, reliqui occalluerunt.* Rom. 11:7. 1. Thess. 5:9. Luc. 12:32. Ex *mundo quosdam (* ergo non *omnes) elegit* Deus. Joh. 15:19. & 13:18. Matth. 20:16. Matt. 24:24. uno verbo, (3. vix unquam fit mentio de *electione*, quin statim in eodem loco Spiritus S. loquatur de *reprobatione.* Est autem Reprobatio *speciale Dei decretum æternum de manifestanda gloria sua, per exercitium justitiæ suæ, in quibusdam hominibus.*

*Reprobatio refertur ad voluntatem.* XVII. Ut *electio* ita & *reprobatio* referri debet *ad voluntatem* Dei, non tantum ad *intellectum.* (1. quia eodem actu voluntatis, quo hi eliguntur, illi reprobantur. (2. quia in S. Scriptura *voluntati* Dei adscribitur. *Deus voluit ostendere iram.* Rom. 9:22, 23. *Scripti sunt;* impii *ad hoc judicium.* Judæ vers. 4. *Indurat quem vult indurare.* Rom. 9:22, 23. Mysteria salutis Deus occultavit quibusdam, quia erat ipsius εὐδοκία. Matt. 11:25. In quibus locis omnibus exprimitur *reprobatio*, per *positivum actum voluntatis Dei.* Male igitur *Pontificii*, *Lutherani* aliique vocem *prædestinationis* restringunt ad solos *electos:* ut malint reprobos vocare *præscitos* quam *prædestinatos*, & *reprobationem*, *prævisionem* quam *prædestinationem.* Et quamvis Spiritus S. in verbo

*Objectio.* Dei utatur verbo *cognoscere*, & *præscire:* veluti Rom. 8:29. Quos *præcognovit, eos prædeterminavit.* & Matth. 7:23. *Non novi vos*, inde tamen non sequitur *prædestinationem*, præsertim *reprobationem*, ad solum *intellectum*, non ad *voluntatem* esse referendam; cum *cognoscere* & *scire* in S. Script. significet *approbare*, *velle;* *Non cognoscere, improbare* scil. *nolle* positiva *nolitione.* veluti Amos. 3:2. *Tantum vos cognovi ex omnibus familiis terræ.* Id est vos *amavi* & *elegi.* *Novit qui sunt sui.* 2. Tim. 2:19. id est *amat suos.* vide & Ps. 1:6. Ita & *non novisse*, Matth. 7:23. significat *improbare, non amare, rejicere.* *Non novi vos.*

*Electio nobilior actus.* XVIII. *Electio* tamen est nobilior actus, quam *reprobatio:* cum in *electione* sint *positivi* actus omnes; *Reprobationis* autem fere omnes *negativi*, ut non *vocatio*, *non amor*, *non redemptio*, *non datio Fidei.* Joh. 10:26. Matt. 20:16. Joh. 12:39, 40. qui actus, quamvis sint *negativi*, tamen per voluntatem Dei *positivam* decreti sunt.

*Reprobatio nullam habet causam impulsivam.* XIX. Ut *Electio* nullam habet causam *impulsivam*, ita nec *reprobatio*, præter solum Dei *beneplacitum.* (1. quia est *æterna:* sed ab æterno nihil fuit præter voluntatem Dei. (2. quia Deus *Indurat quem vult.* (3. quia odit Esavum *antequam quicquam boni vel mali fecisset.* Rom.

Rom. 9: 22, 23. vide Matt. 11: 25, 26. Ut ne ipsum quidem *peccatum* reprobationis causa esse possit. Rom. 9: 11, 12, 13. Deus enim, tanquam summus *dominus* & arbiter rerum, decreverat in quibusdam *justitiam* suam manifestare, quum adhuc essent *labiles*; quamvis tanquam *Judex* non decreverit *exercitium* justitiæ suæ, nisi in peccatore & homine lapso. Rom. 6: 23. Ephes. 5: 6. Ergo postquam Deus decrevisset in quibusdam manifestare *misericordiam*, quod decretum proprie est *electio*; in aliis *justitiam*, quod ad *reprobationem* refertur, tunc demum decrevit creare hominem, eum creare labilem, & tandem permittere ejus lapsum, ultimo igitur punire istum lapsum, sive *peccatum*. Ergo *electio* & *reprobatio* præcedunt *fidem* & *peccatum*, ut nec fides *electionis* nec peccatum *reprobationis* possint esse causa, sed tantum consequens. Ergo non solum *peccatum* reddit hominem reprobabilem: sed ipsum *beneplacitum* Dei. Multo minus igitur *positiva incredulitas* potest esse causa *reprobationis*, quasi Deus neminem reprobet, qui non fidem in Christum prius respuat, uti delirant *Remonstrantes*, (1. quia is, *qui non credit in Christum, jam judicatus est.* Joh. 3: 18. Non tantum propter *incredulitatem* judicatur. *Qui non obedit, ira Dei manet in ipso;* Ergo non tantum per inobedientiam *iram Dei in se accersit.* Joh. 3: 36. Qui *non diligit, manet in morte.* 1. Joh. 3: 14. Ergo omnes natura sua sunt in morte, immo mortui in peccatis suis, quamvis ne fando quicquam de fide in Christum audiverint. (2. *Esavus* reprobatus fuit antequam posset dici *incredulus.* Ideo nulla ratio reddi potest, quare Deus hunc elegerit, illum reprobaverit, nisi dicamus tale fuisse Dei beneplacitum, quod ita agere voluerit tanquam supremus Dominus.

*Positiva incredulitas non est causa Reprobationis.*

XX. Cum *prædestinatio*, tam *electio* quam *reprobatio*, sit *decretum* Dei, & cum omnia Dei *decreta* sint *immutabilia*, *sequitur* & *electionem* & *reprobationem* mutari non posse. De *electione* constat (1. quia omne *decretum* Dei est *immutabile.* (2. quia *Firmum stat fundamentum Dei, habens hoc signaculum: novit Dominus, qui sunt sui.* 2.Tim. 2:19. Ergo novit etiam qui *non sunt sui. Dona gratiæ & vocationis Dei sunt sine pœnitentia.* Rom. 11:29. (3. quia illi, qui sunt inter electos, manent in illis. *Si fuissent ex nobis, mansissent nobiscum* 1. Joh. 2: 19. (4. quia, quos *prædestinavit, eos & glorificat.* Rom. 8: 30. (5. quia omnis mutatio notat imperfectionem. At Deus est summe perfectus, adeoque ejus opera. Sic & reprobationem *immutabilem* esse, certum est. (1. *Qui non obedit Filio, ira Dei manet in ipso.* Joh. 3: 36.

*Electio & Reprobatio sunt immutabiles.*

*Reprobatio est immutabilis.*

V Ergo

Ergo ira Dei non mutabitur in favorem erga reprobos, ut Deus eos eligat. *Vos non estis ex ovibus meis.* Joh. 10: 26. (2. quia omnia *decreta* Dei sunt *immutabilia*, ergo & decretum de *reprobatione*. Hinc necessario sequitur numerum *electorum* & *reproborum* nec *augeri*, nec diminui posse: sed eum semper determinatum manere, contra *Remonstrantes*, *Jesuitas*, alios.

*Argum. Adversar.*

XXI. Inde tamen non sequitur I. *Deum accusandum esse crudelitatis.* Nulla enim est crudelitas, quando Deus intendit manifestationem justitiæ suæ. II. Nec ideo *personarum acceptor est*, *quod hunc elegerit*, *istum præterierit.* Nam 1. *acceptor personarum* est, qui respicit aliquid in homine tanquam præmio dignum, quod tamen nullius est pretii. 2. *Acceptor personarum* esset Deus, si elegisset ob fidem & bona opera, quæ tamen nihil merentur. III. Nec *auctor peccati Deus est dicendus*: quia reprobatio non est dicenda causa peccati. Reprobatio est tantum negatio gratiæ & auxilii, quod Deus homini non debet: sed causa peccati est ipsa voluntas hominis. IV. Nullo modo sequitur: *si quidem probati essent*, *Deus luderet homines*, *quod ipsis offerat fidem & salutem*, quam *tamen nunquam possent consequi.* 1. Cum Deus homini hac ratione ostendat quid sit officii sui, & simul eum convincat nequitiæ, in quam libera sua voluntate se conjecit. 2. Illud argumentum retorqueri potest, in ipsos adversarios. Si Deus *præscivit* hos homines non credituros, (quod ipsi adversarii fatentur) ergo ludit homines, quod ipsis offerat fidem & salutem. Nullam aliam causam ostendere possunt, quare Deus ad salutem vocet eos, quos tamen ab æterno noverat non credituros, quam quod eos velit convincere impietatis, ipsisque officium ob oculos ponere, quod & nos docemus. V. Adeoque *nullam habent justam causam conquerendi reprobi*, *quasi ipsis fieret injuria a Deo:* quoniam Deus ipsis nihil abstulit, quod ipsis debuerit, sed tantum non concessit quod ipsis non debuit. VI. Nec *dura & cruda dicenda est hæc doctrina*, *& quod captum humanum superet:* cum sit verissima, & cum Paulus jam ad hanc quæstionem responderit. Rom. 9: 14, 19. VII. Nec *omnem considerationem hominis evertit.* 1. Cum potius vero fideli adferat suavissimam consolationem, quando in animo suo persuasus est, se à Deo amatum & electum esse. 2. Si *reprobo* non adferat consolationem, is ea indignus est. VIII. *Nec hac ratione extinguitur pietas*, *nec carnalis securitas creatur:* Cum contrarium certum sit. Nam is, qui habet sensum electionis suæ, Deo gratias agit

agit per sanctitatem vitæ. Tandem IX. Non sequitur: *Si homo est prædestinatus, electus vel reprobatus, ergo datur fatum inevitabile.* Nam 1. illud fatum, quod ponit immutabile decretum de prædestinatione, est *Christianum*, & nititur voluntate Dei. 2. Retorqueri potest argumentum in Adversarios; hoc modo, Si Deus ab æterno præscivit quorundam fidem & bona opera, propter quæ eos eligeret: aut scelera & incredulitatem aliorum, propter quam eos reprobaret, tunc sequitur dari *fatum inevitabile*, ob quod hi credere debuerint, illi non, adeoque ob quod Deus hos eligere debuerit, illos autem reprobare: Unde necessario Deus à fato dependeret.

*Finis Electionis & Reprobationis.*

XXII. Finis cum *Electionis* tum *Reprobationis* est gloria Dei; *Deus enim omnia fecit propter gloriam suam, etiam improbum ad diem mali.* Prov. 16:4. *Ut Deus notas faceret divitias gloriæ suæ.* Rom. 9: 23. Ergo Deus neminem creat nec prædestinat ad *damnationem æternam*, sed ad *manifestationem gloriæ suæ*, per exercitium justitiæ, aut misericordiæ suæ. Ut summam nobis faciant injuriam *Jesuitæ*, *Remonstrantes*, *Lutherani* aliique, qui dicunt Reformatos docere: Deum creare ac prædestinare hominem ad *damnationem æternam.* Aliud enim est *destinare ad manifestationem gloriæ suæ*, aliud destinare *ad damnationem.*

*Quæstio celebris de objecto prædestinationis.*

XXIII. Quæstio est non minus agitata quam celebris, inter ipsos Reformatos, de *objecto Prædestinationis*; Utrum sit homo *creatus* & *lapsus*, an vero homo *creabilis* & *labilis*? Respondemus *objectum prædestinationi* varie considerari, secundum varios actus Dei. Nam alius est actus quo Deus destinat ad *finem*, id est ad *gloriam suam.* Prov. 16: 4. Destinat autem ad gloriam suam, per *manifestationem justitiæ* & *misericordiæ* suæ. Alius actus est, quo destinat ad *media* & ad *exercitium* ipsum justitiæ & misericordiæ. Prior actus pro objecto habet hominem *creabilem* & *labilem.* Posterior, hominem *creatum* & *lapsum.* Hinc tamen non sequitur dari *plures prædestinationes*, sed tantum varias *partes prædistinationis.*

*Actus Prædestinationis quomodo inchoandi.*

XXIV. Nonnulli inchoant *partes* vel *actus* prædestinationis ab ipsa *creatione*, aut à *lapsu* hominis, quales dicuntur *sublapsarii*, quia ita disponunt ac si creatio & lapsus omnem actum prædestinationis præcederet. Alii inchoant ejus *actus* ab ipso *fine* quem Deum sibi proposuit, in creatione hominis, nempe à *manifestatione gloriæ suæ*, per exercitium justitiæ & misericordiæ suæ. Et hi dicuntur *supra-*

I. *A fublapfariis.* II. *Afupralapfariis.*

*lapfarii*; quia in ordinandis actibus prædeftinationis altius afcendunt quam ad creationem & lapfum, fcilicet ad finem ipfum, quem Deus fibi in creando homine propofuit. Nec male. Non enim videntur *partes* & *actus* prædeftinationis debere inchoari à *creatione* aut à *lapfu* hominis; fed potius à *manifeftatione gloria Dei*, per exercitium juftitiæ & mifericordiæ fuæ. Nam ipfa *creatio* & *lapfus* hominis à Deo prædeftinata funt. Ergo prædeftinatio creationem & lapfum anteceffit.

*Quomodo ordinandi fint?*

XXV. *Partes* igitur vel *actus* prædeftinationis hoc modo ordinari debent. I. Deus decrevit *manifeftare gloriam* fuam, manifeftando *mifericordiam* & *juftitiam* fuam. II. Decrevit creare creaturam ratione præditam & ad imaginem fuam, cui gloriam fuam manifeftare poffet. III. Decrevit creaturam iftam creare *labilem*. IV. Decrevit lapfum ejus permittere. Quis non videt hactenus objectum prædeftinationis effe hominem *creabilem* & *labilem*? Sequuntur reliqui *actus prædeftinationis*, qui *media* & *exequutionem*, vel *exercitium* ipfum juftitiæ & mifericordiæ fpectant. Igitur V. decrevit homines quofdam jam lapfos *liberare ex lapfu* & *miferia*, alios in ifto ftatu relinquere. Hoc fenfu *Prædeftinationis objectum* eft homo lapfus, non *labilis*. Nam qui ex miferia liberatur, aut in ea relinquitur, is utique debet jam in miferia effe *lapfus*. Qui hominem *lapfum* prædeftinationis objectum dicunt, in ordinandis actibus prædeftinationis incipiunt ab hoc quinto & ultimo actu, fcilicet quod Deus quofdam ex miferia velit liberare, alios in miferia relinquere. Sed male; cum *finis* præcedat exequutionem in omni intentione. Cum igitur *finis* fit *manifeftatio gloria Dei*, per manifeftationem juftitiæ & mifericordiæ, inde proculdubio incipiendum eft, cum fit primus actus in intentione Dei, adeoque primus actus prædeftinationis.

*Objectum Prædeftinationis, refpectu finis eft homo creabilis & labilis.*

XXVI. Ergo proprie loquendo *objectum prædeftinationis*, refpectu finis, eft homo *creabilis* & *labilis*: quod præter ea, quæ jam dicta funt, hifce argumentis probatur. (1. quia Paulus Rom. 9. ubi de *prædeftinationes* agit, mentionem facit non tam de *peccato* hominis, quam de abfoluta *voluntate* & *beneplacito* Dei. (2. Deus comparatur cum *figulo*, qui ex eadem *maffa*, quæ per fe nec honorifica nec ignominiofa eft, facit *vas ad decus*, vel *ad dedecus*. Rom. 9. Jam autem, fi confideraffet hominem *lapfum*, dixiffet, Deum *vas dedecore plenum* repurgaffe, aut *in dedecore* reliquiffe. (3. Deus *elegit Jacobum & re-*

*& reprobavit Esavum, antequam quicquam boni vel mali fecissent.* Ergo ut *labilis*: nam si ut *lapsi* electi fuissent, tunc malum fecissent. (4. Ipsa *creatio* & *lapsus* à Deo prædestinata fuerunt, tanquam *media ad finem*: id est tanquam media ad manifestandam gloriam Dei, per manifestationem misericordiæ & justitiæ. Ergo homo *creabilis* & *labilis* prædestinatus est: cum *finis* præcedat *media*. (5. Si homo *lapsus* esset objectum prædestinationis, nulla posset dari ratio: cur Deus decrevisset creare hominem *labilem*, & *permittere ejus lapsum*. Voluit enim *permittere* hominis *lapsum* eumque creare *labilem*, ut in hoc manifestaret gloriam per exercitium justitiæ, in isto per exercitium misericordiæ. Ergo *creabilis* & *labilis* semper fuit in mente Dei ante *lapsum*; adeoque *creabilis* & *labilis* est objectum prædestinationis respectu *finis*, quem Deus sibi in prædestinatione proposuit. Nullius est momenti, quod nonnulli excipiant: *Deum decrevisse creationem & lapsum hominis, ut manifestaret suam gloriam, & infirmitatem hominis.* Non enim sufficit ut dicamus in genere tantum: Deum decrevisse *manifestationem gloriæ suæ*, quia hæc responsio locum habet in omni decreto, circa creaturas omnes. Ergo hic specialius addendum est: *per exercitium justitiæ & misericordiæ suæ.* Sed lapsus subjicitur *exercitio justitiæ* & *misericordiæ Dei*, tanquam *medium suo fini.* Ergo tunc homo spectatur ut *labilis*, non ut jam *lapsus*. Deinde manifestatio *infirmitatis creaturæ*, non est *finis Dei* & *principalis*, sed potius *finis hominis* & *secundarius.*

*Objectio.*

XXVII. Hanc veritatem non evertit quorundam argumentatio; I. quod *prædestinationis objectum fuerint Jacobus & Esavus in utero matris.* Rom. 9: 11. *in peccato concepti ut omnes homines.* Ps. 51: 7. cum Paulus ibi eos non consideret ut jam *conceptos*; sed ut qui *nondum nati*, immo ne concepti quidem erant, *nec boni*, *nec mali quicquam fecerunt*: ergo nondum ut jam *lapsos*, sed ut *labiles* tantum. Deinde Apostolus in toto isto capite urget merum Dei *beneplacitum*, ac ejus *propositum secundum electionem*, nullam respicit causam ob quam Deus elegerit, aut reprobaverit. Vide vers. 11. Nec II. quicquam eos juvat quod *Jacobus & Esavus vocentur vasa iræ & misericordiæ.* vers. 22, 23. Ita enim vocantur, non quod jam lapsi essent, *iræ & misericordiæ* digni, sed quod Deus *iram* & *misericordiam* in iis manifestare voluerit, quare creavit eos *labiles* & permittere decrevit eorum lapsum; ergo ut *creabiles* & *labiles* prædestinati fuerunt. III. Nihil facit ad rem, quod dicant: *creabile & labile nihil ponere in re, adeoque de eo nihil posse adfirmari aut negari.*

*Argumenta adversar.*

*gari. Ergo nec etiam dici posse quod sit objectum prædestinationis.* Ponit enim *creabile* & *labile* in mente Dei, & hoc sufficit ad prædestinationem. Hinc facile responderi potest ad id quod dicunt. IV. *Creabilis actu non est homo, nec in suis causis: Cum Deus sit prima causa creaturarum.* Nam homo *labilis* exstitit in mente Dei, quod ad prædestinationem sufficit. Deinde nec ut *lapsus* ab æterno exstitit; tamen Deus de eo aliquid decrevit. Quod porro V. dicant: omnes sunt *creabiles & labiles; Ergo omnes sunt prædestinati*, id totum concedimus. Tanquam *creabilis* & *labilis* prædestinatus hic ad manifestationem *misericordiæ* Dei, ille ad declarationem *justitiæ* ejus. VI. Errant qui dicunt: *plures esse creabiles quam creantur, ergo & plures prædestinatos, quam creatos.* Nam respectu decreti Dei non sunt plures *creabiles* aut *labiles*, quam creantur & labuntur. Nemo enim est *creabilis*, nemo *labilis*, nisi is quem Deus revera creare decrevit, cujus lapsum permittere voluit: cum extra decretum Dei nihil fit. VII. *Creabilis & labilis non erigitur*, fatemur. Sed hoc dicitur respectu exequutionis & mediorum; tamen *creabilis* & *labilis* potest *eligi* vel *præteriri* in mente Dei, per absolutum ejus decretum. VIII. Non sequitur: *Si Deus prædestinaret hominem creabilem & labilem, ergo puniret creaturam innocentem:* quoniam punitio respicit exequutionem & media, ipsum *exercitium justitiæ Dei*, non autem *destinationem ad finem*. IX. Ejusdem valoris est quod addunt: *Creabilis non potest dici prædestinatus, sed tantum prædestinabilis.* Dici enim potest *prædestinatus* ad *finem*, id est ad manifestationem gloriæ Dei, per exercitium justitiæ & misericordiæ Dei: Sed non dicitur *prædestinatus* ad *exequutionem*, nisi post *lapsum*. Nec X. hoc stringit: *creatio & lapsus hominis non ordinantur instar medii ad finem, nempe ad prædestinationem, sed præsupponitur per modum conditionis in objecto, quemadmodum ductilitas in luto est id quod figulus substernit suo consilio, de vasis ad decus vel dedecus parandis.* Nam (1. non tantum *creatio* ordinatur ad prædestinationis finem, sed creatio hominis *labilis*. (2. *Ductilitatem* in luto figulus reperit, alias prius intenderet eam efficere, & eam tanquam medium ad paranda vasa destinaret & præpararet, quod & figulo sæpe accidit. (3. Iste *modus conditionis in objecto*, est id ipsum quod vocatur *medium* necessarium ad suum *finem*. Ergo certum est, *objectum prædestinationis* esse hominem *creabilem* & *labilem*, respectu *finis*.

XXVIII. Ex hisce omnibus, si quis attenta mente, animo

pa-

pacifico, ac sine studio partium rem perpendat, manifesto patet, inter *supralapsarios* & *sublapsarios*, uti vocari solent, nullam esse discrepantiam, adeoque eorum sententias facile conciliari posse, si dicamus: respectu *finis*: objectum prædestinationis esse *hominem creabilem* & *labilem*; at respectu medii, exequutionis, & *exercitii justitiæ & misericordiæ Dei*, esse hominem *creatum* & *lapsum*.

# LOCUS V.

## CAPUT V.

### *De Operibus Dei externis, & in specie de Creatione.*

I. OPera Dei ad extra, sunt vel *naturalia*, vel *redemtionis*. Naturalia sunt *creatio* & *conservatio*. *Redemtionis*, sunt ea quæ salutem electorum spectant. Nunc de operibus *naturalibus*, & primo quidem de operibus *creationis*.

*Creatio quid?*

II. *Creare* non semper significat *productionem rei ex nihilo*, ut vulgo definiri solet. Nam etsi *omnis productio rei ex nihilo sit creatio*, tamen *omnis creatio non est productio rei ex nihilo*. Est ergo *creatio productio rei per imperium*, quatenus. (1. Deus res omnes creat per solum nutum voluntatis suæ, adeoque per *imperium* suum. (2. Docet hoc S. Scriptura. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint.* Rom. 4: 17. Dixit Deus *fiat lux*, *& facta est lux*. Gen. 1: 3. *Per voluntatem ejus facta sunt omnia.* Apoc. 4: 11. Deinde *creationem* etiam dici productionem ex præexistenti materia (non solum rei ex nihilo) patet; quia *feræ*, *aves*, *pisces*, *balenæ*, *reptilia &c.* facta sunt ex præexistenti materia, tamen *creata* dicuntur. Gen. 1: 21. Et primi parentes ex terra *creantur*. vers. 27. (3. Deus dicitur בורא ישראל *creator Israëlis*. Es. 43: 15. *Cor* & *animus* novus *creatus* dicitur. Ps. 51: 12. Hinc homo regenitus *nova* vocatur *creatura*. Gal. 6: 15. 2. Cor. 5: 17. Es. 65: 17. Parum modeste loquitur qui hanc observationem vocat *vanissimam recentiorum crisin*. Vanissima sane est ratio quæ additur. I. quod *aliquando vox creare latius, aliquando strictius sumatur*: nam sive *late*, sive *stricte*, semper erit *productio per imperium*. II. quod *omnibus providentiæ operibus æque applicari possit*; cum *opera providentiæ a creatione* non differant, nisi secundum nostrum concipiendi modum. Sed revera *vanum* & *novum* est, si dicas: creationis communiorem notionem esse *potentissimam rei novæ*

*pro-*

*productionem ;* cum quæstio sit, non tantum de *rei novæ productione*, sed potius de *modo producendi*, scilicet *per imperium*, quod non nisi de Deo dici potest. Adde quod *potentissima* ista *rei novæ productio* fiat *per imperium*.

*Deum omnia creasse.*

III. Deus creavit totum mundum, sive quidquid est extra Deum. (1. Docet S. Scriptura. *Initio creavit Deus cœlum & terram.* Gen. 1: 1. Nehem. 9: 6. Joh. 1:3. (2. Sequitur ex summa *perfectione Dei.* Nam quia Deus est *ens summe perfectum*, omnia ab eo debent *dependere* omni modo, in *origine*, in *duratione* & in *operatione ;* alias Deus non esset rerum summus Dominus & arbiter, ut eo perfectior aliquis concipi posset. (3. Ex ipsa rerum imperfectione. Nullam enim habent *necessariam existentiam*, ergo *produci* & conservari debent, vel *à se*, vel ab alio. Non possunt se ipsas producere, quia nihil est causa sui ipsius. Nihil autem à se posse produci patet, si attendamus ad *partes* universi : sunt enim omnes substantiæ vel *corpora*, vel *spiritus*. *Corpora* se non possunt producere: quia nullam, sua natura, habent actuositatem, etiam quando existunt, multo minus antequam existant. Res *spirituales* sibi non possunt dare esse. (1. quia operantur per *intellectum* & *voluntatem :* Sed non poterant *intelligere* nec *velle*, antequam existerent. (2. Si seipsas produxissent, *perfectas* se produxissent, quia nulla est ratio cur sibi non æque *perfectionem* potuissent dare, quam *esse :* tamen omnes imperfectæ sunt. (3. Ipsa imperfectio rerum notat, dari ens summe perfectum unde reliqua dependeant.

IV. Quemadmodum Deus omnia creavit, ita etiam omnia ex nihilo creavit. Non autem ex materia *praexistenti*, ut voluerunt *Plato*, *Stoici*, & ex Christianis olim *Marcio* & *Hermogenes*, ob hunc errorem veteribus dicti *materiarii*. Nam *materia* ista *praexistens* vel *creata* fuisset, vel *increata*. Si *increata*, ergo fuisset independens & ipse *Deus*. Si *creata*, à Deo creata fuisset ex *nihilo*, ergo non ex *praexistenti* materia. Futile est quod dicant: *Nihil posse fieri ex nihilo.* Nam hoc verum est tantum in rebus creatis, quæ non habent potentiam infinitam, adeoque ex nihilo nihil possunt producere. Sed cum Deus sit ens summe perfectum, quod agit per summum imperium & absolutam voluntatem, ex nihilo rem producere potest, cum possit *velle*, ubi nihil est, ut res existat. Et cum potentissime velit, res necessario debet existere; nam *quid resisteret ejus voluntati?* Rom. 9.

*Mundus ex nihilo creatus.*

V.

*Deus non creat per aliquam emanationem.*

V. Deus mundum non creavit per aliquam *emanationem* aut vim, à Deo *distinctam*, & quasi à Deo *exeuntem*. (1. quia ista *vis* vel *emanatio* nec *creata* nec *increata*; nec *finita* nec *infinita* dici posset. Nam si esset *creata* & *finita*, tunc *creata* esset per aliquam vim; atque sic daretur progressus in infinitum. (2. *Vis creata* dici non potest, cum id quod creatum est non possit creare. (3. Deus esset compositus, ex *essentia* & *vi*, sive *proprietate* aliqua, quæ ejus essentiam perficeret. (4. Tandem si ista *vis* esset *increata*, tunc esset ipsa essentia Dei: cum præter *essentiam* Dei nihil sit *increatum*, & *infinitum*. Creavit igitur Deus per *essentiam*, quia operatur & creat per *voluntatem* suam. Apoc. 4: 11. *voluntas* autem Dei est ipsa ejus *essentia*. vide quæ de *voluntate* Dei diximus. Non tamen sequitur: *si voluntas Dei est æterna*, tunc *eum creasse ab æterno*, *cum per voluntatem creaverit*. Nam Deus ab æterno voluit ut mundus haberet initium. Ergo quamvis voluntas Dei sit æterna, quaterius concipitur ut actus vitalis, tamen opus volitum non est æternum.

*Creavit per essentiam.*

*Objectio.*

*Non adhibuit Ministros nec Instrumenta.*

VI. Deus solus creavit, nec ullis *creaturis*, *ministris*, nec *instrumentis* opus habuit. (1. quia creat per *voluntatem* & *imperium*, sed voluntas nullis *ministris* nec *instrumentis* opus habet. (2. quia nulla creatura per solam *voluntatem* creare potest; cum tamen creatio sit productio per voluntatem.. Hinc etiam sequitur *vim creandi* nulli creaturæ communicari posse, quod perverse nobis persuadere conantur *Pontificii*, ut crederemus sacrificulos posse *creare creatorem* suum. A quorum errore non multum absunt *Judæi*, *Sociniani* & alii, qui adfirmare audent, *Angelos creasse*. Hoc autem esse falsissimum, patet (1. quia, si creatura creâret, tunc res fieret, quia Deus eam vellet creari: si, quia Deus *vellet*, tunc Deus ipse crearet, nam Dei *velle*, *ut fieret*, est ipsissimum ejus *creare*. Si Deus *non vellet*; tunc creatura aliquid contra voluntatem producere posset, quod est impium cogitatu. (2. Si creatura posset *creare*, tunc seipsam creare quoque posset, immo & se posset *conservare*. Quid? si vel aliam creare posset, se ipsam posset conservare. Nulla enim esset ratio quare hoc minus poneretur, quam illud. (3. Si aliam posset creare, esset *omnipotens*; adeoque se posset reddere perfectiorem, immo summam sibi posset dare perfectionem, se redderet independentem à Deo, sic autem Deus seipsum everteret. (4. quascunque vires Deus creaturæ daret, istæ vires tamen perpetuo augeri possent, adeoque finitæ semper manerent. At finitæ vires non possunt creare.

*Mundus non fuit ab æterno.*

VII. Ex his ſatis conſtat mundum non fuiſſe ab æterno, ut male docet *Ariſtoteles*, *Plinius* aliique. Immo ſequitur, ne potuiſſe quidem eſſe ab æterno, contra quam docent *Jeſuitæ*. (1. quia, ſi mundus creatus eſſet, debuiſſet ex *nihilo* creari. Ergo *nihil* fuiſſet ante *creationem*, quod autem *ante ſe* habet, illud non eſt *æternum*. (2. quicquid creatum eſt, habet *initium ſui*. Sed quod *æternum* eſt, non habet *initium ſui*. Et quamvis *Deus ſit omnipotens ab æterno*, *& ad nullum momentum adſtringatur*; tamen non ſequitur mundum ab æterno potuiſſe creari. Fatemur quidem, ſi ſolam potentiam Dei reſpiciamus, difficile admodum nos comprehendere, quomodo Deus ab æterno non potuerit creare mundum; at ſi attendamus ad creaturam ipſam, repugnat mundum eſſe ab æterno, ob rationes à nobis jam allatas. Dicendum itaque eſt, mundum creatum eſſe in *tempore*; non quod ullum *tempus* fuerit ante mundum, ut inepte docent *Sociniani*, ſed potius quod tempus cum mundo concreatum ſit. Nihil enim eſt *tempus*, nec *ſpacium*, nec *locus*, nec *menſura*, nec *numerus* in ſe, extra res quibus adſcribuntur: adeoque creari per ſe & ſua natura non poſſunt. Ergo *concreatur* tantum cum rebus *temporalibus*, & quæ *locum* & *ſpacium* habent, quæ *numerari* poſſunt. Hinc facile reſpondetur ad argutias *Socinianorum*: *ſi tempus non eſt æternum*, *tunc debet eſſe creatum in tempore*, *ſed & iſtud tempus in tempore creatum erit*, *& ſic quæri poſſet in infinitum*. Non enim *creatum* eſt tempus, nec in *tempore*, nec *ab æterno*, ſed cum rebus temporaneis *concreatum* eſt, ut *ſpacium* & *locus* cum re *locata*, *numerus* cum re *numerata*, *menſura* cum re *menſurata*. Si roges: quando ergo tempus creatum fuit? Reſpondeo, hanc quæſtionem eſſe ineptam. Nam *quando* reſpicit ipſum *tempus*, quod non poteſt habere locum ante quam creatum fuit. Ergo *tempus* in tempore creari dici non poteſt; adeoque non in *quando*. Dico itaque *tempus* & *mundum* creata fuiſſe *initio ſui*.

*Exceptio.* *Objectio.*

*An Deus potuerit mundum citius creare?*

VIII. Quæri ſolet: utrum Deus mundum potuiſſet creare *citius*? Reſpondeo non potuiſſe, ſi reſpiciamus vim vocis *citius*. (1. quia *citius* dicitur reſpectu *temporis*: ſed ante creatum mundum non fuit *tempus*, ergo nec *citius* nec *tardius*. (2. Nec *citius* creare potuit reſpectu *æternitatis*, ob eandem rationem, quia in æternitate non eſt *prius* nec *poſterius*, nec *citius* nec *tardius*. Tamen Deus ita potuiſſet creare mundum, & cum mundo concreare *tempus*, ut plura ſæcula poſſemus numerare à creatione, quam

nu-

numeramus hodie: adeoque nostro respectu *citius* creari potuisset.

IX. Alia hic oritur quæstio, scilicet *quo tempore anni mundus creatus sit?* Ante omnia notandum est, cum Terra nostra sit rotunda, & perpetuo volvatur circa solem, duplici quasi motu deferatur *diurno* & *annuo*, omnia tempora, diem & noctem, auroram & vesperam, hyemen & æstatem, ver & autumnum, omnia ista, inquam, fere semper simul exstare, pro vario climate atque polo. Quæstio igitur hæc respicit Regionem Babylonicam, ubi creditur fuisse Paradisus, & primi nostri parentes, utrum scilicet respectu istius Regionis mundus creatus fuerit circa *autumnum*, an vero circa *ver*, aut alio aliquo mense? Præcipuæ quæstiones, (ut cæteras præteream) quæ magnos habent auctores, sunt: utrum creatus sit circa æquinoctium *vernum*, sole versante in ariete? an vero circa *æquinoctium autumnale* mense septembri? Qui posteriorem sententiam amplexi sunt, his solent niti rationibus. (1. *quia Judæi ad hunc usque diem incipiunt annum circa mensem septembrem.* Tunc enim habent ראש השנה *initium anni*, tunc incipiunt lectiones suas *Sabbathicas*, sive פרשות. (2. *Judæi jubentur* סוכות *vel festum Tabernaculorum* celebrare *in fine anni.* Exodi 23: 15. & 34: 22. Hoc autem fit mense *Tisri*, vel *septembri.* (3. quia *fructus circa mensem septembrem maturi sunt, ad sustentandos homines & animalia.* Ergo isto mense creatus est Adam, ut haberet unde viveret. (4. Gemarici *Avoda Zara.* Cap. 1. *tradunt Adamum & Evam post creationem statim animadvertisse dies breviores factos, quod debuit esse circa septembrem.* (5. *Mundus dicitur creatus* בראשית Gen. 1: 1. *Quod legi potest* בא"תשרי *primo mensis Tisri.* Sed ad has rationes facile responderi potest. Ad primam, quamvis ita à Judæis observetur, non sequi tamen annum *naturalem*, sive mundum initium incidisse in mensem septembrem. Ad 2. In locis Exod. 23: 16. & 34: 22. intelligi finem messis & collectionis fructuum. Si vel maxime intelligendum esset initium anni, tamen per annum non esset intelligendus annus *naturalis*, sed *politicus* tantum. Ad 3. Mense *Martio* & *Aprili* sat reperitur fructuum circa Babylonem, ubi paradisus creditur, ut per totam æstatem vivere potuerint Adam & Eva. Ad 4 Esse traditionem Talmudicam, quæ probatione indiget. Ad 5. Esse lusum Judæorum, qui nihil probat.

*Qua parte anni mundus sit creatus?*

*An Circa æquinoctium Autumnale?*

X. Credibile igitur magis est, mundum creatum fuisse circa *æquinoctium vernum*, sole versante in *ariete*, mense Martio. (1. quia ista

*Circa æqui-*

*noctium vernum.*

isto tempore cœlum est amœnissimum, plantæ maxime *germinant*, & *arbores proferunt fructus suos*, uti tempore creationis factum legimus. Gen. 1: 11. Omnia enim vere nova & creari videntur, *Vere concordant amores, vere nubunt alites.* Hinc Virg. Georg. 11.

*Non alios prima crescentis origine Mundi*
*Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem*
*Crediderim. ver illud erat. &c.*

(2. Convenientius erat, ut dies statim post creationem crescerent quam deficerent, ut herbæ, ac arbores floridiores & amœniores fierent, quam ut statim omnem gratiam amitterent per hyemem. (3. Mense Martio circa Babylonem fructus & frumenta sunt matura, quantum sufficit ad alimentum, teste *Philone* de *vita Mosis.* Quare & mensis אביב *spicarum* dicitur. Exod. 9: 31. ubi legimus jam ante exitum ex Ægypto Mense Martio hordeum &c. ad maturitatem fere pervenisse: (4. Mensis *Martius* sive אביב *primus Mensis* dicitur *anni.* Exod. 12: 2. & 13: 4. (5. Tempore Noachi idem mensis primus fuisse videtur. Nam Noachus animalia emisisse dicitur ex arca *secundo mense.* Gen. 7: 11. & 8: 14. Credibile est id factum fuisse Mense Majo, quia tunc terra facilius exsiccabatur post aquas diluvii, & quia tunc sat poterat esse pabuli. Alias si initium anni ponas in Mense Septembri, animalia emissa erunt circa mensem Decembrem, ubi nec terra facile exsiccari, & vires resumere potuisset, nec animalia pabulum habuissent, instante hyeme. (6. Stante templo primo, mensis אביב sive *Martius* primus videtur. Hierosolymæ enim captæ dicuntur *mense quinto.* 2. Reg. 25: 8, 25. Vide Jerem. 39: 3. Sed constans traditio est Templum dirutum fuisse mense אב / hinc quotannis lugent תשע באב. At mensis אב ipsis est partim *Julius* partim *Augustus*, qui est quintus à Martio. Nec aliter videntur numerasse annum in captivitate Babylonica, & post eam. Constat enim ex libro Esteræ mensem Martium primum fuisse. Nam *duodecimus mensis* dicitur אדר cap. 3: 13. & 8: 12. & 9: 1. Notum autem est mensem *Adar* esse *Februarium.* Ergo primus est *Martius.* Hinc intercalatio ultimi mensis Februarii אדר ואדר id est *secundus Februarius* dicitur.

*Mundus unde sic dictus?*

XI. *Mundus* Latinis sic dicitur à *munditie*, ut Græce κόσμος. (1. quia quicquid est pulchritudinis & ornamenti, id est in mundo. (2. quia omnia quæ Deus creavit erant *valde bona.* Gen. 1: 31. Et omnis *creatura Dei bona est.* 1. Tim. 4: 4. *Utrum* vero *Deus mundum* po-

*potuerit creare perfectiorem?* Vana eſt quæſtio. (1. quis enim novit ejus perfectiones, cum milleſima pars à nobis non cognoſcatur. Quid ergo dicemus de perfectione mundi, cum eam ignoremus? (2. Perfectior fieri poſſe, non videtur: cum omnia opera Dei ſint *valde bona.* Gen. 1:31. Ergo & *perfecta* ſunt. Et quamvis *Deus potuiſſet efficere ex. gr. ut terra ſemper vireret, ut fructus ſemper maturi de arboribus penderent, ut homo nunquam frigeret, ut nullum daretur venenum;* tamen non ſequeretur mundum fuiſſe perfectiorem. Nam 1. multa, quæ hodie recenſentur inter *imperfectiones*, accidunt propter peccata. Deinde quamvis quædam partes perfectiores eſſent, non ſequitur mundum ideo eſſe perfectiorem: nam & ipſa *varietas* rerum facit ad perfectionem totius univerſi.

*Utrum mundus creari potuerit perfectior?*

*Objectio*

XII. Duos aut plures mundos fuiſſe ſucceſſive, ſi quis ſtatuit, ineptit cum Judæis & aliis. Multo minus dicendum eſt cum *Epicuro* & *Metrodoro, plures eſſe mundos.* Cum ne plures quidem eſſe poſſint. (1. quia implicat manifeſtam contradictionem, ſi dicamus duos aut plures dari Univerſitates. (2. Duo iſti mundi ſeſe tangerent, vel non tangerent. Si *prius*, unus tantum eſſet mundus. Si *poſterius*, aliquid eſſet intermedium; ſed illud intermedium eſſet pars mundi. Nam quod quidam concipiant *ſpacium imaginarium*, inter duos mundos, illud eſt turpe delirium Scholaſticorum, ac eorum ſequaculorum, jam ſupra à nobis exploſum, ubi oſtendimus ſpacium imaginarium nihil eſſe: adeoque ſi ſpacium imaginarium intercederet, nihil intercederet, ut unus tantum eſſet mundus, non plures. Non ſufficit ut dicant duos tales mundos diſtare per *non contactum:* nam quæſtio manebit, quænam ſit cauſa iſtius non contactus? Sed cauſa *non contactus* non poteſt eſſe alia, quam corpus intermedium inter duo alia corpora, quod impedit quo minus ad ſe accedant & ſe tangant. Plures tamem dari *orbes* inſtar terræ noſtræ, ubi ſint *montes, ſylvæ, maria, fluvii,* credibile eſt. (1. quia Mathematice demonſtratur lunam eſſe corpus *opacum*, quod vel ex *Eclypſibus* patet. (2. quia in luna dari *montes*, per tubos opticos jam diu animadverſum eſt. Utrum autem dentur *animalia* in luna & aliis corporibus cœleſtibus, incertum eſt. Sed dari *homines* in luna aliiſve ſtellis, non eſt credibile: cum Deus *totum genus humanum ex uno ſanguine creaverit.* Act. 17: 26. Vide Eſ. 45: 18. At quamvis mundus ſit unicus, plures tamen habet partes. Et duo quidem genera ſubſtantiarum, *ſpiritum* & *corpus*, quæ infinita habent accidentia & modos.

*Non fuerunt plures mundi.*

*Exceptio.*

*Exceptio.*

*Plures dari poſſe orbes terreſtres.*

*Mundus plures habet partes.*

Nec alia *ſubſtantia* à nobis concipi poteſt, quæ non ſit *corpus* aut *ſpiritus.*

*Mundus perfectione eſt finitus.*

XIII. Cum mundus à Deo ſit creatus & dependens, certum eſt, *perfectione* ſua eſſe *finitum:* cum nulla creatura infinitam & illimitatam habere poſſit perfectionem. Sed ratione *extenſionis* ejus nullos poſſumus concipere limites. (1. quia quouſque concipiamus, nunquam tamen ejus *limites* concipere poſſumus. Quod non fit ex infirmitate mentis noſtræ, ſed conceptu poſitivo ſemper ulterius concipimus, ut nuſquam ſubſiſtere poſſimus. (2. Illi ipſi, qui *ſpacia imaginaria* fingunt, hoc ideo faciunt, quia veram extenſionem, adeoque corpus in *indefinitum* concipiunt. Ergo neceſſario mundus à nobis dicendus eſt *indefinitus*, quia ei limites aſſignare non poſſumus.

*Mundo nulla figura poteſt aſſignari.*

*Ejus centrum ignoratur.*

XIV. Cum autem mundi non poſſimus demonſtrare nec concipere limites, ſequitur certam *figuram*, puta *rotundam*, *quadratam* aut aliam ei à nobis quoque non poſſe aſſignari, nec dici poſſe ubi ſit ejus *centrum.* Ut nimis temere nonnulli affirment mundum eſſe *rotundum*, ejuſque *centrum* eſſe noſtram *terram.* Nam cujus limites non poſſumus aſſignare, ejus quoque non poſſimus concipere figuram, nec indicare ejus centrum: quod Mathematicis probe notum eſt.

*Objectio.*

Timeo cordatiores riſum vix tenere poſſe, ſi quis dicat: *mundum debere eſſe figuræ rotundæ, quia iſta figura eſt capaciſſima & firmiſſima, ut omnia in ſuo ſtatu remanerent*, ut forte videmus in *ovis*, *rotis* &c. Cum enim nihil ſit extra mundum, quo diffluerent ejus partes, etiam nulla retentione opus habent.

*De anima mundi.*

XV. Figmentum Poetarum eſt, ſi quis ponat *animam* aliquam generalem totius mundi, quæ omnia permeet, animet, & informet, unde totus rerum motus, vita & conſervatio dependeat, ſecundum illud Virgilii Æneid. lib. 6.

> *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus.*
> *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Iſta enim anima eſſet vel *corpus*, vel *Spiritus.* Non *corpus*, cum corpus non poſſit animare aliud corpus, & ipſum opus haberet anima, & ſic in infinitum. Non *Spiritus*, quia non eſt *extenſus*, & per omnia corpora undique *diffuſus.* Sed quicquid nugatores animæ mundi adſcribant, id potius Deo adſcribi debet, cum ejus ſit opus. Si tamen aliqua anima mundi ponenda eſſet, illa eſſet non aliquis *ſpiritus*, ſed corpus ſubtile, ſive *materia primi elementi.* Quæ de *formis*

*ſub-*

*ſubſtantialibus*, *materia prima*, *facultatibus*, *Sympathia*, *antipathia* & id genus alia dicuntur, philoſophis illis, qui verbis ejuſmodi quadrupedalibus, & ſenſu vacuis ſe paſcere ſolent, relinquimus. Nec inter partes mundi cenſenda ſunt, non magis quam *ſpacia imaginaria*.

*Finis creationis non homo.*

XVI. *Finis* creationis mundi eſt *gloria Dei*. Deus enim *omnia fecit propter gloriam ſuam*. Prov. 16: 4. Pſ. 19: 1. *Ex eo, per eum, & in eum ſunt omnia*. Rom. 11: 36. Et quamvis Deus *terram dederit habitationem hominibus*, Eſ. 45. Pſ. 115: 16. ut in ea ab hominibus voluerit glorificari; nihilominus tamen dici non poteſt, quod creata ſit propter *hominem ſolum*. Multo minus gloriari debet homuncio, totum Univerſum, vaſtiſſimum ac ſtupendum hoc opus, *propter hominem viatorem factum eſſe, ut ſi viator eſſe deſinat & in cœlum ſublatus ſit, nullus mundi hujus uſus ſit*, ut nonnulli loquuntur. Nec etiam totum mundum eſſe *finem cui*, vel *finem indigentiæ* hominis, aut *hominem eſſe finem omnium creaturarum:* cum homo ne milleſima quidem parte, quid? vix puncto totius mundi, indigeat. Homini plus ſatis ſufficit ſolus vortex in quo eſt, ſufficit ei ſola *terra*, *ſol*, *luna*, quæ ei ſunt in ſigna diei & noctis, annorum & menſium, inde & *magna luminaria* dicuntur; & quæ ad alendum hominem plus ſatis ſufficiunt. Modo *Deus hos cœlos exaudiat, & hi cœli exaudiant terram, & terra frumentum, muſtum & oleum & hæc denique exaudiant Iſraelem*. Oſ. 2: 21, 22. homini ſufficit. Quid reliqua corpora cœleſtia, etiam quæ contemplamur, homini boni adferunt, niſi quod ſe conſpicienda præbeant, homo opera Dei aliquo ſaltem modo cognoſcat, & admiretur ſapientiam ſummi opificis; Pſ. 19: 1. Sed cui uſui erunt homini ea quæ ignorat? Nam ne milleſimam quidem partem novit rerum creatarum. Forte quicquid hactenus vidit & contemplatus eſt, etiam uſque ad ſupremas ſtellas fixas, quo unquam viſus pertigit, pulviſculus tantum eſt, ſi cum toto univerſo conferatur. Nunquam enim poſſumus habere cogitationes nimis amplas & auguſtas de operibus Dei. Quis novit quæ ſtellæ, quæ aſtra, qui orbes, quæ corpora adhuc exſtent extra altiſſimas ſtellas, quæ nobis hactenus viſæ ſunt? Sed ſolius terræ milleſimam partem non novit homo: cum non niſi circa corticem lambat, quouſque etiam hactenus viſcera ejus perſcrutatus ſit. Multi ignorarunt *Antipodas*. Ante pauca ſæcula *America* latuit. At quid eſt terra niſi punctum? ſi attendamus ad ſolum circulum, quem deſcribit circa ſolem, uti ex gnomonica manifeſto conſtat. Quod Deus fecit

*Objectio.*

propter

propter hominem, id ei quoque revelavit. Ita non *dedit nobis Filium ſuum unigenitum*, Joh. 3: 16. *quod donum toto mundo præſtantius eſt*, quin id nobis revelaverit in verbo ſuo. Sed totum mundum, omneſque creaturas propter hominem creatas eſſe, nuſquam legitur. Ergo non tam debemus ruſpari fines Dei, in omnibus operibus ejus, quam noſſe, Deum omnia creaſſe propter gloriam ſuam, præſertim autem hominem debere uti creaturis, quas Deus ei conceſſit, cum gratiarum actione, ad glorificandum creatorem.

*Quo ordine Deus proceſſerit in creatione, docet Sacra Scriptura.*

*Deus impendit ſex dies.*

XVII. Ex ſola ratione ſatis manifeſto conſtat, Deum creaſſe mundum; quo ordine autem in *creatione* proceſſerit, diſcimus ex ſola Scriptura S. Narrat enim Moſes, Deum in perficiendo ſtupendo hoc opere impendiſſe ſex integros dies. Unico quidem *momento* creavit quicquid ex *nihilo* produxit, quales ſunt *ſubſtantiæ* ipſæ, *corpus* & *Spiritus*: ſcil. *materia extenſa*, *Angeli* & *Mentes humanæ*. (1. quia Deus creat per *voluntatem*, quæ tempore non opus habet. (2. quia quicquid fit ex nihilo, illud nec tempore opus habet, nec moram patitur: cum nihil poſſit reſiſtere. (3. quia, ſi ſubſtantia, quæ produceretur ex nihilo, non fieret unico momento, tunc res conciperetur tanquam ſi ex parte non eſſet, adeoque quaſi res ſimul eſſet & non eſſet.

*Quid in momento creavit?*

*Quænam in momento fieri non poterant?*

XVIII. Quod autem attinet ſubſtantiarum *diſpoſitiones*, *ornatus*, & quæcunque *motum* requirunt, certum eſt, ea in *momento* fieri non poſſe, ſed in tempore tantum. (1. quia quicquid movetur in *tempore* movetur. (2. Si Deus omnia creaſſet in *momento*, nulla dari poſſet ratio, quare impendiſſet *ſex integros dies*, & quare dicatur *ſeptimo* quieviſſe. Sane in *momento* fieri non poterant ex. gr. *aquarum a terra ſeparatio*, corporum lucidorum in *certas ſphæras collectio*, *coſtæ ex latere extractio*, &c. quia hæc omnia *motum* requirebant, ergo in *tempore* tantum fieri poterant. I. Verum quidem eſt nos legere, *Deus dixit fiat lux & facta eſt lux*. Gen. 1: 3. Pſ. 33: 9. Rom. 4: 17. at non legimus Deum dixiſſe: *Fiat lux unico momento*. Deinde ſi lucem unico *momento* creavit, tunc eam creavit ex *nihilo*. II. Nec ſequeretur, *voluntatem Dei pendere à tempore & a mora*; Cum non *voluntas Dei*, ſed res ipſæ ſecundum Dei voluntatem penderent à *mora*. III. Et quamvis *Deus poſſit omnia uno momento annihilare*, ſi annihilaret quicquam: Nihilominus, cum de annihilatione nullum poſſimus formare conceptum, de ea Deus nobis nihil revelaverit, ſequitur de ea nos vix quicquam ſtatuere poſſe. Deinde

*Argumenta adverſar.*

de si annihilaret, ejus nullum habeamus exemplum, id proculdubio fieret in momento, ob easdem rationes, ob quas dicimus eum creasse in momento substantias ex *nihilo*, tamen non sequitur ex nihilo posse produci res, quæ motum requirunt. IV. Ita quoque non sequitur: *nullam esse differentiam inter generationem & creationem, si res fieri non potest qualibet in momento:* quia omnis *generatio* requirit *motum*, sed productio rei ex nihilo non fit per *motum*. Deinde *generatio* fit ordinariis legibus, quas Deus naturæ fixit: sed *creatio*, etiam in rebus quæ per motum & in tempore fiunt ex materia præexistenti, fit modo extraordinario, & non secundum leges fixas naturæ. V. Et quamvis *opera primi diei facta sint in momento, non sequitur tamen, & reliquorum dierum opera in momento facta esse:* cum *primi diei* opera ex *nihilo* facta sint, reliquis autem diebus ex materia præexistenti, ut substantiæ disponerentur & ornarentur, ubi *motu*, ergo & *tempore* opus erat. VI. Et quamvis concedamus *Deum potuisse mundum producere cum omnibus rebus, totaque varietate qua hodie exstat, uno momento, si voluisset*, nihilominus tamen falsum est, *Deum omnia in momento creasse:* quia voluit res quasdam creare ex materia præexistenti: voluit materiam creatam varie disponere, ut apparet ex creatione *solis, syderum, herbarum, plantarum, animalium*, & id genus infinita alia, quæ *motum* adeoque *tempus* requirebant.

*Opus cujuslibet diei. Primi diei.*

XIX. Ut Deus sex dies impendit in creatione rerum, ita quoque singulis diebus certa quædam opera produxit. Primo die creavit *cælum* & *terram*. Id est *terram aquis opertam*, cum tota materia rerum corporearum in indefinitum extensa, & *Lucem;* ut opera primi diei sint 1. *Cælum*, 2. *Terra* & 3. *Lux*. Per *cælum* & *terram* non debet intelligi Poëtarum *Chaos*, materia quædam *informis, rudis indigestaque moles;* sed *cælum* & *terra* à se invicem discreta. *Cælum* aliud dicitur *beatorum*, sive *Empyreum;* aliud stellatum, aliud *aëreum* sive *avium*. Cælum *Empyreum*, sive habitaculum Dei & beatorum, non fuit *æternum*, nec *increatum*, ut *Sociniani* delirant; quasi Deus ab æterno ejusmodi loco ad habitandum opus habuisset. Ab ista sententia *Socinianorum* non admodum aliena est opinio eorum, qui sibi fingunt *spacia imaginaria*, in quibus Deus ab æterno habitaverit; nisi quod *Sociniani* Deum angustiori loco includant, & cælum suum empyreum reddant *lucidum* gloriose splendens, quod Deus *habitare* dicatur *lumen inaccessum*. 1. Tim. 6: 16. cum *spacia imaginaria* sint in infinitum extensa, sed horrida obscuritate & inanitate, instar Ma-

*Cælum.*

*Spacia imaginaria.*

Mathematicorum cubiculi obſcuri, aut ſubterraneæ caveæ terribilia & ſqualentia. Sed quam putidæ ſint hæ fabulæ, ex iis, quæ dicta ſunt de *omnipræſentia Dei*, ſatis conſtat. Quin & manifeſtam involvit contradictionem, ſi quis velit aliquid ponere præter Deum, quod ſit *increatum*. Sine ratione ſtatuitur à fratribus *Lutheranis*, cœlum beatorum *illocatum*, & *incorporeum*: cum nihil poſſit concipi *extenſum*, quod non ſit *locatum*. Deinde ſi eſſet *incorporeum*, aut eſſet *nihil* aut *ſpiritus*, cum non detur *illocatum* & *incorporeum præter nihil*, & *ſpiritum*. Sed neutrum dici poteſt.

*Cœlum non eſt illocatum.*

XX. *Terra* eodem die primo à cœlo fuit diſcreta quidem, ſed erat תהו ובהו ſine *luce*, ſine *ornatu*, & aquis undique ſubmerſa. *Spiritus*, qui ferebatur ſuper aquas, non erat *ignis*, nec *ventus*; quia ignis dependet à *luce*, aut potius eſt ipſa *ſubſtantia lucida*: & ventus ab aſtris, quæ quarto demum die producta ſunt. Nec erat *angelus*. (1. quia *Angelus*, quamvis ſit ſpiritus, tamen non vocatur *Spiritus Dei*. (2. quia nondum Mathematice demonſtratum eſt, Angelos tunc exſtitiſſe. Erat igitur *Spiritus S.* qui dicitur מרחפת *incubare* aquis, quia inſtar gallinæ incubabat terræ, ut ipſi daret vim ad ornatum & ad productionem rerum, ut gallina incubando ovis excludit pullos. *Lux*, quæ eodem die creata fuit, non fuit *accidens ſine ſubjecto*, ut nugantur *Pontificii*, in gratiam *tranſubſtantiationis*, ubi accidentia & ſpecies panis debeant eſſe ſine pane, ſine ſubjecto cui inhæreant. Erat igitur *materia ſubtilis primi elementi*, vehementiſſime mota, & poſtea in certa corpora, ſolem aliaſque ſtellas collecta.

*Terræ creatio.*

*Spiritus ſuper aquis.*

*Lux non eſt accidens.*

*Quid fuerit?*

XXI. Tempus νυχθήμερον, ſive viginti quatuor horarum initium ſimpſit, non à nocte, ſed à *die*, (1. quia *Lux* creata fuit primo die ante veſperam. Gen. 1: 3, 4, 5, 6. (2. quia *Lux* fere ſemper nominatur ante *noctem*. Et quamvis *cœlum & terra fuerit ante lucem, adeoque quamvis exſtiterint ſine luce*, tamen non ſequitur: *noctem fuiſſe ante diem*, *aut* νυχθήμερον *incepiſſe à nocte*. Nam 1. Non fuerunt *tenebræ* ante noctem, ſed *negatio* lucis, cum *tenebræ* & nox ponant *lucem*, qua privantur. 2. Ad pauca momenta forte lux negata fuit, quia ſtatim *primo die* ante *veſperam* creata fuit. 3. *Nox* eſt *privatio* diei. Ergo dies anteceſſit noctem.

*νυχθήμερον, quando initium ſumpſerit?*

XXII. Opera ſecundi diei ſunt I. *Expanſum* & II. *Terræ fundatio* רקיע ſive *expanſum*, etſi in S. Scriptura aliquando ſignificet totam extenſionem, à terra uſque ad ſupremas ſtellas, immo quamvis

*Opera ſecundi diei.*

vis significare possit totam machinam in indefinitum extensam, à verbo רקע *extendit*, unde & Germanicum **recken**/ quale expansum sive extensio facta est primo die, & primo momento creationis ex nihilo, tamen per istud רקיע secundi diei talis extensio in indefinitum intelligi non potest. (1. quia istud *extensum* vel רקיע indefinitum creatum fuit primo die. (2. quia hoc, de quo secundo die agitur, distinguit inter aquas *superiores* & *inferiores*. Sed istæ aquæ non possunt poni supra expansum primi diei, sive in indefinitum extensum. Errant igitur *Lutherani* & alii etiam ex nostris, qui docent *aquas superiores*. Gen. 1: 6, 7. esse *aquas supercœlestes*, scilicet supra octavam sphæram, cum sint altissimæ *nubes* infra lunam, in cœlo aëreo sive avium. Matth. 6: 26. Eodem die aquæ à terra separatæ, & in maria collectæ sunt, quæ dicuntur *aquæ inferiores*. Gen. 1: 6, 7, 8, 9, 10. Secunda igitur dies benedictione non caruit, ut male docuit *Hieronymus* in odium matrimonii, quasi numerus binarius esset infamis. Nec, ut volunt *Judæi*, ideo quia isto die angeli lapsi sunt, (cum non constet quando creati sint) multo minus quod tunc infernus creatus sit, ut iidem delirant. Nam illa formula *benedictionis* וירא אלהים כי טוב vers. 10. pertinet ad *diem secundum*. Et quamvis mentio facta sit de die secundo versu 8. Nihilominus versus 9. & 10. eo referri possunt, & verbum ויאמר versu 9. potest sumi in plusquam perfecto *dixerat Deus*, scilicet dixerat die secundo. Adde quod tertius dies habuisset duas benedictiones, si secundus nullam habuisset.

*Aquæ supercœlestes.*

*Secunda dies non caruit benedictione.*

XXIII. Opera *tertii* diei sunt *plantæ*, *herbæ*, *frutices* & *arbores*, cum *seminibus* & *fructibus* suis, ad sustentandas bestias & homines. vers. 11, 12, 13. Herbæ plantæ & arbores habebant sua semina & fructus maturos, qui maturi esse solent, circa terram Babylonicam, mense Martio, quo mundum creatum censemus. Reliquæ herbæ & arbores vim atque fœcunditatem suam, ut quælibet postea circa autumnum fructus & semina sua ferret. Alias species arborum & plantarum Deum postea produxisse dici non potest: quamvis per insitionem & oculationem, aliasque plantationes, per industriam hominum, arbores & plantæ varie adulteratæ sint. Eodem die creatas fuisse spinas, *carduos* & *tribulos*, credibile est, quia Deus post peccatum non dicitur creasse novas species. Nocentes tamen istæ herbæ, ante peccatum, non videntur fuisse magna copia, nec in locis, ubi nocere, aut homine labores augere potuissent.

*Opera tertii diei.*

ſent. Sed poſt peccatum in pœnam prorepſerunt. Nec ante peccatum nocere poterant, non magis quam *venenum* & alia.

*Opera quarti diei.* XXIV. Opera quarti diei ſunt *cœlum ſtellatum*, *ſol*, *luna* &c. Gen. 1: 14, 15, 16, 17, 18. Per רקיע in quo ſtellæ creatæ ſunt verſ. 14, 15. non debet intelligi illud רקיע vel *expanſum*, de quo in operibus ſecundi diei verſ. 6, 7. Sed potius רקיע quod primo die creatum eſt: ſcilicet tota ſubſtantia materialis in indefinitum extenſa: in qua quarto hoc die ſtellæ in partibus à terra maxime remotis creatæ ſunt. In iſto expanſo vel ſpatio vaſtiſſimo & fluido Deus collocavit ſtellas, quarum quædam ſunt *opaca* corpora, ut *luna*, *cometæ* & ejuſmodi alia? quædam autem *lucida*, ut *ſol*, & alia infinita, præſertim *ſtellæ fixæ*, quæ noctu à nobis conſpiciuntur. *Stellæ.* *Vortices.* Hæ ſtellæ certos quoſdam videntur occupare *vortices*, non tantum *mille*, ſed forte aliquot centena millia vorticum, in quibus rotentur in æternum, & quorum centrum videtur eſſe *materia ſubtilis* primi elementi, uti in vortice noſtro centrum eſt ſol, materia plane ignea. *Sed & Luna magna luminaria, quo ſenſu?* *Sol* & *Luna* dicuntur *luminaria*, non quod luna nativam habeat lucem (eſt enim corpus opacum) ſed quod lumen à ſole accipiat & ad nos remittat, adeoque nobis *lumen* eſſe videatur. Sed & *magna luminaria* dicuntur, non tam reſpectu aliorum aſtrorum, cum iis multo majora obſerventur ab Aſtrologis, ſed (1. quod nobis *maxima* appareant inter omnia aſtra. (2. quod nobis *maximum* præſtent uſum: cum reliquæ ſtellæ omnes, ob nimiam diſtantiam, ullum uſum terræ præſtare, vix credibile ſit, niſi quod hominem, eas contemplantem, excitent, ad enarrandam gloriam ſapientiæ, potentiæ & bonitatis Dei. Pſ. 19: 1.

*Cometæ & reliquæ ſtellæ an ſigna mali aut boni?* XXV. *Cometæ* ac reliquæ ſtellæ omnes earumque conſtellationes, conjunctiones & poſitiones, nulla ſigna dicenda ſunt, nec *mali* nec *boni* futuri, quoniam omnia *ſigna* ſunt vel *naturalia*, vel ex *inſtitutione*. Non ſunt ſigna *naturalia*; quia eadem ſemper ſignificant apud omnes populos, ut *fumus* ubique ſignificat *ignem*. Non ſunt ſigna ex *inſtitutione*. Hoc enim eſſet ex inſtitutione *humana* vel *divina*. Non ex inſtitutione *humana*, quia homines nullam habent poteſtatem in aſtra. Non ex inſtitutione *divina*; quia Deus id non revelavit. Nunquam enim Deus ſignum inſtituit, quin ſimul indicaverit, id tale quid ſignificare, ut ex *iride* & omnibus *ſacramentis* patet. *Non ſunt cauſæ boni aut mali.* Multo minus *cometæ* & reliquæ *ſtellæ* ſunt *cauſæ* boni & mali. (1. quia ob nimiam diſtantiam, nec in corpus, nec in animam age-

re

re possunt. Nam etsi ex. gr. cometa totam suam substantiam effunderet, (quod tamen fieri non solet) tamen non magis posset inficere totum cœlum in quo apparet, præsertim nostram regionem, quam amphora veneni totum mare. (2. quia eodem modo agerent in omnes homines, in Principem & in rusticum. (3. Gemelli haberent eandem fortunam, quod tamen est falsissimum. (4. *Stellæ*, *Cometæ*, immo ipse Deus, qui omnia creavit, esset causa omnium peccatorum, & ab astrorum fato omnia dependerent. (5. Eadem significassent ante lapsum, aut demonstrari deberet eorum naturam mutatam esse. (6. Non debemus consternari signis cœlestibus, ut gentiles. Jerem. 10: 2. Vana igitur est omnis *Astrologia judicaria & conjecturalis.* Figmentum quoque esset Scholasticorum, si quis dicere auderet, stellas *animatas*, aut si eis vellet assignare *angelos motores*, aut *formas assistentes.*

*Terram moveri circa solem.*

XXVI. Credibilius est terram cum reliquis planetis moveri circa solem, quam solem cum planetis & stellis fixis circa terram. (1. quia minor requiritur motus, quam si stellæ fixæ moverentur, & motus terræ magis convenit cum legibus motus quem Deus corporibus impressit. (2. quia terra est in eodem *vortice* cum sole, ut facile rapidissimo violentissimoque motu solis, circa solem rapi & rotari possit, æque ac reliqui planetæ, qui sunt remotiores à sole & majoris molis quam terra. Et quamvis I. *Sol & Luna dicantur stetisse.* Jos. 10: 12. *& umbra Solis dicta sit regressa decem gradus.* 2. Reg. 20: 10. Inde tamen non sequitur solem & omnes stellas fixas rotari circa terram. Attendendum enim est ad scopum Spiritus sancti, qui non tam philosophum agit, quam ut miracula Dei enarraret, prout ab hominibus facilius intelligi possunt. Facilius autem intelligitur à vulgo si dicatur solem stetisse, quam terram: cum vulgus revera putet solem moveri, ut ut terra moveatur, ut is, qui arbores & terram præternavigat, putat arbores & terram moveri, quamvis ipse moveatur, & reliqua stent immota. Deinde si *Sol* dicendus est stetisse secundum literam, tunc non fuit rotatus circa axem suum, ut necessario *terra*, *luna* & reliqui planetæ omnes, immo totus vortex steterit, Deo tantum motum nostri vorticis, ad istud tempus, aliter determinante. Nam quocunque modo sumatur, necessario agnoscendum erit miraculum. II. Nihil omnino facit pro motu Solis, quod dicatur: *ut sponsus è thalamo suo progredi.* Ps. 19. Cum hæc proprie intelligi non possint, quandoquidem sol non ha-

*Objectiones.*

bet *thalamum.* Ergo secundum φάσιν quia hominibus ita videtur. Nec eos juvant III. verba Ps. 104:5. *Deus fundavit terram super bases suas ne moveatur.* Cum Tò *non moveri* nihil aliud significet, nisi *in statu suo manere*, id est non moveri præter ordinem & leges naturæ, ad sui destructionem: eodem modo quo *gressus nostri*, qui consistunt in ipso *motu*, dicuntur *non moveri*, id est non *vacillare.* Ps. 17:5.

*Opera quinti diei.*

XXVII. Opera *quinti diei* sunt *aves & aquatilia.* Gen. 1:21. 22, 23. Male judicarunt quidam ex veteribus, & nostro tempore nonnulli eorum vestigia prementes, *aves* creatas esse ex *aqua* ut *pisces.* Nulla enim ratione probatur. Diluta nimis sunt quæ afferuntur ex similitudine soni, *pinna* & *penna*, *natatum* & *volatum*, quandoquidem hæc apud Hebræos & Græcos plane ignorantur. Taceo quod omnia *aquatilia* non habeant *pinnas.* Multo minus ex *nihilo* creata sunt. Nam, cum materia jam omnia repleret, non poterat nova materia ex *nihilo* produci, sine *penetratione dimensionum.* Ergo creati sunt pisces & aves ex terra præexistenti. Gen. 2:19.

*Aves & pisces unde creati?*

*Opera sexti diei.*

XXVIII. Opera *sexti diei* sunt animalia *terrestria*, *bruta*, *reptilia* & *homo.* *Insecta* & *animalia venenosa* creata fuisse ante lapsum, non minus quam *carduos*, *spinas* & *tribulos*, dubitari non debet, ob eandem rationem. Sed quemadmodum plantæ & arbores arte hominum varie sunt adulteratæ, ita & animalia hybrida, mixta & monstra produxerunt, variis speciebus quoque sese miscentibus: præsertim in Africa, ubi ob inopiam aquarum, undique ad unum rivum aut fontem confluunt, & venere hæc species in aliam accenditur. Hinc proverbium: *Africa semper novum monstrum adfert.*

## CAPUT XI.

### *De Angelis.*

I. OMnium operum Dei excellentissima, & tanquam colophon, sunt *homines* & *Angeli.* De hominibus agemus, ubi examinaverimus *Angelos* & *Providentiam* Dei, quando quidem *hominem* spectamus, non tantum ut creaturam, sed ut Dei *fœderatum.* Nunc igitur de *Angelis.*

*Probatur*

II. Dari *Angelos* vel ullos alios *spiritus*, præter Deum & mentes hu-

humanas, ex solo lumine naturali demonstrari non potest. (1. quia nullam habent necessariam existentiam. (2. quia eorum nulla opera apparent, quæ non possint attribui vel Deo, vel etiam naturalibus sæpe causis. Quæ *Plato* aliique Gentiles narrant de *Geniis*, de aëre pleno *angelis*, & *diis tutelaribus;* vel ficta sunt, vel etiam desumpta ex Sacra Scriptura, ubi fit mentio de *angelis*, & ubi malus angelus vocatur *princeps aëris.* Ephes. 6: 12. Hebr. 1: 14. & boni *spiritus administratores.* Idem dicendum est de *forma humana* & *alis* quas eis adscribunt, uti videre est in nummis & imaginibus veteribus, præsertim in victoria, quam alatam depingunt, quod forte factum est ad formam Cherubim & Seraphim, quibus verbum Dei formas humanas & alias adscribit. Esse igitur *Angelos* ex sola Script. S. Theologus, non Philosophus, ex ratione, probare potest. Quamvis tamen sanæ rationi non repugnet dari *angelos:* nam ex conceptu, quem habemus de propria nostra mente, tanquam de substantia, vel de *actu substantiali cogitandi*, à corpore tota natura distincta, facile colligi potest, non esse impossibile, dari, præter mentes nostras, substantias, quarum tota natura consistat in actu cogitandi, & quæ cum corpore plane nihil habeant commune.

*dari Angelos.*

*Angeli non possunt probari, nisi ex Scriptura S.*

III. *Angelos* fuisse æternos, inepte *Sociniani* & quidam *Judæorum* docent, ad infringendam æternitatem Christi. Essent enim independentes à Deo, adeoque ipse Deus. Nam quod est *independens*, id est ipse Deus. Ergo creati sunt, quemadmodum omne id quod est extra Deum. *Fecit Deus angelos suos spiritus ministros ignem flammantem.* Ps. 104: 4. Col. 1: 16, 17. Quamvis Moses non exprimat quo die creati sint, videntur tamen creati primo die creationis. (1. quia primo die Deus creavit non tantum cœlum & terram, sed & cœli *exercitus.* Gen. 2: 1. Sed *angeli* vocantur *exercitus.* 1. Reg. 22: 9. Luc. 2: 13. (2. quia stellæ matutinæ dicuntur *exaltasse*, quum fundaretur terra. Job. 38: 4, 7. at terra fundata est prima & secunda die, quum nullæ adhuc essent stellæ, præterquam quod stellæ lætari non possint: ergo intelligi debent angeli. Tamen Deo non fuisset impossibile, ut angelos crearet ante mundum aspectabilem, & ante res corporeas. (1. quia Deo non potest præscribi natura rerum quas crearet. (2. quia potuisset spiritus creare sine corporibus, ergo & ante corpora. (3. quia spiritus non indigent spacio aut loco ad existendum. Potuissent igitur existere, nullo existente corpore, nullo spacio, nullo ubi. Tamen non sequitur eos fuisse

*Non sunt æterni.*

*Quando creati?*

*Deus potuisset tamen angelos creare ante mundum aspectabilem.*

*æternos;* nam eo ipſo quod creati fuiſſent, habuiſſent *initium ſui*, ergo non *æterni dicerentur.*

*Spiritus quid?*

IV. Angelus Hebraice dicitur רוח à verbo רוח *Spirare.* Græce πνεῦμα à πνέω *flo.* Latine *ſpiritus* à *ſpirare.* Germanice *geyſt*, Belg. *geeſt*, à verbo *giſten*, *fermentare*, unde *giſt*, *fermentatio.* quæ vocabula omnia *ventum*, *halitum*, vel *ſpiraculum* ſignificant. *Spiritus* igitur, ſua natura & ſecundum etymologiam, non ſignificat *Deum*, nec *Angelum*, nec *mentem*, ſed rem *corpoream.* Uſus tamen voluit, ut ſumeretur pro ſubſtantia *cogitante:* adeoque naturam mentis Angeli & Dei ſignificare ſolet *ſpiritus.* Magis proprie diceretur *mens*, quod corpus non ſignificat. Unde forte Germanis *homo* vocari ſolet *mens*, quia *mens* eſt hominis pars præcipua. Ἄγγελοι *legati* dicuntur ab *officio*, ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν; ut & Hebraice מלאך *Legatus*, ab Æthiopico לאך *miſit.* כרובים à figura ſymbolica Ezech. 1. & 10. Gen. 3: 24. *Seraphim* à zelo & à promptitudine. Eſ. 6: 2, 6. niſi forte etiam ipſi homines beati in cœlis dicantur *Seraphim.* אלהים Pſ. 8: 6. Hebr. 2: 7. à *poteſtate. Filii Dei.* Job. 1: 6. & 38: 7. ab *excellentia. Vigiles* à ſedulitate & cura. Dan. 4: 10. Per מלאך הגאל Gen. 48: 16. Collat. cum Exod. 14: 19. & 23. 20, 21. מלאך הברית Mal. 3: 1. מלאך פניו Eſ. 63: 9. מלאך יהוה Hag. 1: 13. & מיכאל Dan. 10: 21. & גבריאל Dan. 1: 16. & 9: 21. Luc. 1: 26. & intelligitur *Chriſtus* filius Dei, non *angelus* creatus. Idem videtur ſignificare עיר *vigil.* Dan. 4: 10.

*An Deus, Angelus & mens.*

*Angeli non ſunt phantaſmata, nec corpora. Sunt ſubſtantiæ cogitantes.*

V. Angeli non ſunt nudæ tantum mentis humanæ *inſpirationes*, aut *phantaſmata*, ut ineptiſſime docent *Saducæi*, *David Georgius* aliique; ſed veræ ſunt *ſubſtantiæ cogitantes* & per ſe *ſubſiſtentes.* Non ſunt tamen *corpora*, nec res corporeæ, ut *Sociniani*, *Vorſtius* aliique ex veteribus docent. Sed ſunt veri *actus ſubſtantiales cogitandi*, vel *Subſtantiæ Cogitantes*, aut *cogitationes ſubſtantiales*, quorum tota natura conſiſtit in *actu cogitandi*, adeoque *intellectum* & *voluntatem* habent, non minus ac mentes humanæ. Eorum tamen modus cogitandi perfectior videtur noſtro. (1. quia corpori non ſunt alligati, unde impedirentur. (2. quia ſunt creaturæ excellentiores. 1. Cor. 13: 1. 2. Petr. 2: 11.

*Non intelligunt per eſſentiam.*

VI. Non *intelligunt per eſſentiam*, quemadmodum Deus; cum eorum eſſentia non ſit cauſa rerum. Et quamvis forte plures uno intuitu cognoſcere poſſint quam homines, tamen non cognoſcunt res omnes ſimplici intuitu: cum id ponat ſummam perfectionem

ctionem quæ eſt in ſolo Deo. Sed ratiocinatione uti debent, æque ac nos, ut rem minus notam deducant ex notiori: Ita *deſiderant introſpicere in myſteria redemptionis.* 1. Petr. 1: 12. Inepte docent *Pontificii*, Angelos omnia videre in eſſentia Dei tanquam in *ſpeculo*: cum ipſi neſciant quid per iſtud *ſpeculum* intelligant: & cum ſit conceptus plane corporeus, qui de Deo eſt removendus. Meræ nugæ ſunt quicquid habent de cognitione *matutina* & *veſpertina.* Intelligunt igitur, ut & mens humana, per *ideas innatas*, & à Deo revelatas, ac per ratiocinationem perveniunt in cognitionem rerum. Eſt igitur eorum cognitio, ut noſtra, vel *innata*, vel *revelata*, vel per experientiam *acquiſita.* Cognoſcunt angeli *Deum*, *ſeipſos*, *opera Dei* & ipſa quoque *corpora*: poſſunt enim habere eaſdem ideas de ſubſtantiis *extenſis* & *cogitantibus*, deque earum attributis, æque ac mens noſtra, quæ, quamvis corpori ſit unita, tamen per ſolam cogitationem novit & intelligit. Sed & *myſteria ſalutis* noſtræ cognoſcunt, quatenus eis à Deo revelantur. Ita Chriſtus dicitur *viſus Angelis.* 1. Tim. 3: 16. Luc. 2: 13. *Deſiderant introſpicere in myſteria.* 1. Petr. 1: 12.

*Non vident omnia in eſſentia Dei.*

*Quomodo intelligant?*

*Quid cognoſcant?*

VII. Angelos ſibi mutuo conceptus ſuos communicare, credibile eſt; cum S. Scriptura doceat inter eos magnam arctamque intercedere ſocietatem. Quomodo autem id fiat, concipi aliter non poteſt: niſi dicamus Deum talem nexum inſtituiſſe inter *voluntatem* hujus angeli, & *intellectum* illius, ut quando hic vult alterum hoc ſcire, illud etiam alter reverà ſciat. Non minor enim eſt nexus inter *voluntatem* ſpiritus & *intellectum* alterius ſpiritus, quam inter *motum corporis* ex. gr. *tintinnabuli*, & intellectum vel *perceptionem* mentis humanæ. Quomodo autem angelus cum homine poſſit habere ſermonem; capere non poſſumus, cum nullum nexum inter noſtram *voluntatem* & *intellectum* angeli, aut hujus *voluntatem* & noſtrum *intellectum* experiamur; ut neceſſario dicendum ſit, Deum noſtros conceptus angelis revelare, quotieſcunque vult ut eos ſciant. Nos autem cognoſcimus eorum conceptus quando vel in aere, vel per corpora aſſumpta aerem movent, uti moveri ſolet quando per os noſtrum fiunt voces articulatæ. Exempla habemus in angelis qui apparuerunt Abrahamo, Lotho. Gen. 18. & 19. & Mulierculis die reſurrectionis. Mat. 28. Vide Luc. 2: 13. & alibi. At vero Angelos poſſe mentes humanas afficere immediate, & poſſe ſuggerere *cogitationes, & inſomnia*, aut poſſe voluntatem

*Quomodo ſibi communicent conceptus ſuos?*

*Quomodo habeat ſermonem cum homine?*

tatem ad hoc vel illud impellere, incredibile est; cum sit actio omnipotentis Dei.

*Habent & voluntatem.* *Non patiuntur motus animi, ut homines.*

VIII. Ut angeli habent intellectum, ita & *voluntatem*, quæ perfectior dicenda est quam voluntas humana, ob easdem rationes, ob quas diximus eorum modum intelligendi esse perfectiorem. Non patiuntur *motus animi*, ut homines. Nec *amoris*, nec *doloris*, nec *gaudii* capaces sunt, nisi modo *intellectuali*. Hoc sensu eis attribuitur ἐπιθυμία. 1. Petr. 1: 12. Et *gaudium*. Luc. 15: 7. Et *amor*: hoc enim mandatum etiam angelis datum est. *Amabis Deum tuum ex tota anima &c.* Matth. 22: 37. Et *finis mandati est charitas*. 1. Tim. 1: 5.

*Exorcismus ridiculus.*

Ridiculum est quod *Pontificii* aliique doceant, angelis posse affici, allici, vel fugari ingrato aut grato odore: quare nonnulli in *exorcismis* suis utuntur gravissimo foetore, ad expellendos malos spiritus ex possessis; quod jam tempore Tobiæ creditum fuit. Tob. cap. 6.

*Eorum potentia.*

IX. Ut intellectum & voluntatem, ita & *Potentiam* angelis attribuit S. Scriptura. (1. dicuntur גברי כח *potentes robore*. Pf. 103: 20. Ephes. 6: 12. 2. Thess. 1: 7. (2. Exempla habemus in *Angelo destructore*. Exod. 12: 29. In *Assyriorum exercitu*. 2. Reg. 19: 35. Vide Joh. 5: 4. (3. Possunt movere corpora. Job. 1. Et porcos in mare præcipitarunt. Mat. 8: 32.

*Quomodo in corpora agant?*

Quomodo autem Angeli in *corpora agant*, nec concipi nec exprimi potest, nisi dicamus: Deum talem nexum instituisse inter eorum voluntatem, & motum quorundam corporum, ut tale corpus necessario moveatur, quando Angelus vult ut moveatur. Eodem plane modo, quemadmodum Deus talem nexum instituit inter voluntatem mentis humanæ, & corpus cui unita est: ut quoties mens vult corpus suum moveri, illud revera etiam moveatur. De hisce plura infra ubi de *homine*.

*Spiritus quomodo operentur.*

Sane in *spiritibus* concipi non potest alius *modus operandi*, quam per *voluntatem*. Quia præter *intellectum* & *voluntatem* in spiritibus nihil concipimus. Ergo & operari debent, vel per *intellectum*, vel per *voluntatem*. Sed non operantur per *intellectum*, cum se habeat mere passive, ut qui res tantum percipit. Ergo necessario colligi debet, eos operari per *voluntatem*, quæ se habet *active*. Ergo *Potentia exequens*, præter *voluntatem*, in Spiritibus frustra quæritur.

*Quid eorum* Potentia Exequens.

(1. quia omnes fatentur *Angelos* esse *substantias ab alio factas immateriales*, viventes *vitam pure intellectualem*. Ergo & eorum actiones sunt pure *intellectuales*. Ergo per *intellectum* aut *voluntatem* operantur. Sed non

per

per *intellectum*, cum se habeat mere passive; Ergo per *voluntatem*. 2. Quicquid præter *intellectum & voluntatem* concipimus, illud est mere *corporeum*, quod à Spiritu removendum est. (3. In mente nostra nullam experimur *potentiam exequentem*, præter *voluntatem*: nam ad solum nutum voluntatis meæ statim spiritus animales (quæ sunt corpora, ut ut subtilissima) moventur è cerebro ad *nervos* & *musculos* pedis vel brachii, ut etiam totum corpus moveatur. Adeo ut nihil absurdi adferri possit contra operationem Angelorum per *voluntatem*, quod non adferri posset contra mentis nostræ operationes: cum nec aliter quam per *voluntatem* operari possit.

X. Nullius ponderis sunt argumenta quæ contra hanc sententiam in medium proferri solent. Veluti I. *voluntas frustra esset, si, quod volunt aut nolunt Angeli prout ipsis visum est, exequi non possent.* Frustra sane tunc vellent, si vellent res quæ non habent connexionem cum voluntate sua, ex institutione Dei, quemadmodum frustra vellem, si vellem lunam deducere cœlo, aut si vellem movere aurem, cor, hepar &c. Sed non frustra volunt, ubi volunt ea, quæ cum voluntate sua habent connexionem: ut ego non frustra volo, si volo movere brachium &c. Exequuntur igitur *angeli*, quia volunt ea cum quibus eorum voluntas habet connexionem. II. Non igitur *sunt tantum κωφὰ πρόσωπα mundi comedia, si non habent potentiam exequentem.* Idem enim dici posset de mente humana, in qua nullam experimur *potentiam exequentem* præter *voluntatem* nostram, quæ sola movet *spiritus animales*, & per hos totum corpus. III. Male quæritur: *Unde habeamus Deum talem nexum instituisse?* Possem enim regerere: unde habent *Deum non instituisse?* Unde habemus Deum instituisse potentiam exequentem, præter *voluntatem?* Deinde habemus hoc ex natura *spiritus*, in quo nihil concipi potest præter *intellectum* & voluntatem. Tertio habemus hoc ex propria nostra *mente*, quam experimur corpus suum movere per solam *voluntatem*. Ergo vi nexus inter voluntatem & motum corporeum. IV. Non sequitur: *Deus talem immaterialem potentiam efficere potest.* Nam 1. non est argumentandum à *potentia* ad *actum*. 2. Nulla potest concipi *potentia immaterialis* præter *voluntatem*.) Qui aliud quid concipiunt, rem corporalem concipiunt. Nec in nobis aliam *potentiam* experimur, præter *voluntatem*. V. Nihil facit ad rem, quod dicitur: *Ergo non ex libero Dei beneplacito pendebit, sed ex intrinseca rei necessitate qua fecerit hoc Deus, quod tantum poterat.*

*Responde-tur ad argumenta contraria.*

*rat.* Nam quemadmodum pendet ex intrinſeca neceſſitate trianguli, ut habeat tres angulos, duobus rectis æquales, cum Deus triangulum ita creare voluerit; ita pendet ex intrinſeca rei neceſſitate, ut ſpiritus nihil habeat corporei, ſed ut omnia ſint ſpiritualia quæ referantur ad intellectum & voluntatem. Poſito Deum voluiſſe talem naturam creare, aliter ſe habere non poteſt. Deinde fuit etiam in *libera Dei voluntate*, ponere talem nexum, vel non ponere; ut ſi non poſuiſſet, nec *mens* nec *Angelus* quicquam movere potuiſſet, etiamſi vehementiſſime voluiſſet. Ita nemo poteſt, quamvis vehementer vellet, movere *aures*, *cor*, *hepar* & alias partes corporis, quia Deus talem nexum inter voluntatem hominis, & motum iſtarum partium non inſtituit. Hinc facile reſponderi poteſt VI. ad hanc argumentationem. *Deus impotens erit, qui non poſſet angelo dare virtutem immaterialem, ſpiritualem, qua potenter poſſet exequi decreta voluntatis Domini ſui.* Primo enim; *quod fieri poteſt per pauca, fruſtra fit per plura.* Angelus poteſt exequi decreta Dei per *voluntatem* ſuam: non opus igitur eſt alia *potentia exequente*, quæ ne concipi quidem poteſt, præter *voluntatem*. 2. In hoc elucefcit *potentia Dei*, quod talem nexum inſtituere potuerit. 3. Si quis præter iſtum nexum ſibi fingat aliam potentiam, caveat ſibi ne faciat angelum independentem à Deo in ſuis operationibus. Non ſequitur VII. *dari talem potentiam exequentem*, præter voluntatem, *quia in ea nulla datur contradictio.* 1. Nulla etiam eſt contradictio, ut *alauda* galeata & haſtata in aere volaret; illud tamen non fit. 2. Datur tamen *contradictio* ut in *ſpiritu* aliquid concipiamus, quód non ſit *ſpirituale*, adeoque quod non ſit *intellectus* aut *voluntas*; cum ad ſpirituale nihil aliud referre poſſimus. VIII. Concedimus lubentiſſime *multo perfectiorem & potentiorem eſſe virtutem ſpiritualem, quam materialem*; ſed quid hoc ad *potentiam exequentem* præter *voluntatem? Dicuntur etiam Angeli viribus & potentia majores hominibus.* 2. Pet. 2: 11. quia Deus poſuit nexum inter eorum voluntatem & plures res, ac majores effectus, quam inter voluntatem hominum & effectus. Noſtra *voluntas* non habet nexum, niſi cum uno corpore ſuo, alia corpora movere non poteſt: ſed voluntas Angeli habet nexum cum *pluribus corporibus*, & cum vehementiori *motu*. Ergo *potentiores* ſunt. Sed quid hoc ad fictam *potentiam exequentem* præter voluntatem? Quæſtio non eſt de *potentia* Angelorum, ſed de eorum *modo operandi*. Nec IX. quic-

quam

quam facit hæc argumentatio: *Angeli non erunt causæ principales nec instrumenta physica operationum suarum, sed omnia a solo Deo fient.* Sunt enim causæ operationum suarum, eodem modo quo & *mens* humana est *causa suarum operationum.* Deus omnes cogitationes in mente nostra operatur: *producit enim in nobis velle & perficere.* Phil. 2: 13. *Ex nobis inidonei sumus ad quicquam cogitandi.* 2. Cor. 3: 5. nihilominus dicuntur nostræ cogitationes, quia in mente *nostra* fiunt. Quando mens hominis vult corpus suum movere: unde primus iste motus spirituum? Nonne à Deo? Si quis aliter judicat, hominem reddit independentem à Deo, negabit ejus providentiam, & ad *Pelagianismum* imprudenter delabitur. Sed quamvis motus corporis mei magis debeat attribui Deo quam mihi, tamen menti meæ adscribitur, quia mens mea revera vult movere & movet. Eodem modo Deus operatur in Angelis: *Operatur* enim *omnia in omnibus.* 1. Cor. 12: 6. *Ex eo, per eum & ad eum sunt omnia.* Rom. 11: 36. tamen operationes istæ optimo jure attribuuntur *Angelis* tanquam causis secundis, quia *volendo* operantur, quantum ipsis à Deo concessum est, & quia effectus eorum voluntatem sequuntur. Nec majores momenti est quod addunt X. *Angeli erunt instrumenta moralia tantum suorum effectuum, quomodo sancti Dei homines, immo & umbra Pauli,* Act. 5: 15. *& sudaria ejusdem Pauli,* Act. 19: 12. *miracula fecisse dicuntur, ad quorum præsentiam vel vota, vel verba Deus ista operatus est.* Parum enim refert sive dicatur *instrumentum morale*, sive *causa Physica* &c. Nam Philosophorum distinctiones & termini non mutant naturam rerum. Idem potest dici de mente humana, cum plane eodem modo quo Angeli operetur. Sunt igitur *Angeli* causæ *physicæ & naturales*, eodem modo quo mentes nostræ, quotiescunque corpus movere volunt, cum cujus motu eorum voluntas habet connexionem, quia agunt secundum vires naturales à Deo concessas. Exempla vehementer claudicant. Deus enim talem nexum naturalem non instituit inter *Apostolorum præsentiam, preces, vota, verba, umbram, sudaria, &* inter *miracula.* Non enim ordinarie ad *umbram, preces, verba, vota &c.* talia *miracula* fiunt, quemadmodum *ordinarie* corpora moventur, ad *voluntatem hominis*, aut *angeli*, cum quibus eorum voluntas habet nexum à Deo institutum. XI. Nec inde *sequeretur: non angelos tanquam ministros exequi mandata Dei, sed potius Deum exequi mandata Angelorum.* Nam creaturæ, ut servi Dei, exequuntur ejus mandata tanquam

causæ secundæ, ergo non sine operatione Dei, nisi negemus Providentiam Dei circa actiones nostras. Recte tamen dicuntur *exequi mandata Dei*, quoties operantur quantum possunt, & eo modo, quo ipsis à Deo operati datum est. Lepidum est hoc argumentum. XII. *Quando Deus mandat angelis, ut ex periculo eripiant fideles, Deus tantum monet angelos, hos vel illos ibi in periculo versari (nisi forsan necessitates humanas videant in speculo trinitatis Pontificiorum.)* Sane qui statuit *angelos necessitates humanos nosse*, sine *revelatione* Dei, is eos reddit omniscios, & à Deo *independentes*, ex *causis secundis* facit *causas primas. Speculum trinitatis* suis fabris relinquimus. Nec magis huc facit quam *formæ substantiales*, *qualitates occultæ*, *materia prima*, *archipodialiter & reflexive.* Quid hæc ad *modum operandi* Angelorum? Ejusdem Commatis est quod additur XIII. *Deus angelis tantum mandabit ut velint fideles eripi ex periculo, ubi hoc illi voluerunt, Deus ipse eos liberabit, ut de Angelo legimus.* 2. Reg. 19: 35. *qui una nocte* 185000. *Assyriorum cecidit.* Certissimum est *Deum in nobis operari velle & perficere.* Phil. 2: 13. Qui hoc negat, negabit *Providentiam Dei.* Ad omnes enim actiones nostras, cum *mentis*, tum *corporis*, *concurrit*, immo *præcurrit*, ut sine eo nec *velle*, nec *corpus movere* possimus. Ex. gr. Judic. 3. legimus: Israëlitas versari in summo periculo, Deum id indicasse *Ehudo*, eique mandasse ut populum liberaret *occidendo Heglon* Regem Moabitarum, tandem *Ehudum* id fecisse. Sane *Ehud* nec *cognovisset* periculum populi, nec potuisset habere *voluntatem* obediendi Deo, nec corpus potuisset *movere*, nec gladium stringere, nec confodere *Heglon*, nisi *Deus* in eo magis fuisset operatus, quam *Ehud* ipse. Nihilominus omnia optime dicuntur facta per *Ehudum*, cum *Deus* ipsius *voluntatem* ad hoc determinaret, ut hoc ipse sponte & libere vellet, eique dederit *motum corporis*, sine quo *Eglon* non potuisset confodere. Voluit igitur *Ehud* ipse interficere *Eglon*, & interfecit. Applicetur hoc ad Angelum 2. Reg. 19: 35. qui una nocte interfecit 185000. Assyriorum. Ergo si ulla difficultate premitur Angelus, ob *modum* suum *operandi*, eadem sane difficultate premitur homo. Nec XIV. *Sacra Script. adversatur hac sententia de operatione Angelorum, quia Angeli dicuntur valentissimi robore.* Ps. 103: 20, 21. Cum quæstio non sit de *potentia* Angelorum, sed de eorum *modo operandi*; adeoque non probant, præter *voluntatem* dari aliam potentiam exequendi. Vide ad argum. VIII. Concedemus XV. *fideles moneri ut induant*

*duant panoplian contra hostes.* Ephes. 6: 11, 12. Sed nihil facit ad rem quod additur: *Certè volitioni spirituum ut resistamus necesse non est, cum actio immanens sit, quæ in nos agere non potest.* Nam, etsi omnis voluntas sit actio immanens respectu agentis, est tamen *transiens* respectu objecti circa quod operatur, & effecti quod inde sequitur, quia producit effectum extra se. Deinde quando homo vult movere corpus suum; ita ut ad istam *voluntatem* corpus moveatur, an tota ista actio est *immanens*, an non etiam *transiens* respectu corporis? Ubi responsum fuerit ad quæstionem de *voluntate hominis*, respondebimus ad quæstionem de *voluntate Angeli.* Frustra dicitur XVI. *Impuri spiritus nos non tam volent seducere, impetere, tentare, quam nos seduci, impeti, & tentari, adeoque Deus hæc efficit.* Hæc enim omnia possent opponi contra ipsam operationem mentis humanæ. Deinde revera *impetunt*, impuri Spiritus *seducunt & tentant*, quando faciunt quicquid possunt ad *seducendum, impetendum & tentandum.* Et cum *seductio* ac *tentatio* consistat in ipsa ἀταξίᾳ & ἀνομίᾳ, quæ est in mente Angeli, non *Deo* sed soli *Angelo* adscribitur. Quamquam tamen Dei *Providentia* versatur circa ipsam *seductionem*, ut etiam sit auctor omnis actionis positivæ, quæ ad tentationem & seductionem requiritur. Explicent quomodo Deus *dixerit Simei, maledic Davidi.* 2. Sam. 16: 7. Quomodo *miserit impurum spiritum ad decipiendos Prophetas.* 1. Reg: 22: 22. Non sequitur XVII. *nos frustra orare, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos è malo.* Primo enim Deus hoc à nobis exigit: Ergo *non frustra oramus.* Deinde Deus potest inhibere nexum inter *voluntatem* mali Angeli aut hominis, & *actiones* quæ ejus voluntatem sequi solent: ut omnes ejus volitiones & conatus plane fiant irriti. Ex. gr. *Paulus* habuit voluntatem Ecclesiam persequendi, sed nexus inter ipsius voluntatem & motus corporeos inhibitus est, ut nihil potuerit nocere. Ita de voluntate *Pharaonis & Angeli* judicandum est. Tandem vanum est & hoc argumentum. XVIII. *Si angelus operatur sola voluntate, non tam Diabolus quam Deus dicendus est decepisse Evam.* Certissimum quidem est, omnem *motum corporeum, verba & actiones*, quatenus sunt actiones positivæ & reales, à Deo esse: tamen deceptionem, cum non habeat causam *efficientem*, sed tantum *deficientem*, (quandoquidem deceptio ipsa consistit in ἀταξίᾳ & *aberratione* à *vero*) non esse à Deo, sed in ipsa consistere *voluntate* Diaboli. Sed an is non peccat, qui voluntate peccat?

cat? quomodo igitur peccatur? Tandem idem poteſt regeri contra actiones hominum, qui non aliter decipiunt nec peccant, quam per voluntatem.

*Angelis non eſt adſcribendum attributum corporeum. Veluti Extenſio, figura, locus, ſitus, motus &c.*

XI. Angelis nullum adſcribi debet *attributum corporeum*, veluti *extenſio*, *figura*, *locus*, *ſitus*, *motus* &c. (1. quia hæc omnia involvunt conceptum corporeum, ſed conceptus Spirituum non debet involvere conceptum corporeum. Poſſumus enim concipere *ſpiritum*, non conceptis *extenſione*, *loco*, *ſpacio*, *motu*, *figura* &c. Angelus enim eſt Spiritus, ſed in ſpiritu nihil poſſumus concipere præter *actum cogitandi*, qui nec *loco*, nec *ſpacio*, nec *motu*, nec *figura* indiget. Ergo præter *actum cogitandi* ipſi nihil attribui poteſt. Nihil enim abſurdius eſt, quam ſi rei aliquid vellimus attribuere, quod ipſi cogimur fateri nos non concipere. Hinc tot errores, tot ineptiæ. Et eo facilius poteſt concipi angelus tanquam *actus cogitandi*, cum conſtet dari *actum ſubſtantialem*, *qui alteri ſubſtantiæ non inhæreat tanquam ſubjecto*, ſed qui ſit principium actionis, ut in confeſſo eſt de *Deo*, qui eſt *actus puriſſimus*. (2. quicquid eſt in *loco*, quicquid *movetur*, quidquid habet *figuram* &c. illud habet partem extra partem: adeoque eſt *corporeum*. (3. Si Deus creaſſet Angelos tantum, nullis creatis corporibus, *Angeli* exſtitiſſent in rerum natura, ſed ſine *loco* & *motu*. Nam ubi non eſt *corpus*, ibi nec *locus*, nec *motus* concipi poteſt. Ridicula igitur eſt quæſtio, *quantum ſpacii angelus occupet?* Ex. gr. *quot poſſint contineri in puncto acus?* Cum nullum locum prorſus occupent. Poſſet tamen dici Angelus *in loco*, reſpectu corporis in quod operatur, quia omne corpus eſt in loco. Immo eſt locus ipſe. Et quemadmodum in plura corpora poteſt agere ſimul, reſpectu iſtarum operationum, poſſet dici *in pluribus corporibus ſimul eſſe*. Eodem quoque ſenſu quo aliquod *legiones Angelorum* ſimul in idem corpus agere poſſunt, ſimul etiam dici poſſent aliquot legiones in eodem eſſe corpore. Marc. 5: 9.

*Quo ſenſu angelus dici poſſet in loco?*

*Quo ſenſu moveri dicatur?*

XII. Dici quoque poſſet *Angelus* ſuo ſenſu *moveri*. Non quaſi per aera volaret inſtar lapidis, avis aut tenuis alicujus auræ, ſed tantum reſpectu corporis quod movet. Deinde quatenus ceſſat operari in hoc corpore, & operatur in alio corpore, Marc. 5: 13. eatenus dici poſſet *tranſmigrare* & *moveri* è loco in locum, quia corpus eſt in loco, immo eſt ipſe *locus*. Alias ſi Spiritum concipiamus motum è loco in locum, per tranſpoſitionem ſubſtantiæ, prout motus competit corporibus, tunc neceſ-

cessario deberet habere partem extra partem, adeoque esset corpus, quod est absurdum. Non possunt tamen angeli quicquam movere *in momento:* (1. quia est contra naturam motus; nam quicquid movetur in tempore movetur: cum omnis motus ponat successionem ex termino ad terminum; sed omnis successio requirat tempus. (2. Deinde, si quid in momento moveretur, tunc simul esset in pluribus locis. Certissimum etiam est angelorum essentiam atque durationem non esse in *indivisibili*, & successione non carere. (1. quia habent *initium*; ergo & *successionem.* (2. quia omnes suas perfectiones non simul & semel uno momento possident: sed quotidie novas acquirunt & perfectiones & existentiam.

*Non possunt movere in momento.*

*Eorum essentia & duratio non est in indivisibili.*

XIII. Angelos sæpe *corpora assumpsisse constat*, Gen. 18. & 19. ex tribus istis qui Abrahamo apparuerunt, si modo creati Angeli fuerunt. Gen. 28: 12. Jud. 6: 21. Act. 10: 3. & 12: 7, 10. Act. 27: 13. Sed corpora ista ex nihilo fuisse creata, à nobis adfirmari non potest. (1. quia in S. Scriptura non est revelatum. (2. quia illius nullum habemus conceptum. Credibile igitur est, fuisse creata ex *materia praexistenti*, quam non necesse est ut definiamus. Nec incredibile putamus eos aliquando assumpsisse corpora *hominum adhuc viventium*, forte ad tempus in ecstasin raptorum, aut mente turbatorum, ut, quid in suo corpore ageretur, ipsi ignorarent: quæ corpora postea mentibus integris restituta sunt; aut, si ex alia aliqua materia erant desumpta, in eadem principia, ex quibus desumpta erant, restituta sunt. Corporibus tamen istis nunquam fuerunt uniti unione *personali*, *interna & naturali*; sed ut formæ assistentes, iisque utebantur tanquam instrumentis.

*Sæpe assumpserunt corpora.*

*Unde ista corpora?*

*An corpora hominum?*

XIV. Initio omnes Angeli creati erant *boni*, *sapientia* & *perfecta sanctitate* præditi: (1. quia omnia opera Dei (ergo & Angeli) erant *valde bona.* Gen. 1: 31. (2. quia in *veritate* fuerunt; nam ea *excidisse* angelos legimus. Joh. 8: 44. *Et principium non servarunt.* Judæ vers. 6. Non tamen omnes *Angeli* in integritate sua persititerunt; sed multi lapsi sunt in peccatum. Ut Angeli *prædestinati* sint, non minus quam homines. (1. dicuntur enim *electi.* 1. Tim. 5: 21. Ergo & quidam *reprobati* sunt; cum nulla *electio* concipi possit sine *reprobatione.* (2. Quidam vocantur *angeli lucis.* 2. Cor. 11: 14. Ergo dantur *angeli tenebrarum.* Ita & *sancti* quidam vocantur. Job. 15: 15. Luc. 9: 26. Matt. 25: 31. Quemadmodum hominibus, ita & Angelis Deus dedit *auxilium sine quo non*, id est tale auxilium sine quo

*Angeli perfecti creati sunt.*

*Peccarunt.*

*Sunt Prædestinati.*

 non

non potuerunt ſtare, ſed per quod ſtare etiam potuiſſent, ſi eo recte uſi fuiſſent. Nam per hoc auxilium fuit in eorum poteſtate ut permanerent in integritate, vel non permanerent. Qui integri permanſerunt *confirmati* ſunt, ne unquam poſſent peccare, & perfecte beati redditi ſunt. Boni tamen Angeli non potuerunt nec poſſunt mereri *ex condigno*, ſed *ex pacto* tantum, quemadmodum Adamus meritus eſſet, ſi perſtitiſſet. Ut *boni Angeli* confirmarentur, non opus habebant *Mediatore*, non magis quam Adamus, ſi perſtitiſſet. (1. quia creatura integra mediatore opus non habet. (2. quia Chriſtus *non aſſumpſit angelos*, *ſed ſemen Abrahæ*. Hebr. 2: 16. Ideo factus eſt θεάνθρωπος, non θεάγγελος. Tamen Chriſtus eſt Angelorum *creator*, *conſervator* ac *caput*, quia eſt fons omnis vitæ. Joh. 5: 21. Joh. 1: 4.

*Boni confirmati ſunt.*

XV. Non dantur Angelorum variæ *claſſes*, *ordines*, aut *hierarchiæ*, uti ſine ratione docent Pontificii, niſi reſpectu *Officii & Miniſterii* tantum. Si quidam Angeli officium aliquod obierunt, id forte ad tempus tantum fuit, & poſtea illud depoſuerunt. Exercent miniſteria erga *homines*, erga *Deum*. Ideo *miniſtri hominum* dicuntur *miſſi ad miniſterium propter eos qui ſalutem accipient*. Hebr. 1: 14. Apoc. 1: 1. Pſ. 34: 8. Luc. 1: 30. Matth: 24: 31. & 13: 41. Ita & *Chriſto* miniſtrarunt. Matt. 4: 11. Matt. 26: 53. Præcipue autem dicuntur *Deum glorificare*. Pſ. 141: 2. Eſ. 6: 3. Phil. 2: 9, 10. Hebr. 1: 6. At vero ſingulum *regnum urbem*, ac *hominem* habere ſuum Angelum *cuſtodem* ac *rectorem*, *figmenta ſunt Platonis*, *Judæorum*, *& Pontificiorum*, nec aliunde habent originem quam à Gentilium *Diis tuteralibus*, *Geniis*, & id genus alia. Putida quoque fabula eſt, quod doceant, quemlibet hominem habere ſuum *genium bonum* aut *malum*. Inter eadem deliria poni debet quod *beſtiis*, *aſtris*, *arboribus*, *herbis &c.* ſuum Angelum adſcribant.

*De Angelorum claſſe & hierarchia.*

*Quibus ſerviant?*

*Non ſunt Dii Tutelares.*

XVI. Falſiſſime docent *Sociniani* ac *Pontificii* Angelos ſub veteri Teſtamento fuiſſe adoratos. Non minus falſe docent *Pontificii*, eos, & nunc ſub Novo Teſtamento, eſſe adorandos. Exſertis enim verbis prohibetur à Paulo Col. 2: 18. Sed & ipſi *Angeli* coli nolunt. Ap. 19: 10. & 22: 9. I. Quod autem *Abrahamus ſe coram Angelo proſtraverit*. Gen. 18: 5. Inde non probatur Angelos fuiſſe adoratos; cum iſte angelus fuerit Deus ipſe: dicitur enim יהוה & futura prædixit. II. Nec inde ſequitur iſtum Angelum fuiſſe creaturam, quia Paulus Hebr. 13: 2. docet: *Abrahamum angelum hoſpitio*

*Sub Vet. T. non fuerunt adorati.*

*spitio excepisse:* cum & ipse Christus dicatur *Angelus fœderis*, *& Angelus faciei Dei.* Malach. 3: 1. III. Nec quidquam inde probabunt *quod dicti fuerint Dii.* Ps. 8: 6. Confer Hebr. 2: 7. Dii enim dicti fuerunt, ideo quod Ecclesia vet. T. iis aliquomodo subjecta fuerit. IV. Fatemur etiam *Ecclesiam vet. Testamenti angelis fuisse subjectam*, *ut docet Paulus* Hebr. 2: 5. tamen non sequitur eos *adorasse angelos:* Sed populus vet. Test. angelis subjectus fuit tantum. 1. quia *per eos legem accepit*, & 2. quia angeli *testes* fuerunt legislationis. Act. 7: 53. Gal. 3: 19. Hebr. 2: 2. & legis *vindices.* 2. Sam. 24: 16, 17.

XVII. Cum dentur angeli *electi*, dantur etiam *reprobi*, adeoque *mali.* Joh. 8: 44. Judæ vers. 6. 2. Petr. 2: 4. *Angelos* habuisse *legem*, ac *malos* contra istam legem peccasse, dubitari non potest. Nam *peccatum est id quod fit contra legem.* 1. Joh. 3: 4. Sed quænam fuerit ista lex, ignoratur. Eandem tamen legem quoad substantiam eos habuisse, qualem cordi Adamus inscriptam habuit, dubitari non debet. Sed Angelos peccasse *scortando*, veterum quorundam delirium est: cum in Spiritibus nullus detur sexus. Putidissimæ sunt fabulæ quorundam Patrum aliorumque, quæcunque narrantur de *matrimoniis*, *amoribus*, & *scortatione angelorum* malorum cum mulieribus in terra, unde nati sint נפלים *gigantes.* Quod porro dicitur de *Lilith* prima uxore Adami, quæ ob inobedientiam marito demonstratam mutata sit in *Dæmonissam*, id inter Judæorum fabulas ponendum est. Nec per *filios Dei*, qui scortati sunt cum *filiabus hominum*, Gen. 6: 2. intelligendi sunt *Angeli*, (ut ut aliquando *Filii Dei* alibi dicantur. Job. 1.) sed *filii & posteri Sethi*, ex prosapia sanctorum, quemadmodum *filiæ hominum* ibi significant filias hominum *profanorum* & Deum non recte colentium.

*Dantur Angeli reprobi.*

*Habent & legem.*

*Eorum nullus sexus, nullum matrimonium.*

XVIII. Primum autem Angelorum peccatum fuisse *superbiam*, est valde verisimile ex verbis Pauli 1. Tim. 3: 6. Ubi Paulus vetat: ne Episcopus sit νεόφυτος, ἵνα μὴ τυφωθεὶς, εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. *Ne superbia inflatus incidat in judicium Diaboli.* Hi *labiles* creati fuerunt æque ac *homo*, quia creaturæ finitæ & ex nihilo creati erant: ergo & de nihilo participant. Libere tamen & voluntarie peccarunt, quia habebant *liberum arbitrium*, & poterant *non peccare*, æque ac *peccare.* Quo autem tempore peccaverint, ignoratur. Diu tamen stetisse non est verisimile: (1. quia Diabolus erat *homicida ab initio*, Joh. 8: 44. (2. quia jam lapsi fuerunt Angeli ante Adamum, decepit enim Diabolus Evam, & jam tunc fuit homicida.

*Primum eorum peccatum. An superbia?*

*Quid censendum de Spirituum apparitionibus, de arte magica &c.?*

XIX. Quicquid extra Scripturam Sacram narratur, de *apparitionibus* Angelorum, sive *bonorum*, sive *malorum*, de *strigibus*, *lamiis*, *energumenis*, *possessis*, *oraculis*, *prædictionibus*, *de magia & magicis artibus*, pro meris habenda sunt fabulis. (1. quia istarum rerum nullam habemus certissimam & indubitatam *revelationem*. (2. quia multa narrantur, quæ *falsa* deprehensa sunt. (3. Multa facta sunt per *causas naturales*, multa per artes & astutiam hominum *conficta* sunt. (4. Ejusmodi narrationes & figmenta plerumque procedunt ex Gentilium & Pontificiorum taberna, ad emungendos homines mille artibus. (5. quia ejusmodi *apparitiones*, *exorcismi & magica &c.* fieri solent in infantibus, mulierculis, vetulis, & plerumque præsentibus ejusdem generis hominibus, qui fabulis pasci solent, qui nugis assuescunt, qui nimia levitate & credulitate se decipi sinere solent, vix unquam coram viris vere doctis, cordatis, & qui ad omnia acurate attendere solent. Hinc omnia, quæ dicuntur de exorcismis & *apparitionis* inter Pontificios, sunt meræ fraudes, nugæ, & artes ad ornandas legendas suas aureas, ad captandam auram popularem, & ad alliciendos homines febricitantes, melancholia aut alio morbo laborantes, ut sub prætextu exorcismi, ficta miracula fierent, & sacrificulorum opes crescerent.

## LOCUS VI.
## CAPUT XII.
### *De Providentia Dei.*

*Providentia Dei probatur.*

DEus non tantum res omnes creavit, sed & conservat ac regit divina sua *Providentia*. Dari autem *Providentiam* Dei, tam clarum est, quam quod clarissimum. (1. quia omnia à Deo dependent omnibus modis, in *productione* sui, *duratione & operatione*: cum ad summam Dei perfectionem pertineat, ut omnia ab eo dependeant quovis modo, tanquam à summo rerum domino & arbitro. (2. quia Deus ab æterno novit, non tantum existentiam rerum, sed & earum *durationem*, *motum*, *& operationem*. Ergo & ab æterno hæc omnia ita *voluit*, quoniam res novit ideo quia eas vult. Hæc autem *volitio* est ipsa Dei *Providentia*. (3. quia Deus res creando destinavit ad certum aliquem finem, ergo & ad finem istum eas dirigit. Sed ista directio est ipsa Dei *Providentia*. (4. quia

res

res ita eveniunt uti prædicuntur à Prophetis. Ita autem eveniunt, quia ab æterno à Deo ita sunt decretæ, quare & à Deo ita diriguntur, divina *Providentia.* (5. Idem patet ex conscientia nostra, quæ hominem redarguit peccati, eumque terret: quod fieri non posset, nisi Deus omnia cognosceret, & peccata puniret, omniaque gubernaret, ut tenderent ad sui gloriam, quare ipsa conscientia clamat, Deum esse Rectorem mundi & scelerum vindicem. (6. Clamat S. Scriptura. Neh. 9:6. *Tu solus creasti cœlum &c. tu conservas hæc omnia.* Et Act. 17:24. *In eo sumus, movemur & vivimus.* Ps. 104: 28: Frustra diceretur *Deus secundum omnipotentiam suam ita potuisse creare creaturam, ut postea a se non amplius dependeret, sed ut plane sui esset juris, & a Deo independenter subsisteret & operaretur.* Nam si Deus creasset creaturam, ut tam diu duraret, & hoc modo operaretur, voluisset igitur eam ita creare; si ita *voluit*, res à Dei providentia dependebit, quia (uti postea patebit) Providentia Dei nihil aliud est quam efficacissima ista Dei volitio, per quam ab æterno voluit, ut res talis sit, tam diu existat, & hoc modo operetur; quæ *efficax volitio* est ipsissima Dei *creatio*, si res consideretur in sua *existentia*; & *conservatio* sive *providentia*, si consideretur in sua *duratione & operatione.* Est enim respectu Dei eadem actio *creatio & providentia*, cum Deus per unicam simplicissimam voluntatem omnia operetur, ut existant, in existentia permaneant, & operentur. Deinde si Deus creasset creaturam à se independentem, eam ita creasset, ut semper esset independens, & in omnibus suis operationibus, aut ad tempus tantum, & in certis quibusdam actionibus solummodo. Si *prius*; tunc Deus ignoraret creaturæ operationes futuras, cum dependerent à solo nutu & arbitrio creaturæ, quæ omnem certam præscientiam excludunt. Nec Deus quicquam posset dirigere ad suam gloriam, adeoque ipse à creatura dependentem se reddidisset, quod est contra summam ejus perfectionem. *Si posterius*; tunc omnia dependerent à *Providentia* Dei, quoniam ista *determinatio ad certas quasdam operationes*, per æternam & absolutam voluntatem Dei, est ipsissima Dei *Providentia*, uti jam diximus, & porro clarius demonstrabimus.

*Exceptio.*

*Eadem operatio Dei est creatio & conservatio.*

II. Actus Providentiæ sunt tres. I. Omnia in suo esse & duratione *conservat.* II. Omnia movet, ad eorum actiones *concurrendo*, immo *præcurrendo.* III. Omnia *gubernat & regit*, ad optatum finem, ad quem ab æterno destinata sunt.

*Actus providentiæ III.*

III. Et *primo* quidem, Deum omnia in suo esse *conservare* patet. (1. quia à Deo omnia dependent omni modo. Nulla enim ratio dari potest, quare res minus dependeret in *duratione*, quam in *productione*. (2. Nullus est nexus naturalis, si res hodie existit, ergo & post horam, & cras existet; quia nulla creatura habet necessariam existentiam. Debet ergo ab alio, non tantum produci, se & in existentia conservari. (3. Si ulla creatura seipsam conservare posset, id possent creaturæ excellentiores, *homines & Angeli*. Sed talem vim in nobis non experimur, alias majores quam possidemus, nobis daremus perfectiones. (4. Si Deus omnia potest annihilare, & tamen non annihilat, sequitur eum res velle conservare, & quidem conservare *actione vera* & *positiva*, quia *annihilatio* non potest fieri per *actionem positivam*, sed per *substractionem*, aut negationem actionis: *actio* enim semper producit rem, non autem annihilat. Ergo conservat per *actionem positivam*, quæ *annihilationi* est opposita. (5. Idem probatur ex S. Scriptura. Neh. 9:6. Act. 17:24. Ps. 104:28. Heb. 1:3.

*I. Conservat Deus omnia in suo esse:*

*II. Omnia movet.*

IV. Secundo Deus res omnes *movet*, & ad actiones earum *concurrit*. Non tantum concursu vel influxu *morali*, quasi per aliquam *persuasionem*, sed potius per *influxum*, qui suo sensu est *naturalis*, *physicus & positivus*. Deinde Deus concurrit, non tantum concursu *simultaneo*, tanquam *causa socia*, quasi homo ultro ad actionem se accingeret, & determinaret, & quasi non prius ageret, quam creatura, ut *Pelagiani*, *Jesuitæ*, *Remonstrantes*, & nescio qui *synergistæ* falso docent. Sed Deus operatur per *præcursum* potius, quam per *concursum*, *præmovendo*, *excitando*, *prædeterminando*, & ad actionem *applicando*: ut *ordine naturæ*, etsi non tempore, Deus in creatura agat ante creaturam ipsam. (1. quia Deus operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12:6. *Ex eo, per eum, & propter eum sunt omnia.* Rom. 11: 16. *In eo sumus, vivimus & movemur.* Act. 17: 27,28. Phil. 2: 13. (2. quia. si creatura, se ipsam determinaret ad operandum, tunc in operatione, saltem quoad primas istas *excitationes*, *determinationes*, *& applicationes*, non minus independens esset, quam ipse Deus. Si autem, quoad primam operationem, independens, quare non in omnibus? (3. Immo Deus dependeret à creatura, & ad actionem se non accingeret, nisi postquam creatura se jam determinasset. (4. Actio creaturæ prior esset actione Dei, si non *tempore*, saltem *natura* & *causalitate*, adeoque Deus fieret *causa secunda*,

*cunda*, & ad actionem determinaretur per creaturam. (5. Nullus plane daretur concursus Dei, aut iste concursus esset inutilis: cum creatura jam propriis viribus egisset, sese ad operandum jam excitasset & determinasset.

V. Tertio Deus res omnes sua Providentia *gubernat* & regit, ad tales fines, quos sibi ab æterno proposuit. Act. 17: 25, 27, 28. In ipso *sumus*, *vivimus*, & *movemur*. *Deus dat omnibus vitam*, *halitum &c. Cor Regis est in manu Dei*, *inclinat illud quo vult.* Prov. 21: 1. vide Es. 45: 6, 7. Ps. 135: 6. Ita *Saulus* dum quærit asinos adducitur, ad thronum Regium. 1. Sam. 9.

*III. Omnia regit & gubernat.*

VI. Concurrit autem Deus ad operationes creaturarum, non tantum *influxu & operatione* aliqua *generali & indifferenti*, in omnibus rebus, ita ut singula res particularis postea se determinet, & virtute istius influxus Dei operetur, convenienter naturæ ac viribus suis; tanquam si flatus idem ac generalis immitteretur in tubos organorum, ubi omnes tubi eundem & generalem flatum recipiunt, tamen sonus varie determinaretur pro varia dispositione & magnitudine cujuslibet tubi. Aut instar caloris Solis, qui est idem in saxis, in herbis, arboribus, cloacis & rosis; effectus, nemper *color*, *odor*, *sapor*, tamen est varius, pro varietate istarum rerum quæ eundem calorem solis recipiunt, ut falso docent *Jesuitæ & Remonstrantes.* Sed potius dicendus est concursus & operatio *particularis*, & ab ipso Deo *determinatus*, prout Deus ipse in qualibet re varie operatur, secundum voluntatem suam, ad producenda varia effecta, rem ad operationem hanc, non illam, excitando, prædeterminando, præmovendo vi physica, ut ipsa creatura hoc modo, & non aliter, operetur. (1. quia alias creatura esset independens à Deo, quoad particulares istas determinationes, ad operationes naturæ suæ convenientes. (2. *Deus operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12: 6. *Dat velle & operari &c.* Phil. 2. 13. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ephes. 1: 11. *Dixit Simei, maledic Davidi.* 2. Sam. 16: 10. vide etiam Act. 17: 25, 28. Rom. 11: 36.

*Concurrit non influxu generali.*

*Sed est concursus particularis.*

VII. Porro actus *Providentiæ* Dei per quem res in suo esse *conservat*, ad operationes *movet & prædeterminat*, *gubernat & dirigit*, uno verbo, totus ejus *influxus & operatio* in creaturis, non est quædam *qualitas*, *virtus*, *actio* aut *motus* ab essentia Dei distinctus, nec est à Deo *creatum* quid, quod ex Deo emanaret & in creaturas transiret illisque esset immissum. (1. quia talis *virtus* aut *motio creata* age-

*Actus Prov. Dei non est qualitas, virtus &c. ab essentia Dei distincta.*

agere non posset, nisi per aliam virtutem, aut motionem. (2. Tali *virtute & motione* Deus non opus habet, cum operetur per essentiam. Est igitur *actus Providentiæ* Dei ipsa Dei æterna & efficacissima *voluntas*, quatenus Deus omnia operatur per imperium. Cum autem voluntas Dei sit ipsa Dei essentia, sequitur eum res omnes *conservare*, *movere*, *prædeterminare*, *gubernare & regere* per *essentiam* suam.

*Nec quid creatum. Est ipsa Dei æterna & efficax voluntas.*

VIII. Et cum essentia Dei sit unica ac simplicissima, sequitur *Actum conservationis*, immo totius *Providentiæ* Dei, si spectetur in se & sua natura, non esse alium quam ipsum actum *creationis*. Unico enim & simplicissimo actu voluntatis Deus ab æterno voluit, ut res omnes existerent, tam diu existerent: ut sese moverent, & hoc modo se moverent: & tandem ut ad talem finem pervenirent, talesque effectus producerent. Ergo actus Providentiæ Dei, *conservatio*, *concursus*, *& præcursus*, *gubernatio* & quicquid in *Providentia* Dei considerari potest, revera non differt à *creatione*, nisi secundum nostrum concipiendi modum, *sensu diviso* non *identico*, uti dici solet: quatenus nos omnia effecta unius ejusdemque voluntatis æternæ non possumus eodem modo concipere. Nam prout istam æternam ac simplicissimam Dei voluntatem sequitur *Existentia* rei, eatus dicitur *creatio*. Prout res eadem, per eandem voluntatem & volitionem *durat & permanet* in sua existentia, eatenus dicitur *conservatio*. Prout *movetur*, *excitatur* & ad actiones per eandem voluntatem *determinatur*, eatenus dicitur *concursus*, sive potius *præcursus*. Tandem prout *gubernatur*, *regitur* & ad finem deducitur, *gubernatio* dicitur. In ipsa quoque creatura *actus Providentiæ* Dei nihil aliud sunt, quam *varii modi* operandi, prout Deus ab æterno voluit, non tantum ut existeret & operaretur, sed & ut hoc modo duraret, & hoc modo operaretur.

*Actus Prov. & creationis quomodo differant.*

IX. Aliter Deus operatur in rebus *materialibus*, id est *corporeis*, aliter in *spiritualibus*, id est in *Angelis* & *mentibus* humanis: cum in rebus *corporeis* nulla sit actio præter *motum corporeum*; in *spiritualibus* autem nulla præter *cogitationem*. Ad *motus corporeos* vel ad *actiones materiales* Deus concurrit conservando, non tantum *materiam*, sed & ipsum *motum*, qui est in materia. Concipiendus enim Deus est, quod corporibus ab initio indiderit certam *quantitatem motus* quam conservat, & istum motum *conservando* dicitur in corporibus *operari*. Quando Deus motum determinat, ut nunc hoc, nunc alio

*Diverso modo Deus operatur in creaturis suis.*

*In corporibus.*

alio modo, jam in his, mox in aliis corporibus animadvertatur, tunc ejus *operatio* maxime agnoſcitur, & in iſtis corporibus, in quibus motus maxime etiam dicitur operari. Ubi autem Deus motum determinat præter leges naturales, aut per cauſas nobis incognitas, tunc dicitur fieri *miraculum.* Ex. gr. ſi determinet motum aquæ (quæ naturaliter deorſum tendit) ut ſurſum pergat, & in montem glomeretur, ut factum eſt in mari rubro, & in Jordane. Si aliter determinet motum vorticis noſtri, quam circa axim ſolis, tunc ſtat Luna & terra, & ipſe quoque Sol. Si aliter determinet motum ignis, aut ſi poros corporis obſtruat, ut particulæ ignis intrare non poſſint, & particulas corporis diſcerperent, tunc dicitur non urere, ut in fornace Babylonica factum eſt. Parum meditati ſunt opera Dei, qui putant, per ejuſmodi expoſitiones *elevari virtutem & miracula Dei, & converti in meras operationes naturales, quæ dependeant a motu tantum.* Cum enim nemo, præter ſolum Deum, ſit cauſa motus, adeo ut Deus maximum effecerit miraculum dando corporibus motum, ſane nemo, præter ſolum Deum, motum iſtum aliter poteſt determinare, adeoque miraculum plane divinum dicendum eſt, quotieſcunque motus iſte, præter leges, quas Deus naturæ ordinario fixit, determinatur.

*Miraculum quid?*

*Objectio.*

X. In *ſpiritibus* Deus *concurrit & operatur,* quatenus non tantum actum ipſum ſubſtantialem cogitandi conſervat, ut permaneat; ſed etiam quando eum determinat, nunc ad hanc, mox ad iſtam cogitationem particularem, aut potius ad hunc vel illum modum cogitandi. Quantum differt natura *ſpiritualis* à natura *corporis*, tantum differt operatio Providentiæ Dei in *mentibus* ab operatione ejus in *corporibus.* Corpora enim nullam, ſua natura, habent actuoſitatem, adeoque nihil poſſunt dici habere *ſuum*, ut mere *paſſive* ſe ſemper habeant, ad omnes operationes ſuas; quia non poſſunt *velle operari*, quod autem operari *non vult*, id ſtricte loquendo non poteſt dici *operari.* Nihilominus tamen operationes etiam rebus *corporeis* attribuuntur propter actionum fundamenta. Ita Sol dicitur lucere, ignis ardere, plantæ fructificare, animalia bruta fœtificare, quia hæc omnia in rebus iſtis corporeis fiunt. Et quia Deus ejuſmodi opera in rebus iſtis corporeis taleſque effectus producere voluit, *lucem* in *ſole*, non in animali; *calorem* in *igne*, non in lapide; *fructus* in *plantis*, non in ſole & igne; & ſic porro de reliquis, ideo ipſæ creaturæ dicuntur talia facere. At vero quod at-

*Quomodo Deus operetur in ſpiritibus.*

*Quomodo res corporeæ operentur?*

tinet *spiritus*, certum quidem est, eos in omnibus suis operationibus dependere à Deo. Nam cum omnis operatio sit actio realis, & omnis res à Deo solo possit produci, certissimum est, Deum etiam primam esse causam omnium operationum spirituum, ut dicendum sit, quicquid realitatis in cogitationibus (quæ proprie sunt operationes Spirituum) reperitur, illud ab ipso Deo produci, adeoque mentem nostram, ad omnes cogitationes, ab ipso Deo determinari.

*Voluntas se non habet mere passive, in operatione Dei.*

XI. Inde tamen non sequitur, quod, quotiescunque Deus agit in voluntatem nostram, voluntas se habeat *mere passive*, quasi Deus ad eam præcurreret eamque determinaret præcursu & determinatione *physica*, eodem modo quo corpora eorumque motus à Deo producuntur, & determinantur, quæ se habent *passive* tantum, sine ulla *actuositate* naturali, quæque *suum* nihil habent. Quantum enim natura spiritus differt à natura corporis, tantum differt operatio illius ab operatione hujus. Corpus enim, cum sua natura nullam habeat actuositatem, *passive* tantum se habet in omni operatione: sed spiritus, cum sit *actuosus*, & cum ejus natura consistat in *actu*, præsertim autem *voluntatis*, ita ut ne concipi quidem possit sine operatione, se non potest habere *passive* tantum, sed & *active*. Deus enim Divina sua Providentia ita in eam operatur, ut & ipsa agat & operetur. Non potest enim Deus in voluntatem agere, quin in ea producat *velle*, at *velle* non est *pati* (quemadmodum *moveri* in rebus physicis, sive corporeis) sed est *agere*. Quicunque enim *vult*, is quoque *agit*, non *patitur*. Ergo & *active*, non *passive* tantum se habet voluntas. Deus enim operatur in qualibet re, convenienter naturæ quam ei dedit. Cum igitur natura corporum talis sit, ut *patiantur* tantum, non autem *operentur*, (Moventur enim *cœco impetu*, *coacte* sine consilio ac libertate, secundum naturam suam,) ideo quoties Deus in corpora operatur, corpora se habent mere *passive*. Sed quandoquidem voluntas cogi non potest, sed semper agit *liberrime*, ex consilio & sponte sua, convenienter naturæ suæ, ita ut tota ejus natura destrueretur, si *libertas* ab ea tolleretur, sequitur eam se semper habere *active*, non autem *passive*, respectu ipsius *volitionis*, sive *operationis* suæ. Omnes igitur istæ determinationes physicæ, quæ motum aliquem externum, *passionem & coactionem* ponunt, quales animadvertimus, in corporibus, à *voluntate* sedulo removeri debent.

XII.

XII. Si ſtricte velimus loqui, ſecundum etymologiam & vim vocis, certum eſt vocabula iſta *Concurſus*, *Præcurſus*, *determinatio*, & ejuſmodi alia, Deo non competere, præſertim autem circa voluntatem. *Currere* enim, *præcurrere & determinare*, ex vi vocis ſignificant *motum* corporeum & actionem plane *phyſicam*, quemadmodum *determinare* denotat *corpus* aliquod ſuis *limitibus* circumſcriptum ac limitatum. Cum igitur Deus ſit ſpiritus in quem motus non cadit, ſtricte & accurate loquendo, non poteſt dici *currere*, adeoque nec *concurrere*, nec *præcurrere*; nec mens noſtra currit, ob eandem rationem, cum & ipſa ſit ſpiritus, quæ nec quantitatem nec terminos habet, adeoque *determinari* non poteſt, nec ulla ratione *currere*, *concurrere*, aut *ſequi* dici debet. Deinde & iſta vocabula ſua vi ponunt ſemper aliquem *motum & paſſionem*; cum autem voluntas noſtra *moveri* non poſſit, nec ſemper patiatur, ſed ipſa operetur, iterum ſequitur *concurſum*, *præcurſum*, *& determinationem* in ea, proprie loquendo, locum non habere. Cum igitur in rebus Theologicis accurate loquendum ſit, quantum fieri poteſt, & cum ſedulo abſtinere debeamus ab omnibus phraſiologiis, verbis & vocibus, quæ nobis de Deo & de mentibus ſuggerunt conceptus corporeos, ſane non niſi admodum caute iſta vocabula adhiberi debent, ubi de operibus Dei ejuſque *Providentia* agitur. Et eo facilius ab ejuſmodi vocibus abſtinere poſſumus, cum in S. Scriptura vix uſquam occurrant, ſed Spiritus S. utetur verbo *operari*. Ita enim Deus dicitur *ἐνεργεῖν operari velle & perficere*. Phil. 2: 13. 1. Cor. 12: 6. Epheſ. 1: 11. quo nihil magis energetice dici poteſt, ad exprimendam operationem Providentiæ Dei, præſertim circa *voluntatem*, ad demonſtrandum, eam omni modo dependere à Deo, ac ſine eo hominem plane nihil poſſe. Nihilominus tamen, ſi per τὸ *concurrere*, *movere &c.* intelligatur quod Deus ſit *auctor* & *cauſa prima* omnium noſtrarum actionum, immo & volitionum, hoc ſenſu iſta vocabula retinemus. Tamen ſemper cavendum eſt, ne nos decipi patiamur, per naturalem ſignificationem vocum, & ut recte concipiamus naturam ipſam operationis Providentiæ divinæ.

*Concurſus, præcurſus, quo ſenſu de Deo dici non poſſint.*

*Quo ſenſu Deus concurrat.*

XIII. Non poſſumus igitur melius concipere operationes Providentiæ Dei circa Voluntatem noſtram, quam per modum novæ alicujus *Reproductionis*. Quemadmodum enim Deus res *corporeas* conſervat, eatenus, quatenus unica ac æterna voluntate voluit ut

*Operatio Prov. Dei circa voluntatem eſt nova reproductio.*

 exiſte-

existerent, tam diu existerent, cum omnibus suis motibus, ut quolibet momento eorum existentiæ ac motuum sit quasi nova reproductio, vi istius volitionis æternæ Dei, ita & mens per eandem æternam volitionem Dei, non tantum est creata, sed & singulis momentis quasi de novo reproducitur, cum omnibus suis volitionibus ac operationibus. Ut eadem *volitio æterna Dei*, respectu *existentiæ* rei, dicatur *creatio*; Respectu autem istius *reproductionis*, cum variis motibus corporum, & diversis modis cogitandi in mentibus, vocetur *Providentia.*

*Utilitas istarum phrasium.*

XIV. Si hoc modo semper loquuti fuissent Theologi, tot errores in Ecclesiam non irrepsissent circa *Providentiam* Dei. Multi Deum non concepissent tanquam compositum ex *actu* & *potentia*, quasi singulis momentis, ad quemlibet motum aut cogitationem Deus quasi de novo operaretur, & suam potentiam in actum educeret, immo quasi ex infinitis actibus & operationibus esset compositus instar hominis. Clarius agnosceretur ejus omnimoda simplicitas, omnes faterentur eum esse *actum purissimum.* Pelagianis ac hodiernis Semipelagianis præscinderetur omnis causa cavillandi, quasi *concursus* Dei everteret libertatem voluntatis, ac si Deus in eam operaretur tanquam in lapidem, eamque protruderet instar stipitis. Sed quemadmodum hic modus operandi Dei est *simplicissimus*, convenientissimus simplicitati & summæ perfectioni Dei, quod omnia creaverit & conservet, per unicam atque æternam volitionem, ut eadem volitio sit & *creatio & Providentia*; ita sane omnes, qui Christiani dici volunt, necessario simplicissimum haberent conceptum de Dei *Providentia*, adeoque in eandem necessario inciderent sententiam, errores ex Ecclesia eliminarentur, veritas undique fulgeret, & Deo constaret suus honor & gloria.

*Quomodo fiant res Physicæ, & morales & liberæ?*

XV. Igitur res physicæ non tantum *certo*, sed & *necessario* fiunt. Actiones autem *morales & liberæ voluntatis* fiunt quidem *certo* & *necessario* ex decreto Dei, tamen etiam *libere* secundum naturam voluntatis. Ergo *Angeli & homines*, quanquam semper *libere* operantur, nihilominus eorum actiones sunt *necessariæ*, ex necessitate decreti Dei, adeoque providentiæ Dei subsunt, quod pessime negant *Pelagiani*, *Jesuitæ*, & *Remonstrantes.* (1. Nulla est ratio, quare mens magis sit independens à Deo, quam corpus. (2. Si mens esset independens in operationibus, majores sibi daret perfectiones. Major

jor enim eſt potentia ſe ipſum *conſervare*, *determinare*, *movere* &c. quam ſibi augere perfectiones. (3. Si voluntas operaretur ſine ulla dependentia à Providentia Dei, tunc Deus non foret liber. Non enim poſſet hominum volitiones inhibere, nec eorum voluntatem determinare, ſed ipſius voluntas determinaretur à voluntate creaturæ. (4. Idem docet S. Scriptura. *Multa ſunt cogitationes viri, ſed conſilio hoc Domini ſtabit.* Prov. 19: 21. *Cor Regis eſt in manu Domini, ut rivi aquarum.* Prov. 21: 1. *Deus efficit in nobis velle & perficere.* Phil. 2: 13. (5. Patet exemplis. *Aſſur* Judæos *liberrime* oppreſſit, tamen à Deo miſſus eſt. Eſ. 10. *Judæi & Romani* Chriſtum *liberrime* crucifixerunt, tamen ſecundum *conſilium & decretum* Dei. Act. 4. Ita *Simei* quoque *libere* maledixit Davidi, tamen *Deus ei dixerat: maledic Davidi.* 2. Sam. 16. Idem patet exemplis fratrum Joſephi, Diaboli & Chaldæorum contra Jobum, & ex ejuſmodi aliis bene multis.

*Actiones Angelor. & hominum Prov. Dei ſubſunt.*

XVI. Non ſequitur tamen I. *ſi voluntas Angeli ac hominis ita dependet à Providentia Dei, ut per eam quotidie de novo quaſi reproducatur, & determinetur, ergo non eſt libera; adeoque tolletur liberum arbitrium hominis.* Deus enim eam ita reproducit, ac determinat, ut ſemper operetur convenienter naturæ ſuæ, nunquam *coacte*, ſed ita ut non minus *ſuaviter*, *ſponte*, & *liberrime*, quam *potenter* velit & operetur. Deinde voluntas agit *liberrime* ex natura ſua, & tamen *neceſſario* ex decreto & determinatione Dei. Adeoque non ſunt contraria *libertas & neceſſitas.* Ita quoque *Deus* neceſſario exiſtit, neceſſario eſt perfectus, ſanctus &c. *Angeli & beati* in cœlis *neceſſario* ſunt ſancti, tamen *liberrime.* Multo minus concludi debet. II. Si *Deus in nobis producit & determinat voluntatem noſtram, tunc homines nihil agere, ſed ſolum Deum operari in hominibus, ut in ſtipitibus.* Magna enim eſt differentia inter *ſtipites* ſive *ſubſtantias corporeas*, & inter *voluntatem.* Illæ enim nihil habent ſuum; cum ſua natura non ſint *actuoſæ*, adeoque nihil *agant*, ſed à Deo tantum *agantur*, tanquam inſtrumenta per quæ Deus operatur. At vero *mentes* noſtræ ſunt ipſæ *actuoſæ*, natura ſua, adeoque Deus ita in eis operatur, ut & illæ ſimul operentur. Quando enim Deus producit *volitionem* in mente noſtra, tunc mens neceſſario *vult*, ſed *velle* eſt *operari*, uti ſupra diximus. Ergo mens noſtra operatur ipſa, non minus quam Deus. *Mens* ut *cauſa ſecunda & dependens*; *Deus* ut *cauſa Prima & independens.* Deinde ſupra jam oſtendimus, ipſa corpora, quæ in ſe nul-

*Reſpondetur ad argumenta contraria.*

 lam

lam habent actuositatem tamen dici operari. Dicitur enim *stella* moveri, *Sol* lucere, non *Deus*. Multo magis *mens* nostra dici debet *velle*, cum revera in nobis experiamur eam agere & velle, quamvis istius volitionis sit auctor, tanquam causa prima.

*Non potest clare concipi, quomodo libertas voluntatis consistat cum operatione?*

XVII. Fatemur quidem nos clare & distincte concipere non posse, quomodo libertas voluntatis nostræ consistat cum operatione Dei? certum tamen est; mentem nostram in omnibus volitionibus dependere à Deo. Certum etiam est nostram Voluntatem semper liberrime agere; nemo enim unquam expertus est, voluntatem suam cogi: adeo ut, si tolleretur *libertas*, tolleretur quoque *voluntas*. Quamvis igitur non possimus comprehendere τὸ πῶς, sive τὸ διότι, id est modum quo *voluntas* aut *libertas* nostra consistat cum *decreto æterno & actu providentiæ* Dei, per quem voluntas nostra determinatur; rem tamen ita se habere, manifestissime colligimus, α ex summa Dei perfectione, β ex nostra dependentia ac imperfectione, γ & simul ex natura voluntatis nostræ, quam experimur semper agere *liberrime*, nunquam *coacte*.

*Miraculum quid in mente?*

XVIII. Quemadmodum in rebus corporeis, quando Deus earum motum determinat, *præter leges naturales*, aut per *causas nobis incognitas*, tunc *miraculum* fieri dicitur in corpore; ita quoque quando determinat mentem nostram, ad modos cogitandi, qui videntur naturam superare, aut qui nobis sunt incogniti, tunc & iste concursus, vel actio Dei, dicitur *miraculum*, in rebus spiritualibus. Ex. gr. si subito ita flectat mentes Apostolorum, ut loquantur linguas, quas nunquam usu didicerant. Act. 2. Talis est quoque *conversio* peccatoris, ex. gr. Pauli. Act. 9. Hinc tamen non sequitur I. *Angelos & Diabolos etiam posse facere miracula:* cum nulla creatura tantam habeat vim, ut motum corporum, aut cogitationes mentis determinet, præter leges naturæ, est enim opus solius Dei summe sapientis & omnipotentis. Si autem angelus aut diabolus, aut etiam homines, ut *magi*, miracula fecisse dicantur in Ægypto & alibi, id fecerunt tanquam instrumenta, quibus Deus uti voluit, non ut causa prima. Nec II. ideo *infringitur argumentum à miraculis desumptum, ad probandam divinitatem Christi:* quia Christus faciendo opera, præter leges naturæ, aut per causas nobis incognitas, adeoque aliter determinando motum corporum, aut cogitationes, facit opus quod nulli creaturæ, sed soli Deo competit. Nec III. dicendum ideo est, *mentis nostræ captum esse mensuram*

*Argum. Adversar.*

*uram miraculorum.* Ideo enim dicimus esse *miracula* opera Dei, quia captum nostrum superant. Ignoramus enim quomodo Deus motum corporum, & cogitationes determinet, aut per quas causas talia effecta fiant. Sane parum attendunt ad opera Dei, quæ negant *miraculum* dicendum esse, quando Deus operatur præter leges naturales, aut quando nobis est incognitum, quomodo actio ejus cum legibus naturæ conveniat: cum revera omnia opera Dei sint *miracula*, etiam ea quæ fiunt secundum leges naturales. Nonne tota *creatio* miraculum dicenda est? Nonne maximum miraculum est, quod Deus naturam ita condiderit, eique tales leges fixerit? Quis non stupet tanquam ad ingens *miraculum*, si attendat vel ad solam generationem animalium? *Miraculum* sane nobis videri debet, quod ex herba viridi, ingrati gustus, intra bihorium fiat lac albissimum, gratissimum palato, & ad alendum hominem aptissimum. Multo magis igitur *miraculum* dicendum est, quando Deus agit præter leges naturales, aut quando ejus actionum causæ nos plane latent.

*Omnia opera Dei sint miracula.*

XIX. Ex iis quæ dicta sunt satis clarum est, res omnes, quæcunque creatæ sunt, subesse *Providentiæ* Dei, *minimas, maximas, necessarias, contingentes, bonas & malas.* (1. quia nulla potest excogitari ratio, quare hæc res minus à Deo dependeret, quam reliquæ omnes. (2. Si ulla esset res, quam Deus non curaret, *conservaret, moveret & dirigeret*, id esset ideo, vel quod Deus nollet, vel quod non posset. Sed neutrum dici potest: cum res omnes voluerit & potuerit *creare*, ergo & *conservare.* (3. Docet S. Scriptura Dei *Providentiæ* subesse *pediculos, & locustas.* Exod. 8: 16, 17. & 10: 12. *Passeres.* Matth. 6: 26, 28. *& capillos.* Cap. 10: 30. Ps. 145: 15. *Pluvias, nives, sterilitates & fertilitates.* Deut. 28: 11, 51. Zachar. 12: 1. *vitam & mortem.* Job. 14: 5. Ps. 139: 1, 2, 3. Matth. 10: 39. Non sequitur Deum res *minimas negligere, quia Paulus* 1. Cor. 9: 10. *dicit: an Deus curat boves?* Non enim ibi negat Deum curare boves: sed tantum rogat, ad ostendendum, Deum majorem curam habere ministrorum Euangelii, quam boum.

*Omnes creaturas subesse Provid. Dei.*

XX. Hinc quoque patet ipsas etiam res *contingentes* Providentiæ Dei subesse. Notandum enim est, respectu Dei nihil esse *contingens*, sed quicquid est, illud esse *necessarium:* cum ita ab æterno à Deo sit decretum. *Contingentia* igitur dicuntur tantum respectu rerum, cum quibus nullum habent nexum naturalem. Ex. gr. si tegula cadat de tecto & occidat hominem prætereuntem. Nullum enim naturalem

*Res contingentes Providentiæ subsint.*

*Contingens quid?*

ralem nexum habet tegula cum homine prætereunte. Nexus tamen iste necessarius est, quia ita ab æterno fuit decretum. *Contingens* quoque dicitur, quod fit præter intentionem hominis. Ut si quis lignum findens hominem occidat, sine odio, sine intentione.

*Casus.* *Fortuna.*

Ad *Contingentia* etiam referri solent *Casus*, *fortuna & sors*, quia in nostra potestate non sunt, quorum eventibus nullam naturalem causam assignare possumus. *Fortuna* fieri solemus dicere, quando finis, quem nobis inter agendum proposuimus, intercipitur, ut res fiat præter intentionem, vel in *melius*, vel in *pejus*. Ex. gr. *Saulus* quærit asinos, sed evehitur ad thronum regium. 1. Sam. 9. Idem apparet in historia *Josephi*.

*Sors.*

Sors est id quo solemus experiri eventus rerum, ita ut in nostra potestate non sit, ut eo modo cadat quo volumus, quamvis aliquando cadat secundum intentionem nostram. Ex. gr. *sorte* usi sunt Apostoli in electione *Matthiæ*. Act. 1: 26. [illegible], *fortunam & sortem*, subesse Providentiæ Dei, patet, non tantum ex iis quæ jam dicta sunt, sed & specialiter ex his locis S. Scripturæ.

*Subsunt Providentiæ Dei.*

*Projicitur sors in sinum, sed eventus est à domino.* Prov. 16: 33. *Equus paratur ad prælium, sed a Domino est salvatio.* Prov. 21: 31. Ideo Deus posuit *civitatis refugii*, propter eos qui casu aliquem occidunt. Exod. 21: 12, 13. vide Gen. 22: 8, 13.

*Civitates refugii.*

*An peccet qui sorte utitur?*

XXI. Qui *sorte* utuntur non peccant, si fiat in rebus *gravibus*, invocato nomine divino, uti in electione *Matthiæ* factum est. Act. 1: 26. Nec etiam si fiat, ad *animum honeste recreandum*, sine intentione Deum tentandi. Nec ideo *Providentia Dei provocatur*; cum non fiat cum intentione Deum tentandi, aut ejus Providentiam provocandi: alias in omnibus actionibus Providentia Dei tentaretur, quotiescunque aliquid facimus de cujus eventu non sumus certi.

*Abusus sortis.*

Peccant tamen graviter qui sorte utuntur ad *dirimendas lites*. (1. quia nullam habent promissionem, Deum hac via jus judicaturum. (2. quia sors sæpe favet iniquissimis. (3. lites dirimendæ sunt, non ex *ignorantia*, sed ex *cognitione causæ*, & ex præscriptis legibus. Gravissime quoque peccant, qui sorte utuntur ad prædicenda futura, unde *sortilegi* dicti sunt, cum solus Deus futura, quæcunque vult ut sciamus, revelaverit in verbo suo.

*Fatum quid?* *I. Mathematicum.*

XXII. Cum omnia dependeant à Dei *Providentia*, secundum æternum ipsius decretum, sequitur etiam omne *fatum* ei subesse. Distingui solet *fatum* in *Mathematicum*, *Physicum & Stoicum*. Fatum *Mathematicum* dicitur illud; per quod omnia ex astrorum vi, posi-

positu, concursu aut constellatione dependere creduntur. Tale *fatum* non dari patet: cum astra nullam habeant vim in voluntatem hominis, uti ostendimus Parte II. cap. x. ubi de *creatione* egimus, parag. 25. Fatum *Physicum* sive *naturale*, dicitur causarum naturalium *ordo & nexus*, quo fit ut res semper eodem modo agant. Tale *fatum* non datur, quia causæ naturales sæpe possunt impediri, fatentibus auctoribus. Ita stetit *Sol & Luna.* Job. 10. *Sol* retro cessit. 2. Reg. 20: 10. *Ignis* non poterat comburere in fornace Babylonica. Dan. 3. cum tamen fatum debeat esse immutabile. Fatum *Stoicum*, dicitur à secta *Stoicorum*, estque illud per quod res tanquam vinculis sunt ligatæ, ut aliter nec existere, nec operari possint: ut omnia sint & agant necessario, ne ipso quidem Deo excepto. Tale *fatum* necessario ponunt *Jesuitæ*, *Remonstrantes* omnesque fautores liberi arbitrii: qui statuunt *scientiam mediam*, & *voluntatem conditionatam*, per quam Deus præsciverit tantum res, quæ ab ejus decreto non dependent. Cum enim Deus res præsciverit (quemadmodum docent) ita ut sese habent in se & natura sua, oportet ut necessario ita eveniant. Ergo Deus non potest eas immutare, nec regere; adeoque ipse ab eis dependebit. Tale fatum etiam ponunt ii, qui statuunt dari *æternas* quasdam *veritates* extra Deum, & ante ejus decretum, quas Deus scivërit per scientiam *simplicis intelligentiæ*. Nihilominus tamen concedimus dari aliquod *fatum*. Sed illud est *Christianum*, estque nihil aliud quam necessarius ordo & series rerum ex decreto Dei. Hoc fatum cum *Stoico* convenit, quod utrumque ponat inevitabilem necessitatem. Toto cœlo tamen differunt. I. quia *Stoicum* ponit necessitatem in *nexu naturali* rerum: *Christianum* in decreto Dei. II. Stoicum reddit Deum dependentem: sed *Christianum* Deo *submittitur*. III. *Stoicum* res contingentes & voluntatis libertatem à *Providentia & decreto* Dei eximit: at *Christianum* ei res omnes submittit. Ergo respectu *decreti & Providentiæ* Dei nihil est *liberum*, nec *contingens*, sed omnia sunt *necessaria*, ipsum etiam fatum.

*II. Physicum.*

*III. Stoicum.*

*Æternæ veritates.*

*IV. Christianum datur.*

XXIII. Cum omnes actiones, ipsæ etiam *liberæ*, dependeant à Providentia Dei, sequitur etiam omnes actiones *bonas & malas* ei subesse. Deus ita quidem operatur circa actiones *bonas*, ut & *bonum* velimus. (1. *operatur in nobis velle & perficere.* Phil. 2: 13. *Dat nobis cor novum & spiritum novum.* Ezech. 36: 26. *Paravit nos ad bonum opus.* 2. Cor. 5: 5. (2. si ad *bene* velle sufficeret sola voluntas, tunc sem-

*Actiones bonæ & malæ Provid. Dei subsunt.*

ſemper *bene* ageremus. Sed non ſemper *bene* volumus, ergo aliud quid, ſcil. operatio Dei requiritur, quæ voluntatem noſtram ad bonum determinet.

*Provid. Dei verſatur circa peccatum & quomodo?*

XXIV. At non tantum *bonum* Providentiæ Dei ſubeſt, ſed & ipſum malum. Verſatur autem *Providentia* Dei circa malum. I. Id *permittendo.* II. *Non largiendo vires* neceſſarias ad illud evitandum. III. Nonnunquam *gratiam ſuam ſubſtrahendo.* IV. *Offerendo* aliquando *occaſiones*, quibus in peccatum incidant. V. Aliquando peccata *peccatis puniendo.* VI. *Concurrendo*, immo & *præcurrendo* ad omnes actiones peccato ſubſtratas; ita ut circa peccatum nihil ſit realitatis, quod non ſit à Deo. Et *primo* quidem Deus *peccata permittit;* non tantum permiſſione quadam *otioſa:* quemadmodum ego forte permitto, ut aſtra moveantur in cœlo, non inhibendo eorum motum, aut ut hæc arbor creſcat; ſed permittit permiſſione *actuoſa*, *poſitiva voluntate*, decernendo ſe permiſſurum omnes actiones *malas* æque ac *bonas.* II. Decrevit etiam *non largiri vires* ut homo à peccato abſtineret, vel etiam ut bonum præſtaret. Et hoc quidem locum habet maxime in *peccato omiſſionis.* Nam quando Deus homini non largitur vires ad faciendum bonum, tunc homo *bonum* negligit vel omittit, quæ *omiſſio* eſt ipſum peccatum *omisſionis.* Huc pertinet, quod Deus aliquando nobis neget, & prohibeat ne haberemus ea quæ requiruntur ad faciendum *bonum.* Ita prohibuit ne Euangelium prædicaretur per Apoſtolos, inter *Samaritanos & Gentiles.* Matth. 10: 5. & inter Cives *Bithyniæ.* Act. 16: 7. Hinc factum eſt ut in incredulitate remanſerint. III. Aliquando *gratiam ſuam ſubſtrahit* quibuſdam. Ita minatur ſe *ablaturum candelabrum*, id eſt prædicationem Euangelii, è medio Eccleſiæ. Apoc. 2: 5. Ita dicitur *excæcare, aures obturare &c. Aures populi ſui aggravavit, & oculos oblivit, ne audiant, nec videant & convertantur.* Eſ. 6: 9, 10. Ita *obduravit cor Pharaonis.* Exod. 10: 1. *Indurat quem vult indurare.* Rom. 9: 18. Hinc tamen non ſequitur Deum eſſe *auctorem peccati*, non enim permittit quod ex lege tenetur prohibere, ut homines. Nec aufert gratiam niſi homini peccatori in pœnam. Tandem per ſubſtractionem gratiæ non tollitur liberum arbitrium. IV. Sæpe Deus *offert occaſiones*, per quas homines in peccata incidunt. Ita *Pharao* ad occaſionem mandati, ut dimitteret populum, blaſphemat: *quis eſt Deus ille ut voci ejus auſcultem?* Exod. 5: 1, 2. Hoc ſenſu Deus dicitur excitaſſe Jeroboamum, ut ſe offerret contra

*Deus peccata permittit.*

*Decrevit non largiri vires.*

*Gratiam ſubſtrahit.*

*Objectio.*

*Offert occaſiones.*

tra

tra Regem. 1. Reg. 11: 26, 31. Ita dixit Simei, *maledic Davidi.* 2. Sam. 16: 10. Hinc fit ut impii dicantur *contemnere divitias bonitatis, tolerantiæ & longanimitatis Dei.* Rom. 2: 4. 2. Cor. 2: 15; 16. Christus ipse est *lapis offensionis.* Es. 8: 14. Rom. 9: 33. Est *scandalum Judæis, & stultitia Græcis.* 1. Cor. 1: 23. V. Aliquando Deus peccata peccatis punit. Ita excitavit *Jeroboamum*, ut puniret peccata Regis. 1. Reg. 11: 26. Ita peccata *Davidis* puniuntur per *maledictionem*, id est per peccatum Simei. 2. Sam. 16: 10. *Assur* per ambitionem & avaritiam suam punit peccata Israëlis. Es. 10. VI. Tandem Deus *decrevit omnes actiones positivas*, ex quibus *peccatum* oritur; quæ sunt tanquam materia substrata peccati, ad easque concurrit, & præcurrit: Cum omnis actio positiva, sit *ens*, omneque ens necessario debeat habere Deum auctorem. Sane si Deus non concurrit ad actiones, ex quibus *malum*, nulla erit ratio quare concurrat ad actiones, ex quibus sequitur *bonum*, quia & in *bono* & in *malo* requiritur actio positiva substrata. Igitur, qui *Providentiam* Dei negant circa *malum*, eam etiam negant circa *bonum*, & cum Deum velint facere *non auctorem peccati*, faciunt eum simul *non auctorem boni.*

*Peccata peccatis punit.*

*Decrevit actiones positivas.*

XXV. Hinc in S. Scriptura vix unquam narratur peccatum, quin statim ibi etiam fiat mentio de *Providentia* Dei, illiusque operatione. Exempla habemus in *filiis Jacobi*, qui fratrem non vendiderunt sine *Providentia* & operatione Dei. Gen. 50: 20. *Simei* non maledixit Davidi, quin Deus id ei *dixerit.* 2. Sam. 16: 10. *Jobus* non erat afflictus, nec bona sua amisit, quin *Dominus abstulisse* dicatur æque ac *dedisse*, Job. 1: 21. *Assur* populum persequitur, sed à Deo mittitur, tanquam *virga iræ in manu Dei.* Es. 10. *Spiritus deceptor* non poterat decipere falsos Prophetas Achabi, sine *jussu Dei.* 1. Reg. 22: 22. Si *Judæi & Pontius Pilatus* Christum occiderunt, illud à *manu & consilio Dei ante fuit decretum ut fieret.* Act. 2: 23. & 4: 27, 28. Hinc Deus clamat *nullum esse malum in civitate quod ipse non fecerit.* Amos 3: 6. *Mala ac bona procedere* dicuntur *a mandato Dei.* Lament. 3: 38.

*Exempla.*

XXVI. Providentia Dei sæpe versatur circa peccata *ea impediendo*: quale exemplum habemus in *Abimelecho*, qui impediebatur ne scortaretur cum uxore Abrahami, *ne in Deum peccaret.* Gen. 20: 6. Ita quoque peccatis *ponit modum*, ne mali ulterius grassarentur. Ut in *Jobo*, Diabolus enim non poterat *tangere ipsius animam.*

*Provid. Dei peccata sæpe impedit.*

 Job.

Job. 1. Ita ne in *porcos* quidem poterat abire, ſine providentia divina. Mat. 8: 31, 32.

*Deus non eſt auctor peccati.*

XXVII. Quamvis providentia Dei ita verſetur circa *malum* æque ac circa *bonum*, inde tamen non ſequitur Deum eſſe auctorem *mali* aut *peccati*. (1. quia *peccatum eſt id, quod eſt contra legem.* 1. Joh. 3: 4. Sed Deus nullam habet legem, cum ejus voluntas ſit ſuprema lex. (2. quicquid Deus facit id facit *propter gloriam ſuam.* Prov. 16: 4. ſed gloria Dei eſt ſummus & verus ſcopus omnium actionum. At qui à vero & ſummo ſcopo nunquam aberrat, is non peccat. (3. *Deus neminem tentat ad malum.* Jacob. 1: 13. In omni igitur actione peccatoris eſt *bonum & malum*. Quod attinet *bonum*, illud eſt ipſa *actio* poſitiva, vel *operatio* Dei ejusque *finis*, propter quem operatur, nempe *gloria Dei*. At vero *malum* eſt ipſa *ἀδοξία*, *ἀνομία* & *aberratio* creaturæ, quæ à vero fine inter operandum aberrat, quæ male operatur, & quæ cupiditatibus ſuis inſervit. Uno verbo, peccatum nihil aliud eſt quam *defectus amoris.* Exempla habemus in hiſtoria *Jobi*, *Joſephi* & ejus *fratrum*; *Aſſuris* Regis; In *Judæis & Romanis*, qui Chriſtum trucidarunt. Ibi ſemper actio Dei fuit ſancta, *optima*, cum Deus gloriam & ſalutem Eccleſiæ intenderit; Actio creaturarum eſt *peſſima & impia.* Hinc dicuntur *cogitationes Dei non ut cogitationes noſtræ, nec viæ ejus, ut viæ noſtræ.* Eſ. 55: 8. *O Profunditas divitiarum &c.* Rom. 9: 33. Non male comparari ſolet peccator cum *equo claudo*, qui ad incedendum incitatur ab equiſone. Quod pergat ac incedat, ejus quidem cauſa eſt equiſo, ſed quod inter incedendum claudicet, ejus cauſa hæret in ſolo defectu equi. Ita ſane homo peccator à Deo quidem excitatur ad operandum; quod homo operetur, id quidem habet à Deo, ſed quod male operetur, & inter operandum quaſi claudicet & peccet, id habet ex propria *ἀταξίᾳ* ac naturali *corruptione.* Hinc eleganter Deus apud Hoſeam. Cap. 13: 9. *Corruptio tua eſt; ſed auxilium a Deo.* Peccatum igitur non eſt in *operatione* ipſa, ſed in *defectu* operationis; quare non habet cauſam *efficientem*, ſed potius *deficientem:* quo videtur reſpexiſſe Servator, qui ultimo die exprobrabit peccatori, non tam *actiones*, quam *defectus* actionum. Matt. 25: 42, 43. *Non cibaſtis me, non potaſtis me, non recepiſtis, non veſtiviſtis me, non viſitaſtis me.* Hinc facile reſponderi poterit ad argumentum adverſariorum. *Qui eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa cauſati; ſed Deus eſt cauſa peccatoris, ejusque operationum, ergo & cauſa peccati.* Qui eſt cauſa cauſæ *ſub ratione cau-*

*In actione eſt bonum & malum.*

*Peccatum non habet cauſam* efficientem, *ſed* deficientem.

Objectio.

*causati*, sive *peccati*, ille etiam est causa causati, concedimus quidem. Sed hoc sensu negamus minorem. Deus enim nec vult nec efficit peccatum, qua peccatum. Est tantum causa *actionis*, *& realitatis* circa peccatum, quæ *realitas & actio* per se bona est. Nam quod homines *agant* id habent à *Deo*; quod in actione *aberrent & male* agant, id habent *a se*: cum peccatum tantum habeat causam *deficientem*, non autem *efficientem*, quæ causa *deficiens* non potest esse *Deus*, sed *homo*, uti jam ostendimus. Sed, secundum ipsos *Pontificios* aliosque *Semipelagianos*, Deus deberet esse causa peccati, si ideo causa esset, quia ad eorum operationes concurrit. Saltem esset causa *socia peccati* cum homine, quia, ipsis fatentibus, concurrit & cooperatur cum creaturis in omnibus actionibus (sive *precurrat*, sive *concurrat* perinde est) Concurrit enim non minus ad actiones *malas*, quam ad *bonas*.

*Retorsio.*

XXVIII. Reliquæ sophisticationes, quæ solent afferri contra *Providentiam*, Dei nullius sunt ponderis. Veluti I. *hominem nihil debere agere, aut eum omnia frustra agere, si Deus omnia ita decrevit & regit sua Providentia, ut aliter fieri non possint.* Non enim frustra ponitur opera in re, quæ absoluto Dei decreto est determinata: quia operamur secundum ipsum decretum & Providentiam Dei. Idem enim Deus qui decrevit ut res aliqua fieret, voluit etiam ut hoc modo, & per tales actiones in creatura fieret. Deinde decrevit & dirigit per suam *Providentiam rem* ipsam, & simul *media* ad exequendum. Ex. gr. Si Deus decrevit vitam hominis ad certum aliquem terminum, simul etiam decrevit dare ei cibos, potum, vestes, &c. voluntatem edendi bibendi & observandi, quæ ad vitam conservandam requiruntur. Sic quamvis *Paulus* habuerit revelationem, se perventurum eo quo tendebat, tamen diligentia & labore nautarum opus erat, ad evitandum naufragium. Act. 27: 31. Ita *Ezechias Rex*, quamvis noverit se adhuc victurum quindecim annos, tamen noverat se *esu*, *potu & medicamentis* opus habere. Es. 38: 21. Et II. Quamvis *multa sint contingentia*, *multaque fiant casu*, *sorte*, *& fortuna*, illa tamen non tollunt *Providentiam*. Nam supra jam ostendimus res dici *contingentes*, & evenire *casu*, *sorte & fortuna*; respectu rerum, quæ inter se nullum habent naturalem nexum, & respectu nostræ ignorantiæ, non autem respectu decreti & Providentiæ Dei; sed ex *sapientia*, *decreto & Providentia* Dei omnia esse *necessaria*. III. Nec *confusio quæ in hoc mundo apparet evertit Providentiam.* Nam

*Argum. Adversari.*

revera nulla datur *confusio* in rebus ipsis, & respectu Dei, sed tantum respectu nostri, qui omnem ordinem non animadvertimus, propter nostram ignorantiam. Ex. gr. is, qui ignorat rationem notarum Musicæ, in charta depictarum, putat omnia esse confusissima, quamvis notæ à perito Musico dispositæ sint ordine artificiosissimo, ad gratissimum concentum. IV. Fatemur quidem *malos non semper puniri, nec bonis semper bene esse*, inde tamen nihil potest colligi contra Providentiam, quoniam sæpe *beati sunt qui probris afficiuntur.* 1. Pet. 4: 14. Ps. 126: 5. Deus *castigat quos amat.* Heb. 12: 6. Nec V. Verum est, *bonos & malos iisdem pœnis involvi.* Hoc enim non semper fit in hac vita; saltem pœnæ & prœmia in vita futura juste distribuentur. *Prout quilibet fecerit bene vel male.* 2. Cor. 5: 10. Non procedit hæc argumentatio. VI. *Si omnia dependent a decreto & Providentia Dei, ut res necessario ita eveniant, sequitur nullum fœdus inter Deum & hominem, nullamque Religionem habere locum: quia omne fœdus & Religio postulat libertatem in adstipulando & obediendo.* Nam *decretum* & Providentia Dei non pugnat cum *libertate* hominis, sed eam ponit, quia Deus ita operatur in voluntatem nostram, ut semper *sponte* velimus, nunquam *coacte*, ut in nobis nullam experiamur coactionem. Et quo Deus potentius nostram voluntatem determinat, eo efficacius volumus, & quo efficacius, eo liberius.

## LOCUS VII.

# DE HOMINE.

## CAPUT XIII.

*De Creatione Hominis, & de Natura mentis.*

*Homo est altera pars fœderata.*

I. HActenus de prima *Parte fœderata*, nempe de Deo, qui & *auctor* ac *causa* est fœderum. Nunc dicendum erit de altera parte, nempe de *homine.* Capite decimo, ubi de *Creatione* egimus, jam diximus, hominem considerari, non tantum tanquam opus Dei, sed præcipue tanquam Dei fœderatum, adeoque hoc loco de eo agendum esse. Ostendimus etiam ibi, hominem creatum esse sexto die creationis.

II. Nul-

II. Nulli fuerunt igitur homines *αὐτόχθονες* ex *limo* aut aliqua *arbore*, *duro* scilicet *robore nati*, uti veteres gentiles fabulati sunt. Quæ fabula nata est, vel ex superbia quorundam, veluti Athenienfium, quod originem nullis aliis populis concedere, nec se vetustiores alios agnoscere vellent, vel quod vetustissimis temporibus homines in sylvis habitare solerent, sæpeque latibula sua haberent in arboribus excavatis, ubi & liberos procrearent, aut etiam tandem quod glandibus aliisque arborum fructibus victitarent. Fuisse *Præadamitas*, id est homines ante Adamum, æque absurdum est. (1. quia ante Adamum *non fuit homo qui coleret terram.* Gen. 2: 5. (2. Adamus ante Evam *solus dicitur.* Gen. 2: 18. (3. Moses describit creationem mundi, & statim addit creationem Adami, nec ullius hominis ante Adamum meminit. (4. Adamus exsertis verbis dicitur *primus homo.* 1. Cor. 15: 45. (5. *quia totum genus hominum ex uno sanguine creatum est.* Act. 17: 26.

*Nulli homines αὐτόχθονες.*

*Nec Præadamitæ.*

III. Cum creatio hominis fuerit opus excellentissimum, etiam majori consilio Deus usus est, in creando homine, quam in creatione reliquarum rerum, uti patet ex his verbis: *Faciamus hominem*, quibus verbis Deus non alloquitur *Angelos*, uti inepti contendunt *Sociniani* ac *Judæi*, nec ullam aliam creaturam, cum creatio sit opus solius Dei summe sapientis ac summe potentis. Alloquitur igitur Filium & Spiritum Sanctum.

*Deus in creando homine majori consilio utitur.*

IV. Quandoquidem homo non debuit esse nudus *Spiritus*, ut Angeli, sed *animal* quod sobolem procrearet, Deo sanctum semen propagaret, ac bonitate Dei frueretur ad aliquod tempus in hac terra, ideo Deus ei *corpus* formavit. Ad cum non debuerit esse *animal brutum*, sed potius ratione præditum, ut haberet sensum bonitatis creatoris indeque ad eum glorificandum excitaretur, Deus ipsi non dedit tantum brutum *corpus*, quemadmodum pecudibus, sed & *mentem* intelligentem & volentem.

*Deus homini formavit corpus.*

*Et mentem.*

V. Corpus Adami formatum est ex *pulvere terræ.* Gen. 2: 7. 1. Cor. 15: 47. *extra Paradisum*; nam post creationem introductus est in Paradisum, ut eum coleret. Gen. 2: 8. Utrum autem creatus sit circa *Damascum*, ut vult *Josephus*, forte etiam ex pretiosa ista terra sigillata rubra, unde אדם a *rubore* dictus sit; an vero in monte *Moria*, ut tradunt *Judæi*, incerta hæc sunt omnia. Fuit autem Adamus creatus, ut vir in flore ætatis, corpore robusto, justa statura, & decenti forma. Quare quæcunque narrantur de ejus corpore

*Corpus ex pulvere formavit.*

*Qua statura.*

*Statura corporis veterum nostram non superat.*

pore *gigantco*, *bicorporeo*, & *androgyno*, putidæ ſunt fabulæ. Primos homines ſtatura & proceritate multum ſuperaſſe corpora noſtra, non eſt credibile, quantum conſtat ex veterum *architectura*, ex *ulnis*, *cubitis*, *palmis*, *digitis*, *pondere*, *menſura* & id genus alia.

*Anima Adami.*

VI. Corpori Adami Deus inſufflavit נשמת חיים *animam*, vel *halitum viventem*. Gen. 2: 7. Et erat לנפש חיה id eſt non fuit tantum *corpus immobile*, inſtar idoli, ſed quod haberet halitum & ſe moveret. Vox, נשמה non præciſe ſignificat *mentem*, ſed potius *halitum*. Job. 37: 10. *Ex halitu Deus dedit frigus;* aut denotat *motum corporis*, præſertim *circulationem* ſanguinis, & motum ſpirituum animalium. Uno verbo, ſignificat *vitam corpoream*, quæ poteſt eſſe ſine mente & cogitatione, qualem vitam fortaſſis habent bruta, ſine animâ cogitante, adeoque ſine ſenſu, quemadmodum *Lutherus* judicavit de quodam puero Diſſoviæ, qui uſque ad annum duodecimum ætatis, nihil aliud fecerat, niſi quod ingereret, & egereret, at nunquam vel minimam notam rationis ederet, fuiſſe ſcilicet *Maſſam quandam carnis anima carentem.* Vide Honsdorf. Theatr. Hiſt. in 2. præcept. pag. 142. Quamvis tamen iſte *halitus* ac motus ſanguinis & ſpirituum in homine adeſſe ſoleat cum ipſa mente. Adde quod נפש & נשמה ſæpe ſignificent etiam ipſam *mentem.*

*נשמה quid?*

*Eva creata ex coſta.*

VII. Adamo creato, Deus creavit *Evam*, vitæ ejus ſociam. Non ex *terra*, ſed ex *coſta Adami*, ut ita *totum genus humanum eſſet ex uno ſanguine.* Act. 17: 26. Coſtam illam in Adamo fuiſſe *ſuperfluam*, dici non debet. (1. quia Adamus monſtruoſus fuiſſet. (2. Nec Eva recte ex Adamo producta dici potuiſſet. Dicendum igitur eſt, Deum poſtea aliam ſubſtituiſſe. Creata fuit, non eodem loco, ubi Adam, ſed in Paradiſo. Gen. 2. Quo tempore autem Eva creata ſit, incertum eſt. Saltem credibile eſt, eam non fuiſſe creatam eodem die quo creatus eſt Adamus. (1. quia multa facta ſunt inter creationem Adami & Evæ, veluti plantatio horti, introductio Adami in hortum, productio arborum, mandatum de non comedendo fructu arboris, adductio animalium ad Adamum. Impoſitio nominum animalibus, & tandem Evæ creatio. Gen. 2: 8. & ſeqq. quæ tam paucis horis facta eſſe, non eſt veriſimile. (2. Nulla eſt neceſſitas quæ nos cogat, ut dicamus eam eodem die creatam eſſe. Et quamvis dicatur jam ſexto die: *Deus creavit hominem maſculum & fœminam.* Gen. 1: 27. non ſequitur tamen eodem die *Evam* fuiſſe creatam; ſed ibi tantum indicatur per anticipationem, quod

*Qualis coſta.*

*Quo tempore creata.*

*Objectio.*

poſtea

postea factum sit: nempe Deum creasse, non tantum *masculum*, sed & *fœminam*.

VIII. Hactenus breviter de *Corpore*. Plura dicenda erunt de *mente*: tunc enim homo demum se cognoscit, quando cognoscit mentem suam. Nulla est cognitio pulchrior, excellentior, magis salutaris, & quæ suaviorem adferat consolationem, quam cognitio *Dei & hominis*, præsertim autem *mentis* nostræ. Et quamvis nihil clarius fulgeat magisque sit obvium serio meditantibus, quam *Deus* & hominis *mens*, ut nihil prius à nobis cognosci possit, nihilominus tanta est corruptio nostræ naturæ, tanta stupiditas, ut maxima pars hominum ita videatur mentem habere immersam rebus corporeis; ut vix Deum ac seipsam contempletur, ut ipsi nihil notius videatur quam crassum hoc corpus, quod oculis videt manibusque palpat, quæ magis videtur cognitio *bruti*, si ullius cognitionis est capax, quam *hominis* ratione præditi, uti clarius, ex iis quæ dicturi sumus, constabit. Pudeat Theologum, cujus tota scientia versatur circa *Deum*, auctorem & præcipuum argumentum totius Theologiæ, ignorare quid sit Deus, quæ sint ejus perfectiones ac operationes, prout sese manifestavit in natura & in verbo suo. Pudeat Theologum, quod, cum Deus se *menti* nostræ unice manifestet, ut eam servaret, ut per mentem homo cognoscat Deum auctorem salutis, & cum tota Theologia *menti* tradatur, interim ignoret quid sit *mens* sua, & vix de ea alias habeat cogitationes, quam de levissima aliqua aura, de subtilissimo aliquo corpusculo, tamen de corpore, quod necessario in suas partes, ex quibus compositum est, dissolvitur, & quod sua natura immortalem vitam, quæ menti promittitur, vivere non posset. Non pigebit itaque de *mente* plura quam de *corpore* dixisse.

*Mens hominis.*

*Deo & menti nihil prius cognoscitur.*

IX. *Anima* igitur Adami à Deo *ex nihilo creata*, & corpori juncta est. Eodem modo omnes mentes humanæ à solo Deo creantur, nec ab ulla creatura produci possunt. Qui statuunt mentem produci ab ipsis *parentibus*, per animam *traducem*, aut ut *lumen de lumine*: quemadmodum multi ex *Lutheranis* aliisque fratribus docent, conceptus habent de mente plane corporeos, & à veritate vehementer alienos. (1. quia si esset à *parentibus*, esset à solo *patre*, vel à sola *matre*, vel ab utroque. Non à solo *patre*, sic enim *mater* non æque generaret. Nec à sola *matre*, tunc enim *pater* non æque generaret. Nec tandem ab *utroque* esset: sic enim mens esset mixta

*Anima ex nihilo creata.*

*Nullus datur animæ Tradux.*

ex patris & matris substantia. (2. quia generaretur vel à *corpore* parentum, vel ab eorum *anima*. Non à *corpore*; quia ex *corpore* non potest fieri *spiritus*: cum corpus & spiritus tota natura differant, & omne generans sibi simile generet. Non ab *anima*, quia est *indivisibilis*, cum tamen omne generans sit *divisibile*. At quamvis animæ creentur à Deo, non tamen creatæ fuerunt omnes *ab æterno*, quemadmodum *Judæi*, *Origenes* aliique male docuerunt. (1. quia Deus *ab initio creavit cœlum & terram*, & omnia *quæ sunt in iis*. (2. quia de creatione *ab æterno* S. Scriptura tacet. (3. quia nulla necessitas postulat ut id credamus. Non tamen etiam negamus Deum potuisse, si voluisset, animas omnesque Spiritus creare *ante principium Mosaicum*.

*Animæ non sunt creatæ ab æterno.*

*Anima non consistit in nuda crasi.*

X. Pessime adfirmant *Epicuræi*, *Zaducæi*, *Sociniani*, *Anabaptistæ &c.* mentem humanam consistere in nuda *crasi*, vel *temperamento* corporis. Est enim substantia tota natura diversa à *corpore* corporisque *affectionibus*. Est igitur *mens* proprie & natura sua *substantia cogitans*; vel *Cogitatio substantialis*; aut, si mavis, *actus substantialis cogitandi, perfectione finitus & à Deo creatus, ad gloriam summi numinis.* Minus naturam spiritus exprimunt illi, qui dicunt esse *substantiam immaterialem*, *invisibilem*, *impalpabilem*. Primo enim notandum est, quædam etiam dici posse de corporibus subtilissimis, præterquam quod omnia ista epitheta etiam de *nihilo* affirmentur: nam & *nihil* est *immateriale*, *invisibile & impalpabile*. Tandem voces negativæ naturam rei non explicant. Ostendunt tantum *quid res non sit*, at non docent *quid sit?* cum tamen in omni definitione responderi debeat ad quæstionem *quid res sit?* Non autem *quid non sit?* Ex. gr. si petatur definitio hominis, stulte responderetur: homo est *animal*, *non canis*, *non equus*, *non avis*, *non piscis*, *non arbor*. Sane hac responsione discipulus non evaderet doctior. Immo se rideri optimo jure crederet. Ergo adhiberi debent termini *adfirmativi*, qui affirment *quid res sit?* Aptius quidem ad quæstionem *quid est mens?* respondetur vocibus hisce *affirmativis*: Est *substantia cogitans*. Sed quandoquidem in hac definitione *substantia* est tanquam *genus*: *cogitans* quasi *differentia specifica*: quæstio manet, cujus naturæ sit ista *substantia?* cum duplex agnoscatur in natura substantia, scilicet *corpus & spiritus*. Respondebis forte, esse *substantiam spiritualem*. Bene quidem, quoniam ita placuit: sed hæc non sufficient; quia quæstio manebit: quid sit *substantia spiritualis?* quid sit *spiritus?* sive ipsa *spiritualitas?* Jam animadvertimus *spiritualitatem* pessimé definiri, per terminos nega-

*Est substantia cogitans.*

*Quid sit Spiritualitas?*

ga-

gativos *immaterialitatis*, *invisibilitatis*, *impalpabilitatis &c.* cum non respondeat ad quæstionem *quid sit?* Necessario itaque respondendum erit: *spiritualitatem* consistere in *cogitatione*, adeoque *substantiam* esse ipsam *cogitationem substantialem*, vel *actum cogitandi.* Unde clarissime constat *Actum cogitandi* esse ipsam *substantiam*, ipsum *spiritum*, principium & causam omnium cogitationum suarum. Si interroges, quid sit iste *actus cogitandi?* nihil ineptius interrogari poterit; videris enim nunquam cogitasse, & hanc interrogationem instituisse sine intelligentia, ac si psittacus verba protulisset. Quicunque enim novit quid sit *cogitare*, facile concipiet, quid intelligi debeat per *Actum cogitandi.* Nempe esse *substantiam* aliquam, cujus tota natura consistit in Tò *cogitare*, adeoque quæ sit causa & principium omnium cogitationum particularium, ac singulis momentis ad varios modos cogitandi determinetur.

*Non omnis actus est accidens.*

XI. Perversissimum igitur est præjudicium eorum qui docent, omnem *Actum* esse *accidens* alteri alicui substantiæ inhærens: cum certissimum sit, dari *Actum* aliquem *substantialem*, sive certam quandam *Substantiam*, cujus tota natura consistit in *Actu.* Et hæc quidem est *Substantia* nobilissima & excellentissima, quæ à *corpore* toto cœlo differt, & ad naturam Dei maxime accedit, unde sola est capax ad recipiendam imaginem Dei. I. Nonne *Deus* optimo jure à Scholasticis dicitur *Actus purissimus?* Scilicet quod in eo nihil possit concipi præter merum *Actum*, qui sit Principium & causa omnium rerum, absque ulla alia substantia substrata; nisi Deum, ex Actu & substantia substrata, quæ sit causa istius actus, compositum nobis fingamus, quod esset impium. Nihilominus quamvis Dei natura consistat in perfectissimo & *purissimo Actu*, est tamen *substantia* summe perfecta. II. Ita quoque *Angeli & mentes humanæ*, quarum natura tota consistit in *Actu*, nempe in perpetua actuositate, sive cogitatione, ut ne momentum sine cogitatione concipi possit; quare optime dicitur *Actus cogitandi.* Hinc tamen non sequitur Spiritum creatum, puta *mentem & Angelum* esse ipsum Deum, adeoque nullam esse differentiam inter *mentem* nostram & *Deum.* Mens enim semper in immensum distat à natura Dei: Cum Deus sit *merus Actus*, *actus purissimus*, *& independens*, summe perfectus, primaque Causa & Principium omnium rerum: *mens* autem nostra & *Angelus* sint *dependentes* à Deo, *imperfecti*, omnemque actuositatem suam habeant ab ipso Deo, non à naturali aliqua ne-

*Deus est actus.*

*Et Angeli, & mentes.*

*Objectio.*

*Tamen à Deo differunt.*

ceſſaria & independente perfectione. Deinde *mens* non poteſt dici *Actus puriſſimus*, cum natura *mentis* non conſiſtat in *indiviſibili*, & non totam eſſentiam ac perfectiones omnes ſimul poſſideat; ſed *fluxa* ſit, & continuo ex potentia in actum educatur; immo ab ipſo Deo ita dependeat, ut ſingulis momentis quaſi de novo reproducatur, cum omnibus ſuis cogitationibus. Adde quod multæ cogitationes mentis ſe habeant *paſſive* magis quam *active*, uti patet ex intellectu, qui ſe ſemper habet *paſſive*. Tandem non poteſt *mens* noſtra dici *operari per eſſentiam*, etiamſi operetur *per voluntatem*: cum ejus *voluntas*, ſua natura, non ſit independenter efficax, ſed tota ejus efficacia dependeat ab efficaci voluntate ac determinatione Dei, & à nexu quem Deus poſuit inter voluntatem mentis noſtræ, & inter effectus qui inde fluunt: adeo ut ſi Deus alium nexum non poſuiſſet, effectus non ſequerentur. Immo ſi Deus æterna & efficaci ſua volitione omnes operationes mentis non efficaciter voluiſſet, & ita determinaſſet, nec *mentem*, nec ullam haberemus voluntatem. Cum igitur *mens* noſtra omni modo à Deo dependeat, omnemque ſuam actuoſitatem habeat à Deo, clariſſimum eſt, eam per *eſſentiam* non operari, etiamſi operetur per *voluntatem*, adeoque eam dici non *actum puriſſimum*, ſed ſolum *Deum*, in quo nihil eſt *paſſivi*, & qui revera *per eſſentiam* operatur: cum omnia efficiat per ſolum nutum efficaciſſimæ voluntatis ſuæ.

*In Spiritu nulla eſt materia ſubſtrata.*

XII. Ex peſſimo præjudicio factum eſt, ut nonnulli præter *actum cogitandi* ſpiritibus adſcriberent aliquam materiam ſubſtratam, cui cogitatio inhæreat. (1. quia exprimi non poteſt, quid eſſet iſta *ſubſtantia ſubſtrata*. Non ſufficit, ſi quis dicat eſſe *ſpiritum*: nam quæſtio eadem ſemper manebit, quid ſit *ſpiritus*? & an ejus natura non conſiſtat in *cogitatione*? adeoque an non ſit *Actus* aliquis *ſubſtantialis cogitandi*? (2. quia talis *ſubſtantia ſubſtrata*, præter *actum cogitandi*, intelligi non poteſt, niſi ſub conceptu corporeo, qui à mente abſtrahendus eſt. (3. quia tali ſubſtantia ſubſtrata, præter actum cogitandi, opus non eſt: cum poſſimus concipere *ſpiritum*, ſive *ſubſtantiam ſpiritualem*, ſine tali materia, ſive ſubſtantia alia ſubſtrata. Ex. gr. *Deum* concipimus tanquam actum *puriſſimum & ſimpliciſſimum*, ſine ulla alia ſubſtantia vel materia ſubſtrata, niſi Deum reddamus compoſitum ex ſubſtantia & Actu, quod eſt abſurdum. (4. quia nulla datur ſubſtantia ſubſtrata *extenſioni*, cui extenſio inhæreat: cum extenſio ſit ipſum corpus extenſum; quare nulla ſubſtantia ſubſtrata requiritur ad cogitationem, cui ſcilicet *actus*

*cogi-*

*cogitandi*, vel Τὸ *cogitare* inhæreat: cum *meus* ſit ipſe *actus ſubſtantialis cogitandi.* (5. Si daretur alia aliqua *ſubſtantia ſubſtrata*, illa eſſet res quædam *iners* ſine *ulla actuoſitate*, vel eſſet res ſua natura *actuoſa.* Si *prius*, tunc non poſſet producere cogitationes. Unde ergo procederent omnes ejus cogitationes? Eſſet merum corpus brutum, ut præter ipſum corpus homo nihil haberet. Si *poſterius:* tunc neceſſario *deberet* eſſe talis *ſubſtantia actuoſa*, cujus *actio* eſſet *cogitatio.* Sed talis ſubſtantia *actuoſa cogitans*, quid aliud eſt quam ipſe *actus ſubſtantialis cogitandi*, qualem nos ponimus?

XIII. Hi omnes errores circa naturam mentis, naſcuntur ex alio præjudicio falſiſſimo: ſcilicet quod homines ſoleant rebus plura attribuere quam earum natura revera continet. Ita *corpori*, præter *extenſionem*, attribuere ſolent *materiam* aliquam, *ſubſtratam*, ut & *locum*, *ſpacium*, quæ tamen à *corpore* vel *extenſione* non ſunt diverſa, ſed ſunt ipſum *corpus*, ipſaque *extenſio.* Eodem modo *Spiritibus*, præter *actum cogitandi*, attribuere ſolent *ſubſtantiam ſubſtratam*, *locum*, *motum localem*, *terminos*, & id genus alia: cum tamen *ſubſtantia ſubſtrata* ſit ipſe *Actus cogitandi*, immo in *actu* conſiſtat tota natura ſpiritus; *locus* autem, *motus*, *terminus*, & ejuſmodi alia, in *ſpiritibus* non reperiantur, ſed ad ſolum corpus referri debeant.

*Fons erroris.*

XIV. Deinde ejuſmodi errores quoque inde oriuntur, quod vulgus Philoſophorum rebus ſoleat attribuere quod ipſi tamen in rebus non percipiunt, adeoque neſciant quid ipſi rebus adſcribant: cum ipſam naturam rei non ſatis accurate perceperint. Ita ſane quamvis ipſi fateri cogantur, ſe clariſſime & diſtinctiſſime in ſpiritu concipere *cogitationem*, immo ſe præter cogitationem nihil aliud concipere poſſe, tamen adfirmare audent, præter *cogitationem* aliud aliquid in eo reperiri quod ſit tanquam materia ſubſtrata, principium, & cauſa omnium cogitationum, adeo ut *actus cogitandi* non ſit ipſa *ſubſtantia*, ſed tantum ejus *accidens* atque *actio.* Si roges, quænam ſit illa *ſubſtantia* ſubſtrata, iſta *cauſa & principium* cogitationum particularium, ſi non ſit aliquis *actus ſubſtantialis cogitandi?* turpiter cogentur fateri, ſe id ignorare. Fatentur igitur ſe neſcire quid dicant, ſed inſtar vetularum vane verba fundere; quæ ſunt turpiſſima, viris cordatis & vere doctis maxime indigna. Adeoque produnt audaciam, quod rebus attribuant, quod ipſi non intelligunt, immo quod revera rebus non ineſt, nec uſquam exiſtit in rerum natura, extra eorum imaginationem. Perinde eſt ac ſi dicerem: *lapidem*

*Male rebus attribuitur id quod ignoramus.*

non tantum esse substantiam aliquam duram, solidam, sed ei præterea inesse res multas alias pretiosas, forte spiritum, forte gemmas, nescio quid? & si rogarer, quænam sint res istæ pretiosæ? incogitanter, non minus quam ignoranter, immo & impudenter, hanc responsionem effutirem: *Nescio quænam sint illæ res, ego eas non possum capere; sed ideo quoniam ego eas capere non possum, non sequitur tales res ei non inesse.* Nonne hoc est evertere ipsam naturam rerum, prout à Deo est condita? Eam in imaginatione nostra aliam formare, quam Deus eam formavit? Nonne hoc est *sapere ultra id quod oportet sapere.* Rom. 12: 3. Quicquid enim Deus in natura nobis revelat, cum nobis det alicujus rei clarum & distinctum conceptum, id debemus credere ita se habere, & non aliter, nisi Deo in os velimus contradicere, apud animum nostrum, dicendo, rem aliter se habere, quam ab eo nobis proponitur, multa nos scire ei inesse quæ tamen Deus nobis non revelaverit, immo quæ ei non inesse manifesto patet ex conceptu, quem Deus de ea nobis indidit: qua ratione Deus falsitatis ac deceptionis accusaretur. Hinc tot ineptiæ, tot errores, quando scilicet voluntas vult judicare de re non percepta, ubi se extendit ultra intellectum. Si enim nunquam judicaret de re non clare percepta, non erraret; & si nunquam aliter judicaret, quam quod clare & distincte percipit rei inesse, non tam absurda & falsa rebus affingeremus contra naturam. Cum igitur clare & distincte percipiamus, *cogitationem* inesse *spiritibus*, sequitur eam etiam spiritibus esse attribuendam; & cum præter *cogitationem* nihil possimus clare & distincte percipere, ut ipsi fateri coguntur, sequitur etiam nihil, præter *cogitationem*, Spiritibus attribuendum esse: adeoque ipsam naturam & essentiam Spiritus consistere in ipso *actu cogitandi*, istumque actum esse, non tantum aliquod *accidens*, sed *substantiam* ipsam, quæ est omnium actionum & cogitationum particularium causa & principium, in quo *actu substantiali cogitandi* consistit vera natura omnium Spirituum, quemadmodum de *Deo* omnes fatentur, qui omnimodam ejus simplicitatem, & summam perfectionem agnoscunt.

*Actus substantialis cogitandi non est confundendus cum ejus*

XV. Sedulo cavendum est, ne confundamus *Actum substantialem cogitandi* ipsum, cum ejus variis *modis* ac *determinationibus*, quales sunt *cogitationes particulares.* Veluti nunc habeo cogitationem de charta, de ligno, de nigro, albo; volo scribere, atramento infingere calamum, & id genus alia, quæ sunt tamen *cogitationes*

*par-*

*particulares*, aut potius *modi cogitandi*, *&* *determinationes* actus substantialis, unde procedunt tanquam ex causa & principio suo. Nam quocunque modo determinetur *actus cogitandi*, ad hanc vel illam cogitationem sive hoc, sive illo modo cogitet, tamen *actus* ipse *substantialis* semper idem est: cum *modi* & *determinationes* essentiam ipsam non destruant. Quod in ipsa quoque *substantia corporea* manifestum est. Ipsius enim natura consistit in *extensione*, immo est ipsa *extensio*; tamen ista extensio varie modificatur & determinatur, ut nunc sit *quadrata*, nunc *rotunda*, nunc *moveatur*, mox *quiescat*, nunc hunc, nunc alium habeat *situm*. Sed quamcunque habeat *figuram*, *motum*, *quietem*, *situm*, uno verbo, quocunque modo sit *determinata*, tamen manet semper eadem extensio, eadem substantia, idemque corpus. Si igitur aliquis sumeret varios modos cogitandi, sive, quod idem est, varias cogitationis determinationes, pro ipso *Actu substantiali cogitandi*, perinde esset, ac si sumeret figuram *quadratam*, *rotundam*, *motum*, hunc *situm*, quæ sunt tantum variæ *determinationes* *&* *modi extensionis*, pro *extensione* ipsa, vel pro ipsa *substantia corporea*.

*determinationibus.*

XVI. Verum quidem est, quod mens nostra nunquam possit concipi, sine cogitatione aliqua *particulari*, aut sine aliqua determinata *cogitatione*. Et hoc quidem necessario inde fit, quod ipsa natura & substantia mentis consistat in *actu*, ut ne per momentum quidem sine aliqua *actione* concipi possit. Cum autem ejus *actio* sit *cogitatio*, sequitur eam semper cogitare nunc hanc mox illam habere *cogitationem particularem*. Tamen non sequitur, *particularem* hanc *cogitationem* esse totam *substantiam* mentis, vel ipsum *actum substantialem cogitandi*: quemadmodum *extensio*, sive substantia corporea concipi non potest, sine aliqua *figura determinata*, sine aliquo *situ*, *motu* aut *quiete*, quæ singulis momentis mutari possunt, tamen omnes istæ determinationes, *motus*, *situs*, *figura* non sunt ipsa *extensio* vel *substantia corporea*. Tandem quemadmodum *substantia corporea* semper manet eadem, quocunque modo determinetur, quamcunque habeat figuram, motum, situm, quietem, nec ideo perit, quia modus & determinatio perit; ita sane idem *actus substantialis cogitandi* semper manet, quacunque cogitatione particulari determinetur, sive hanc habeat cogitationem, sive illam. Non igitur perit *substantia*, sive sit *corpus*; sive sit *spiritus*, pereunte ipsius *determinatione* *&* *modificatione*.

*Mens nunquam est sine cogitatione particulari.*

XVII.

*Fons errorum, circa Spiritus.*

XVII. *Fons* & *ſcaturigo omnium errorum* circa naturam *ſpiritus*, eſt inveteratum præjudicium, quod homines magis aſſueſcant conceptibus corporeis, quam Spiritualibus, à rebus corporeis abſtractis, & quod magis ac facilius agant per *imaginationem*, quam per merum *intellectum*. Hinc vix quidquam concipere poſſunt, præter *extenſionem*, & quod extenſioni eſt proprium. Hinc quotieſcunque mentem contemplantur, clare & diſtincte quidem in ea percipunt *actum cogitandi*, ſed ex inveterata conſuetudine ſemper ipſis obverſatur aliquid, quod habeat aliquam *quantitatem*, *extenſionem*, & *figuram*, quod iſtius actus cogitandi ſit quaſi *materia* quædam *ſubſtrata*, ejuſque cauſa & principium: uno verbo, quod ſit *corpus*. Et quamvis ipſi animadvertant errorem ſuum, adeoque ſtrenue negent ſe concipere *corpus*, ſed clament fortiter, ſe nihil admittere præter *ſpiritum*, nihilque ſe agnoſcere quod non ſit ſpirituale; nihilominus tamen eo ſenſu ſeſe explicant, ut ſemper prodant conceptos ſuos plane corporeos, cum menti attribuant *extenſionem*, ſive *coextenſionem* cum corpore, certum *locum* definitum, determinatum, & circumſcriptum, *motum*, & aliquam *figuram*, ſaltem, ejuſdem coporis in quo eſſe dicitur, ut cum iſto corpore minimum *configurata* ſit, & id genus alia, quæ plane ſunt *corporea*; quicquid etiam dicant, & quocunque modo mentem ſuam corrigere conentur. Nec aliunde procedunt hæc omnia, quam ex conceptu craſſo, & plane corporeo, quem habent de Spirituum ſubſtantia. Nec unquam corporeos conceptus iſtos deponere poſſunt, quamdiu capere nequeunt, dari *ſubſtantiam*, cujus tota *natura & eſſentia* conſiſtat in *Actu cogitandi*, eundemque *actum ſubſtantialem cogitandi* eſſe cauſam omnium *cogitationum particularium*. Unde etiam fit ut non niſi craſſiſſimos habeant conceptus corporeos de *Deo* ipſo, de ejus præſentia, perfectionibus ac operationibus, *Creatione & Providentia*.

*Actus cogitandi eſt ſubſtantia.*

XVIII. Interim *Actum cogitandi*, vel *cogitativum*, ut alii loquuntur magis Philoſophice, quia magis barbare, eſſe *ſubſtantiam*, non autem aliquod *accidens*, tam manifeſtum eſt, quam quod eſt manifeſtiſſimum. Nam ſi eſſet *accidens*, deberet alicui *ſubſtantiæ* inhærere. Illa autem *ſubſtantia* eſſet vel *corpus*, vel alia ſubſtantia quædam *media* inter corpus & cogitationem. Non inhærere *corpori* patet. (1. quia plane alium conceptum involvit quam corpus. (2. quia *Cogitatio* concipi poteſt, non concepto corpore. (3. quia à

*Non inhæret corpori.*

corpo-

corpore eſt diſtinctiſſima, uti poſtea demonſtrabimus. (4. quia deberet *cogitatio* referri ad ipſam *extenſionem*, vel ad extenſionis *modos.* Non ad ipſam *extenſionem. Extenſio* enim non eſt ipſa *cogitatio*, nec quidquam commune habet cum *cogitatione.* Deinde propter eaſdem rationes, ob quas non poteſt referri ad *corpus*, etiam non poteſt referri ad *extenſionem*, quia *extenſio* eſt ipſum corpus. Non poteſt referri ad extenſionis *modos.* Nam *modi extenſionis* ſunt *figura*, *motus*, *quies*, *ſitus.* Sed quamcunque concipias *figuram*, ſive rotundam, ſive quadratam, ſive triangularem &c. quid hæc omnia facerent ad *cogitationem*, ad Τὸ *cogitare*, ad intelligere, velle amare, odiſſe, dubitare, adfirmare, negare &c.? Idem dici debet de *motu*, *quiete*, *&* *ſitu.* Quemcunque enim concipias *motum*, quocunque modo corpus moveatur, ſurſum, deorſum, ad dextras, ad ſiniſtras, antrorſum, retrorſum, celerius, lentius; quocunque modo *quieſcat*, quemcunque habeat *ſitum* corpus aliquod, vel *extenſio*, quid hæc omnia faciunt ad Τὸ *cogitare?* Hæc omnia tamen nec ſunt cogitatio, nec ſua natura unquam conficiunt cogitationem. Verum quidem eſt, *mentem percipere extenſionem*, *motum*, *quietem*, *figuram*, & *ſitum*; Tamen ipſa *perceptio*, ſive *cogitatio* non eſt extenſio, motus, quies, ſitus & figura. Immo eo ipſo quod mens ea percipiat, ab eis aliquid diverſum eſt; percipit enim omnia iſta tanquam à ſe *diſtincta* & *extra ſe.* Ergo Τὸ *cogitare*, ſive *Actus cogitandi* non eſt *accidens corporis*, nec, quoad eſſentiam ſuam, ullo modo ad corpus referri debet, aut poteſt.

*Objectio.*

*Actus cogitandi alteri ſubſtantiæ non poteſt inhærere.*

XIX. Sed quemadmodum *actus cogitandi* non eſt *accidens*, quod *corpori* inhæreat; ita non poteſt dici inhærere alteri alicui *ſubſtantiæ*, cum inter *extenſionem & cogitationem*, ſive inter *corpus* & inter *Actum cogitandi*, nulla ſubſtantia media à nobis concipi poſſit. Ut igitur *Extenſio*, eſt ipſa *ſubſtantia corporea*, cui inſunt varii *extenſionis modi:* ita & Τὸ *cogitare* eſt ipſa *ſubſtantia cogitans*, quæ habeat ſuos modos cogitandi. Et cum iſte *Actus cogitandi*, vel Τὸ *cogitare* non poſſit inhærere *corpori*, nec ulla alia ſubſtantia concipi poſſit, cui tanquam ſubjecto inhæreat, manifeſtiſſimum eſt, ipſum *actum cogitandi* eſſe *ſubſtantiam*, non autem *accidens.* Et hanc quidem ſubſtantiam eſſe nobiliſſimam, manifeſtum eſt, multo excellentiorem ac nobiliorem ſubſtantia corporea, & tanto quidem nobiliorem, quanto proprius accedit ad ſumme peſectam ſubſtantiam, nempe ad *Deum*, qui eſt *merus actus*, *Actus puriſſimus.*

*Subſtantia nobiliſſima eſt actus cogitandi.*

*Corpus & mens sunt duæ substantiæ distinctæ.*

XX. Hinc ultro patet *Corpus & Mentem* esse duas substantias distinctissimas: ut ne umbra quidem *corporeitatis* sit in *mente*, quemadmodum nihil *Spiritualitatis* potest esse in *corpore*, Ut si vel minimam *extensionem*, *locum*, *spacium*, *motum*, *quietem*, aut *situm* velimus attribuere *Menti*, eam illico redderemus *corpoream*: quemadmodum ne minimam quidem perceptionem aut *cogitationem* attribuere possumus *extensioni*, vel *corpori*, quin illud reddamus *spirituale*.

*Probatur.*

XXI. *Corpus & Mentem* esse substantias distinctas, hisce porro argumentis probatur. ( 1. quia conceptus rei unius conceptum alterius non involvit. Possum enim concipere *corpus* non concepto *spiritu*, aut *Actu cogitante*; sic & possum concipere *Spiritum*, sive *mentem*, non concepto *corpore*. Et sane potest *cogitatio* subsistere sine *extensione*, sine *quiete*, *motu*, *figura & situ*, quemadmodum *Extensio* subsistere potest, sine *cogitatione*, sine *intellectu & voluntate*. ( 2. quia omnia *Attributa*, cum *Essentialia*, tum *Accidentalia*, sunt plane diversa. Nam attributum *essentiale corporis* est *Extensio*, ita ut *extensio* sit ipsum *corpus*. Sed *Mentis* attributum *essentiale* est Τὸ *cogitare*, vel *actus cogitandi*: adeo ut Τὸ *cogitare*, vel *actus cogitandi* sit ipsa mentis *substantia* vel *essentia*. ( 3. Ita sane attributa *accidentalia*, sive *accidentia* corporis omnia sunt *motus*, *quies*, *situs & figura*. Quicquid enim in corpore animadvertitur, ad hæc quatuor, vel ad unum ex iis, referri potest. Sed in *mente* vel in omni *spiritu* creato attributa *accidentalia*, sive *accidentia*, sunt variæ cogitationes particulares, sive *modi cogitandi*, nempe *intelligere*, *velle*, hoc vel illo modo *intelligere*, *velle*, *adfirmare*, *negare*, *judicare*, *amare*, *odisse &c.* ut tot *modi extensionis*, tot varii *motus*, *figuræ*, *situs* in corpore concipi non possint, quin totidem & plures cadant *modi cogitandi* in mentem nostram. ( 4. quia *corpus* vel *Extensio*, in se & sua natura, nullam habet *actuositatem*, ut ne *moveri* quidem possit, nisi ab alio moveatur; At *Mentis* natura consistit tota in *actuositate*, vel in substantiali *Actu cogitandi*, ( *cogitare* enim est *agere* ) ut ne per momentum possit concipi sine cogitatione, sive homo vigilet, sive dormiat, in ipsa etiam lethargia, sive in deliquio animi; quamvis non semper omnium cogitationum simus memores, sed plerumque oblivisci soleamus, quid jam modo, ante pauca momenta, cogitaverimus.

XXII. Cum *Corpus & Actus cogitandi* sint duæ substantiæ distinctissimæ, cuilibet serio attendenti ad naturam *mentis* facile patebit,

bit, eam multo *notiorem* esse *corpore*, adeoque nos *Mentem* cognoscere ante *Corpus*. (1. quia quo plura & illustriora attributa animadvertimus in re aliqua, eo res ista est notior, sed multo plura & illustriora attributa animadvertimus in *Mente* quam in *corpore*. (2. Non possumus cognoscere corpus sine mente, sed possumus cognoscere Mentem sine corpore: (3. Hinc *Mens* cognosci potest sine actione corporis, sed corpus non potest cognosci sine operatione mentis. Non enim nisi cogitando pervenimus ad cognitionem Corporis; quia *cognoscere* est *cogitare*. Fatemur quidem *multos ignorare quid sit mens*, *quosdam etiam plane negare, mentem esse substantiam per se subsistentem extra corpus*: hinc tamen non sequitur, *corpus* esse notius sua natura quam *mentem*; Nam multi non minus ignorant *naturam corporis*. Non minus enim disputatur utrum corpus consistat in *extensione*, an non distinguatur à *spacio*, *loco &c.* quam utrum anima consistat in *cogitatione*, sive in *Actu cogitandi*? Deinde nemo mentem negat, sed nonnulli tantum dubitant, utrum non consistat in re corporea. Tandem quando *mentem* dicimus *notiorem corpore*, hoc maxime intelligitur de iis, qui mentem non habent immersam cogitationibus corporeis, sed qui sunt assueti longis, diuturnis & seriis meditationibus, quique cogitationes possunt abstrahere à rebus corporeis, & magis agunt per merum *intellectum*, quam per *imaginationem*.

*Mens notior est corpore.*

*Objectio.*

XXIII. Hinc quoque sequitur *certiorem* esse cogitationem *Mentis* quam *Corporis*. Nam quod de *corpore* concipimus, sæpe falsum est: multi enim putarunt se habere corpus stramineum, aut cereum &c. Alii se habere manus, pedes aliaque membra, quibus jam ante multos annos caruerunt; putant se multa videre, audire, palpare, olfacere, gustare, se mensæ assidere, confabulari, in aëre volare, dum altum stertunt in lecto. Cum autem toties decepti simus circa res corporeas, sensibus non est facile fides adhibenda. Veræ enim prudentiæ est, ut non facile credamus iis, qui nos vel semel tantum deceperunt. At quando cogitamus nos *cogitare*, nunquam decipimur; nam eo ipso quod quis tale quid cogitat, vere cogitat. Etiam ubi cogitat se *videre*, *audire*, *gustare &c.* quod tamen non videt, nec audit, nec gustat, revera tamen cogitat: nam qui *falsum* cogitat, *vere* tamen *cogitat*, non minus quam si *verum* cogitaret. Immo si vel maxime dubitet se *cogitare*, semper tamen *cogitat*; cum ipsum *dubitare*, sit *cogitare*: nam *cogitare* est *intelligere*, *velle*,

*Cognitio mentis certior est quam corporis.*

*nolle, adfirmare, negare, dubitare &c.* Manifeſtum igitur eſt hoc effatum: *Cogito ergo ſum*, non tantum eſſe primam & certiſſimam cognitionem, ſed & ſimul exprimere, *quid ego ſim?* Nempe *Res cogitans.*

XXIV. Ex hiſce omnibus, quæ hactenus diximus de natura mentis, facillime reſponderi poterit ad omnia ſophiſmata, quibus vellent nonnulli probare, naturam & ſubſtantiam *mentis* non conſiſtere in *actu cogitandi*, ſed in alia aliqua *re*, quam ipſi nec concipiunt, nec exprimere poſſe fatentur. Veluti. I. *Si natura mentis conſiſtit in cogitatione, ſequitur eam eſſe accidens, quia cogitatio eſt accidens.* Reſp. Si conſiſteret in hac cogitatione *particulari* tantum, vel in hoc aut illo *modo cogitandi*, concedo. Sed non conſiſtere in *modo cogitandi*, jam demonſtratum eſt, ſed in τῷ *cogitare* ipſo, vel in ipſo *Actu ſubſtantiali cogitandi:* quemadmodum natura corporis conſiſtit in *extenſione* ipſa, non autem in particulari *modificatione extenſionis*, in hoc *motu, quiete, ſitu, figura.* II. *Si conſiſtit in cogitatione, tunc anima erit fluxa, peritura, quemadmodum cogitatio eſt fluxa, & ſingulis fere momentis perit, ſuccedente ſemper alia cogitatione.* Reſp. Cogitatio *particularis*, id eſt hic *modus cogitandi* perit, non autem Τὸ *cogitare*, ſive ipſe *Actus ſubſtantialis cogitandi:* qui ſemper manet. Nam etſi prior modus cogitandi perierit, & alius illico ſuccedat, tamen eo ipſo quod nunc aliam habeat cogitationem, alium cogitandi modum, & quamvis aliter determinetur, tamen cogitat. Quod autem ſingulis momentis adſit *particularis cogitatio*, hoc fit ex ipſa natura mentis, quæ conſiſtit in *actu cogitandi*, & ex ejus imperfectione ac mutabilitate, quia omnes ideas non habet ſimul præſentes. Hinc neceſſario ſingulis momentis *actus ſubſtantialis cogitandi*, nunc ad hunc, nunc ad illum *modum cogitandi* determinatur. Ipſe tamen *Actus ſubſtantialis* ſemper eſt idem; ſemper enim cogitat, ſive hoc, ſive illud cogitet, quemadmodum *corpus*, ex. gr. *maſſa ceræ* ſemper manet idem *corpus*, eadem *maſſa*, adeoque eadem ſubſtantia, etiamſi unico momento mille *figuras* reciperet, nunc moveretur, nunc quieſceret. III. *Non poſſumus in mente noſtra concipere niſi hanc cogitationem particularem, quæ nunc eſt præſens. Ergo tota mens erit cogitatio particularis peritura.* Reſpondeo primo, falſum eſſe, nos non poſſe concipere niſi hanc cogitationem *particularem;* nam ſi ſerio ad mentem noſtram attendamus, revera concipimus aliquam cogitationem, quæ menti in æternum eſt præſens, nec unquam perit, nec mu-

*Argumenta Adverſariorum.*

ta-

tatur: talis eſt *Conſcientia* omnium noſtrarum *cogitationum.* Nihil enim cogitamus, quin nobis conſcii ſimus, nos hoc cogitare. Deinde poſſumus concipere *Actum cogitandi* vel Τὸ *cogitare* ipſum, non concepta hac vel illa particulari cogitatione. Ergo tota mens non conſiſtit in *particulari* aliqua *cogitatione;* ſed in τῷ *cogitare*, vel in ipſo *actu cogitandi*, prout in ſe conſideratur tanquam actus cogitandi.

XXV. IV. *Si actus cogitandi non conſiſtit in hac vel illa particulari cogitatione, tunc concipitur cogitatio quæ nihil cogitet, intellectio quæ nihil intelligat, volitio quæ nihil volet.* Reſp. Neg. Conſeq. Ipſa eſſentia mentis conſiſtit in τῷ *cogitare* tantum, ſi abſtracte, & in ſua natura conſideretur: ſed eo ipſo quod conſiſtat in *actu cogitandi*, etiam cogitat, intelligit, vult: quamvis tamen ſua natura determinari poſſit ad omnes cogitationes particulares, ut etiam ad hanc vel illam cogitationem particularem ſemper determinata ſit: quod fit ex ejus imperfectione, quia non omnes ideas ſimul & ſemel præſentes habere poteſt, quemadmodum fit in Deo; & quod ſit mutabilis, & ſingulis momentis ad aliam ideam adeoque cogitationem *particularem*, vel *modum cogitandi* determinari poſſit, & determinetur, manente tamen ſemper eodem *Actu cogitandi*, quocunque modo determinetur. Eodem plane modo uti *Corporis* natura conſiſtit in ſola *Extenſione*, generaliter ſic conſiderata, nihilominus tamen omnibus modis determinari & modificari poteſt, ut ſemper hoc vel illo modo, particulari extenſionis motu, quiete, ſitu, & figura determinata ſit. Iſta tamen particularis extenſio, vel Extenſionis modus, non conficit totam naturam Extenſionis. V. *Cogitatio quæ hoc momento perit, eadem eſt cum ea quæ manet: at illa quæ perit ſingularis eſt, & definita; Ergo & illa quæ manet ſingularis eſt.* Reſp. Si per *cogitationem quæ manet*, intelligatur ipſe *actus cogitandi;* tunc nego eſſe eandem cogitationem, *quæ perit:* cum ea quæ *perit*, ſit cogitatio *particularis*, & *determinata;* illa autem quæ *manet*, ipſe *actus ſubſtantialis cogitandi*, adeoque cauſa & principium omnium *cogitationum particularium.* Si autem per cogitationem quæ *manet* intelligas *modum cogitandi* qui ſubſequitur in locum pereuntis cogitationis, tunc concedo totum. Quid enim hoc ad *Actum ſubſtantialem cogitandi?* Aliud eſt ipſe *Actus cogitandi*, aliud *cogitatio particularis*, per quam *actus* determinatur, tanquam per aliquod *accidens.* Cogitatio, quæ hoc momento perit, eſt tantum *modus cogitandi*, ſic & ea quæ ſucce-

 dit,

dit, est *particularis & modus cogitandi*; tamen Τὸ *cogitare*, vel *Actus cogitandi* semper est idem, est semper substantia per se subsistens, non minus quam *Corpus*, sive *Extensio*, quamvis varie modificetur & determinetur. V I. *Genera & species non consistunt nisi in individuis. Ergo & omnis cogitatio debet esse individua, sive particularis, adeo ut in mente nostra nihil possit esse prater hanc vel illam cogitationem.* Resp. Nego Conseq. Nam *genus*, ad quod refertur essentia mentis, est *Actus substantialis cogitandi.* Et in quolibet quidem homine datur *particularis*, vel individuus *Actus cogitandi*, sive *Cogitatio substantialis*, Concedo. Sed nego istum *actum substantialem*, etsi in singulo homine sit unicus; adeoque particularis, esse ipsam *cogitationem singularem*: nam ista *cogitatio particularis*, ad quam *actus cogitandi* hoc momento determinatur, *Actus cogitandi & modus cogitandi*, ut *substantia & cogitandi*, nempe ad *modum cogitandi*, ad quem *actus substantialis* determinatur, *Actus cogitandi & modus cogitandi*, ut *substantia & accidens*, ut *causa* & ejus *effectus*, quæ toto genere differunt. Interim verum est, uti videtis, *Actum cogitandi substantialem* consistere *in individuis*, & *modum cogitandi*, vel *cogitationem determinatam* consistere in individuis: sed prius referri ad *substantias*, posterius ad *accidentia*, eodem modo ut *corpus* & ejus *modi*, motus, quies, situs, figura. V I I. *Mens non potest habere definitas singulares cogitationes, & simul infinitas.* Resp. Mens tales non habet. Τὸ *cogitare* sua natura quidem est *indefinitum & indeterminatum*, at per cogitationem particularem singulis momentis *determinatur & definitur.* V I I I. *Si tota essentia anima consistat in cogitatione indefinita, tunc cogitationes finita non pertinent ad essentiam anima.* Si per cogitationem *finitam* intelligatur cogitatio *determinata*, tunc concedo totum, nam cogitationes *determinata* non sunt ipsa essentia *actus cogitandi*, sed ejus *accidentia.* Deinde respondeo, Si essentia *corporis* consistit in *extensione indefinita*, non hoc vel illo modo determinata, hac vel illa *figura*, hoc vel illo *motu &c.* At falsum hoc est, pertinent enim ad *corpus* ut *modi & accidentia* ad substantiam suam, cui soli insunt. Ita sane *cogitationes determinata & finita* pertinent ad essentiam animæ, tanquam *modi & accidentia* ad substantiam suam. X I. *Si anima constat indefinita cogitatione, tunc etiam constabit indefinita essentia.* Resp. Nego Conf. quia *definita* essentia animæ consistit in τῷ *cogitare* indefinito. Quemadmodum *massa cera* sua natura non habet definitam *figuram*, (alias eandem semper deberet retinere, nec eam unquam posset mutare) nec *motum* &c. nihil-

hilominus ipsa massa est *definita*, quia est unica numero, & sub intellectum cadit.

XXVI. X. *Si cogitatio potest abesse ab anima, sequitur eam non pertinere ad ejus essentiam. Atque potest abesse.* Resp. Nego minorem. Est sane τὸ πρῶτον ψεῦδος. Nihil ineptius dici potest. Quid ergo erit anima? nonne pondus aliquod inutile, & iners? Si ejus natura non consistat in continuo *actu*, quid erit illud quod eam stertentem, ad operandum excitabit? Forte dormit instar gliris. Quis non videt ex hisce conceptibus crassis & corporeis natum esse puerile delirium *Anabaptistarum* aliorumque? *animam post mortem sopitam esse ac dormire usque ad ultimum diem judicii.* Sane subtili huic Philosophiæ debemus tot nugamenta, tot deliria, tot crassos errores in Theologiam invectos, de spiritibus eorumque operationibus. Conantur quidem probare, animam posse existere sine cogitatione, exemplo *Nebucadnezaris:* sed æque inepte. Nusquam enim dicitur, eum nullam habuisse cogitationem, quamvis non habuerit cogitationes sanas, tamen semper cogitavit. Sed inter *dormiendum*, ajunt, *anima nullas habet cogitatione quemadmodum & in deliquio animi*, *ac in lethargia.* Sed an ipsa etiam anima dormit, *deliquium* ac *lethargiam* patitur? Absit ut tam crassas foveamus sententias, de substantia tam nobili atque immortali, qualis est *anima.* Sane si vel momentum posset esse sine cogitatione, quare non ad *horam*; Cur non ad *diem*, ad *annum & semper?* Ita revera esset extincta, nihil esset. Actum esset de ipsius *immortalitate.* Vide quo tendant ejusmodi argutiæ. Quid tandem eam ad actum excitabit? Dices forte ea ipsa, facultates suas *cogitandi*, *intelligendi & volendi.* Sed de *facultatibus* ejus postea agemus & ostendemus nihil aliud eas esse, quam ipsas cogitationes, sive modos cogitandi, qui ab *actu cogitandi* continuo procedunt. Nonne diceres, animam se placide componere ad somnum, & evigilare ubi voluerit? Tandem etiam negamus, immo pernegamus, animam hominis vel ad momentum esse sine cogitatione, etiamsi corpus profundissime *stertat*, etiam in ipso *deliquio*, in *lethargia.* Nonne anima continuo cogitat, etiam inter dormiendum? unde igitur insomnia? Sed & testantur hoc ipsi, qui deliquium aut lethargiam passi sunt: quamvis forte omnium cogitationum non semper meminerint. Nec mirum; cum impossibile sit, ut retineamus vel centesimam cogitationum, quas habuimus ante tres horas, etiamsi simus maxime vigiles, & attentissimi ad omnes actiones nostras.

*Instantia.*

In-

*Instantia.* Inſtant tamen: *Si anima ſemper cogitaret, tunc & infantes ſemper cogitarent, etiam in utero materno. Si cogitarent, aut malum aut bonum cogitarent, ergo malum aut bonum facerent, Contra verba Pauli.* Rom. 9: 11. Sed nonne poſſent cogitare *res indifferentes*, quæ nec *mala* nec *bona* eſſent, veluti de *calore* grato, quo foventur, de *ſuavitate & dulcore* nutrimenti? Sed quid tum, ſi haberent cogitationes *bonas*, aut *malas?* An hoc negat Apoſtolus? Non puto. Negat tantum, eos feciſſe actiones *bonas* aut *malas* notas, quæ proximum vel ædificarent, vel offenderent, aut per quas alter ab altero diſtingueretur, à Deo eligeretur, vel reprobaretur. Alias quid abſurdi, ſi dicamus: infantes in utero matris actiones aliquas pias vel malas exercere? De actionibus piis habemus luculentum exemplum in Johanne Baptiſta, qui gaudium indicavit ad præſentiam Redemptoris brevi naſcituri. Luc. 1: 15. Sed & infantes fidelium *ſancti ſunt.* 1. Cor. 7: 14. Male tamen inde colligitur. *Ergo infantes non moriuntur ob peccatum originale, ſed ob actuale tantum, ſi cogitent & peccent in utero materno.* Moriuntur enim ob id, propter quod digni ſunt morte, quemadmodum & adulti: ſed digni ſunt morte, & propter peccatum *originale*, & propter peccatum *Actuale*, quamvis non tot peccata commiſerint, ut adulti, nec eodem modo.

*Infantes cogitare in utero materno.*

*Instantia.*

XXVII. XI. *Nulla ſubſtantia poteſt conſtitui per ſuam actionem, ergo nec anima per ſuam cogitationem, quæ eſt ejus actio.* Reſp. Subſtantia animæ non conſtituitur per *ſuam actionem?* Ejus enim *actio* eſt cogitatio *particularis:* ſed ejus ſubſtantia eſt ipſum Τὸ *cogitare*, ſive *Actus cogitandi.* Sane diſtingui debet inter *Actum cogitandi*, & inter hanc *cogitationem particularem*, de ſole, de homine, de cane &c. cum hæ cogitationes particulares Actui cogitandi inſint ut *modi*, qui eum modificant & determinant. XII. *Cogitatio eſt attributum animæ; ergo non poteſt conſtituere ipſius eſſentiam.* Reſp. Attributum *eſſentiale* conſtituit, ipſam eſſentiam, ſed attributum eſſentiale mentis eſt *actus cogitandi*, vel *cogitatio ſubſtantialis.* At vero attributum *accidentale* eſt cogitatio *particularis*, quam concedimus ipſius eſſentiam non conſtituere. XIII. *Nullum eſſet diſcrimen inter animam & Deum: immo anima haberet omnimodam ſimplicitatem æque ac Deus.* Reſponſionem vide paragr. XI. Tandem XIV. *Scriptura S. diſtinguit inter Animam & ejus cogitationes.* Matth. 16: 26. Joh. 6: 12. Prov. 9: 18. Pſ. 90: 9. Reſp. Et nos diſtinguimus inter *Actum ſubſtantialem cogitandi*, quæ eſt vera natura animæ, & inter *modum cogitandi*,

*tandi*, vel particularem cogitationem, per quam actus iste modificatur & determinatur.

## CAPUT XIV.

*De Mentis Facultatibus, ejusque Unione cum Corpore, ac totius Hominis Immortalitate.*

*Unde natæ facultates animæ!*

I. EX falso præjudicio, quod *Mens* sua natura non sit *actuosa*; & quod non consistat in *Actu cogitandi substantiali*, sed quod sit res quædam *otiosa*, *iners* & tanquam *brutum corpus*, sine ulla cogitatione, factum est, ut ei attribuerentur duæ *facultates*, sive *potentiæ*, tanquam *accidentia* quædam ab ipsa mente distincta, quæ sint tanquam causæ omnium operationum vel cogitationum mentis, quas *facultates* vocant *Intellectum & voluntatem:* quæ tamen revera ab ea non aliter distinguuntur, quam diversi *modi cogitandi*, per quos mens modificatur & determinatur. Nam si mens aliquid percipiat, & intelligat, tunc iste modus cogitandi vocatur *intellectus.* Si aliquid velit, amet, odio habeat, judicet, neget, affirmet, tunc dicitur *voluntas.*

*Intellectum & voluntatem non esse facultates à mente distinctas.*

II. Istas autem *facultates* à mente non esse aliter distinctas, manifestissimum est. (1. quia mens est *Actus substantialis cogitandi*, cujus tota natura consistit in *perpetua cogitatione*, & *actuositate* ad cogitandum, quare ejusmodi *facultatibus*, sive *potentiis* ad operandum non opus habet. (2. quia est valde *simplex*, ut in ea non possimus concipere plures *facultates*, & quasi *partes*, ex quibus componeretur. (3. Si mens indiget aliqua facultate ad operandum, quæ nam esset ratio cur & ipsa *facultas* non indigeret alia *facultate* ad operandum, & sic in infinitum? (4. Si menti per *facultatem* aliquid accederet, præter *modos cogitandi*, quod sua natura non habet, tunc naturaliter nec *intellectum* nec *voluntatem* haberet. Sane si per *Intellectum* mens acquirit *perceptionem*, *intellectionem & cogitationem* ipsam, tunc sequitur mentem sua natura esse sine intellectione, nullam in ea dari *voluntatem*, aut voluntatem dari *cœcam*, quæ vellet quod ignoraret, quod esset absurdum. Rursus, si menti per *voluntatem* aliquid accedit, præter *modum volendi*, nempe ipsum *velle*, sequitur mentem sua natura esse sine *voluntate.* Igitur cognoscet, sed sine judicio, & nihil volet. Ergo *Intellectus & voluntas* non distin-

*Quomodo intellectus & voluntas distinguantur à mente? Et à se.*

guuntur ab ipsa *Mente*, nisi ut *modus* à re *modificata*; quemadmodum *figura*, *situs*, *motus*, *quies* ab *Extensione*. Nec distiguuntur *Intellectus & voluntas* à se invicem, nisi ut diversi *modi* in eadem substantia, ut *modus* mentis à *modo* mentis: ut alius modus sit *Intellectus*, alius *voluntas*: quemadmodum figura *rotunda* distinguitur à *quadrata*, quæ diversis momentis sunt in eadem *Extensione*. Ergo *Intellectus & voluntas* sunt tantum diversi *modi cogitandi* in mente nostra.

*Quid referatur ad intellectum?*

III. Ad hos duos cogitandi modos reliqui omnes referri possunt. Ad *intellectum quidem nihil referri* potest, præter solam *perceptionem* rerum, ut is dicatur *intelligere*, qui rem nude percipit, non autem examinat, utrum res sit vera, an falsa; adeoque non judicat, nec rem amat, nec odit, nec appetit, nec fugit.

*Intellectus est actus simplicior voluntate.*

Est igitur Actus intellectus *simplicior* quam Actus voluntatis; nam cum actus *Intellectus* consistat in nuda perceptione rei, *voluntas* judicat, judicium suspendit, amat, odit, vult, non vult, affirmat, negat.

*Judicium non ad intellectum, sed ad voluntatem refertur.*

IV. Ex hisce jam manifestum est, *Judicium* referri debere, non ad *Intellectum*, sed ad *voluntatem*. (1. quia *Intellectus* se habet mere *passive*, (sæpe enim percipit res quas voluntas vellet intellectum non percepisse, ut si fur intelligat sententiam) & quia determinatur percipiendo res, prout illæ sese ei repræsentant; sed *voluntas* determinat & agit: ergo & judicat: nam *judicare* est *determinare* adeoque *agere*. (2. *Intellectus* respicit tantum ideas rerum: sed *voluntas* aliquid superaddit, *judicando de rei veritate*, *falsitate*, *bonitate*, & *malitia*. (3. Judicium non potest fieri sine *electione* veri & boni, aut *reprobatione* falsi & mali. Sed omnis *Electio & Reprobatio* fit *libere*; ergo ad *voluntatem* referenda est; cum *libertas* sit in *voluntate*. (4. Qui potest judicium *suspendere*, aut qui potest *non judicare*, is etiam potest *judicare*, sed sola *voluntas* potest judicium suspendere: Ergo & ea judicat. (5. Intellectus se habet in mente ut *testis* tantum, qui rem nude narrat, sed voluntas tanquam *judex*, qui examinat & judicat, utrum res sit vera an falsa, bona an mala. At dicet forte aliquis I.

*Argum. adversari.*

Ergo *Liberum Arbitrium & fides erunt in sola voluntate, non in intellectu*. Sed quid absurdi inde elicietur? Non minus erit in *mente* nostra. Sed de *Fide & libero Arbitrio*, vide suis locis. II. Concedimus etiam *errorem & peccatum esse in voluntate, non in intellectu formaliter*. Nam quamdiu quis non *judicat* non potest *errare*. Deinde retorqueri potest idem argumentum. *Si judicium est in intellectu, solus intellectus errabit, non voluntas*. Nec quicquam facit ad rem, quod dicant III.

in

*In Intellectum non cadet ſapientia, prudentia, calliditas; cum hæc tamen omnia requirant judicium.* Poſſem iterum regerere: *Si judicium eſt in intellectu, tunc non cadet in voluntatem.* Deinde reſpondeo, quod cadant in *Intellectum*, quatenus intellectui clare & diſtincte proponuntur: in *voluntatem*, quatenus voluntas recte judicat. Admodum ineptum eſt, quod addatur IV. *Si judicium eſt in voluntate, tunc Deus, quando judicabit aliquem eſſe peccatorem, volet eum eſſe peccatorem.* Poſſem enim eodem jure ſic argumentari: Si *odiſſe eſt* voluntatis, (quod nemo negabit) tunc ſi Deus dicitur *odiſſe peccatum*, etiam *volet* peccatum. Sed quis ignorat voluntatis actum eſſe multiplicem? Alius enim dicitur *judicium*, alius *amor*, alius *odium* & ſic porro.

*Voluntatis actus eſt multiplex.*

V. Cum judicium ſit in *voluntate*, ſequitur omnem quoque *errorem* eſſe in *voluntate;* modo enim judicium non præcipitemus, nunquam errabimus. Ergo ut nobis caveamus ab errore, cavendum eſt, ne nimia præcipitantia judicemus. Hinc tamen non ſequitur I. *Intellectum tunc non egere regeneratione.* Debet enim regenerari, non ut *melius judicaret*, ſed ut *clarius & diſtinctius perciperet.* II. Et non minus *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς erit inimicitia Deo.* Rom. 8: 7. Nam *φρόνημα τῆς σαρκὸς* nihil aliud ſignificat, quam *deſiderium carnis;* ſed deſiderium ad voluntatem referri debet. III. Nec ex locis Matth. 15: 17. & 16: 11. Marc. 8: 16, 17. 1. Tim. 1: 7. *aliiſque probatur S. Scripturam intellectui, non tantum apprehenſionem, ſed & errores attribuere.* Nam in omnibus iſtis locis fit tantum mentio de *ignorantia;* ſed non exprimitur utrum *error* ſit in *intellectu*, an vero in *voluntate?* Sufficit ut error dicatur in *mente*, quæ ſignificatur per *νοῦν*. Nec fortius ſtringit quod addant IV. *Intellectus erit ἀναμάρτητος, cum tamen Scriptura ei errores & peccata attribuat* Epheſ. 4: 17. 2. Tim. 3: 8. Tit. 1: 15. jam enim dictum eſt, *νοῦν* ſignificare *mentem*, & ſufficere ut *error* ſit in *mente;* ſic enim *peccatum* erit in *mente*. Deinde idem argumentum retorqueri poteſt contra opponentes. Si error & peccatum ſunt in intellectu, ergo voluntas erit *ἀναμάρτητος*. Tandem V. falſum eſt *Intellectum pronunciare quid bonum & malum ſit.* Nec id *probatur ex locis.* Epheſ. 5: 17. Gal. 3: 7. In iſtis enim locis nulla fit mentio de *Intellectu*, aut *voluntate*, ſed de homine ejuſque *mente*, quæ *novit* & quæ *judicat*.

*Error eſt in voluntate.*

*Retorſio.*

VI. Ex iis quæ dicta ſunt, patet quoque *voluntatem* eſſe nobiliorem *Intellectu.* (1. quia ſe habet *active*, ſed *Intellectus* tantum *paſſive.*

*Voluntas eſt nobilior Intellectu.*

*ve.* (2. quia intellectus determinatur; voluntas seipsam determinat. (3. quia voluntas se ulterius extendit, quam intellectus. Nam *intellectus* ad certas tantum res *finitas* se extendit, sed *voluntas* potest se extendere ad res *infinitas.* Nam etsi *ignoti nulla sit cupido*, potest tamen voluntas velle scire, quæ nescit, potest velle omnia scire, potest velle omnia posse, potest velle possidere omnes divitias, quamvis ignoret quæ sint omnes divitiæ. Ita voluntas *Adami* se extenderat ad *omniscientiam*, *omnipotentiam*, ad summam perfectionem; uno verbo, appetiverat *divinitatem*, adeoque se extenderat ad *infinitum*, quod disideraverat, quamvis tamen in eo gravissime peccaverit. (4. quia magis per *voluntatem*, quam per *intellectum* Deo similes simus, eundemque colimus. Colimus enim Deum *amando*, non *intelligendo*, nisi dicamus, Diabolos Deum etiam colere. Sed *amor* Dei ad *voluntatem* refertur.

*Exceptio.*

*Unio mentis cum corpore.*

VII. Quamvis *corpus & Anima* sint duæ substatiæ, tota natura & omnibus attributis diversæ, nihilominus Deus novit eas ita unire, ut unum componerent hominem. Hæc tamen *unio* non est concipienda per *præsentiam localem*, quasi mens corpori esset *coextensa*, & eundem cum corpore haberet vel occuparet locum: quo modo concipimus vinum junctum cum aqua in eodem dolio; ignem cum candenti ferro; nummos aureos in eodem sacculo cum æneis. (1. quia hæc esset *confusio*, & *mixtio*, non autem *unio.* (2. Res non possunt *uniri* per id ipsum, per quod maxime à se *distant*. Nulla autem est major distantia, quam inter *extensum & inextensum*, cum hoc illud neget & tollat. (3. Ipsa *corpora* & res *extensæ* non possunt uniri per *coextensionem & præsentiam localem*: sic enim deberent se intime immeare quoad totam substantiam, adeoque daretur penetratio dimensionum.

*Non est concipienda per præsentiam localem.*

VIII. Non est admittenda distinctio inter extensionem *realem & virtualem*: quasi anima esset extensa *virtualiter*, *corpus* autem *realiter.* (1. quia illius distinctionis nullus est sanus sensus. (2. quia quod tota natura sua ab extensione abhorret, id nullo sensu, ne *virtualiter* quidem, *extensum* dici potest. Sed anima omnem extensionem abhorret. (3. *virtualiter* extensum est id, quod, cum extensum non sit actu, tamen, extendi potest: sed anima nulla ratione extendi potest. (4. Dicere animam esse extensam *virtualiter*, perinde est ac si diceres, figura *rotunda*, qua rotunda, virtualiter est *quadrata*; aut, quæ absurdiora sunt, *Corpus* vel extensio est *virtualiter cogitans*; volun-

*Anima non potest dici extensa virtualiter.*

luntas est virtualiter *oblonga*, *quadrata*, *rubra*, *alba &c.* Futile quoque est, quod anima quibusdam dicatur *coextensa.* Non magis enim ita dici potest, quam extensio *concogitans:* præterquam quod id quod est *coextensum*, revera sit *extensum*, adeoque *corporeum.*

*Nec est coextensa.*

IX. Qualis igitur est *unio* omnium substantiarum, talis quoque concipi debet inter corpus & mentem. Uniuntur autem omnes substantiæ, non per *præsentiam localem*, aut per aliquam *extensionem* aut *confusionem:* sed per aliquam *connexionem*, *dependentiam*, *relationem*, & per certa quædam *attributa*, per quæ hæc substantia ad aliam refertur. Illa autem *attributa*, per quæ uniuntur, non sunt *essentialia:* cum non omnia quæ habent eandem essentiam sint unita, alias omnia corpora inter se essent unita, omnesque Spiritus inter sese, & boni & mali uniti essent, quod tamen dici nequit. Uniuntur igitur substantiæ per *attributa relativa*, per *actiones & passiones*, per quas hæc substantia in aliam operatur, aut ab ea patitur. Sic *Spiritus* uniuntur per attributum *amoris*, quæ est arctissima *unio* inter *Angelos & angelos*, inter *beatos & beatos*, inter *fideles & fideles*, inter *Deum & electos* ejus. *Corpora* uniuntur per *attributa relativa*, quibus hoc in illud agit, aut ab eo patitur. Ex. gr. quæ alteri figuram communicant, aut motum imprimunt, aut suo motu, vel sua quiete ejus motum sistunt, talia dici debent *unita.* Si aliud quid concipiatur in *corporibus*, tanquam eorum *unio*, erit proculdubio mera *confusio*, *mixtio*, *& contactus* potius quam *unio.*

*Quæ sit unio omnium substantiarum?*

*Unio Spirituum quæ?*

*Quænam corporum.*

X. *Corpus & Spiritus* quoque uniuntur per *attributa relativa:* si scilicet *corpus* suo motu *excitet in mente aliquam ideam;* & ab altera parte, si *mens* sua voluntate efficiat, ut *corpus moveatur.* Est igitur unio *mentis* cum *corpore* nihil aliud, quam *certus quidam nexus*, *& leges quas Deus menti & corpori fixit*, *ut per attributa quædam relativa in se mutuo agant*, *& à se patiantur*, Ex. gr. ut quotiescunque in tali corpore fit talis *motus*, in hac mente excitari possit talis *idea*, sive *perceptio:* & quotiescunque hæc mens vult, ut fiat in tali corpore hic vel ille motus, statim etiam ille motus fieri possit. Non quod *Mens & Corpus* actu in se semper agant. Mens enim sæpe habet cogitationes, quæ corpus nostrum non afficiunt. Ex. gr. si cogitet de Deo, de se ipsa, deque variis rebus aliis. Nec corpus semper & omni suo motu agit in mentem. Varii enim in eo fiunt motus, quos mens non percipit, ut circulatio sanguinis, omniaque quæ vitam vegetati-

*Corpus & Spiritus quomodo uniantur?*

*Mens & corpus non semper actu in se agunt.*

*Poſſunt tamen ſemper in ſe agere, poſitis ponendis.*

tativam ſpectant. Opportet etiam ut organa ſint bene diſpoſita, in homine ſano & vigili. Ita enim fit ut æger, ob defectum Spirituum animalium, non poſſit corpus movere, nec forte brachium extendere, etiamſi vel maxime vellet. Ergo *Unio* inter *Mentem & Corpus* conſiſtit in hoc, quod, remotis omnibus obſtaculis, & poſitis ponendis, in ſe agere poſſint, & agant. Durante tali *nexu*, durat *unio*, adeoque *vita* animalis, iſto autem *nexu* rupto, rumpitur *vita*, adeoque *mors* eſt.

*Quomodo Mens & corpus in ſe agant?*

XI. Ex hac unione *corporis* cum *mente*, conſtat quomodo corpus & mens in ſe agant, & quem uſum habeant organa corporis ac ſenſus externi: ſcilicet *viſus*, *auditus*, *odoratus*, *guſtus*, *& tactus*. Clauſis oculis, obturatis auribus & naribus, nullum *colorem*, *figuram*, *ſonum* aut *odorem* percipimus; ſed, *oculis*, *auribus*, *naribus* apertis, colorem, figuram, ſonum, & odorem ſtatim percipimus. Hæc non aliunde proveniunt, quam quod Deus in ipſa creatione menti impreſſerit ideas omnium rerum, ad quarum cognitionem pervenire apti nati ſumus, & quod tales leges nexumque inſtituerit inter *corpus & mentem*, ut, quando mens vult, ut corpus tali modo moveatur, tunc ita, poſitis ponendis, moveatur. Ex. gr mens vult extendere brachium, & extenſum eſt, vult retrahere, & retractum eſt. Vult explicare manum, & explicata eſt; vult eam complicare, & complicata eſt; vult movere totum corpus ad dextram, ad ſiniſtram, hoc vel illo modo, & ita movetur. Ita quoque ut, moto corpore hoc vel illo modo, mens habeat hanc vel illam perceptionem. Ex. gr. ſi moveantur nervi *optici*, mens habeat ideam rei, quam vocamus *figuram* aut *colorem*. Si moveantur nervi *auditus*, mens habeat ideam rei, quam vocamus *ſonum*. Si moveantur nervi *odoratus*, *guſtus*, *tactus*, mens habeat perceptionem *odoris*, *ſaporis*, *calidi*, *frigidi* & ſic de reliquis. Ut uno verbo abſolvam, tota unio mentis & corporis noſtri in hoc conſiſtit, quod Deus iſtas duas ſubſtantias ita creaverit, aut potius quod æterna & efficaciſſima ſua volitione voluerit, ut non tantum duæ iſtæ ſubſtantiæ exiſterent; ſed ut etiam mens exiſteret cum talibus ideis, ſive cogitationibus, quotieſcunque tales fiunt motus in corpore; & ab altera parte, ut corpus exiſteret cum tali motu, quotieſcunque mens haberet tales cogitationes. Hinc facile colligi poteſt, in corporibus nihil eſſe præter *extenſionem*, *figuram*, *ſitum*, *motum*, *& quietem*; nullos autem *colores*, nec *ſapores*, *odores*, *ſonos*, nullum *album*, *nigrum*, *rubrum*,

*Quomodo ad motus ſenſuum externorum mens habeat cogitationes?*

*Qualis nexus inter mentem & corpus?*

*In corpore nullus color, odor, ſapor, ſonus &c.*

*brum*, nec *frigus*, nec ullas, uti vocantur, *qualitates*; ſed ejuſmodi ideas in ſola noſtra mente excitari per varios motus in corpore noſtro.

XII. Ex his omnibus patet animam non eſſe junctam corpori, ut *Nauclerus* junctus eſt *navi*, *angelus corpori aſſumpto*, aut *ſocius ſocio.* Nam etſi nauclerus etiam animadvertat motus in navi, nihilominus tamen eos non aliter animadvertit, niſi quatenus corpori ſuo communicantur, ex quo motu proprii corporis mens habet ideam, ut percipiat motum navis. Nec *motum* aliter animadvertit, quam ut *motum* tantummodo, non autem ut motum, qui *adferat menti triſtitiam* aut *jucunditatem:* quemadmodum in corpore humano fieri ſolet, ut ſi vel minimus fiat motus per cibum, ignem, gladium, vel per acrem aliquam particulam in ſanguine, inde neceſſario ſequatur cogitatio triſtis aut jucunda. Et quamvis Nauclerus etiam contriſtetur ad motum navis, illud tamen non fit neceſſitate naturali, propter unionem, ſed *voluntarie*, propter illatum damnum in bonis, non propter naturalem nexum: poſſet enim non contriſtari; forte alii qui ſunt in eadem navi, & eundem percipiunt motum, non contriſtantur; immo nonnulli fortaſſis gaudebunt. At in corpore humano fit per nexum & neceſſitatem naturalem, ut mens ad talem motum, qui fit in proprio ſuo corpore, habeat cogitationes triſtes, etiamſi contra voluntatem. Sexcenta alia reperiuntur inter *mentem* & *corpus*, quæ inter *nauclerum* & *navem*, *angelum* & *aſſumptum corpus*, *ſocium* & *ſocium* non animadvertuntur.

*Anima corpori non eſt juncta, ut Nauclerus navi, aut ſocius ſocio.*

XIII. Si hoc modo concipiatur unio inter *mentem* & *corpus*, quemadmodum revera aliter concipi non poteſt, quam prout jam à nobis eſt explicata, facile capiemus quomodo intelligendum ſit illud decantatum Philoſophorum: *Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte totius.* Hoc ſane veriſſimum eſt, ſi *unionem* hanc concipiamus per ejuſmodi *attributa relativa*, per mutuam nempe *actionem & paſſionem* animæ in corpus, & vice verſa corporis in animam, uti jam à nobis explicatum eſt. Cum enim anima non habeat *partes*, certum eſt *integram animam* ſemper cogitare, percipere & velle &c. Non enim poteſt concipi *pars intellectus*, *judicii*, aut *pars voluntatis* &c. *Tota* igitur anima agit in corpus, & in quamlibet partem corporis: *tota* enim movet *totum* corpus, & *tota* movet vel *minimum digiti articulum.* Sic & *tota* anima percipit motum *totius* corporis, &

*Anima eſt tota in qualibet parte totius, quo ſenſu?*

me-

motum *minimi articuli*. Ergo hoc ſenſu revera eſt *tota in toto*, *& tota in qualibet parte totius*. At ſi *unionem* mentis & corporis concipias per *præſentiam localem*, per *coextenſionem*, aut per *confuſionem* cum corpore, tunc neutiquam dici poteſt *tota in toto*, *& tota in qualibet parte totius*. (1. quia neceſſario concipis partem animæ extra partem, ita ut pars animæ, exempli gr. quæ eſt in talo, non poſſit eſſe in capite. Ergo non eſt *tota in qualibet parte totius*. (2. quia hoc ſenſu anima neceſſario concipitur figurata & circumſcripta, haberet enim eandem figuram & limites ac corpus, quocunque modo te explicare, & extricare coneris.

*Mens non poteſt dici eſſe in loco.*

XIV. Quod dictum eſt de *loco & ubi* Angelorum, idem quoque intelligi poteſt de mente humana. Non enim poteſt dici *mens* eſſe in *loco*, ſi conſideretur in ſe & in natura ſua. (1. quia eſt actus ſubſtantialis cogitandi: ſed nulla *cogitatio*, veluti *intelligere*, *velle*, *amare*, *odiſſe*, *judicare*, *affirmare*, *negare &c.* Nec τὸ *cogitare* loco indiget. (2. quia haberet *figuram* atque extenſionem ejuſdem loci in quo eſſet. (3. quia locus & ſpacium ſunt ipſum corpus, adeoque mens eſſet corpus. (4. quia mens ſua natura nullum poſtulat locum; quod vel inde patet, quod Deus creare potuiſſet *mentes*, non creato ullo *corpore*, ergo non creato *loco*, in quo eſſet; nam ubi non eſt *corpus*, ibi non eſt *locus*.

*Cur menti attribuatur locus.*

Quod autem vulgus menti attribuere ſoleat *locum*, id factum eſt ex falſo præjudicio, quod homines concipiant omnem ſubſtantiam, habentem partem extra partem, & extenſam huc uſque, quamvis tamen ſuis conceptibus affingant ſpiritibus ſubſtantiam ſubtiliſſimam, inſtar ſubtiliſſimi aeris, ac ita quidem ut reliquis corporibus intime ſeſe inſinuet, eaque permeet, abſque tamen penetratione dimenſionum, quæ ſunt *ἀδύνατα*, & abſurda.

*Falſa eſt diſtinctio eſſe in loco repletive, circumſcriptive, & definitive.*

XV. Non eſt admittenda diſtinctio, eſſe in loco *repletive*, *circumſcriptive*, *& definitive*. (1. quia iſta diſtinctio eſt *nova*. (2. quia eſt *nulla*; quicquid enim in *loco* eſt *definitive*, id ibi etiam eſt *repletive & circumſcriptive*. Deberet enim eſſe in *loco* per omnem ſuam extenſionem, non tantum tanquam per *lineam*, aut tantum per *latitudinem*, ſed per trinam dimenſionem, *longum*, *latum & profundum*. Quicquid enim in loco eſt, id tali modo in loco eſſe debet. Et quicquid hoc modo eſt in loco, id neceſſario locum replet & occupat, eodemque loco *circumſcribitur*, quocunque conatu contradicendi id aliquis vellet negare. (3. Nunquam poſſumus definire

*ubi*

*ubi sit* anima; utrum ex. gr. in toto hoc cubiculo, an in aliqua parte cubiculi? quin eam concipiamus isto loco circumscriptam. Quocunque modo etiam conceptus nostros corrigamus, emendemus, torqueamus, semper corpori, cui inest, erit *coextensa*, *configurata*, *& circumscripta* aut *commensurata*, adeoque de ea semper habebimus conceptum corporeum.

*Mentes aeque ac Angeli possunt dici esse in loco, respectu operationis.*

XVI. Mentes tamen, æque ac Angeli, possunt dici esse in loco, respectu operationum ad extra, scilicet respectu corporis in quo operantur, ita Diabolus erat in *serpente*. Gen. 3. in *porcis.* Matt. 8. Sic angelus erat in campo Assyriorum, quando tot millia ibi occidebat. 2. Reg. 19. Angelus potest dici in corpore quod assumpsit, & quod movet: uti supra ostendimus Cap. xi. ubi de *Angelis* egimus. Ita sane & *mens* nostra dici potest esse in corpore humano, cui unita est, & quia in eo operatur. Ita quoque post mortem recte dicitur *in cælo* apud Christum; quia ibi tantum operatur, non autem amplius in terra, aut in corpore humano.

*Non est in loco, per modum coextensionis, præsentiæ localis, aut confusionis.*

XVII. Non sequitur animam esse in loco, per modum *coextensionis*, *præsentiæ localis*, aut *confusionis*, uti à vulgo concipi solet. Ita enim sane concipitur vulgo, quicquid etiam ii, qui doctiores videri volunt, contradicant. Hoc modo, inquam, *mentem* esse *in loco* non sequitur I. *ex locis* Act. 1: 25. *de Juda qui in locum suum abiit.* Nec *ex Loco* Lucæ 16: 9. *quia Lazarus delatus est in sinum Abrahæ.* Nec ex locis aliis, veluti Job. 14: 2, 3. 2. Cor. 5: 1, 2. Nam in omnibus istis locis anima est secundum naturam suam, respectu operationum suarum. Alias si secundum literam explicanda essent ista dicta Scripturæ, tunc sequeretur animam esse corpus, ut locatum in loco. Nec II. *hac sententia contradicit Paulo.* 2. Cor. 5: 8. Phil. 1: 23. *aut Christo* Luc. 23: 43. *Nec inde sequeretur, animam non esse in cælo apud Christum, post mortem.* Ibi enim est tanquam in statu beato, & secundum operationem, eodem modo quo nunc est in terra, in qua operatur. III. Futile est quod dicatur anima *in cælo, aut alio loco respectu status & operationis, non docetur in S. Scriptura.* Cum S. Scriptura multo minus doceat, animam esse in *loco*, tanquam *corpus*, *localiter.* Sed hoc tantum dicit, animam ibi esse; quod necessario secundum naturam rei intelligendum est. Nec IV. sequeretur ideo *Philosophiam esse Scripturæ interpretem.* Nam illi potius reddunt Philosophiam Scripturæ interpretem, qui id explicant *definitive*, non *circumscriptive*, *& sine commensuratione loci*, & esse in loco *non localiter*,

*Objectiones.*

 *liter*,

*liter*, quæ ſunt contradictoria. V. Falſiſſima quoque eſt hæc conſequentia: *Si anima non eſt in mundo, ſequitur eam non eſſe;* ſcilicet *quod quicquid eſt, debeat eſſe alicubi: cum totus mundus ſit locus.* Nam etſi concedamus totum mundum corporeum eſſe locum, non ſequitur tamen Spirirum eſſe in loco: quia Spiritus cum corpore nihil habet commune. Nec tandem VI. ſequitur, *Ergo non eſt in mundo.* Concedimus quidem, non eſſe in mundo tanquam in *loco.* Eſt tamen in mundo, tanquam *pars totius univerſi.* Deinde ſufficit, ut dicamus Angelos & animam eſſe *in rerum natura.* Ponamus igitur Deum nihil creaſſe, præter ſolas *mentes*, nullum *corpus*, nullum *ſpatium*, nullumque *locum:* tunc mentes iſtæ in loco eſſe non poſſent. Si autem roges, *ubi ergo eſſent?* Reſponſio erit parata: ſcilicet, Eſſent *in rerum natura.*

*Anima non movetur.*

XVIII. Cum Anima non ſit in loco, ſequitur eam quoque non *moveri.* (1. quia *quicquid movetur, in loco movetur.* Sed cujus naturæ repugnat eſſe in loco, id in loco moveri non poteſt. (2. Impoſſibile eſt, ut concipiamus rem quæ movetur, niſi ſub conceptu rei extenſæ & corporeæ. (3. Quicquid movetur, habet partem extra partem, & ſucceſſive movetur, alias in omnibus locis eſſet ſimul, ut motus foret inutilis, immo nullus eſſet motus. Tamen eodem ſenſu, quo *locus* poteſt attribui animæ, ita & *motus:* reſpectu operationis; ut ſi deſinat operari circa hoc corpus, & jam circa aliud operetur, dici poſſet moveri ex hoc corpore in aliud. Ita mens, poſt mortem, dici poteſt tranſmigrare ex hac *terra* in *cœlum;* quia non amplius operatur in *terra* & circa res *terrenas*, ſed in *cœlo* & circa res *cœleſtes.* Falſo igitur à nonnullis colligitur, *Si anima non movetur, tunc ſequitur eam poſt mortem non eſſe in cœlo apud Chriſtum.* Deſinet enim eſſe in terra & in corpore, quia deſinet tota *unio* inter corpus & mentem, tota nempe iſta mutua *actio & paſſio* mentis, ac corporis in mentem. Deſinet operari circa *corpus & terram*, aut res terrenas, ergo nec in corpore nec in terra eſſe dici poteſt. Sed operatur circa Chriſtum, circa cœlum & res cœleſtes. Ideo revera in *cœlo*, non minus ac nunc in *terra*, eſſe dicitur.

*Quo ſenſu motus poſſit attribui animæ?*

XIX. Quemadmodum igitur dici non poteſt, *corpus cogitans*, ita quoque dici neutiquam debet, *cogitatio extenſa, locata, mota, alba, nigra, parva, magna, calida, frigida, quadrata, rotunda.* Nec *amor extenſus, locatus, motus.* Nec *odium* nec *deſiderium extenſum, locatum, motum, album, nigrum, parvum, magnum, calidum, frigidum, quadratum, rotundum.* Et ſic de reliquis.

XX.

XX. Ex omnibus quæ hactenus dicta sunt de natura *Mentis*, ultro sequitur eam esse *immortalem*. (1. Quia est *substantia*, cujus tota natura consistit in continuo *actu*, qui *actus* à nullo alio *actu* destrui potest. Nam si ab *actu* destrueretur, iste *actus* esset vel *corporeus*, vel *spiritualis*. Non esset *corporeus*, cum *actus corporeus* consistat in *motu* tantum. Sed motus corporeus est merum *accidens*, quod nullam substantiam, quoad substantiam, destruere potest. Si esset *Actus Spiritualis*, uterque consisteret in *Actu cogitandi*, & qui destrueret, & qui destruetur, quod quomodo fieret, concipi non potest. Nec ab ulla substantia *corporea* destrui potest: cum corpus sua natura sit iners, & omnis *actuositatis* expers. (2. quia nullas habet partes extra partes, ergo in nullas partes potest resolvi. (3. quia est substantia ex nihilo producta: ut destrui non possit, nisi prorsus in nihilum redigatur. Ergo non potest destrui, nisi ab eo qui eam produxit ex nihilo.

*Mens est immortalis.*

XXI. Non negamus tamen Deum posse mentem annihilare si vellet, quamvis annihilationis nullum habeamus conceptum, quomodo id fieri posset. Nihilominus tamen Deum *velle eam in nihilum redigere*, incredibile est. (1. Quia id Deus nusquam revelavit. (2. quia hactenus nullum habemus exemplum, ullam substantiam esse annihilatam. (3. Immo potius Deus in verbo suo docet: se *opus manuum suarum non destruere*. Job. 10: 3. (4. Repugnat summis perfectionibus, immutabilitati, & bonitati Dei. (5. quia creata est, ut Deum glorificaret, gloria qua Deus dignus est, sed Deus dignus est gloria æterna; ergo debet esse *æterna & immortalis* anima, ut Deum in æternum glorificaret. (6. quia Deus menti indidit desiderium summi & æterni boni; Ergo illud desiderium debet expleri, alias homini datum esset, magis ut eum torqueret, quam ut eum beatum redderet: quod esset contra *bonitatem* Dei. (7. quia homo *Deum frustra quæreret*, contra Es. 45: 18, 19. 1. Cor. 15: 58. Heb. 11: 6. (8. Deus est *Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi*. Matth. 22. Ergo eorum mentes sunt *immortales*, alias cessaret esse eorum *Deus* post mortem. Hinc etiam Christus ex istis verbis probat *resurrectionem* corporum: nam ideo quia *mentes* sunt *immortales*, corpora *resurgent*; non autem per *resurrectionem corporum* mentes fiunt *immortales*. (9. Patres meliorem habebant patriam ante *Resurrectionem*. Hebr. 11: 6. & 12: 13. Ergo & *immortales* ac *beatæ* erant animæ in cœlo extra corpus. (10. *Mors* est *pœna peccati*, Rom. 6: 23. At

*Utrum anima possit annihilari.*

pœna eſt contra naturam ; cum eam deſtruat: ſic & *annihilatio*, deberet eſſe pœna animæ.

*Mens non eſt corporis craſis aut temperamentum, quod cum corpore intereat.*

XXII. Impium igitur eſt dogma *Epicuri, Socini, Saducæorum* aliorumque ex *Saducæorum* propagine, qui docent *Mentem* eſſe tantum corporis *craſin*, aut *temperamentum*, ut cum ipſo temperamento in formatione corporis actiones ſuas exerat, & iterum cum eodem temperamento intereat, in morte corporis. Non quidem negamus, *temperamentum corporis* multum facere ad excitandas ideas in mente, ut, pro vario temperamento & diſpoſitione corporis, mens habeat varias cogitationes: cum ſecundum temperamentum varius fiat motus in cerebro, & ſecundum iſtos motus corporeos, in cerebro, mens (ſecundum nexum naturalem quem Deus inſtituit, inter mentem & motum corporeum in cerebro) neceſſario tales cogitationes, ſive ſint bonæ, ſive malæ, ſive cum ſana ratione convenientes, ſive non convenientes, habeat: quemadmodum quotidie videmus fieri in ebriis, furioſis, ſtolidis, infantibus & aliis. Falſiſſimum tamen eſt, *temperamentum* eſſe cogitationem ipſam, aut animam non poſſe cogitare extra corpus, & ſine tali *temperamento.* Nam illud temperamentum, in quacunque re conſiſtat, ſive in certa diſpoſitione cerebri organorum, fibrarum, arteriarum, venarum, nervorum, ſive in abundantia aut defectu ſanguinis & ſpirituum vitalium, animalium, ſive in figura particularum ſanguinis & ſpirituum, quod ſint nimis *craſſæ*, aut nimis *ſubtiles*, quadratæ, rotundæ, angulares, ramoſæ, oblongæ, acutæ, ſive in omnibus iſtis rebus ſimul; ut ut ſit, totum tamen iſtud *temperamentum* conſiſtet tantum in *corpore* ejuſque *accidentibus.* Jam autem ſupra demonſtravimus *cogitationem*, qua cogitationem, non poſſe referri, nec ad *corpus* ipſum, ſive *extenſionem*, nec ad ejus *accidentia*, puta *motum*, *quietem*, *figuram* aut *ſitum*, præter quæ in corpore nihil animadverti à nobis poteſt. Vide paragraphos 18, 19, 20. Ergo manifeſtiſſimum eſt, mentem non eſſe tantum *craſin* aut *temperamentum* corporis: ſed *actum ſubſtantialem cogitandi*, tota ſua natura, & quoad *ſubſtantiam* & quod *accidentia*, à corpore ejuſque accidentibus diſtinctam.

*Temperamentum non eſt ipſa cogitatio.*

*Mens, corpore ſoluto, poteſt habere cogitatio-*

XXIII. Immo credibile eſt, *mentem* corpore ſolutam habere cogitationes multo excellentiores, quam dum corpori unita eſt, ubi toties per ejus inordinatum motum decipitur, & ad perverſas cogitationes determinatur. Sed quis neſcit, & nunc in hoc corpore men-

mentem toties habere cogitationes, quæ cum corpore, aut ejus temperamento nihil omnino habent commune? Ex. gr. quando cogitat *Deum*, *Spiritum*, *ſeipſum*; quoties habet *conſcientiam* cogitationum ſuarum, quemadmodum eam ſemper habet, & quæ nec ad momentum ab ea ſeparari poteſt, & ejuſmodi multas cogitationes alias. Nonne hæc habet ex mera ſua natura ſpirituali, ex *actu ſuo cogitandi?* Quid *temperamentum*, id eſt *extenſio*; vel *motus*, *quies*, *figura*, *ſitus*; aut hæc omnia ſimul facient ad *cogitationem*, quam habeo de *Deo*, de *Angelis*, de ipſa *mente*, de *cogitatione*, immo de *conſcientia?* Si autem hujuſmodi cogitationes habere poſſum, & revera habeo ſingulis momentis, quæ cum *temperamento*, id eſt cum *corpore & re corporea* nihil habent commune, vi ſolius *mentis*, ſive vi *actus cogitandi*, etiam dum *mens* eſt unita corpori; cur non poſſet mens habere eaſdem cogitationes *extra corpus* & ſine *temperamento?* Sane non ſequitur, ſi aliquis ſocio alligatus eſt fune, ut ſæpe cogatur ſe movere quo ſocius vult, & eo modo quo vult, ergo ſi vinculo eſſet ſolutus, & à ſocio liber, plane eſſet *immobilis*. Immo contrarium potius verum eſt, ſi ſeſe movere poteſt dum ſocio junctus eſt, liberius & excellentiori modo ſe moveret, ſi ab eo eſſet liberatus, & vinculo ſolutus.

*nes excellentiores, quam in corpore.*

XXIV. Non tantum *mens*, ſed & ipſum *corpus* Adami creatum fuit *immortale*, adeoque integer homo ſua natura *immortalis* eſt. (1. quia homo totus creatus eſt, ut Deum coleret eo modo quo coli dignus eſt. At dignus eſt ut in æternum colatur *in corpore & in anima*. 1. Cor. 6: 19, 20. Rom. 12: 1, 2. (2. quia corpus fuit perfectum, nullaque fuit maledictio in cibis aliiſque rebus, ergo nulla cauſa, per quam vel ob quam deſtrueretur. (3. *Deus opus manuum ſuarum non deſtruit.* Job. 10: 3. (4. vita *immortalis* homini promiſſa fuit: uti conſtat ex comminatione: *Si comederis morte morieris.* Ergo ſi non peccaveris, bonum contrarium erat promiſſum: in æternum vives. Quod non minus de *corpore* quam de *anima* eſt intelligendum, adeoque de toto *homine*. (5. Juſtitia legalis habebat promiſſionem vitæ æternæ. Levit. 18: 5. Ezech. 20: 11. Gal. 3: 12. Matth. 19: 16, 17. Rom. 7: 10. (6. *Immortalitas* erat promiſſa per *Paradiſum*. 2. Cor. 12: 2, 4. Luc. 23: 43. Apoc. 2: 7. Et per *aborem vitæ*. Gen. 3: 22. Apoc. 2: 7. (7. Mors corporalis eſt pœna peccati. Gen. 2: 17. & 3: 19. Levit. 18: 5. Deut. 27: 26. Rom. 6. 23. & 5: 12. & 8: 10. 1. Cor. 15: 22. Expreſſe enim in hoc ultimo loco agi-

*Corpus etiam Adamo immortale datum fuit.*

igitur de *morte corporali:* cum ea opponatur *resurrectioni corporis.* Impium igitur est dogma *Socinianorum* & aliorum: *Mortem esse naturæ necessariam sequelam:* cum homo sua natura sit *immortalis*, & mors ei infligatur tanquam pœna peccati; ut si non peccasset, nunquam mortuus esset, sed in corpore & in anima æternum vixisset.

## CAPUT XV.

### *De Imagine Dei in homine.*

*Homo creatus, est ad imaginem Dei.*

I. UT homo aptior esset ad recipiendum & ad observandum fœdus Dei, non tantum creatus est *homo*, id est ex corpore & anima intelligente ac volente compositus, sed & ad *imaginem* suam eum creavit Deus. ויברא אלהים אתה אדם בצלמו בצלם אלהים ברא אתו Gen. 1. vers. 27. Ita versu præcedenti dixerat: faciamus hominem: בצלמנו כדמותנו *ad imaginem & similitudinem nostram.*

*Vocabula Hebraica explicantur.*

*I. צלם.*

II. Duo occurrunt vocabula I. צלם deinde דמות. Vox צלם videtur eadem ac סמל, levi scilicet literarum Metathesi, permutatione literæ צ in ס. Nam literæ ejusdem organi, ut & sibilantes præcipuæ, inter se permutantur, scilicet ס in צ. Significat autem סמל aliquam *similitudinem.* Ita sumitur pro *statua*, vel *idolo* aliquo. Ezech. 8: 5. Hoc sensu inter peccata Regis Menassæ recensetur & hoc, quod collocaverit in templo Dei את פסל הסמל *sculptile similitudinis.* 2. Chron. 33: 7, 18. Est igitur סמל imago habens *similitudinem* alicujus rei. Non puto me admodum à vero aberrare, si dicam, vocabulum Latinum *simile* esse ipsissimum סמל. Idem quoque est צלם. Significat enim *imaginem* quamlibet, quæ aliquid repræsentat, quamvis de ipsa natura rei nihil participet. Ita vocabantur *statuæ & imagines* Deorum gentilium. 2. Reg. 11: 18. 2. Chron. 23: 17. ubi imagines Bahalis vocantur צלמים *imagines*, quæ meræ erant statuæ, sed nihil habebant commune cum ipsa natura Bahalis, nisi quod forte quædam externa lineamenta faciei, & corporis staturam præ se ferrent: ut possit dici, repræsentant hoc, non aliud quid.

*II. דמות.*

III. Altera vox est דמות quæ significat non tantum aliquam *similitudinem*, sed majorem rei *conformitatem.* Derivatur à verbo דמה, quod proprie significat ὁμοιοῦσθαι *conforme esse.* Cant. 2: 9. דומה דודי

דודי לצבי *similis est dilectus meus hinnulo.* Ita de Deo Es. 46: 5. למי תדמיוני ותשוו ותמשילני ונדמה *Cui assimilabitis me, & exequabitis & assimilabor?* Ubi notandum est, verbum דמה jungi cum verbo שוה *exequare*, nempe quod id, quod alteri est דומה *simile*, ei quoque sit *par & æquale*, habens id, in quo cum alio maxime convenit. Sic quum Daniel videret coram se angelum, in forma viri, dixit: והנה כדמות בני אדם *Et ecce in similitudine filiorum hominis.* Dan. 10: 16. id est qui *hominem* plane referebat, ut inter eum & *virum* discerni non posset. Ergo duo ista vocabula non plane sumuntur συνωνύμως, sed דמות videtur habere majorem emphasin, quam primum צלם. Cum hoc videatur repræsentare imaginem quidem, sed non plane similem: at דמות accuratiorem aliquam convenientiam. Duo igitur ista vocabula ita juncta significant imaginem, non talem qualem, uti dici solet, quæ umbram aliquam haberet similitudinis, sed quæ rem accurate repræsentaret. Eodem sensu junguntur Gen. 5: 3. Ubi Adamus dicitur genuisse filios בדמותו כצלמו *ad similitudinem, & ad imaginem suam*, quæ scilicet non alium, sed patrem accurate & perfecte repræsentabat. Eodem modo Deus dicitur creasse hominem ad *imaginem* suam simillimam, quæ eum accurate repræsentaret, & non alium; ut ex perfecta natura hominis facile cognosci potuerit natura parentis sui Dei. Male igitur distinguit Lombardus inter *imaginem & similitudinem*, quasi *imago* ad naturam, *similitudo* ad virtutes referri deberet. *Imago* ad memoriam, intelligentiam & dilectionem, *similitudo* ad innocentiam & justitiam. *Imago* ad cognitionem veritatis, similitudo ad essentiam: *imago* ad formam, *similitudo* ad figuram.

*Stricte loquendo solus Christus est imago Dei.*

IV. Strictissime loquendo *homo* non est imago Dei, sed solus *Christus* filius Dei, quod *Ambrosio*, *Basilio*, *Damasceno*, aliisque facile concedimus. Habet enim Christus eandem cum patre essentiam; unde non tantum ὁμοιούσιος, sed & ὁμοούσιος à veteribus Orthodoxe dictus est. Hinc & εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου 2. Cor. 4: 4. Col. 1: 15. & χαρακτὴρ τοῦ πατρὸς, Hebr. 1: 3. & ἐν μορφῇ θεοῦ καὶ πατρὸς, Phil. 2: 6. vocatur. Nihilominus tamen quemadmodum quædam attributa Dei communicantur homini *analogice*, ita & ejus *imago*.

*Quid sit imago.*

V. Ut accurate intelligamus quid sit *imago* Dei, necesse est ut cognoscamus, quid ipsi homines intelligant per *imaginem*; usus enim est Deus *stilo humano* Es. 8: 1. quando dixit hominem creatum esse ad *imaginem suam*. Est autem *imago*, proprie loquendo, statua

vel

vel pictura, quæ rem aliquam repræsentat corpoream. Non autem consistit *imago* in ipsa materia *statuæ* aut *picturæ*. Ponamus statuam marmoream vel auream Ciceronis, ipsum marmor vel aurum non est imago, cum materia sit apta ad quamlibet imaginem accipiendam: & hæc eradi, ac alia in ea effingi possit. Sic ipsa tabula picta, qua tabula, non est imago, cum quamlibet imaginem recipere possit; cum hæc deleri, & alia depingi in eadem tabula possit. Est igitur imago certa quædam congeries linearum, & colorum, quibus omnibus exacte exprimitur hæc res, & non alia. Nec etiam effingi vel depingi potest imago in quolibet corpore, sed debet esse corpus aliquod *solidum*, veluti lignum, lapis, aut æs: non autem in aëre, aqua, furfure, pulvere, igne & id genus alia.

*Materia non facit imaginem.*

*Imago Dei non consistit in natura humana Christi.*

VI. Hisce præmissis, facile capiemus quid proprie intelligi debeat per *imaginem Dei?* Non consistit *imago Dei* in eo, quod homo creatus sit ad formam & similitudinem *naturæ humanæ* Jesu Christi, quasi Deus prævidens qua natura & forma nasciturus sit Christus, ad eandem formam creare voluerit hominem, quemadmodum deliravit *Osiander*. Multo minus tolleranda est opinio *Anthropomorphitarum*, qui statuebant hominem dici creatum ad imaginem Dei, ideo quod Deus haberet corpus humanum, ad cujus formam & cum iisdem membris creatus sit homo. Nec in *corpore humano*, nec in ulla alia re corporea consistere potest imago Dei. In solo itaque *Spiritu* reperitur. (1. quia Deus est Spiritus. (2. quia id in quo imago Dei formaliter consistit, ut infra patebit, est *Spirituale*. (3. quia sumus *Dei genus*, sed Deus non est *corporeus, similis auro, argento, vel lapidi &c.* Act. 17: 28, 29. (4. quia imago Dei renovata est ἐν *vel in mente*. Ephes. 4: 23. Ergo imago Dei est in *Spiritu*, sive in *mente*.

*Error Anthropomorphitarum.*

*Non consistit in spiritualitate & immortalitate.*

VII. Quamvis per essentiam mentis, scilicet per *intellectum & voluntatem*, immo & *immortalitatem* homo aliquo modo conveniat cum Deo, non tantum in conceptu *negativo*, sed & *positivo*, nempe *cogitatione:* nihilominus tamen in *essentia* ipsa, *intellectu*, *voluntate*, sive *spiritualitate & immortalitate* animæ non consistit *imago Dei*. (1. quia *imago Dei* debet esse id, per quod discernuntur *Filii Dei, & Filii Diaboli*. Sed non discernuntur per *intellectum & voluntatem, spiritualitatem & immortalitatem;* cum & ipsi Diaboli ac reprobi eandem habeant essentiam, intellectum, voluntatem & immortalitatem. Ergo (2. quamvis cogitent, cum tamen cogitent impia, magis sunt similes *pecudibus*. Ps. 49: 21. Jud. vers. 10. & *Diabolo*.

1. Joh.

1. Joh. 3: 10. Joh. 8: 44. Consistit igitur imago Dei in alia aliqua re quam in essentia animæ, sive in spiritualitate; nempe in eo per quod discernuntur *filii Dei* à filiis Diaboli, & per quod Deum, tanquam patrem, repræsentant, qualis est perfecta *sanctitas*, ut infra clarius demonstrabitur.

*Argumenta adversar.*

VIII. Non probabitur, eam consistere in *essentia animæ*. I. ideo quia *homo per essentiam & immortalitatem longe supra creaturas corporeas, visibiles & mortales ac rationales excellit, & prope ad ipsum Deum accedit.* Fatemur quidem tam excellentem naturam requiri ad recipiendam imaginem Dei, ipsa tamen excellens natura non est imago Dei formaliter. Deinde quicquid est in *excellenti natura*, non est *imago Dei*, quemadmodum non sequitur: aurum est omnium metallorum excellentissimum, ergo non habet nisi imaginem potentissimi Regis; potest enim habere imaginem Iri, equi, canis, non minus quam Regis. Tandem ipsi Diaboli eandem habent excellentiam naturæ, tamen non habent imaginem Dei. Nec procedit si quis dicat. II. *Imago Dei dicit id in homine, in quo creatorem suum supra inanimata & bruta animalia refert, hoc autem fit per spiritualitatem, intellectum & voluntatem.* Nam homo creatorem supra bruta animalia non refert per *cogitationem*, sive *spiritualitatem:* cum & ipsis brutis concedenda sit *cogitatio*, adeoque *spiritualitas*, si ipsis, uti solet, concedatur sensus. Deinde si per *cogitationem, intellectum & voluntatem* Deus referatur, tunc etiam per cogitationes malas & blasphemas. Ergo & ipsi reprobi ac Diaboli, impiis suis cogitationibus, Deum referunt: ipsa *bruta animalia* per suas cogitationes (nam si habent *sensum*, habent etiam *cogitationem*) Deum referent. Tandem non omne id, quod refert creatorem supra animalia bruta, est imago Dei; sed id per quod sumus Deo similes, tanquam ejus *filii*, & per quod distinguimur à *filiis Diaboli:* alias omnes creaturæ Deum referunt. Ps. 19: 1. Nec tamen inde sequitur III. *Præcipuam & essentialem partem excludi ex imagine Dei.* Primo hic confunduntur *præcipua & essentialis* pars hominis. *Essentialis pars* est *substantia cogitans:* sed *præcipua* est *sanctitas*, quæ ex imagine Dei non excluditur, quin potius in ea sola consistit. Deinde *essentialis* pars hominis excluditur ex imagine Dei, si eam formaliter spectemus, quemadmodum *aurum* nihil facit ad Regis imaginem *formaliter* sumptam. Alias si spectetur tanquam *antecedens*, ex imagine non excluditur, ut infra patebit. Nec IV. quicquam, juvat locus Gen. 9: 6. Jac. 3: 9.

ad probandum *hominem habere imaginem Dei*, *etiam post peccatum*, *adeoque eam non consistere in sanctitate*, *sed in natura spirituali*, *& facultatibus animæ.* Nam primo, non dicitur in istis locis, quod homo habeat imaginem Dei, *post peccatum*, sed tantum hominem *esse creatum ad imaginem Dei*, quod est verissimum. Deinde homicidæ committunt horrendum peccatum, occidendo hominem, cum creatus fuerit ad imaginem Dei, &, quamvis nunc per peccatum sit deleta, tamen per regenerationem renovari possit: ut homicida, quantum in se est, destruat imaginem Dei, & impediat ne renovetur. Tandem si aliquid imaginis Dei superest, post peccatum, illud non consistit in *essentia*, sive *spiritualitate* hominis, sed potius in certis quibusdam ruderibus *sapientiæ & sanctitatis.* Manet enim in omnibus, etiam sceleratissimis, sensus aliquis & conscientia *boni* & *mali*, *justi* & *injusti*, *æqui* & *iniqui*, quæ non tam naturam, quam imperfectam sapientiam & violatam sanctitatem indicant. Remansit igitur imago Dei post peccatum, respectu quorundam ruderum, quæ tamen Deo placere non potest; cum poscat sapientiam & sanctitatem perfectam: ut dici possit imago *Cæsaris* aut *Ciceronis*, vetustate corrosa, & fere obliterata, cui pes, aut manus est abscissa, & *semicomesus* est *nasus*, ut loquitur Poëta, ut vix amplius dignosci possit, quem olim repræsentaverit. Nihil probant V. ex 1. Cor. 11: 7. *Vir est imago Dei, ut mulier viri*; & 1. Cor. 15: 49. *Gerimus imaginem Christi.* Nam primo ibi nulla fit mentio de *facultatibus animæ.* Deinde *mulier* habet eandem *spiritualitatem*, & *facultatem*, quam & *vir* habet: immo & eandem habuit perfectionem & sanctitatem. Ergo imago ibi sumi potest, pro alia aliqua *similitudine*, pro aliqua dependentia & subjectione, qua uxor marito subjecta est, non pro *imagine Dei*, de qua Gen. 1. Nihil facit ad rem, quod VI. dicatur: *hanc sententiam esse Lutheranorum.* Nam etiamsi esset *Turcarum*, quid tum? Non omnia quæ *Lutherani* credunt, falsa sunt, alias fundamenta Religionis essent rejicienda: cum ea nobiscum teneant.

*Imago Dei non consistit in dominio.*

IX. Ad imaginem Dei solet etiam referri *dominium*, Adamo in creaturas concessum. Gen. 1: 26. *Dominium* homini concessum esse, extra controversiam est. Sed non debet sibi arrogare aliud dominium præter id, quod à Deo ipsi concessum fuit. Gen. 1: 26, 30. Erraret si blandiretur sibi, ac præsumeret totum mundum creatum esse propter se; cum creatus sit propter solum Deum; quod fu-

fusius demonstravimus Cap. X. ubi De *Creatione.* paragr. XVI. Illud autem dominium, quod ei concessit, fuit *plenissimum*, & ad omnem usum istarum rerum se extendit, ut etiam *esus carnis licitus* & *naturalis* fuerit, in statu integritatis. (1. quia illud *dominium* à Deo non fuit restrictum ad certos usus, nec *esus carnis* usquam fuit prohibitus. (2. Dominium excellentius fuisset post peccatum, quam ante peccatum, nam ad plura se extenderet nunc, quam in statu integritatis.

*Esus carnis concessus in statu integro.*

X. Nihil facit ad rem, quod dicatur I. *multos abhorrere carnes:* Nam multi etiam abhorrent *caseum*, inde tamen non sequitur *usum casei* esse prohibitum. Multi laborant *pica*, tamen usus rerum, quas abhorrent, est naturalis, & sæpe appetunt res, quas omnes homines abhorrent. II. Et quamvis *homo non habeat naturaliter organa, dentes & ungues ut leones, ad necanda animalia*, non tamen sequitur eos non debere comedere animalia: quia etiam non habent naturaliter ligonem, & aratrum ad colendam terram, habent tamen jus eam colendi. Sufficit homo habeat industriam, per quam naturæ subveniat. III Concedamus *ante peccatum, immo & ante diluvium fructus terræ & arborum &c. meliorem habuisse succum ad alendos homines, adeoque eos carnibus non indiguisse:* primo enim quæstio tantum est, utrum habuerint jus comedendi? Deinde gradus bonitatis rei unius, non tollit alterius usum. Tandem & ipsæ carnes tunc temporis forte habebant gratiorem & excellentiorem succum. IV. Non sequitur, *si esus carnis est naturalis, ergo debuissent eas comedere crudas:* nam & ipsi fructus terræ, olera, & arborum, ut & frumenta proculdubio naturalia fuerunt, tamen non comeduntur omnia & semper cruda. Sed & dantur populi qui carnes comedunt crudas, quod ut probemus, non opus est ut recurramus ad veteres Babylonios, ad Indos & eos qui habitant circa caput bonæ spei, nam & *Westphali*, immo & nos edimus pisces, haleces, ostreas &c. immo & pernas ac laridum crudum? Nec probatur V. *post diluvium tantum concessum fuisse esum carnium* ex Gen. 9: 2, 3, 4. Nam tunc non primum concessus fuit esus carnium, sed repetitus fuit usus, qui jam ab initio concessus fuit Gen. 1: 26, 30. Nihil quoque probant VI. ex loco Rom. 8: 20. *Creatura vanitati subjecta est, non sua sponte, sed propter eum, qui eam subjecit;* non enim inde sequitur; *animalia nunc post peccatum inserviunt gulæ, cum antea non inservierint.* Nam *inservire vanitati*, non significat *comedi contra usum naturalem*, alias nihil comedi

*Argum. contraria.*

medi deberent post peccatum. Apostolus enim loquitur de κτίσει *creatura*, non de solis animalibus. Si *comedi* esset *vanitati inservire*, tunc & ante lapsum herbæ, fructus arborum, semina & frumenta, quæ omnia sub κτίσει comprehenduntur, *vanitati inserviissent*; adeoque prohibita fuissent. Igitur *vanitati inservire*, significat homines abuti creaturis per peccatum, *gulæ inservire* propter nequitias, ἐν ταῖς ἡδοναῖς δαπανεῖν, uti loquitur Jacobus 4: 3. Abutuntur igitur homines, post peccatum, omnibus creaturis, quia dominio in creaturas exciderunt per peccatum, & impuri facti sunt, omnesque res ipsis impuræ sunt. Tit. 1: 15.

*Dominium non est pars imaginis Dei.*

XI. *Dominium*, qualecunque illud fuerit, non est id in quo consistit *imago Dei*, quemadmodum falsò docent *Sociniani*. Immo ne *pars* quidem imaginis Dei *Dominium* esse potest, quemadmodum ex nostris nonnulli docent. (1. quia quidquid potest abesse ab homine, manente imagine Dei illæsa, illud non est de essentia imaginis Dei. Sed *dominium* abesse potest: quia Adamus, ante peccatum, non habuit dominium in arborem vitæ omni tempore, nec in arborem scientiæ boni & mali. (2. Si dominium esset pars essentialis imaginis Dei, tunc imago Dei deturpata & imperfecta fuisset in statu integritatis: quia Adamus de omni arbore non poterat comedere. (3. Si Deus ita creasset hominem, ut vixisset sine usu rerum, homo tamen habuisset ejus imaginem. Nulla autem est ratio, quare Deus hominem non potuisset ita creare, præsertim si eum statum in cœlum assumpsisset. (4. In vita futura, Deo erimus exacte similes, & tamen cessabit dominium quod Adamo fuit concessum Gen. 1: 26, 30. (5. Angeli tale dominium non habent, tamen habent imaginem Dei perfectam. (6. Ante quam Deus Adamo *dominium* concessisset, habuit jam imaginem Dei.

*Imago Dei præcedit dominium.*

XII. Est itaque *dominium* tantum consequens *imaginis Dei*, non autem ipsa *imago*, nec *pars ejus* consistit in *dominio*. Homo habet *dominium* ejusque capax est, quia habet imaginem Dei: sed non ideo habet imaginem Dei, quia habet dominium; quemadmodum Alexander est Rex, quia est homo, & regiminis capax. Non autem est homo, quia Rex est.

*Objectiones.*

XIII. Leve est admodum argumentum I. desumptum ex verbo וירדו *& dominentur*. Quamvis illud *exsertis verbis dicatur*, non tamen dicitur verbis: *Dominium est pars imaginis Dei*: sed tantum, quod dominium homini concessum sit, & quidem homini jam ad ima-

imaginem Dei creato. Litera (ו) hic non est *copulativa*, sed *illativa*, non *Et*, sed *ut dominenter*, quo sensu sumitur Lev. 18: 5. Num. 23: 23. Falsum etiam est II. quod *excellentior pars hominis sit dominium*, *adeoque quod imago consistat in dominio*. Nam ipsa *spiritualitas & immortalitas* est pars excellentior, sed excellentissima est perfecta *sanctitas*. III. Nihil probatur ex Psal. 82: 6. & 1. Cor. 11: 7. quod *Reges & domini mundi dicantur Dii*. Non enim omnes principes mundi dicuntur *Dii*, sed tantum principes populi Judaici, *quibus lex data est*, exponente Christo. Joh. 10: 35. quod fuerint picturæ & *consortes* Christi sub Vet. Test. Ps. 45: 8. cum sub novo Test. solus Christus sit *Deus*, *Rex*, *Legislator & Dominus* noster. Es. 33: 22. 1. Cor. 8: 5, 6. Ephes. 4: 6. Deinde quamvis omnes Principes dicti essent Dii, tamen non sequeretur, in eorum dominio consistere imaginem Dei: sic enim soli Reges haberent imaginem Dei, cum tamen reperiantur pauperrimi, qui eam forte melius gerunt.

*In imagine Dei tria sunt consideranda.*

XIV. Ut igitur accuratius intelligamus naturam imaginis Dei, & quousque dici possit *essentia* animæ pertinere ad imaginem Dei; hæc tria consideranda veniunt. I. Imaginis *antecedens*. II. Ejus *consequens*. III. Ipsa *ratio formalis* Imaginis Dei. I. *Antecedens* est ipsa *essentia animæ* spiritualis, immortalis, intelligentis & volentis, quæ sola est apta, ut ei imago Dei imprimatur. Nam quemadmodum imago non potest fieri ex qualibet materia, (non enim ex quolibet ligno fit Mercurius) veluti *aëre*, *igne*, *aqua*, *&c.* sed ex materia solida, *ligno*, *lapide*, *ære &c.* uti supra ostendimus: ita imago Dei non potest depingi, vel effingi, nisi in sola *mente*, quæ est spiritualis, intellectu & voluntate prædita. Habet se igitur *animæ essentia* ad imaginem Dei *antecedenter*, ut *tabula* ad *picturam*, sed sola *pictura*, vel cælatura est imago non autem *tabula*: quia ex eadem tabula imago, ex. gr. *hominis*, potest eradi & deleri, & eidem tabulæ potest impingi vel effingi imago *porci*, *canis &c.* Eodem sane modo ex essentia ejusdem animæ potest deleri imago Dei, & impingi imago Diaboli, quemadmodum, proh dolor! per peccatum factum est. II. *Consequens* imaginis Dei est *dominium*. Non enim ideo Adamus habuit imaginem Dei, quia habuit dominium: sed dominium ei concessum fuit, quia habuit imaginem Dei. Ut dominium ei concessum fuerit, tanquam novus aliquis ornatus, quo illustrior fieret imago Dei & clarius conspiceretur.

*I. Antecedens ejus est essentia animæ.*

*II. Ejus consequens.*

XV. Illud autem III. in quo proprie consistit ipsa natura imaginis

*III. Ratio formalis.*

ginis Dei, & quæ ejus eſt tanquam *ratio formalis*, & ſine quo nulla imago Dei concipi poteſt, illud, inquam, eſt *Rectitudo* animæ, *ſapientia & perfecta ſanctitas.* Nam quemadmodum imago, ex. gr. hominis, conſiſtit in certa quadam & concinna diſpoſitione linearum & colorum, ut neceſſario repræſentet hominem, & non aliud quid: ita imago Dei conſiſtit in iſta *concinna diſpoſitione virtutum*, aut potius in *perfecta ſanctitate*, quæ ſolum Deum repræſentat. Deinde imaginis Dei *eſſentia* & *natura* conſiſtit in eo, quo poſito, neceſſario ponitur *filius Dei*, quo ablato, ponitur *filius Diaboli.* Ideo peccatores ob defectum ſanctitatis vocantur *Filii*, non *Dei*, ſed *Diaboli.* Joh. 8: 44. 1. Joh. 3: 8. & *ſemen Serpentis* veteris. Gen. 3: 15. Ergo ratio formalis imaginis Dei eſt *ſapientia & perfecta ſanctitas,* uno verbo *rectitudo.*

*Adamum fuiſſe creatum ſapientem.*

XVI. Adamum fuiſſe creatum *ſapientem* patet. (1. quia omnibus animalibus impoſuit nomina ſuæ naturæ convenientia. Gen. 2: 19, 20. (2. quia tam exacte novit ortum Evæ. (3. Perfectiſſime & ſapientiſſime diſſeruit de matrimonio. Gen. 2: 23, 24. (4. Homo regeneratur ad *cognitionem ſecundum imaginem ejus; qui eum creat.* Col. 3: 10. (5. Debebat exercere dominium: ſed ad exercendum dominium requiritur ſapientia. (6. Deum perfecte debebat colere, ergo & perfecte debebat eſſe ſapiens, ut eum cognoſceret. Nam ſine cognitione nullus eſt cultus. (7. Fuit creatus ישר *Rectus.* Eccl. 7: 29. Ergo & *ſapiens:* cum rectitudo ſine ſapientia vera ſubſiſtere non poſſit. Falſiſſimum igitur eſt dogma *Socinianorum*, affingentium Adamo *puerilem ignorantiam* & fere ſtuporem: ut etiam poſt lapſum ſapientior factus fuerit, quam fuit ante lapſum. Nec I. Ideo ſequitur, *eum non fuiſſe vera ſapientia præditum, quia non fuit omniſcius.* Tantam enim habuit ſapientiam, lucem & rectitudinem, ut non niſi clare & diſtincte perceptis aſſenſum præbere potuerit, ut ſibi ab errore caveret. Futile etiam eſt quod dicant II. *eum potuiſſe omnia cognoſcere ex ſpeciali revelatione Dei;* nam de extraordinaria revelatione Scriptura S. tacet. Et nomina animalium, & reliqua omnia extraordinarie revelata dicenda eſſent. Neque III. probabunt ex Gen. 3: 7. *nam aperti ſunt eorum oculi & agnoverunt quod eſſent nudi*, *primos noſtros parentes ſapientiores factos fuiſſe poſt lapſum.* Nullam enim aliam cognitionem acquiſiverunt poſt lapſum, niſi ſe eſſe nudatos perfecta ſanctitate & amicitia Dei, propter peccatum ſuum. Alias etiam ſi puer fuiſſet Adamus, qui vix

*Argumenta adverſaria.*

uno

uno asse coluit Minervam ante peccatum, potuisset tamen novisse se esse nudum, id est se nulla habuisse vestimenta.

*Fuit perfecte sanctus.*

XVII. Ut Adamus *sapiens*, ita & perfecte sanctus creatus fuit. (1. quia Deum perfecte debebat colere. (2. quia legem perfectam & sanctissimam à Deo cordi inscriptam habuit. (3. Perfectum habebat studium omni sanctitate legem istam observandi. Ephes. 4: 24. ubi ὁσιότης τῆς ἀληθείας significat *sanctum studium* veritatis divinæ, ad amandum & colendum Deum. (4. Amor Dei homini naturalis esse debet; alias homo omnia naturaliter amasset, præter solum Deum. Nam omnis amor veri boni est homini naturalis. Ergo & amor Dei, qui est summum bonum. At ubi est perfectus amor Dei, ibi est perfecta sanctitas. (5. Jubemur esse *sancti*, quando jubemur Deo esse *similes*: *Estote sancti ut ego sanctus sum.* Lev. 29: 2. 1. Pet. 1: 15, 16. Matt. 5: 48. quod in perfecta sanctitate consistat imago & similitudo Dei. (6. *Omnia erant creata valde bona.* Gen. 1: 31. Ergo homo perfecte sanctus debebat creari, alias is, qui maxime ad gloriam Dei fuit creatus, solus fuisset opus Dei imperfectum. (7. Exsertis verbis dicitur creatus ישר *Rectus.* Eccl. 7: 29. Ergo perfecte sanctus. Turpissimum igitur est delirium *Pontificiorum*, docentium hominem creatum fuisse in statu *pure naturali*, quasi nec sanctus, nec profanus, nec bonus, nec malus fuisset creatus, sed in tali statu ut potuisset justitiam & sanctitatem acquirere, vel in profanitatem se conjicere. Error iste proculdubio ortus est ex dicto isto Aristotelis; hominem esse *tabulam rasam*, cui nihil est inscriptum; sed cui omnia inscribi possunt.

*Pontificiorum delirium de statu pure naturali.*

*Concupiscentiam non esse naturalem.*

XVIII. Hinc etiam sequitur, *concupiscentiam* ante lapsum, qua homo æque propenderet ad malum quam ad bonum, homini non esse naturalem, uti docent *Sociniani*, *Pelagiani*, *Remonstrantes*, *& Pontificii.* (1. quia omnis concupiscentia ad malum irritans est peccatum. Rom. 7: 7. de quibus plura vide infra Parte 11. 1. ubi *De peccato.* (2. quia Deus creasset hominem prurientem libidine & ad scelera pronum; adeoque ejus opus non fuisset *valde bonum*, sive *perfectum.* (3. quia homo potuisset Deum naturaliter odisse, adeoque Deus esset auctor peccati. Ideo (4. injuste perfectionem ab homine postulasset. (5. Si *concupiscentia* esset *naturalis*, tunc sequeretur voluntatem inde ortam non esse peccatum, nam per id quod homini naturale est, & ad quod homo naturaliter impellitur, non peccat.

XIX. Pessi-

*Homo naturaliter habuit appetitum Recti non minus quam sibi boni.*

XIX. Pessime igitur docent *Sociniani*, hominem naturaliter habuisse appetitum, ut appeteret tantum *sibi bona*, non autem quod *rectum* est. Non minus enim habuit appetitum ut appeteret *rectum*, quam *sibi bonum*. Adeoque non tantum potuit sibi acquirere crebris actionibus habitum, ut appeteret *rectum*, æque ac *sibi bonum*, sed sua natura appetebat *rectum*, non minus quam *sibi bonum*. (1. quia nulla est distinctio inter *rectum & sibi bonum*. Nam verum hominis *bonum* est, non bonum *terrenum*, & *periturum*, sed *fruitio Dei*, si nempe Deum perfecte amet. Sed & hoc ipsum etiam *rectum* est. (2. quia Deus omnia creavit ad sui gloriam. Prov. 16. ergo talem ut naturaliter rectum quæreret; nam id solum *rectum* est: quærere gloriam Dei. (3. quia creatus fuit *rectus*. Eccl. 7: 29. Ergo etiam ut *rectum* quæreret.

XX. Homo igitur creatus fuit *rectus*, non tantum *negative* (ut falso docent *Sociniani*) tanquam homo *minime malus*, in infantuli ignorantia & simplicitate, non tantum נקי *innocens*, scil. quod nullum habuisset peccatum, sed maxime *positive* ישר *Rectus*, ut revera esset *sanctus*, id est ut haberet totum complexum virtutum, ad perfectum amorem Dei, & obedientiam requisitarum. Non tamen sequitur: *Si Adamus habuit naturalem rectitudinem & sanctitatem, & si fuit sine concupiscentia, eum non potuisse peccare, non magis quam Deum ipsum.* Nam & Angeli perfecte sancti fuerunt, nullamque habuerunt concupiscentiam, & tamen potuerunt peccare. Deinde notari debet, quod Adamus, quamvis creatus fuerit, sine *lucta interna*, tamen fuerit creatus *ex nihilo*, ut de nihilo participaret; adeoque ut mutabilis esset, & perfectiones naturales posset amittere, quod de Deo dici, sine impietate non potest.

*Objectio.*

*Quo sensu Adamus creatus fuerit justus?*

XXI. Ex iis quæ hactenus dicta sunt facile responderi poterit, ad quæstionem: utrum Adamus etiam creatus fuerit *justus?* Nam si *justitia* sumatur pro ipsa *sanctitate*, quemadmodum à Theologis sumi solet, cum *sanctitas & rectitudo* in Adamo comprehendat complexum omnium virtutum, tunc revera etiam fuit *justus*. At si sumamus *justitiam* pro *constanti voluntate recte vivendi in perpetuum*, qua homo legem perfecte adimplet & per adimpletionem legis sibi acquirit δικαίωμα & aliquid *jus petendi præmium*, tunc Adamus non potest dici *justus*: cum legem non adimpleverit, nec unquam habuerit illud δικαίωμα & *jus* petendi præmium. Debebat enim illud jus sibi acquirere per obedientiam constantem, superando tentationem

nem Diaboli, & absolvendo metam. Hoc itaque sensu non fuit *justus*. Differt igitur *imago Dei* in homine regenito, sub fœdere gratiæ, ab *imagine Dei in* Adamo perfecto & in fœdere operum. Nam in fœdere gratiæ, quam primum homo ad illud recipitur, regeneratur: & imago Dei in eo renovatur, cum sponsor legem perfecte adimpleverit, non tantum est *sanctus*, sed & *justus*, id est per obedientiam sponsoris, quam vera fide amplectitur, habet perfectum δικαίωμα & *jus* petendi vitam æternam; Ideo Paulus Ephes. 4: 24. docet, novum hominem, creatum esse, non tantum ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας *in sancto studio veritatis*, sive in *vera sanctitate*, ἐν δικαιοσύνῃ in *justitia*, scilicet Jesu Christi. Exaggerat enim ibi Paulus bona ac beneficia fidelium, quæ receperunt per Jesum Christum. Atque hæc hactenus de *Partibus fœderatis* dixisse sufficiat.

*Differt imago Dei in fœdere operum, & in fœdere gratiæ.*

# DOCTRINÆ
## *DE*
# FOEDERIBUS DEI.
## PARS III.
## DE NATURA FOEDERUM.
### LOCUS VIII.
### CAPUT I.
*De Fœderibus in Genere.*

I. ABsolvimus duas priores partes Doctrinæ de *Fœderibus*. I. De *Instrumento Fœderum*, sive de *S. Scriptura*. II. De *Partibus Fœderatis*, id est de *Deo & Homine*. Sequitur nunc III. pars, nempe de *Fœderibus ipsis*.

*Summa tertiæ partis fœderis operum.*

II. Tertia hac parte agendum erit. I. De *fœderibus in genere*, Fœderisque natura. II. De *Fœdere operum*. III. De *violatione* fœderis operum, sive De *Peccato*. IV. De *Fœdere Gratiæ*,

 Deque

Deque *Mediatore* fœderis gratiæ. V. De *Sponsione* & *Pacto æterno.* VI. De *Satisfactione* & *solutione* Sponsoris. VII. De *gratia universali*, sive de iis pro quibus Christus mortuus est. VIII. De *Stipulatione fœderis gratiæ*, sive de *Fide.* IX. De Fœderis gratiæ *Justificatione.* X. De Ejusdem fœderis *Regeneratione, Sanctificatione, Bonis Operibus, Jejuniis* & *Precatione.* XI. De Fœderis gratiæ *Promissione* & *Comminatione*, sive De *Vita & Morte æterna.* XII. De *Promulgatione* Fœderis gratiæ, sive de *Vocatione ad fidem.* XIII. De *viribus necessariis ad recipiendum fœdus gratiæ*, ubi de *Libero Arbitrio*, & *Gratia Dei.* XIV. De *Constantia Fœderis gratiæ*, sive De *Perseverantia Sanctorum.* Inde pergendum erit ad IV. & ultimam partem Doctrinæ De Fœderibus, quæ agit de variis *Fœderum OEconomiis.*

*Fœdus unde apud Latinos?*

III. *Fœdus* Latinis dicitur à *feriendo*, quod fœderati, in pangendis fœderibus, solerent victimas *ferire* ense vel securi. Ovid. Fast. libr. 1. *Colla rudes operum præbent feriuntque juvenci.* Et Metamorph. l. 7. *Muneribus Deos implet, feriuntque secures.* Nonnulli putarunt *fœdus* dici ab *hirco* & *hœdo*, addita litera F, ut scribatur *fhœdus* Isid. lib. 10. Alii à *fœdando*, quia fœderati sanguin victimarum effuso fœdabantur. Vel etiam fœdus dicitur à *fœdo* ritu cædendi porcam, quæ *fœde & crudeliter occidebatur*, teste *Isidoro* l. 18. Cap. 1. in pangendis fœderibus, non *ense*, non *gladio*, ut antiquissimis temporibus, sed, *ut inventum est à fecialibus, saxo silice, quod antiquum Jovis signum putarunt. Serv. Æn.* lib. 8. ad hæc verba. *Et cæsa jungebant fœdera porca.* Verisimilius est, *fœdus* dictum esse à *Fide, quia in fœdere interponitur fides.* lib. 18. cap. 1. videatur quoque *Festus.* Est enim *fides* fundamentum omnium fœderum: ut sine *fide* nullum stare possit *fœdus.* Hinc non male derivaretur *fœdus* à Græco πεπιθὸς *fidens.* Quis enim ignorat πείθω vel πιθέω esse fontem vocabuli *fido* & *fides?* mutato tantum ϖ in digamma F, quemadmodum *figo* à πείγω, & θ converso in δ ut *Deus* à Θεὸς, *ordo* ab ὀρθός. Ideo *Fœdus Ennius appellabat fidus*, notante *Pomponio Sabino*, ad *Virg. Æn. lib.* 8. Sed de voce Latina non est quod simus soliciti: cum Deus nullum fœdus pepigerit latine cum Romanis aliisque Ethnicis; fuerunt enim sine fœdere & ἄθεοι. Ephes. 2. id est *sine Deo fœderato.*

*Unde apud Hebræos?*

IV. Hebraice dicitur ברית. Non à ברא *creare*, aut *succidere*, quod male conatur probare *Grotius* ex Ezech. 23: 47. ברא בחרבותם cum ברא ibi sumi possit ironice pro *ornare*, quasi Deus dixisset: *ornabo eos gladio.* Derivatur à ברה *eligere*, quia in omni fœdere necess-

ceſſario debet eſſe *αἵρησις electio:* cum 1. fœderatorum, tunc 2. *conditionum* fœderis. Non enim eſſentiale eſt fœderi, ut ſuccidatur victima, quemadmodum eſſentiale eſt in omni fœdere, ut eligantur fœderati, & conditiones. Exſtant enim exempla fœderum ſine victima cæſa. Inter Davidem & Jonathan. 1. Sam. 18: 3. & 20: 10. & 23: 18. Davidem & Seniores populi. 2. Sam. 5: 3. Salomonem & Hiram. 1. Reg. 5: 12. & infinitis locis alibi. Sed nullum datur exemplum fœderis ſine electione partium fœderatarum, & conditionum. Quamvis tamen non negemus, ab antiquiſſimo ritu, de ſecandis victimis in fœderibus, etiam dici כרת ברית *ſecare fœdus*, pro pangere fœdus.

V. Græce dicitur Διαθήκη, quæ vos ſæpe ſignificat *συνθήκην pactum*, quemadmodum & Hebræum ברית. Tamen Διαθήκη æque ac ברית ſæpiſſime notat *diſpoſitionem Teſtamentariam;* quod omne *pactum* & *fœdus* inter Deum & hominem habeat aliquam rationem *Teſtamenti*, cum fluat ex mera Dei voluntate, de danda hæreditate. Vide Gal. 3: 13. *Hominis ratum factum Teſtamentum, nemo rejicit aut ſupra diſponit.* Heb. 9: 16: 17. *ubi eſt* Διαθήκη *mortem neceſſe eſt contingere* τοῦ Διαθεμένου. Et 8: 10. *Hoc eſt* Διαθήκη *teſtamentum quod diſponam domui Iſrael.* Et cap. 9: 17. Διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία. Matth. 26: 28. *Hic eſt ſanguis* καινῆς Διαθήκης *Novi Teſtamenti.* Luc. 22: 29. infinita exſtant loca ejuſdem ſignificationis; Quotieſcunque igitur hæc vocabula ſignificant addictionem bonorum ſine conventione, toties ſignificant *Teſtamentum.* Ubi autem notant mutuam conventionem, ſtipulationem & adſtipulationem, ibi ſignificant fœdus. Adeo certum eſt Διαθήκην ſignificare *Teſtamentum*, ut tempore Chriſti à Judæis vix aliter dictum ſit. Mirum igitur, nonnullos docere: vix in uno aut altero loco ſumi pro *Teſtamento.* Sed de his plura ſuo loco, ubi de Teſtamentis agetur. Exempla fœderum exſtant. Gen. 15: 9, 10. Jer. 34: 18. Gen. 14: 13. & 26: 28. 1. Sam. 18: 3.

*Unde apud Græco?*

*Ubi ſignificent Teſtamentum?*

VI. *Synecdochice* ſumitur fœdus pro *parte fœderis.* I. pro *mandato.* Ita *Levitæ* dicuntur *obſervaſſe dictum & fœdus Dei*, id eſt ejus *mandatum.* Deut. 33: 9. Hinc *arca fœderis* Num. 10: 23. & *tabulæ fœderis.* Deut. 9: 15. & *decem verba*, quia continebant *mandata*, ſive ſtipulationem fœderis. Hoſ. 6: 7. *tranſgreſſi ſunt fœdus meum*, id eſt *mandata mea.* II. Notat ſolam *promiſſionem* fœderis, veluti Eſ. 59: 21. *Hoc eſt fœdus meum* (hoc promitto per fœdus meum) *ſpiritus meus non recedet.* Et metaphora miſcetur ſynecdochæ. Ut *ſecare fœdus.*

*Fœdus varie ſumitur.*

2. Chron. 7: 18. id est *promittere*, sive proponere *promissiones* fœderis. כאשר כרתי לדויד.

*Fœdus Dei alterius est naturæ ac fœdus hominum.*

VII. *Fœdus Dei* non est ejusdem naturæ, ac inter homines. Homines enim de mutuis beneficiis disponunt, ob mutuam quandam necessitudinem quæ inter eos intercedit, & ubi uterque fœderatus de suis beneficiis disponit. Deus enim hominibus non indiget: sed de suis beneficiis tantum disponit. 1. Cor. 4: 7. Ut potius *Dei* quam *hominis fœdus* dici debeat, & magis sit *Testamentaria dispositio*, adeoque *Testamentum*, quam *fœdus*; antequam homini patefactum sit. Ideo fœdus Dei est μονόπλευρον, quando à Deo proponitur, ubi autem homo adstipulatur, nunc fit δίπλευρον.

*Partes fœderis quatuor.*

VIII. In omni fœdere quatuor occurrunt partes. Duæ à parte Dei. I. *Stipulatio* sive lex & II. *Promissio*; stipulatur enim Deus *obedientiam*; & promittit *præmium* obedienti. Duæ à parte hominis; III. *Adstipulatio* & IV. *Restipulatio*. I. *Stipulatio* à parte Dei, est ipsa *lex* sive *mandatum* Dei, per quod ei *obedientia* præscribitur. II. *Promissio* continet *premium*, sive bonum, à fœderato obtinendum. III. *Adstipulatio* est ipsa hominis *subjectio*, quando legem Dei in se recipit, seque ei submittit, eique adstipulatur. Hæc adstipulatio eleganter dicitur ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας. 2. Cor. 9. 13. *subjectio confessionis*, quia homo verbis & facto confitetur, legi & stipulationi Dei sese submisisse, Ideo & Christus dicitur Ἀπόστολ☉ καὶ Ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας. Hebr. 3: 1. quia pro adimpletione nostræ adstipulationis apud patrem spondet. IV. *Restipulatio* est actio ista hominis, quando, conditione fœderis adimpleta & præstita, acquisitoque jure & δικαιώματι, cum omni libertate & fiducia petit prœmium promissum. Ideo vocatur. 1. Petr. 3: 21. ἐπερώτησις quasi diceres *jus* & *fiducia petendi*: sic & παῤῥησία. 1. Joh. 3: 21, 22. πληροφορία καὶ ὁμολογία τῆς ἐλπίδ☉. Hebr. 6. 11. & 10: 23. Exempla *stipulationis* habemus Ps. 27: 8. *quærite faciem meam*. Sic & *stipulationis & promissionis* simul. *Respicite ad me & servabimini*. Es. 45: 22. Sic & *Adstipulationis* ibid. Ps. 27: 8. *Ecce quæro faciem tuam*. Et Ps. 40: 8, 9. *Ecce adsum ut facerem voluntatem tuam; lex tua est in visceribus meis*. Vers. 13.

*Exempla Stipulationis.*

IX. Est igitur fœdus Dei. *Conventio inter Deum & hominem, de ratione obtinendi summum bonum, sub certa stipulatione & promissione a parte Dei, cui adstipulatur homo, ad obtinendum jus & δικαίωμα petendi, per restipulationem, prœmium promissum.*

CA-

# CAPUT II.

## *De Fœdere Operum.*

I. PRo diversa ratione percipiendi amorem Dei, etiam fœdera sunt diversa. Hinc duo fœdera memorantur in Verbo Dei. I. *Fœdus Operum*, quod Deus pepigit cum Adamo in statu integritatis. II. *Fœdus gratiæ*, quod Deus pepigit cum homine lapso post peccatum. Duo hæc fœdera probant omnia loca Scripturæ Sacræ, ubi *opera* & *gratia* opponuntur. Rom. 11:6. *si ex operibus, ergo non ex gratia.* Vide Rom. 3: 27. & 4: 5. Tertium fœdus *Mosaicum*, ut loquitur *Camero*, non datur: (1. cum à Mose non fuerit institutum *novum fœdus*, sed tantum fœderis gratiæ *nova œconomia*, sub Veteri Testamento. (2. Fœdus illud debuisset esse mixtum ex fœdere *operum*, & ex fœdere *gratiæ:* adeoque homo servaretur partim per opera, partim per gratiam, quod est impossibile, cum gratia & opera semper pugnent. Rom. 11:6. Rom. 3: 27. & 3:25. (3. tandem novum fœdus instituere, est docere novam viam salutis. Sed Moses non poterat aliam viam salutis docere, quam per fœdus gratiæ. Idem judicium esto de fœdere *Nationali*, *politico*, *observantiæ* & *pietatis:* nam quocunque nomine vocetur, debet tamen referri vel ad *fœdus operum*, vel ad *fœdus gratiæ.*

*Duo dantur fœdera.*

*I. Operum.*

*II. Gratiæ.*

II. Fœdus *operum* ita vocatur, quia nitebatur operibus, sive quia Deus opera ab Adamo integro stipulabatur. Sic & fœdus *legale* nuncupatur: quia opera præstanda *lege naturæ* præscripta fuerunt. Et *Naturale* dicebatur. (1. quia cum ipsa *natura* initium habuit. (2. quia stipulatio ex ipsa *natura* fluit. (3. quia homo *naturaliter* adstipulari & obedire debuit. (4. quia *naturæ viribus* ab homine præstabatur.

*Fœdus operum, Legale & Naturale dicitur.*

III. Deum cum Adamo, in statu integritatis, pepigisse ejusmodi fœdus operum, probatur. (1. quia omnes homines cordibus inscriptam habent legem Dei, notasque boni & mali. Rom. 2: 14, 15. (2. quia habemus appetitum summi boni, qui appetitus, cum sit bonus, ab ipso Deo datus est, ergo non frustra; contrarium enim testatur Deus, *Non frustra quæritis me.* Es. 45: 19. Hoc Adamo, non minus quam semini Jacobi, dictum est: ut sit quasi *promissio fœderis.* (3. quia Deus hominem affecit multis beneficiis, quibus

*Deus cum Adamo pepigit fœdus operum.*

bus monebatur, se esse in *amicitia* adeoque in *fœdere Dei* Hebr. 11:6. (4. quia inter Deum & Adamum intercesserat, quidquid in fœdere requiritur. I. *Stipulatio.* II. & *Promissio* à parte Dei. III. *Adstipulatio*, & IV. *Restipulatio* à parte Adami. A. *Stipulatio* continebatur præcipue *lege morali* cordi inscripta. Rom. 2: 14. & *probativa*, de non comedendo fructu arboris. B. *Promissio*, nempe de vita æterna, exprimebatur per *desiderium*, quod Deus ipsi dederat de summo bono obtinendo. Deinde expressa erat per arborem vitæ. Gen. 3: 9. Et tandem per comminationem mortis. Gen. 2: 17. comminando enim Deus promittit obedienti bonum, malo oppositum. C. *Adstipulatum* fuisse Adamum patet; quia non renuit stipulationi, nec poterat renuere: erat enim naturalis obligatio, ut obediret. Ipsa Eva fassa est, sibi non esse licitum, ut de fructu comederet; ergo stipulationi divinæ adstipulati sunt primi parentes. (5. Exsertis verbis fœdus cum Adamo memoratur. *Transgressi sunt fœdus meum sicut Adam.* Hos. 6: 7.

*In fœdere operum fuit totum genus humanum.*

IV. In fœdere operum non fuit solus Adamus, sed & totum genus humanum (1. quia fuit *naturale*, natura autem omnibus hominibus communis est (2. Eadem *lex* omnibus data est, eadem conscientia *boni* & *mali*, *justi* & *injusti*, *æqui* & *iniqui*. Idem *desiderium* summi boni; Deus sua beneficia omnibus largitur. Act. 17: 28. (3. quia omnes erant in *Adamo*, ut in capite, quemadmodum in fœdere gratiæ omnes electi sunt in *Christo*, tanquam in capite fœderis gratiæ. Ideo Christus & Adamus semper opponuntur. 1. Cor. 15: 45. (4. Omnes dicuntur mortui in Adamo, ut in Christo omnes vivificantur. 1. Cor. 15: 22. Rom. 5: 12. &c. (5. *Bona* fœderis operum quæ Adamo promissa fuerunt ante lapsum, etiam posteris ejus promissa fuerunt: ut *dominium*, *benedictio de multiplicatione seminis.* Genes. 1: 26, 28. Ita & *mala* post lapsum, tanquam pœna fracti fœderis, ad omnes pervenerunt: ut *maledictio terræ, labores, sudores, dolor partus, miseria* multiplex, & *mors.* Gen. 3: 16, 19. 1. Cor. 15: 22. Hinc sequitur ipsam quoque *Evam* fuisse in fœdere operum. (1. ob eandem rationem ob quam omnes homines. (2. quia Adamum caput suum agnoverat. 1. Cor. 11: 3. (3. Ipsa fatetur idem præceptum de *non comedendo fructu* sibi datum esse, æque ac Adamo. Gen. 2: 16. & 3: 3. Christus autem in fœdere operum non fuit. (1. quia non est genitus vi *generalis benedictionis, crescite & multiplicamini.* Gen. 1: 28. sed speciali *promissione* & secundum pactum æter-

æternum. Zachar. 6: 13. Heb. 10: 5. (2. quia eſt *caput* alterius fœderis, nempe *fœderis gratiæ*; quare primo Adamo opponitur. 1. Cor. 15: 44. 45. (3. quia lex de non comedendo fructu arboris Chriſto dari non poterat. (4. quia Chriſtus omnimodo fuit perfectus; Non *labilis*, ſed perfectam habuit juſtitiam, & conſtantem voluntatem bene agendi: quare (5. nec tentari debuit, nec prœmium ipſi fuit merendum, aut δικαίωμα ipſi fuit acquirendum. (6. quia in Adamo, per violationem fœderis, peccaſſet.

V. Deum non iniiſſe *fœdus operum* cum Adamo, fruſtra negatur, ideo I. quod *Adamus fuerit in ſtatu amicitiæ, adeoque nullo fœdere opus habuerit.* Nam 1. *ſtatus amicitiæ* non evertit fœdus operum. 2. fuit in ſtatu amicitiæ per *fœdus operum*, ut nos per *fœdus gratiæ.* Nec procedit II. *omne fœdus pro ſcopo habet majorem fœlicitatem; ſed Adamus in fœliciorem ſtatum transferri non poterat, qua erat perfectus & fœliciſſimus:* 1. Cum finis fœderis ſæpe ſit *conſervatio* in fœlici iſto ſtatu, in quo aliquis poſitus eſt. 2. Deinde Adamus non fuit in ſtatu fœliciſſimo: α. quia erat *labilis.* β. quia Deo fruebatur in Paradiſo per creaturas. Sed poterat transferri in ſtatum *non labilem*, & *omnimodo immortalem.* Poterat nempe è terreſtri Paradiſo transferri in cœlum, & frui Deo perfecte ſine creaturis, ſine *cultura terræ*, ſine *eſu*, ſine *potu*, ſine *ſomno* &c. poterat à Deo confirmari, ut nunquam poſſet peccare. Uno verbo, poterat fieri ἰσάγγελος. Luc. 20: 36. Gratis dicitur: III. *ubi nulla ſtipulatio a parte Dei, nec Adſtipulatio a parte hominis, ibi nullum eſt fœdus; ſed inter Deum & Adamum nulla fuit ſtipulatio nec adſtipulatio.* Deus enim *ſtipulatus* fuit opera & obedientiam: ideo dederat duplicem legem. 1. *Moralem*, quam cordi inſcripſit; 2. πειραστικὴν, de non comedendo fructu. *Adſtipulatus* eſt Adamus; (1. quia non legimus, eum legem Dei corde excuſſiſſe. (2. Sed & naturalitèr debuit adſtipulari. (3. Tandem ipſa Eva faſſa eſt, ſe adſtipulatos fuiſſe, quando ſerpenti reſpondit: *Deus dixit ne comedatis.* Nihil ponderis habet, quod nonnulli addant. IV. *Nulla fuit lex, ſed tantum declaratio beneplaciti Dei, per comminationem paternam, quaſi Pater dixiſſet filio ſuo: Ecce dedi tibi menſam inſtructam omnibus deliciis, ſed hoc pomum ſolum intactum relinques: nam ſi comederis, graviter te puniam.* Nam 1. verba Dei, de non comedendo fructu, continent expreſſam legem, adeoque *ſtipulationem* 2. *Comminatio* continet tacitam promiſſionem *ſummi boni*, hoc modo: *ſi comederis, morte morieris.* Ergo ſi *non comederis*, ha-

*Objectiones.*

habebis vitam cœlestem & plane immortalem. Adde 3. quod habuerit innatum *desiderium* summi boni, sed istud desiderium, cum sit bonum, habuit ab ipso Deo. Ergo Deus per istud desiderium, quod ipsi impresserat, promisit summum bonum. De hisce vide supra parag. 111. ubi probavimus: inter Deum & Adamum intercessisse omnia, quæ in fœdere requiruntur. Nec hæc argumentatio valet. V. *In omni fœdere adstipulatio libera est, sed Adamus naturali lege, & sua natura debuit obedire, ergo non fuit libera adstipulatio adeoque non fœdus.* Nam 1. Adamus etsi adstipulatus fuerit *necessario*, quia naturaliter, tamen & *liberrime*, quia propensa voluntate, non coactus. Necessitas naturalis non evertit libertatem voluntatis, voluntas naturaliter & necessario eligit bonum, & tamen liberrime. 2. Quia Adamus naturaliter adstipulari debuit, ideo fœdus istud dicitur *naturale*.

*Stipulatio à parte Dei.*

VI. Quemadmodum in omni, ita & in *fœdere operum*, est *stipulatio* & *promissio* à parte Dei: *adstipulatio* & *restipulatio* à parte hominis. *Stipulatio* est de *opere*; sive Deus stipulatus est *opera*; *fac & vives*. Debebat igitur Adamus legem Dei, cum *moralem*, cordi impressam, tum *positivam* de non comedendo fructu, perfecte observare. *Promissio* erat de vita *æterna* & summo bono; Nam ex statu *labili*, adeoque hoc sensu *mortali*, transmittendus fuisset in statum *non labilem*, & plane *immortalem*, &, cum frueretur Deo per creaturas, eo frui potuisset absque creaturis. *Adstipulatus* fuit Adamus, cum omnem legem Dei in se suscepisset. Tandem si perstitisset, sibi acquivisisset δικαίωμα & *jus* petendi summum bonum promissum.

*Adstipulatio à parte hominis.*

*Lex in fœdere operum est duplex. I. Naturalis. II. Positiva πειραστική. Naturalis quid?*

VII. Quemadmodum igitur in omni fœdere solent occurrere *Lex*, *Sanctio*: certa quædam *signa* atque *sigilla*, sive *Sacramenta*, ad majorem fœderis ratificationem, ita & in *fœdere operum*. In hoc autem fœdere *lex* nihil aliud mandat quam *opera*, ideo *lex operum* vocatur. Rom. 3: 27. unde & *fœdus operum* dicitur. Duplicem autem legem præscribebat fœdus operum. I. *Naturalem* cordi omnium hominum inscriptam. II. πειραστικὴν probativam, sive *positivam*, de non comedendo fructu arboris. Lex *naturalis* duabus hisce sententiis exprimitur. *Qui fecerit ea homo, vivit in iis.* Levit. 18: 5. *Maledictus qui non permanet in omnibus* &c. Deut. 27: 26. Gal. 3: 12. Hinc patet in *fœdere operum* I. fuisse *operandum*, id est facienda & implenda fuisse jussa, & omittenda vetita. II. Facienda fuisse *omnia Bona*, & omittenda *omnia mala*. III. *Constanter, perseveranter, sancte*

&

& *perfecte*, usque *ad finem* omnia facienda fuisse. Sequitur etiam fœderis legem *totum hominem* requirere, & *corpus* & *animam*. Vide Ezech. 18: 24. Matth. 22: 37. Jac. 2: 10. Sed & *perfectissima* fuit ista lex: cum perfectam sanctitatem postulaverit: adeoque à Christo non fuisse auctam, nec posse eam augeri nec diminui, suo loco fusius patebit. Hæc autem lex Adamo non fuit tradita scripto; sed cordi ejus fuit impressa; quare & *naturalis* dicitur: estque eadem (præter præceptum de Sabbatho) quæ hodie in decalogo continetur. Hinc etiam reperiuntur ejus notæ & vestigia, post peccatum, in hominibus etiam sceleratissimis. Nemo enim est tam depravatæ mentis, in quo non sit aliqua conscientia boni & mali, justi & injusti, æqui & iniqui. Rom. 2: 14, 15.

VIII. Sine causa à nonnullis dicitur I. *Adamo non fuisse datam legem, quia fuit in statu amicitiæ cum Deo.* Nam 1. *lex* non est contraria *amicitiæ*; sed eam ponit & conservat. 2. *Amicitia* obligat ad *officium*; sed officium debet fieri secundum certas quasdam *leges*. II. Nihil eos juvat locus 1. Tim. 1: 9. *Justo non est posita lex, sed impiis, qui subjici nolunt*, 1. Ibi enim Apostolus loquitur de hominibus sceleratis, quibus solis est posita lex, ut coercerentur, & ut ob scelera punirentur. Hoc sensu non fuit posita lex Adamo, ut per terrorem, & metum pœnæ in officio teneretur, quia erat perfecte sanctus: ut ex innata sanctitate & amore legem observare debuerit. 2. Lex ponitur tanquam norma sanctitatis, & tanquam conditio ad acquirendum δικαίωμα & *jus* petendi prœmium. Hoc sensu lex ponitur etiam justo & sancto; sic & Adamo posita fuit.

IX. Præter legem *moralem* & *naturalem*, Adamo etiam data fuit lex *positiva*, de non comedendo fructu vetito. Gen. 2: 16, 17. Dici autem solet *probativa*, ac Adamo data est, quia Deus per eam probare voluit hominem. (1. utrum Deum perfecte & supra omnes creaturas amaret? (2. utrum à deliciis terrenis abstineret, ut solo Deo deliciaretur? (3. utrum *dominium suum* subjiceret *dominio Dei*, agnoscendo se ne pomi quidem dominum esse, nisi id Deus sibi concessisset: (4. utrum *bonus* mansurus, an vero *malus* futurus sit? Sed & ideo data est, (5. ut ipse Adamus peccando, agnosceret malum, in quod se conjecit, & bonum quo excidit. Unde *arbor scientiæ boni & mali* dicta est.

*Positiva quid?*

X. Adamus contra hanc legem peccando, peccavit contra totam legem *moralem*, præsertim contra primam tabulam, quæ præscri-

*Adamus contra hanc*

*legem peccando peccavit contra totam legem moralem.*

bit perfectum amorem Dei. Contra secundam tabulam etiam, nempe contra charitatem erga genus humanum: cum non veritus sit, hoc pacto conjicere omnes homines in horrendum barathrum miseriarum. Si autem eam, cum lege morali servasset, summam obtinuisset foelicitatem. Non quod lex *placitorum*, aut *caremonialis* (ut nonnulli male docent) eodem loco habenda sit, quod lex *moralis*, & quod τὰ δόγματα à præceptis moralibus non debeant distingui, quasi hoc elogium: *qui ea fecerit vivet in iis*, non minus competeret *dogmatibus placitorum*, quam *legi morali*. Nam leges positivæ, sive dogmata quæ consistunt in *placitis*, qualis est hæc lex *probativa* ante lapsum, & *caremonialis* post lapsum, sua natura nunquam sunt nec bonæ nec malæ, ut homo servari possit, etiamsi earum nullam haberet cognitionem: cum præcepta *moralia* semper sint bona, & sine eis nulla possit dari salus. Deinde si homo punitur, aut remuneratur, quando præcepta *positiva*, quæ consistunt in *placitis*, transgressus est, aut observavit, id non fit ob aliquam naturalem bonitatem istorum præceptorum sed ideo quod ea violando ostenderit, se Deum non recte amasse, adeoque peccasse in primam tabulam legis moralis, de Deo perfecte amando; aut ea observando, demonstravit se esse observatorem primæ tabulæ, Deumque se perfecte amasse. Ut prœmium & pœna sequantur observata aut violata præcepta, non tam legis alicujus *positivæ*, quam *moralis*, quæ sua natura hoc elogium sibi junctum habet: *qui ea feceret vivet in iis*. Sed de natura legis, cum moralis, tum positivæ, suo loco.

*Cultura terræ non fuit lex fœderalis.*

XI. Præter hanc legem πειραστικὴν nulla alia positiva Adamo data fuit, in fœdere operum. Non *cultura terræ*: non *Sabbathum*, non *Matrimonium*, ut nonnulli docent. Ante omnia observandum est, nec *culturam terræ*, nec *matrimonium* potuisse dici *leges fœderales*; cum natura *legis fœderalis* consistat in eo, ut homo per eam mereatur, quod de *cultura terræ* & *matrimonio* dici non potest. Nam I. *Cultura terræ* erat *naturalis sequela conditionis hominis*, in qua creatus fuit, & pars *dominii*, quod ipsi à Deo fuit concessum. Deinde dubitari non potest, quin cultra terræ dependerit de ipsius arbitrio, ut eam coleret pro voluntate sua, & ad desiderium rerum, quas per istam culturam sibi comparare volebat, quæ magis sunt *beneficii*, quam *legis*. Omnes qui terram non colerent, peccarent. II. *Sabbathum*, si ipsi datum, utique lex dicenda esset. Sed ipsi datum fuisse, dici non potest, (1. quia multa sæcula postea, nempe post exitum ex Ægy-

*Nec Sabbathum.*

Ægypto, in deserto demum institutum est (2. quia Adamus in statu integritatis eo non habuit opus; cum Deum perfecte coluerit, omnibus momentis, etiam inter laborandum: (3. quia ponit sanctificationem & abstinentiam à peccato, qua Adamus integer non opus habuit. (4. quia ponit peccatum & fœditatem operum, à quibus abstinendum est, ut sanctificatio à Deo exspectetur, quæ ante peccatum locum non habebant. (5. quia per Sabbathum homo arcetur ab operibus, etiam sua natura licitis; sed arceri ab ejusmodi operibus, est pœna peccati, quod cum statu integro non conveniebat. Sed de *Sabbatho* fusius suo loco. III. *Matrimonium* non fuit *lex*: cum fuerit necessaria sequela naturæ, in qua homo creatus fuit; scilicet ut hoc modo sanctum semen Deo propagaretur. Deinde peccarent contra legem, quicunque matrimonium non contraherent. Tandem nec per *culturam terræ*, nec per *matrimonium* potuissent mereri.

*Nec Matrimonium.*

XII. Cum autem Adamus legem istam, de non comedendo fructu, accepisset, ut per eam probaretur, non est existimandum eum in æternum fuisse probandum, sed certum curriculum & metam probationis ei à Deo fuisse præscriptam. Curriculum autem, sive meta ista probationis, videtur fuisse usque ad tentationem Diaboli per serpentem. Hanc igitur tentationem si superasset, & si legem moralem observasset, sibi acquisivisset δικαίωμα & *jus* petendi vitam æternam. Nam *ei qui operatur, merces imputatur, non ex gratia, sed ex debito.* Rom. 4: 4. Hinc in sua integritate à Deo confirmatus, ex statu *labili*, in *non labilem* ac summam fœlicitatem cœlestem translatus fuisset; quemadmodum angeli, qui in sanctitate steterunt, nec cum reliquis peccarunt. *Vincenti dabitur comedere de arbore vitæ.* Apoc. 2: 7.

*Adamus non erat probandus in æternum.*

XIII. Si Adamus stetisset omniaque fecisset, meritus quidem fuisset, sed 1. Non ex *Condigno*, quasi vel ipsius persona, vel ipsius opera tanto prœmio digna fuissent. Nulla sane creatura, etiamsi perfectissima, apud Deum mereri potest. (1. quia Deo omnia debemus. Luc. 17: 10. (2. Deo nullum potest adferri commodum cum sit אל שדי *Deus sufficiens.* Genes. 17. Vide Job. 22: 2. (3. quicquid homo boni habet, id habet à Deo. Phil. 2: 13. Act. 17: 28. 1. Cor. 4: 7. (4. Nulla datur proportio inter opus creaturæ, & fruitionem Dei. Nec etiam II. meritus fuisset ex *congruo*, scilicet propter eximia dona, quæ à Deo acceperat. (1. quia Deus fuisset acce-

*Adamus non poterat mereri ex condigno.*

*Nec ex congruo.*

acceptor personarum, qui benefaceret ob propria dona, (2. quia in Adamo nulla fuit gratia *gratum faciens*, cum omnia à Deo habuerit. Ergo meritus fuisset ex *pacto* tantum, secundum stipulationem fœderis, ex mero beneplacito Dei.

*Sed ex pacto.*

*Sanctio fœderis operum est. I. Promissio.*

XIV. *Sanctio* fœderis operum consistit in *promissione* & *comminatione*. Promissa fuerunt Adamo bona majora & perfectiora, quam habuit in isto statu etiam felici. Fuit enim ei promissa omnimoda *immortalitas*, & vita summe perfecta in cœlis; nam in corpore & anima fuisset transferendus è Paradiso terrestri, in Paradisum cœlestem, corpore liberato à necessitatibus rerum terrestrium, atque ita immutato, ut nullo cibo, potu, somno aliisve rebus ad hanc vitam terrestrem opus habuisset; sed ut Deo potuisset perfecte frui absque ullis creaturis; cujus rei exempla habemus in Enocho, Elia, Christo, omnibusque sanctis, post resurrectionem.

*Adamo fuisse promissam vitam æternam.*

XV. Vitam hanc cœlestem & æternam Adamo fuisse promissam, multis argumentis probatur. (1. Ex ipsa natura fœderis, quod ut plurimum iniri solet ad acquirendum meliorem statum. Non poterat autem Adamus exspectare fœliciorem statum in hac terra, ergo eum debebat possidere in cœlo. (2. Si in terra tantum debuisset esse beatus, non magna differentia fuisset inter ejus fœlicitatem & Paradisum Mahomedis. (3. In Paradiso rebus terrenis egebat, & per eas fuit invitatus ad plenam fruitionem Dei in cœlis. (4. In Paradiso obnoxius fuit culturæ terræ, esui, potui, somno &c. unde factum est, ut non unicè, tam perfecte & immeditate Deo frueretur, ac in vita cœlesti. Ergo (5. quamdiu cœlestia non possedisset, non fuisset perfecte beatus, quia iis caruisset. Sed qui re aliqua caret, qua frui potest, non est perfecte beatus. (6. Perfectior beatitudo est, frui Deo immediate in cœlo, quam mediate per creaturas in Paradiso. (7. Nulla est ratio, quare conditio Adami fuisset infrà conditionem regenitorum: cum debeant fieri ἰσάγγελοι Luc. 20: 36. qui fruuntur Deo sine rebus terrenis. (8. Convenit bonitati Dei, ut hominem ratione præditum, & perfecte sanctum, etiam perfecte beatum reddat. (9. Natura hominis, quæ est spiritualis, mere spiritualia desiderat. (10. Homini datum est desiderium de summo bono in cœlis: ergo debet satiari, alias desiderium ei datum fuisset, ad eum torquendum, quod repugnat bonitati Dei. (11. *Paradisus* & *arbor vitæ*, quæ fuerunt sacramenta fœderis operum, significabant cœlum. (12. *Comminatio* continebat

bat mortem *æternam*, non minus ac temporalem. Ergo *Promissio*, vitam *æternam* & *cœlestem*. ( 13. Lex est *justa* & *bona*, Rom.7:12. Ergo summum bonum promittit. ( 14. Christus exsertis verbis docet, legem promittere vitam æternam. Matth. 19: 16. *Si vis intrare in vitam æternam, fac mandata.*

XVI. Huic veritati frustra se opponunt *Sociniani*, & ex reformatis nonnulli, quamvis diversa intentione, hisce nempe argumentis. *Argumenta contraria.* 1. *S. Scriptura tacet de vita æterna & spirituali, quam Adam debuisset vivere in cœlis.* Respondeo 1. Sacram Scripturam etiam non dicere : Adamo fuisse promissam tantum vitam terrestrem in Paradiso. 2. Etsi Sacra Scriptura id non dicat αὐτολεξεὶ, tamen id sequitur, per necessarias consequentias, uti ex dictis patet. 3. Scriptura hoc clare docet. Matth. 19: 16, 17. II. *Fœdus fuit naturale, ergo non potuit continere promissiones, quæ naturæ modum superant.* Resp. 1. vita cœlestis naturæ modum non superat, immo convenit cum natura hominis perfectè sancti & justi, ut summo bono frueretur. 2. Si naturam superat, tunc nemo eo frui poterit, ne in fœdere quidem gratiæ, nec Angeli. III. *Nulla est proportio inter officium & promissionem.* Resp. 1. Adamo non fuit promissa vita cœlestis ex *condigno* sive ex *proportione*, sed ex pacto. 2. Est *proportio* inter bonitatem Dei, & desiderium hominis, ut, quod per tale desiderium homini promiserat, id ei etiam daret. IV. *Nihil ad honestam & naturæ congruentem voluptatem defuit.* Resp. Defuit tamen summum bonum : quia homo fruebatur Deo per creaturas. Erat intentus *culturæ, somno, esui, potui* &c. sed poterat fieri ἰσάγγελος. V. *Tale bonum non indicabat promulgatio istius fœderis, nec externa, nec interna.* Resp. per *Externam* continebatur promissio vitæ æternæ, sub comminatione mortis æternæ. Nam quando mors æterna proponitur inobedienti, vita æterna promittitur obedienti. Eadem promissa fuit, per *Paradisum* & *arborem vitæ*. *Interna* promulgatio fuit, non tantum *lex moralis*, quam cordi inscriptam habuit, sed & *desiderium* summi boni, quod Deus ipsi indiderat. Ergo *interna* promulgatio indicabat vitam æternam. VI. *Expressis verbis pœna comminatur ; sed nullum ejusmodi bonum promittitur.* Resp. 1. sub ipsa *comminatione* mali continetur promissio boni. 2. Promissio fuit desiderium innatum de summo bono. expresse satis tale bonum promissum fuisse, patet Mal. 19: 16, 17. *Si vis intrare in vitam æternam fac mandata.* VII. *Non poterat frui vita cœlesti, citra integram mutationem, quæ Adamo non fuit*

*revelata.* Resp. Sufficit eum novisse τὸ ὅτι, quamvis ignoraverit τὸ πῶς, quale exemplum habemus in Abrahamo Rom. 4: 17. VIII. *Hoc fœdus non habuit Mediatorem, qui majus bonum conciliaret.* Resp. Non opus habuit Mediatore, ut nec Angeli qui confirmati sunt. IX. *Homo integer cum incredibili gaudio ex amoris divini sensu, & Angelorum consortio poterat perpetuò perfundi, tum & vivere etiam vitam immortalem, sejunctam ab omni malo, & omni bonorum genere abundantem.* Resp. Non est credibile Adamum potuisse frui summo bono in terra: cum in terra Deo frueretur per creaturas, sed in cœlo eo fruatur sine creaturis, ergo perfectius.

*II. Pars sanctionis est Comminatio.*

XVII. Altera pars sanctionis fœderis est *Comminatio.* *Quo die comederis morte morieris.* Gen. 2: 17. *Maledictus quicunque non perstiterit.* Deut. 27: 28. Per hanc autem *mortem* intelligi debet, omne genus mortis & malorum. I. Mors *temporalis.* Debebat enim *in pulverem* redigi propter peccatum. Gen. 3: 16, 17, 18. Job. 5: 7. II. Mors *spiritualis*, quæ consistit in corruptione naturæ, in cæcitate mentis, & voluntatis perversitate. Ephes. 4: 18. nec non in separatione ab amore & communione Dei. Ephes. 2: 1. Col. 2: 13. Apoc. 20: 5, 6. III. *Mors æterna.* Dan. 12: 2. Luc. 16: 23. Rom. 6: 23. Male igitur docent *Sociniani*, à quibus non longe recedunt *Remonstrantes*, mortem æternam Adamo non fuisse propositam; nec *æternam*, nec *temporalem* esse peccati pœnam, sed *temporalem* esse tantum naturæ sequelam; ut homo etiam mortuus esset, etsi non peccasset. Sed de hisce fusius suo loco, ubi de *promissione* & *comminatione* fœderis gratiæ, sive de *Vita* & *Morte æterna.*

*Sacramenta fœderis operum duo.*

XVIII. *Sacramenta* fœderis operum duo fuerunt. I. *Paradisus*, & II. *Arbor vitæ*, quæ significabant Adamo vitam æternam & cœlestem. Paradisum vitam æternam & cœlestem significasse patet.

*I. Paradisus.*

(1. quia Adamus alibi creatus, & in *Paradisum* introductus est, ut disceret sibi paratam esse aliam patriam, & se ibi tantum esse inquilinum. (2. Exsertis verbis *Cœlum* vocatur *Paradisus.* Luc 23: 43. 2. Cor. 12: 4. Apoc. 2: 7. Ubi autem *Paradisus* fuerit? difficillimæ est disquisitionis. Nam quod nonnulli dicant, eum fuisse ipsum *Cœlum*, aut *cæli spatia*, sub orbem lunæ, *tertiam aëris regionem*: aut totum *mundum*, ut fuit ante peccatum Adami, aut *Americam*, vel *Insulam Sedano*, vel *Taprobanam*, vel insulas *fortunatas*, vel alium aliquem locum remotum & inaccessum, id non tantum probari nequit, sed & absurdum videtur. Fuisse tractum *Genasareth*,

*reth*, verisimilius quidem est, sed tamen incertum. Propius ad veritatem accedere videntur, qui eum circa Babilonem ponunt. Sed quæstionem hanc suis auctoribus relinquimus

XIX. *Arborem vitæ* fuisse *sacramentum* vitæ æternæ patet. (1. quia *viventi dabitur comedere de arbore vitæ.* Apoc. 2: 7. intelligitur ibi vita *æterna* (2. *Ne comedat & vivat in æternum.* Gen. 3: 2. Ergo si tentationem superassent, de arbore vitæ commedissent eaque usi fuissent, tanquam *sacramento justificationis per opera ex pacto*, vide etiam Prov. 3: 18. ubi vera *sapientia* dicitur *arbor vitæ*, quia ducit ad vitam æternam. Tit. 1: 1. (3. Significabat *Christum*; qui *arbor vitæ* dicitur. Apoc. 2: 7. quia ipse Christus Adamo dedisset vitam æternam, non tanquam *Mediator*, ut in fœdere gratiæ, sed tanquam auctor & *fons* omnis *vitæ*. Joh. 1: 4. & 5: 21. Hinc sequitur arborem vitæ I. non habuisse vim *medicandi*; quia homo integer medicina non opus habebat. II. Nec habuisse vim *nutriendi*, præter reliquas arbores. Multo minus III. habuisse vim *longam vitam conservandi*, aut immortalitatem dandi, ut *Sociniani*, *Pontificii*, & *Lutherani* docent. Hoc enim præstitisset, aut ante, aut post legem observatam, & superatam tentationem. Non *ante*: quia *Vincenti* promittitur, *comedere de arbore vitæ.* Apoc. 2: 7. Non *post obedientiam* præstitam: quia tunc inutilis fuisset: homo enim obtinuisset vitam, ut prœmium obedientiæ, non vi alimenti. Nec poterat reddere hominem immortalem post lapsum. (1. quia decretum Dei, & ipsius minæ, de puniendo peccatore, irritæ fuissent; & homo obtinuisset vitam æternam, contra voluntatem Dei. (2. Reliquæ arbores omnesque cibi frustra dati fuissent, cum hæc sola omnia præstitisset. Fuit igitur *Sacramentum tantum justificationis per opera, secundum pactum*, & *symbolum vitæ æternæ post victoriam:* adeoque si Adam tentationem superasset, & in sanctitate perstitisset, de eo comedisset. *Nam vincenti dabitur comedere, de arbore vitæ.* Apoc. 2. Hanc arborem unicam tantum fuisse, non videtur; sed magis verisimile est, fuisse integram *speciem*. (1. quia particeps fuit benedictionis de multiplicatione. Genes. 1: 11, 12. (2. De pluribus fit mentio. Ezech. 47: 12. Apoc. 22: 2.

*II. Arbor vitæ.*

*Arboris vitæ virtus.*

*Fuit Sacramentum.*

*Fuit integra species*

XX. Arbor *scientiæ boni & mali* non fuit Sacramentum. (1. quia sacramentorum natura consistit in *naturali usu* signi, ad denotandum bonum spirituale, quod habet analogiam cum signo ejusque naturali usu: ut apparet in *arbore vitæ*, *Paschate*, *Circumcisione*, *Lavacro*

*Arbor scientiæ boni & mali non fuit Sacramentum.*

*vacro Baptiſmi*, *Sacra Cœna* &c. *Uſus* autem *naturalis* fructuum eſt comeſtio: ſed *uſus* arboris boni & mali, id eſt *comeſtio*, non fuit *conceſſus*, ſed *prohibitus.* (2. Sacramenta ſignificant *bona ſpiritualia*, ſed arbor ſcientiæ boni & mali *mortem* minabatur & adferebat. Ergo (3. Arbore vetita homo non poterat *uti* ſed *abuti* tantum: quia uſus ejus naturalis, qualis eſt comeſtio, prohibebatur.

XXI. Hanc ſententiam non evertunt, quæ in contrarium adferuntur. 1. *Non omnia ori & guſtui conceſſa ſunt, ſacramentorum quorundam uſus conſiſtit in contemplatione ſigni, & meditatione rei ſignatæ, ut conſtat ex iride, & ſerpente æneo, ubi nullus ſacramentalis uſus præter contemplationem.* Reſp. 1. Non dicitur omnium ſacramentorum uſus conſiſtere in *comeſtione*, veluti *Circumciſionis*, *Baptiſmi* &c. ſed certum tamen eſt, uſum iſtarum rerum, quæ comedi poſſunt, conſiſtere in comeſtione. 2. *Iris* & *ſerpens æneus* non habent alium uſum naturalem, quam ut contemplarentur. *Iris* enim non poteſt niſi aſpici tantum. *Serpens æneus*, qua ſerpens, aliter uſurpari non poterat, quam per aſpectum. Nec aliter & *iris* & *ſerpens æneus* rem ſignificatam repræſentabant, quam per aſpectum. Sed naturalis uſus arboris vetitæ, erat *eſus*, non ſola *contemplatio.* II. *Omnium arborum uſus non conſiſtit in eſu, uti patet ex arbore vitæ, de qua Adam comedere non poterat, niſi poſt victoriam; nam vincenti dabitur comedere de arbore vitæ.* Apoc. 2: 7. *Ergo Adamus ante lapſum attingere non poterat, & tamen fuit Sacramentum.* Reſp. Omnis *uſus naturalis* arborum quæ fructum ferunt, conſiſtit in *eſu*, etiam *arboris vitæ.* Adamus etiam de iſta arbore comedere debuit; ſed tantum poſt probationem, poſt victoriam, & poſt juſtificationem per opera, ſecundum pactum: quemadmodum à Sacra Cœna abſtinendum eſt, quamdiu homo ſe ipſum non probavit, & à peccato repurgavit. 1. Cor. 11: 28. Sic *vincenti dabitur comedere de arbore vitæ.* Apoc. 2: 7. Ergo arbor vitæ, juſto ſuo tempore, *eſum* requirebat, ut Sacra Cœna; ſed non data fuit ad ſolum aſpectum, ut nec *panis* & *vinum* in Cœna, quamvis homini non ſit permiſſum omni tempore, comedere panem & vinum. Male etiam dicitur; *Adamus fructus arboris vitæ non potuit attingere, ante lapſum.* Poſt lapſum non poterat attingere, cum vitæ ſe indignum reddiderit. Nam ſi non lapſus fuiſſet, & tentationem ſuperaſſet, tunc attigiſſet. III. *Diluvium & mare rubrum erant Sacramenta non ob uſum aquarum, ſed potius quod Noam & Iſraëlitas non tetigerint.* Reſp. Non fuerunt Sacramenta, ideo quod non teti-

*Objectiones.*

tetigerint, sed quod *sepeliverint* Noam & Israëlitas. Nam *usus aquarum* varius est; vel potest *bibi*, vel adhiberi ad *lotionem*, vel potest *submergere* & *sepelire* corpora. Erant itaque Noachus & Israëlitæ aquis istis quasi *sepulti*, *obtecti* & *immersi*, tanquam si cum Christo in baptismate fuissent *mortui* & *sepulti*, ut loquitur Paulus. Rom. 6: 4. & Petrus 1. Petr. 3: 21. Col. 2: 12. IV. *Sacramenta etiam significant mortem & condemnationem, ergo & arbor scientiæ boni & mali.* Resp. 1. Negatur. Significant enim omnia *beneficia* per Jesum Christum. 2. Omne Sacramentum debet ponere *analogiam* inter signum & rem signatam, secundum usum naturalem signi. Sed usus alicujus *fructus* est dare vitam, non mortem. 3. Nunquam *usus* Sacramentorum damnat, sed *abusus*: ut nec usus legis, sed legis abusus. V. *In arbore scientiæ erat signum & res signata: ergo & Sacramentum.* Resp. Negatur. Instant. *Signum fuit arbor visibilis, & res significata obsignatio tam promissionis, quam comminationis fœderis.* Resp. 1. Non quælibet res materialis & *visibilis* est *signum Sacramentale*, sed illa tantum, quæ à Deo ut signum instituta est, cujus usum naturalem Deus jubet, ad designandam gratiam spiritualem, quæ cum usu naturali habet analogiam. 2. Nego rem significatam esse *comminationem*: nunquam enim comminatio significatur per Sacramenta, nisi per accidens, si aliquis iis abutatur, alias semper bonum aliquod denotat.

*Instantia.*

## LOCUS IX.

## *De Violatione fœderis Operum per peccatum.*

## CAPUT III.

### *De Violatione Fœderis operum per peccatum.*

I. FOEdus operum, quod Deus cum Adamo pepigit, non diu stetit, sed violatum & antiquatum est. Est autem antiquatum variis modis, & quinque quasi gradibus. I. Per *peccatum* à parte hominis; cum per peccatum redditum sit inutile, ad justificandum & vivificandum hominem. A parte Dei. II. per *novum fœdus gratiæ*, quo factum est, ut *fœdus operum* peccatorem damnare non potuerit. III. Sub novo Testamento, per *libertationem ab ira*, *metu mortis*, & *servitute legis*, sub qua fuerunt fideles

*Fœdus operum variis modis antiquatum est.*

Veteris Teſtamenti. IV. Per *liberationem à lucta cum peccato*, quod fit per mortem corporalem. V. Per *abolitionem omnium effectorum peccati*, poſt reſurrectionem. Nam quamdiu in nobis ſupereſt aliquid *peccati*, ſupereſt etiam aliquid *fœderis operum*; ubi autem omnia effecta peccati plane ceſſant, ibi etiam fœdus operum plane abolitum eſt.

*Etymologia peccati apud Hebræos.*

II. Peccatum Hebraice dicitur חטאה à חטא *erravit à ſcopo.* Judic. 20: 16. פשע *defectio.* Exod. 34: 7. עין *Perverſitas.* Pſ. 49: 6. עברה *tranſgreſſio.* Hoſ. 6: 7. מרר & מרי *rebellio.* Joſ. 22: 22. בגד *perfidia.* Eſ. 24: 16. מיל *pravaricatio.* Num. 5: 27. Græce dicitur ἁμαρτία & ἀνομία. 1. Joh. 3: 4. *Tranſgresſio & aberratio à lege.* παράπτωμα, παράβασις, ἀδικία *injuſtitia* &c.

*Apud Græcos.*

*Peccati deſcriptio.*

III. Optime deſcribitur peccatum à Johanne. 1. Joh. 3: 4. per ἀνομίαν. *Peccatum eſt quod eſt contra legem.* Quicquid igitur contra legem Dei non eſt, peccatum dici non poteſt, ſine ſuperſtitione. Peccatum eſſe *ſubſtantiam*, male ſtatuit *Flaccus Ilyricus.* Non enim poteſt dici *ens poſitivum*; nec *accidens*, multo minus *ſubſtantia*: quia *ſubſtantia* omniſque *res poſitiva* habet Deum auctorem; ſed Deus non eſt auctor peccati. Non etiam poteſt dici *Nihil negativum*, quia *nihil* non meretur pœnam; & Deus puniret propter nihil. Deinde aliud eſt *nihil agere*, aliud *male agere*: qui peccat, *male* quidem agit, ſed non agit *nihil.* Eſt ergo aliquid *privativi*, id eſt, *abſentia perfectionis legis*: unde & ἀνομία dicitur. 1. Joh. 3: 4. Male nonnulli argumentantur. I. *Peccatum poteſt definiri; ergo eſt ſubſtantia.* 1. Joh. 3: 4. Non enim eſt definitio in verbis Johannis, ſed *deſcripto* tantum, quod ſit privatio perfectionis legis: dicitur enim ἀνομία. II. *Si nihil eſt, ergo homo punitur propter nihil, ſine cauſa, quod eſſet injuſtum.* Nam non eſt nihil *negativum*, ſed nihil *privativum*; nempe privatio perfectionis legis. Peccatum igitur non habet cauſam *efficientem* tantum: cum conſiſtat in mera *privatione.* Unde ſequitur. Deum peccati auctorem dici non poſſe.

*Non eſt ſubſtantia nec Ens.*

*Non eſt nihil negativum.*

*Sed privativum.*

Objectiones.

*Quo ſenſu non omne peccatum ſit voluntarium?*

IV. Non omne peccatum eſt *voluntarium*, ſi per τὸ *voluntarium* intelligatur agere *ſcienter*, ex *conſilio*, *firma* & *fixa voluntate*; ut male doceant *Pontificii* & *Sociniani*, rationem formalem peccati eſſe τὸ ἑκούσιον *voluntarium*: non autem ἀνομίαν & *aberrationem a lege.* Nam (1. ſæpe peccamus per ignorantiam. Pſ. 19: 13. Ergo non ex conſilio, & *firma* voluntate. (2. *Facimus ea quæ non volumus.* Rom. 7: 19. Hinc ſequitur ipſam *Concupiſcentiam*, &, uti loqui amant, primo primos motus irritantes ad malum, eſſe peccatum, quod peſſime negant

*Pon-*

*Pontificii* & *Sociniani*, ut corruptionem humanæ naturæ facilius elevarent. (1. Exſertis verbis *Concupiſcentia* dicitur *peccatum*. Rom. 7: 7. (2. Eſt contra ultimum præceptum Decalogi. (3. Oritur ex corrupta natura, id ex eſt ipſo peccato: ſed qualis cauſa, talis effectus. Matth. 7: 18, 19, 20, 21. (4. Hominem, ſaltem ad aliquot momenta, quamdiu eum titillat, & ad appetendam creaturam allicet, à perfecto & conſtanti amore Dei abducit. (5. Ipſi motus primi ad peccatum allicientes ſunt *voluntarii*: nam *involuntarium* id ſolum dici debet, quod fit per *poſitivam nolitionem*, contra voluntatem, quando aliquis aliunde vim patitur & *cogitur*. Sed nulla *concupiſcentia*, nullumque *peccatum* fit per *poſitivam nolitionem*, & *coacte*; ergo etiam omnis *concupiſcentia* omneque *peccatum*, hoc ſenſu eſt *voluntarium*. Non ſequitur I. ex verbis Pauli. Rom. 7. *Facio quæ non volo: ergo concupiſcentia eſt involuntaria, adeoque non eſt peccatum*. Nam etſi *non velit*, voluntate fixa & conſtanti; *voluit* tamen primis motibus, & agit non *coacte*; ergo *voluntarie*. Nec II. ex verbis Jacobi 1: 15. *Concupiſcentia poſtquam concepit parit peccatum*, *ſequitur eam eſſe tantum cauſam peccati*, *non peccatum ipſum*: nam eo ipſo quod *concipiat & pariat peccatum*, ipſa quoque eſt peccatum; ſimile enim concipit ſibi ſimile, & Leo parit leonem. Ebrietas eſt cauſa furti, adulterii, homicidii, tamen ipſa eſt peccatum.

*Involuntarium quid?*

*Objectiones.*

V. Peccatum aliud dicitur *Omiſſionis*, aliud *Commiſſionis*. Peccatum *Omiſſionis* eſt, *ubi deeſt actus & bonitas actus*. De hoc loquitur Servator. Matth. 25: 42. *Eſurivi*, *ſed non cibaſtis me*. Peccatum *Commisſionis* eſt, *ubi adeſt quidem actus*, *ſed deeſt bonitas actus*. Ut in *furto*, *homicidio* &c. ubi eſt actus, ſed perverſus actus. *Coactio* ad malum non eſt peccatum. Ex. gr. ſi quis inſtar trunci trahatur in templum Idoli, non committit Idololatriam. *Ignorantia* aliquomodo excuſat, tamen *peccato* non plane vacat. Sic per ignorantiam quidem Judæi Chriſtum crucifixerunt, Act. 3: 17. tamen non innocentes fuerunt. Vide, 1. Timoth. 1: 13. Pſ. 19: 13.

*Peccatum eſt vel omiſſionis, vel commiſſionis.*

*Coactio & ignorantia an peccatum?*

VI. Omnium peccatorum fons fuit *Adamus*; nam *per unum hominem peccatum introivit in mundum*. Rom. 5: 12. Et quamvis Eva prior peccaverit, & *cauſa tranſgresſionis* dicatur. 1. Tim. 2: 14. nihilominus tamen Adamus primus peccator dicitur. (1. quia fuit Princeps & caput generis humani. (2. quia per ejus lapſum peccatum habuit ſuum complementum.

*Fons peccati Adam.*

VII. Ad peccatum *Eva* inducta eſt per *Serpentem*. Gen. 3: 1. &c.

 qui-

*Serpens quid?* qui non fuit nudum *animal*, sed ipse *Diabolus* sub serpente. Hinc *Diabolus* dici solet *draco*, & ὄφις ὁ ἀρχαῖος. Apoc. 12:9. & 20:2. & Es. 65:25. Nihilominus verus fuit serpens per quem *Diabolus* loquutus est. (1. quia ponitur inter *bestias terræ*. (2. quia pœna afficiebatur, ideo quia Diabolo inserviebat. (3. Dicitur animal *prudens* & *callidum*, quales solent esse *serpentes*. Gen. 3:1. Matth. 10:16. Ps. 58: 5, 6. Erat igitur tentator Diabolus, qui sub serpente latuit.

*Quomodo Eva decipi potuerit?* VIII. Si quæras quomodo Eva potuerit decipi à Diabolo, cum ei aurem non debuisset præbere, contra legem Dei? Respondeo, eam credidisse, sub serpente latere bonum aliquem Angelum, cum non sit absurdum, si dicamus in statu integro Angelos bonos Adamo apparuisse, sub aliquo corpore, & Deum tunc miracula per Angelos edidisse. Si dicas, *debebat credere esse Diabolum, adeoque non debebat ei aurem præbuisse; quia malum inculcabat contra legem Dei.* Respondebo, quod Diabolus non videatur sugilasse mandatum Dei: sed illud falsò tantum explicasse, quasi Eva mentem Dei non recte intellexisset: scilicet Deum non prohibuisse, sed velle ut de fructu isto comederet, quia dat scientiam: Deum autem scientiam & honestas delicias homini non invidere, sed ei omnia concessisse; quia omnia ad ejus usum creavit. *Adamus quomodo deceptus?* Adamus deceptus est, per blanditias uxoris. (1. forte ex amore conjugali. (2. quia viderat Evam adhuc vivere, unde poterat cogitare: se male intellexisse comminationem, & mortem non esse timendam. *Ejus peccatum gravius fuit.* Ejus peccatum tamen gravius fuit, quam peccatum Evæ. (1. quia fuit *caput* generis humani. (2. quia erat *maritus*, & uxorem debebat officii monere.

*Peccatum Adami est collectio multorum peccatorum.* IX. Adamus non peccavit tantum per *esum fructus vetiti*, sed *collectio* fuit ejus peccatum *multorum peccatorum*, veluti: *tepor in precibus*, *incuria* circa verbum Dei, aut circa mandatum de non comedendo fructu: *nimia securitas*; hinc *dubitatio* de veritate comminationis, *infidelitas*, *superbia*, *divinitatis affectatio*, λογισμοὶ πολλοὶ, Eccl. 7: 29. & tandem *esus fructus*. *Primus actus peccati quid?* Primus igitur actus peccati, adeoque primum omnium peccatorum, videtur fuisse *negligentia* & *tepor in precibus*: cum enim auxilium Dei non invocaverit, Deus id ei etiam non largitus est; hinc in graviora peccata reliqua lapsus est. *Processit à voluntate.* Peccatum autem istud Adami processit, non tam ab *intellectu*, quam à *voluntate*. (1. quia peccarunt nimia præcipitantia assensum præbendo seductoris verbis, *judicando* sibi permissum esse esum fructus: at *judicium* est in *voluntate*, uti probavimus, ubi de mente ejusque facul-

facultatibus egimus. ( 2. Esum fructus antecessit *incuria* circa verbum Dei, *tepor* in precibus, quod Dei auxilium in pugna non invocaverit, & nimia *securitas*, quæ actus *voluntatis* sunt.

*In Adamo integro non fuit concupiscentia.*

X. Quamvis dissimile admodum à nobis concipi possit, quomodo homo, tanta sapientia, & perfecta sanctitate præditus, se decipi sinere potuerit, tamen in Adamo ante lapsum non fuit *concupiscentia* & *illiciti cibi libido*, ut falso docent *Pelagiani*, *Jesuitæ* & *Remonstrantes.* ( 1. quia concupiscentia est peccatum, ut supra ostendimus. ( 2. Deus hominem non rectum, sed peccatorem creasset, prurientem libidine & ad scelera pronum. Ergo ( 3. Deus esset auctor peccati, adeoque ( 4. injuste ab homine peteret perfectionem. ( 5. Si *concupiscentia* esset naturalis, etiam *voluntas* inde orta peccatum non esset: quia homo non peccat, per id, ad quod naturaliter impellitur. Tamen non sequitur: *Adamum non potuisse peccare, si in eo nulla fuit concupiscentia ante peccatum:* cum & *Angeli* potuerint peccare, quamvis in iis nulla fuerit concupiscentia. Notandum etiam est, quod Adamus, ut ut perfectus creatus fuerit, sine lucta interna, tamen creatus fuerit ex nihilo. De nihilo itaque participavit, adeoque mutabilis fuit, ut perfectiones suas omnes amittere potuerit.

*Adamus ante lapsum habuit liberum arbitrium.*

XI. Quemadmodum Adamus à Deo receptus fuit in fœdus operum, ita etiam creatus fuit, ut istud fœdus posset observare: adeoque ante omnia habuit *liberum arbitrium* ante lapsum, ac *indifferens* fuit ad bonum & malum, ut potuerit stare vel cadere pro arbitrio. Quod tamen non est ita intelligendum, quasi *dubius fuisset ante lapsum, quo se verteret; indifferens* enim fuit, non quod *liberum arbitrium* consistat in *indifferentia*, est enim *indifferentia* infimus gradus *libertatis:* sed quod æque potuerit bene agere ac male, cum post lapsum non *bene*, sed *male* tantum possimus agere. Sed de *libero arbitrio* fusius suo loco Cap. XVI. *Liberum* igitur habuit *arbitrium* Adamus, atque hoc sensu indifferens fuisse dicitur, quod habuerit vires sufficientes ad standum æque ac ad cadendum. ( 1. quia fuit perfectus. ( 2. quia alias ad impossibile fuisset obligatus, quod esset contra bonitatem Dei.

*Adamus opus habebat ulteriori gratia Dei.*

XII. Tantas tamen *vires* non habuit, ut non indiguerit ulteriori gratia & auxilio Dei, ad non peccandum. Sane non male Augustinus distinguit inter *auxilium sine quo non*, & *auxilium quo.* Habuit enim Adamus *auxilium sine quo non* poterat stare: sed non habuit *auxilium quo* necessario staret, ita ut ulteriori gratia Dei non opus ha-

habuisset, ad standum, ut falso docent *Remonstrantes.* Et quamvis Deus hominem potuisset creare *immutabilem* & *non labilem*, tamen voluit eum creare *mutabilem* & *labilem.* (1. quia hoc requirebat ratio fœderis cum Adamo initi: alias promissio & comminatio nullum habuisset locum. (2. quia Deus alias non potuisset permittere ipsius lapsum, ad manifestandam gloriam suam, per exercitium justitiæ & misericordiæ. Non sequitur tamen: *Si homo non habuit auxilium quo necessario staret, eum necessario debuisse labi:* erat enim *indifferens*, ut posset *stare* æque ac *labi.* Tale igitur *auxilium quo* necessario staret, à Deo petere debuisset: cum non petierit, præsertim in tentatione Diaboli, Deus id ei justo denegavit. In hoc igitur videtur constitisse primum Adami peccatum, quod tale auxilium à Deo non petierit. Inde deceptio per Diabolum, comestio fructus, & totus lapsus. Lapsus igitur est Adamus, non quod Deus ei aliquam *gratiam substraxerit*, sed quod gratia Dei non recte usus fuerit, & ulterius auxilium Dei non invocaverit. Deus enim nullam gratiam substraxit. (1. quia propriam suam imaginem corrupisset. (2. quia hominem pœna affecisset, ante peccatum: talis enim *substractio gratiæ* fuisset pœna maxima.

*Non est lapsus quod Deus ei ullam gratiam substraxerit.*

*Providentia Dei etiam versatur circa peccatum.*

XIII. *Providentiam* Dei etiam versatam esse circa peccatum Adami, certum est, (1. quia homo in omnibus dependet à Dei decreto & Providentia. (2. quia Deus decrevit creare hominem labilem, permittere ejus lapsum, ei non dare auxilium necessarium ad non cadendum. (3. quia actiones physicas operatus est. Non sequitur tamen: *Deum esse auctorem peccati.* Nam (1. Deus peccatum vetuit lege sua. (2. Adamus libere & non coacte peccavit.

*Effectus peccati præcipui.*

*I. Macula quid?*

XIV. Præcipui effectus peccati, ad quos omnia mala possunt referri, sunt tres. I. *Macula.* II. *Reatus.* & III. *Pœna.* *Macula* non est *privatio gratiæ*, ut docent Scholastici, sed *depravatio* totius hominis, deturpatio imaginis Dei, intellectus cœcitas, & voluntatis perversitas. (1. quia peccatum *sordes* dicuntur. Apoc. 22: 11. *qui sordet, sordescat amplius.* Vide & Matth. 15: 11. (2. quia privatio gratiæ est pœna. *Macula* peccati hominem reddit Deo hostem; Deus enim non potest *videre*, id est approbare, malum. Habac. 1: 13. ob hanc enim maculam hominem *abominatur.* Prov. 3: 32. Immo homo sibi ipsi horrendus est, propter fœditatem & maculam peccati. Rom. 6: 21. II. *Reatus* maculam sequitur. Hebraice dicitur אשם Lev. 5: 2. Græce *esse sub reatu* dicitur, ὑπόδικος γένεσθαι

*II. Reatus quid?*

τῷ

τῷ Θεῷ. Rom. 3: 9. Est igitur *Reatus*, *Conditio in qua est reus donec vel absolvatur, vel condemnetur.* Vel est *obligatio ad pœnam propter peccatum.* Reatus distinguitur in *potentialem*, vel *actualem*. *Prior* est, qui peccatum ex interna natura delicti sequitur, quatenus peccator sua natura pœna dignus est, estque à peccato inseparabilis. *Posterior* est, quatenus vi legis divinæ homo quidem ad pœnam ordinatur: sed per misericordiam Dei ab homine tolli potest, quemadmodum ab electis ablatus est, per sanguinem Christi. Est igitur *Reatus* medium quid inter *culpam* & *pœnam*: oritur enim *ex culpa*, & ducit *ad pœnam*; ut unicus tantum sit *reatus culpæ* & *reatus pœnæ*. Inepte igitur distinguunt *Pontificii* inter *reatum pœnæ*, & *reatum culpæ*, quasi à nobis possit tolli *reatus culpæ*, manente tamen *reatu pœnæ*: quasi Christus nos liberasset, à *culpa*, sed ita, ut nos ipsi luamus *pœnam*, vel in Purgatorio, vel alibi; quod est falsissimum, ubi enim nulla est *culpa*, ibi nullus prorsus *reatus*, nullaque *pœna* concipi potest. III. *Pœna* est malum peccatori propter peccatum inflictum, secundum Comminationem legis: *quo die comederis morte morieris.* Genes. 2: 17. *Maledictus quicunque non permanserit* &c. Deut. 27: 26. Gal. 3. Hinc propter peccatum homo privatur *Dominio* rerum; omnia enim ei sunt inquinata & polluta. Tit. 1: 15. ut etiam ingemiscant omnes creaturæ, quod *vanitati ejus inserviant.* Rom. 8: 20, 21. adeo ut homo non tam uti possit *creaturis*, quam eis *abuti*. Hinc omnibus miseriis temporalibus & æternis obnoxius est.

*Potentialis & actualis.*

*Inepte distinguitur inter reatum culpæ & reatum pœnæ.*

*III. Pœna quid?*

XV. Quamvis primi parentes causa peccati fuerint, non sequitur tamen eos fuisse *damnatos*. (1. quia Deus cum Adamo inivit fœdus gratiæ. (2. quia Evam vocavit *matrem viventium*, id est, *Christi*, qui solus *vivit*, & *electorum*, qui revera vivunt: cum reprobi nascantur magis ad mortem, quam ad vitam: sunt enim *mortui in peccatis.* Ephes. 2: 5. Col. 2: 13. (3. quia ipsa Eva se solata fuit, credendo se peperisse *Messiam*, quando peperit *Cainum* & *Sethum*, aut saltem eum, ex quo *Messias* deberet nasci. Primos autem parentes damnatos fuisse, minime colligitur ex Psal. 82: 7. *Moriemini sicut Adam.* Nam in isto loco *Adam* significat hominem quemlibet; deinde notatur mors *temporalis*, non *æterna*.

*Primi Parentes non fuerunt damnati.*

*Objectio.*

XVI. Peccatum est, vel *Originale*, vel *Actuale*. *Originale* est vel *inhærens*, vel *imputatum*. Peccatum *imputatum* est ipse lapsus Adami, quatenus omnes homines censentur peccasse in Adamo, adeoque digni habentur eadem pœna, in quam se conjecit Adamus. (1. quia Ada-

*Peccatum Originale quotuplex? I. Imputatum.*

Adamus fuit totius generis humani caput, & fœderis princeps. (2. quia omnes homines fuerunt in eodem fœdere cum Adamo: ideo fœdus cum eo ruperunt. (3. Omnes iisdem *bonis*, ut *dominii* & *benedictionis* participes fuissent, si Adam stetisset. Gen. 1: 26, 28. (4. Omnes ad hunc usque diem participes sunt benedictionis, *crescite & multiplicamini.* (5. Omnes sunt sub eadem comminatione, adeoque. (6. sub effectis peccati, sub maledictione, iisdemque *malis*, sub *dolore*, *sudore*, *labore* & *morte.* Gen. 3: 16. &c. 1. Cor. 15: 22. (7. Anima nostra producitur destituta sanctitate originali, quod non potest fieri, nisi tanquam per pœnam, propter peccatum Adami. (8. Exsertis verbis dicimur *omnes in Adamo peccasse.* Rom. 5: 12. *In Adamo omnes mori, ut in Christo omnes vivificantur.* 1. Cor. 15: 22. Immo *mors* dicitur *regnare etiam in iis, qui non peccarunt, ad similitudinem transgressionis Adami.* Rom. 5: 14. Quod de ipsis *infantibus* in utero materno, aut recens natis etiam intelligi debet; iisdem enim malis, immo & morti, æque ac adulti subjecti sunt: ut & eodem *Mediatore* & *sacramentis*, ad obsignandam eorum justificationem & sanctificationem, opus habeant.

*Imputatur immediate.* XVII. Imputatur autem peccatum, non tantum *mediate*, propter *corruptionem* nostram, & quod approbemus peccata Adami, sed *immediate*, nondum habita ratione corruptionis nostræ, ob rationes modo allegatas. Deinde peccatum imputatum aliquomodo præcedit corruptionem naturæ nostræ; nascimur enim destituti sanctitate propter aliquod peccatum. Non propter nostrum peccatum, cum nullum actuale commisisse possimus, antequam nati simus: Ergo propter peccatum alterius, nempe Adami.

*Argumenta adversarior.* XVIII. Peccatum Adami nobis imputari, frustra negant *Pelagiani*, *Sociniani*, *Remonstrantes*, & *Anabaptistæ.* (1. quia dicitur. Ezech. 18: 20. *Filius non portabit inquitatem patris, sed anima quæ peccat morietur.* Nam 1. ibi non agitur de peccato Adami in fœdere operum, sed de peccato parentum ex quibus immediate nascimur, qui non sunt caput alicujus fœderis, ut Adamus. (2. Ex iisdem verbis sequitur infantes habere peccatum, cum moriantur statim ac nascuntur: nam *anima quæ moritur peccavit.* Ezech. 18: 20. II. Si *infantes dicuntur innocentes.* Ps. 106: 38. & *sancti.* 1. Cor. 7: 14. tales dicuntur, quia recepti sunt in fœdus gratiæ, & quia Spiritum Sanctum acceperunt, quo regenerantur. Joh. 3: 5. III. *Pueri nondum nati*, dicuntur *nondum boni aut mali quicquam fecisse.* Rom. 9: 11.

1. cate-

1. eatenus quatenus Paulus eos considerat ut *labiles* tantum, tanquam objectum prædestinationis. 2. dicuntur *nihil mali aut boni fecisse*, quo fieret aliquod discrimen inter pueros, quare Deus hunc amasset, illum odio habuisset. IV. Et quamvis *parentibus piis reatus sit remissus*, non sequitur tamen: *ergo & eorum liberi sunt sine peccato.* Cum *reatus* remissus sit ex gratia, manente tamen *macula*, immo & reatu *potentiali* id est sua natura semper sunt digni pœna, & parentes & liberi. V. Nec valet hoc argumentum: *ubi nulla lex, ibi nulla est transgressio.* Infantibus enim data fuit lex æque ac Adamo: cum fuerint in eodem fœdere. VI. Nec *iniquum est, ut propter unius peccatum, totum genus humanum periret.* Hoc enim 1. de Deo dici non potest, sine blasphemia, cum ejus viæ sint occultæ. 2. Non est iniquum, quia omnes homines cum Adamo in eodem fœdere fuerunt omniumque beneficiorem istius fœderis participes, si Adamus stetisset.

XVIII. Peccatum originale *inhærens*, est corruptio naturæ nostræ, prout destituti vera sanctitate omnes nascimur. Omnes autem homines nasci corruptos. (1. Experientia docet. (2. *Nemo ducit mundum ex immundo.* Job. 14: 4. Vane excipitur, hæc esse verba non Jobi; sed ipsius amicorum: cum ipse Jobus ea protulerit. At si vel maxime Jobus ea non protulisset; in thesi tamen verum est, quicquid illi dixerunt. Nec credibile est, Jobum eos non correxisse, si errassent. (3. *Arbor mala non potest ferre bonos fructus.* Matth. 7: 18. (4. Homo est *transgressor à ventre.* Es. 48: 8. *Figmentum cordis malum est a pueritia.* Gen. 8: 21. & 6: 5. Frustra excipitur נער significare *juvenem ad nuptias aptum*, uti *Sichem*: Genes. 34: 3. & נעירה notare *juventutem*: cum etiam significet *puerum trimestrem*, ut *Mosem.* Exod. 2: 6. *Samson* à nativitate. Jud. 13. (5. David, ut ut vir Sanctus, ipse fatetur: se *conceptum* & *natum* esse *in peccato.* Ps. 51: 7. Cum autem vir, tanta Sanctitate donatus, hoc de se dixerit, sane de omnibus intelligendum est. Nec id dixit tantum *hyperbolice*, sed & vere, & proprie, aliter hypocrytam egisset coram Deo. (6. *Mortui* dicimur *in peccatis nostris.* Eph. 2: 5. & natura *filii iræ.* (7. Homo natura sua est instar infantis recens nati, in horrendo statu. Ezech. 16: 4. &c. (8. Nulla ratio est, quare Deus daret semen Sanctum homini corrupto, & semen Sanctum non quærenti. (9. Infantes statim octavo die *circumcidebantur.* Ergo erant polluti peccato. Est enim

*II. Inhærens.*

*Exceptio.*

*Exceptio.*

 cir-

circumcisio signum *circumcisionis cordis* à sordibus peccati. Deut. 30: 6. Col. 2: 12. ( 10. Infantes *moriuntur*: at *mors* est *stipendium peccati*. Rom. 6. ( 11. Christus pro infantibus est mortuus. Hanc sententiam non evertit I. Paulus 1. Cor. 7. ubi dicit *fidelium liberos esse Sanctos.* Sunt enim Sancti per *regenerationem* Spiritualem, non per *generationem* naturalem. Nec II. quod *multi dicantur sancti*, *justi*, *perfecti &c.* tales enim dicuntur in Christo & fœdere gratiæ, non sua natura, sed per fidem & regenerationem. Aut dicuntur *justi*, justitia *causæ*, non *personæ*, quatenus aliquis potest esse justus in certa causa, quamvis alias sit injustissimus.

*Objectiones.*

*Virgo Maria habuit peccatum originale.*

XIX. Peccatum *Originale*, cum *imputatum* tum & *inhærens*, fuit in ipsa quoque virgine Maria. ( 1. quia peccatum venit in omnes homines. Rom. 3: 23. & 5: 12. ( 2. Nulla ratio est quare Maria exciperetur. ( 3. Ipsa vocat Christum *servatorem suum*. Luc. 1: 47. Ergo agnovit peccatum, alias *Servatore* non opus habuisset. ( 4. A Christo correpta fuit. Joh. 2: 4. Ergo peccavit. ( 5. Sacrificia obtulit *pro peccatis* secundum legem. Luc. 2: 21, 24. Collat. cum Levit. 12: 6, 8. ( 6. *Mortua* est, sed *mors est stipendium peccati*. Rom. 6: 23. Male contendunt *Pontificii*, eam fuisse sine peccato. I. quia dicitur *benedicta inter mulieres*. Ita enim dicitur quod fuerit Mater Christi; non quod fuerit sine peccato, nam & peccatoribus benedicitur. II. Non sine blasphemia dicitur: *hortus conclusus, flos campi, Palma, lilium convallium*, *Porta cœli* & quæ sunt similia; cum hæc de solo Christo, aut de tota Ecclesia intelligantur. III. Nec ideo sequitur: *peccatum Mariæ cedere in ignominiam filii ejus Jesu Christi*, & *Christum ipsum debuisse esse peccatorem*: alias enim peccatum avi, proavi immo & Adami in ejus ignominiam cederet, quod tamen falsum est: uti mox patebit.

*Objectiones.*

*Christus, nullum habuit peccatum.*

XX. Christum Originale peccatum non habuisse, patet. ( 1. quia in fœdere Adami non fuit. ( 2. Non est natus vi benedictionis generalis *crescite & multiplicamini*. Gen. 1: 28. sed ex speciali isto pacto inter patrem & filium. ( 3. Conceptus est ex Spiritu Sancto. Luc. 1: 15. Ideo. ( 4. Semen *mulieris*, non *viri*, dicitur. Gen. 3: 15.

*Actuale varie distinguitur.*

XXI. Sequitur peccatum *actuale*, quod quilibet actu committit, fitque *corde*, per pravas cogitationes: *ore*, per malum sermonem; & *opere*, sive *facto* quolibet prohibito. Ideo *cordis*, *oris* & *operis* dicitur. Pro vario objecto, atque circumstantia, peccatum actuale dicitur *involuntarium*, quod fit ex *ignorantia*, vel *voluntarium*,

quod

quod fit ex deliberato confilio. Vel per *infirmitatem*, vel *elata manu*, & ex *fuperbia*, vel *Regnans*, quod fit cum gaudio, & per habitum peccandi, ut in irregenitis; vel *non regnans*, ex ignorantia, infirmitate, cum lucta & triftitia, ut in piis. Vel etiam Dicuntur peccata *clamantia*, quæ funt horrenda fcelera, ut *cædes* Gen. 4: 10. *fraudes* Jacob. 5: 4. *Rapina.* Habac. 2: 11. *Oppreffio* Viduarum, Orphanorum & pauperum. Exod. 3: 7. & 22: 22. *Sodomia* &c. Gen. 18. Ergo non omnia peccata funt æqualia, ut Stoici olim ftatuebant; gravius enim peccatum eft *homicidium*, quam fi quis *pyrum* furatus effet; graviora *Regnantia*, *clamantia*, *voluntaria*, & quæ fiunt *elata manu*, quam reliqua. Graviora quæ contra primam, quam quæ contra fecundam tabulam. Ideo *tollerabilior eft conditio Tyri, Sidonis, & Sodomeorum, quam Hierofolymitanorum.* Matth. 11: 22, 24. Vide Luc. 12: 47, 48. Ezech. 5: 6.

*Non omnia peccata funt æqualia.*

XXII. Inde tamen non fequitur ullum dari peccatum fua natura *veniale*; omne enim eft *mortale*. (1. quia omne *peccatum eft contra legem*. 1. Joh. 3: 4. adeoque lædit juftitiam Dei. (2. ipfa *concupifcentia*, quæ leviffimum peccatum creditur, quam adverfarii vix peccatum dicere audent, tamen *occidit*. Rom. 7: 11. id eft morte dignum reddit. (3. *Omne otiofum verbum*, pœna dignum eft. Matth. 12: 36. (4. *Stipendium* omnis *peccati eft mors*. Rom. 6: 23. Deut. 27: 26. (5. Is qui *in uno impingit*, *eft reus omnium*. Jac. 2: 10. Fruftra peccata nonnulla elevant, eaque *venialia* probare conantur *Pontificii*, & *Sociniani*. I. quia *aliud vocatur feftuca*, *aliud trabs*. Matth. 7: 3. hinc enim fequitur tantum, peccata non effe *æqualia*; non autem ullum effe *veniale*; II. Quamvis *quædam peccata dicantur ftipula*. 1. Cor. 3: 12. funt tamen *peccata*, adeoque morte digna; cum etiam leviffima peccata æternam pœnam mereantur. III. Si *quoddam peccatum dicitur dignum pœna judicii, aliud pœna ignis*. Matth. 5: 22. Nullum tamen dicitur *veniale*: fed tantum fit mentio de diverfis gradibus peccati & pœnæ, præfertim ex mente Judæorum. IV. Nihil eos juvat locus Jac. 1: 15. *Concupifcentia poftquam concepit parit peccatum: peccatum vero peractum parit mortem.* Nam Jacobus oftendit, quo modo peccatum ex peccato nafcatur, fcilicet concupifcentiam effe matrem & fomitem omnis peccati; non tamen negat; ipfam concupifcentiam effe morte dignam, Immo eo ipfo quod pariat peccatum, ipfa eft peccatum, adeoque morte digna. V. Idem dicendum eft de verbis: 1. Joh. 5: 16. *Eft peccatum non ad*

*Nullum datur veniale.*

*Objectiones.*

*mortem*, *& est peccatum ad mortem*, Nam Johannes hic per *peccatum ad mortem*, intelligit *blasphemiam in Spiritum Sanctum*, quod peccatum nunquam remittetur. Matth. 12.

*Peccata quæ remissibilia, quæ non?*

XXIII. Omnia peccata propter sanguinem Christi sunt *remissibilia*. 1. Joh. 2: 1. Es. 1: 18. Sola tamen *blasphemia contra Spiritum Sanctum*, *non remittitur*: Matth. 12: 31. quare *peccatum ad mortem* dicitur. 1. Joh. 5: 16. Sine causa *Remonstrantes* hæc verba Christi: *non remitti*, exponunt per *non facile remitti*. Talem enim sensum verba Christi non admittunt. Quid autem sit *peccatum in Spiritum Sanctum?* vix exprimi potest, nisi dicamus: esse *blasphemiam*, quando aliquis ad lumen Spiritus Sancti oculos claudit, ad agnitam veritatem, eam conatur ex pectore excutere, Christum ejusque gratiam pedibus conculcat, Spiritum Sanctum, istius luminis & omnium gratiarum auctorem, proterve contra conscientiam, blasphemat. Cum autem *Spiritus Sanctus* sit auctor & causa istius luminis omniumque gratiarum, 1. Cor. 12: 3, 4. ideo peccatum, quo aliquis istud lumen istasque gratias excutere conatur, & quo Spiritum blasphemat, dicitur *peccatum in Spiritum Sanctum*. Non sequitur, ut contendunt *Remonstrantes*, I. Peccatum sive *blasphemiam in Spiritum S. remitti*, quia dicitur Es. 1: 18. *Peccata nostra etiamsi sint rubra ut sanguis, dealbari*, scilicet sanguine Christi. Ex hac enim Regula generali excipitur peccatum, sive *blasphemia in Spiritum Sanct*. Ergo de cæteris peccatis tantum est intelligendum. II. Christus *tulit*, *quidem peccata mundi*, *& est propitiatio pro peccatis totius mundi*. 1. Joh. 2. Tamen non pro *blasphemia in Spiritum Sanctum*, cum hoc peccatum exsertis verbis à Christo excipiatur.

*Peccatum in Spiritum Sanctum.*

# LOCUS X.

## *De Fœdere Gratiæ ejusque Mediatore.*

## CAPUT IV.

### *De Fœdere Gratiæ.*

*Fœdus operum abrogatum, per*

I. FOEdere *operum* ita per peccatum rupto, homo in æternum periisset, nisi Deus aliam viam peccatori monstrasset, per quam secum reconciliaretur. Ista autem via est Novum *fœdus*

*dus gratiæ*, quod Deus post fœdus ruptum pepigit cum peccatore. Et hic quidem est secundus gradus, per quem *fœdus operum* est abrogatum. *Fœdus operum* tamen non ita abrogatum credi debet, quasi nulla ipsius pars hodie in peccatore locum haberet. Est enim abrogatum tantum, quoad *beneficium*, quod hominem non amplius possit justificare, nec sanctificare, nec glorificare, sed non est abrogatum, quoad *officium* & *obligationem*. Deberet enim homo legem naturalem istius fœderis in æternum perfecte observare. Est autem fœdus gratiæ: *Gratuita conventio per quam Deus homini peccatori & ab æterno electo, promittit vitam æternam, sub stipulatione fidei in Christum Sponsorem; & per quam homo electus adstipulatur vera fide, firmaque παῤῥησίᾳ à Deo petit vitam æternam.*

*novum fœdus gratiæ.*

II. *Fœdus gratiæ*, quemadmodum & *fœdus operum* habet quatuor partes. I. *Stipulationem*, & II. *Promissionem* à parte Dei. III. *Adstipulationem* & IV. *Restipulationem* à parte hominis. I. *Stipulatio* est *fides*, aliam enim legem peccatori, per quam servaretur, Deus non præscribit, quam *fidem*, unde & *lex fidei* dicitur. Rom. 3: 27. Consistit autem in paucis hisce verbis: *crede & servaberis.* Joh. 6: 47. II. *Promissio* est eadem, quæ facta fuit in *fœdere operum*: nempe *vita æterna.* Ergo à parte Dei *stipulatio* & *promissio* continetur hisce verbis: *Qui crediderit habebit vitam æternam.* Joh. 3: 16. III. *Adstipulatio* est quando fidelis Christum vera fide amplectitur, sive in eum credit, ut dicat: *Credo Domine.* Marc. 9: 24. Hæc *adstipulatio* dicitur pulcherrime: ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας. 2. Cor. 9: 13. Hinc & Christus vocatur ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας. Hebr. 3: 1. & 4: 14. IV. *Restipulatio* est illa *fiducia*, quam habet homo credens, ut possit accedere ad Deum, ut petat vitam æternam. Dicitur autem ἐπερώτησις & παῤῥησία. 1. Petr. 3: 21. 1. Joh. 3: 21, 22. Vide Ps. 116: 10.

*Fœderis gratiæ quatuor partes.*

*I. Stipulatio.*

*II. Promissio.*

*III. Adstipulatio.*

*IV. Restipulatio.*

III. Hoc fœdus dicitur *Novum*, respectu fœderis *operum*, quod est *vetus* & *antiquatum*. Dicitur etiam *fœdus gratiæ.* (1. quia ex mera gratia fluit. Rom. 11: 6. (2. per *gratiam*, non propriis viribus, præstatur. (3. Prœmium est plane *gratuitum*; cum non detur nec ex *condigno*, nec ex *pacto*, sed ex mera *gratia*. (4. Remissionem peccatorum, & omnes *gratias* confert in Christo. Ephes. 1: 3. & 2: 8. Christus igitur non attulit *novum fœdus operum*, per *legem perfectiorem novaque mandata Evangelica*, & conditionem fidei, ut pessime *Sociniani*, *Remonstrantes* aliique docent. Sic enim nulla esset differentia inter *fœdus operum* cum Adamo perfecto, & fœdus Jesu

*Cur fœdus gratiæ dictum.*

*Christus non attulit novum fœdus operum.*

Christi cum peccatore, & salus esset ex *operibus*, non ex *gratia*, quod evertit totam Theologiam ut ex sequentibus fusius patebit.

*Fœdus gratiæ habet naturam Testamenti.*

IV. *Fœdus gratiæ* maxime habet naturam *Testamenti*, & *dispositionis testamentariæ*; ideo *Testamentum* dicitur Gal. 3: 15. *Testamento hominum, quod ratum factum est, nemo superaddit.* Et Christus vocatur κρείττονος διαθήκης μεσίτης. Hebr. 8: 6. Vide & Matth. 26: 28. Hinc & *testamentum æternum* nuncupatur. Hebr. 13: 20. quia includitur in æterno Dei decreto, cujus voluntas est, hac via dare hæreditatem. Hinc omnia quæ ad *Testamentum* requiruntur, in *Fœdere gratiæ* continentur. I. *Testator* qui est filius Dei. Hebr. 9: 16, 17. *Ubi est testamentum, mors Testatoris debet supervenire.* Vide Luc. 22: 29. II. *Hæreditas*, scilicet *vita æterna.* Luc. 22: 29, 30. Rom. 8: 17. III. Testatoris *voluntas immutabilis.* Hebr. 6: 17. IV. *Sanctio* & ratificatio testamenti, per *mortem* testatoris. Hebr. 9: 15, 16. Exod. 24: 8. Matth. 28: 26. V. *Hæredes* testamenti; qui sunt fideles omnes, cum sub *promissione*, tum sub *Veteri* & sub *Novo Testamento.*

*Fœdus operum & gratiæ in quibus conveniant?*

V. *Fœdus gratiæ* & *fœdus operum* in multis quidem conveniunt, sed in multis differunt. *Conveniunt* 1. quod eundem Deum auctorem habeant. 2. quod in utroque partes fœderatæ sint Deus & homo. 3. quod in utroque sit quædam *stipulatio* & *promissio* à parte Dei; *Adstipulatio* & *Restipulatio* à parte hominis. 4. quod utrumque perfectam obedientiam legi debitam & δικαίωμα postulet. 5. quod utrumque promittat vitam æternam.

*Differunt.*

Differunt autem. 1. quod *fœdus operum* initum fuerit cum homine *integro*; at *fœdus gratiæ* cum *peccatore.* 2. quod in fœdere *operum* fuerint *omnes* homines, at in fœdere gratiæ *certi*, nempe *electi* tantum. 3. quod *fœdus gratiæ* habuerit *Sponsorem*, *Internuncium*, & *solutionem*, non autem fœdus operum. 4. quod *fœdus operum* obedientiam & δικαίωμα legis postulaverit ab ipso fœderato homine; at *fœdus gratiæ* à *Sponsore.* 5. quod fœderis operum caput fuerit *Adamus*; at fœderis gratiæ caput ac princeps sit Sponsor *Jesus Christus.* 6. quod *stipulatio* in fœdere operum fuerit *opus*, his verbis: *fac & vives:* at in fœdere gratiæ *fides*, hoc modo: *crede & habebis vitam æternam.* 7. quod per fœdus operum nemo servatus fuerit; sed per fœdus gratiæ omnes fœderati serventur. 8. quod homo excidere potuerit fœdere operum, & revera exciderint omnes, adeoque quod istud fœdus fuerit *mutabile:* at fœdus gratiæ sit æternum, & *immutabile*, quo nemo excidere potest, nec excidit. 9. quod in fœdere operum homo *viribus* na-

*naturæ* adſtipulatus fuerit; ſed in fœdere gratiæ ſolo auxilio & mera *gratia Dei.* 10. quod fœdus operum unico tantum modo admini-ſtratum fuerit: ſed fœdus gratiæ triplici modo, ſecundum *triplicem œconomiam*, ſub *Promiſſione*, ſub *Veteri* & ſub Novo *Teſtamento.*

## CAPUT V.

*De Mediatore Chriſto ejuſque Sponſione & Conſilio Pacis.*

I. CUm peccator factus ſit inimicus Dei, nullum fœdus cum eo habere potuit ſine internuncio ac *Mediatore* aliquo, qui hominem cum Deo reconciliaret. Latinius diceretur *Interpres*, *Internuncius*, quam *Mediator*. Aliis dicitur *Arbiter*, *Conciliator*, *Sequeſter*, *Interventor*, *Interceſſor* & *Interconciliator.* Sed cum apud Latinos nullum eſſet vocabulum, quod accurate exprimeret *Mediatorem* inter Deum & hominem ejuſque officium, & cum in Novo Teſtamento Græce legamus μεσίτης Gal 3: 19, 20. Hebr. 8: 6. 1. Tim. 2: 5. malumus retinere Vocabulum *Mediator.* Poſſet etiam vocari παράκλητος, ſive *Advocatus*, quæ vox occurrit. 1. Joh. 2: 1.

*Mediator.*

II. *Mediator* ille qui nos cum Deo reconciliaret, non debebat eſſe nudus *Interpres*, qui voluntatem Dei nobis exponeret, per novam legem, & novum fœdus operum, ut perverſe docent *Sociniani*, ſed qui eſſet A. εἰρηνοποιήσας, *qui pacem faceret per ſanguinem ſuum*, Col. 1: 20. B. qui *offerret precium redemptionis*, 1. Tim. 2: 5, 6. C. & qui non eſſet tantum *advocatus*, ſed & ſimul ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis.* 1. Joh. 2: 1, 2. Non poterat enim hoc fœdus pangi, niſi עלי זבח *ſupra ſacrificio.* Pſal. 50: 5. Debebat quoque talis *Mediator* eſſe *Deus* & *homo*. 1. *Homo.* (1. quia *homo* fœdus Dei violavit; ergo humana natura fuit ὑπόδικος. Rom. 3: 19. (2. quia *fratres conſanguineos* & ſuum *corpus* ſervare debuit. Hebr. 2: 10. Epheſ. 5: 23. &c. (3. debuit eſſe noſter גאל. Eſ. 49: 7. ſed *goel* debebat eſſe *Conſanguineus* Lev. 25: 25. Ruth. 3: 3. Hinc (4. *fratribus* debebat *eſſe ſimilis.* Heb. 2: 11, 14, 17. quare etiam *propheta ex fratribus* promiſſus eſt. Deut. 18: 18. (5. Debebat eſſe *ſacerdos* & *ſacrificium* ſimul, ut *Eccleſiam ſuam ſanguine ſuo redimeret* Act. 20: 28. Ut *homo*, ita & *ſanctiſſimus*, homo eſſe debuit. (1. quia ſolus Sanctus frui poteſt amicitia Dei, Eſ. 59: 2. (2. Peccator ſe non poteſt reddere gratum Deo, nec ſibi poteſt mereri, multo minus aliis; ut ipſe *Mediatore* opus

*Non eſt nudus Interpres.*

*Debuit eſſe homo.*

opus habeat. (3. Debebat esse *Sanctus & segregatus à peccatoribus.* Hebr. 7:26.

*Homo Sanctissimus.* III. Ut *Mediator* esse debebat *Homo Sanctus*, ita & *Deus.* (1. quia creatura finita non potest offerre pretium valoris infiniti, quale debet esse *pretium redemptionis.* (2. Salus per *Jehovam* fuit promissa. Hos. 1:7. (3. *Deus ipse Ecclesiam suo sanguine redemit.* Act. 20:28. *Et Deus.* (4. Ad solum *Deum respiciendum est*, *ut servaremur.* Es. 45:22. (5. Debuit ferre iram Dei pro peccatis; quod nemo, præter solum omnipotentem, præstare potuit.

IV. Iste autem *Mediator Fœderis gratiæ*, Deus & homo, est *Jesus Christus*, filius Dei, 1. Tim. 2:5, 6. Hebr. 8:6. Deinde Christus est *Mediator*, Non tantum secundum naturam humanam, ut vult *Stancarus*, sed secundum utramque naturam *divinam* & *humanam* *Est mediator, secundum utramque naturam.* (1. quia tanquam *Deus* & *homo* opus redemtionis perfecit; tanquam *homo* passus est, sed tanquam *Deus* iram Dei superavit, ut non succubuerit sub tam gravi onere, cui ferendo nuda creatura non fuisset. Deinde non nisi tanquam Deus infiniti valoris pretium obtulit. (2. unica tantum est persona in natura divina & humana. Actiones enim adscribuntur personæ non naturæ. (3. quia partes Mediatoris excercuit sub V. Test. antequam fuerit homo. *Objectiones.* Gen. 48. Es. 63:9. Zachar. 1:12. (4. Erat Rex, Propheta & Sacerdos V. T. vide infra §. XIV. XVI. Et quamvis dicatur I. *Mediator noster Jesus Christus homo.* 1. Tim. 2:5. Apostolus tamen non negat, eum etiam fuisse *Deum*, nec fuisse *Mediatorem*; qua *Deum*: sed *homo* ibi dicitur speciali causa, quia tanquam *homo* passus est: & quia officium *Mediatoris* requirebat, ut naturam humanam assumeret. II. Non sequitur: *quia est Mediator hominum ad Deum, ideo Mediator debet distingui à Deo*; aliter enim res sese habet in negotio salutis nostræ, ubi Deus ipse debebat esse Mediator inter Deum & homines: sed ita ut *Pater* sustineat personam *judicis*, filius vero personam *servi* & *Mediatoris.* Es. 53:11. Phil. 2:7. nullius momenti est hæc argumentatio. III. *Nemo potest esse Mediator sui ipsius, at si Christus fuisset Deus, tunc fuisset Mediator sui ipsius: Ergo ut homo tantum est Mediator.* Christus enim peculiari modo officium mediatoris in se suscepit, ut satisfaceret justitiæ divinæ, tanquam *servus.* IV. Non sequitur. *Si Christus ut Deus fuit Mediator, ergo Deus fuit minor patre.* Minor erat tantum ratione officii, & œconomice, quia sustinuit *formam servi.* Phil. 2:7. non ratio-

ne

ne *essentia.* Deinde non semper *Mediator* est minor: *Rex* enim potest esse *Mediator* apud *Regem.*

V. Sub Veteri Testamento multi fuerunt *Mediatores*, veluti I. *Moses.* Gal. 3: 19. II. Omnes *Sacerdotes*, qui pro populo intercedebant. Nam *pro hominibus constituti erant, in iis quæ erant agenda apud Deum.* Hebr. 5: 1. Erant autem omnes isti Mediatores Veteris Testamenti *typici* tantum, & picturæ Jesu Christi veri Mediatoris, adeoque non erant *adorandi*, ut Mediator sub Novo Testamento. In Novo Testamento igitur unicus tantum est *Mediator.* Nec alius agnoscendus est, præter Jesum Christum. (1. quia Mediatores omnesque picturæ ac umbræ Veteris Testamenti sunt abolitæ. (2. quia εἷς μεσίτης est Jesus Christus. 1. Tim. 2: 5, 6. (3. Christus solus dicitur noster *Advocatus* & *propitiatio.* 1. Joh. 2: 1, 2. (4. *Non est salus in alio, nec ullum nomen datum est sub cælo, per quod servaremur, nisi per nomen Jesu Christi.* Act. 4: 12. (5. Per Christum habemus *fiduciam & accessum.* Ephes. 3: 12. (6. Is solus nos cum Deo *reconciliat.* Rom. 5: 10. Col. 1. (7. *Nemo pervenit ad Patrem, nisi per Christum.* Joh. 14: 6. (8. Christus solus exsertis verbis dicitur *Mediator Novi fœderis.* Hebr. 7: 22. & 8: 6. & 9: 15. Ineptiunt igitur *Pontificii*, qui multos *sanctos* & *sanctas* sibi fingunt *Mediatores.* Nec eos juvat quod I. *Moses & Sacerdotes sub Veteri Testamento Mediatores dicti fuerint.* Erant enim *Mediatores typici*, quamdiu erant in vivis; non autem *Servatores* ut Christus, etiam post mortem. Nec II. *opus est*, nec *decens, ut, Christo præterito, recurramus ad creaturas:* sed recta eundum est ad Christum Regem ipsum: cum nos, non ad creaturas, sanctos & sanctas, tanquam ad *Ministros* & *aulicos suos*, remittat, sed recta ad se vocet. *Respicite ad me.* Es. 45: 22. Matth. 11: 28.

*Sub Veteri T. Mediatores multi.*

*In Novo Testam. unicus.*

*Argumenta Pontificiorum.*

VI. Vana est distinctio Pontificiorum inter Mediatorem *Redemptionis*, & Mediatorem *Intercessionis*, quasi *Christus* esset Mediator ratione utriusque; at *Sancti* tantum *Intercessionis.* Omnis enim Mediator est simul *intercessionis* & *redemptionis*; etiam *typici* sub Veteri Testamento, *sacrificabant* enim, ut depingerent *Redemptionem* Jesu Christi, per sanguinem ejus; adeoque typice redimebant, & *intercedebant precibus*, quo modo depingebant *intercessionem* Jesu Christi. Hoc maxime præstabat Pont. Max. decimo die mensis Tisri, quando non solum victimam immolabat, sed & intrabat in Sanctum Sanctorum, ut pro populo sanguine victimæ & precibus in-

*Vana est distinctio inter Mediatorem Intercessionis & Redemptionis.*

intercederet. Levit. 16. Ergo Christus solus est Mediator *Intercessionis* & *Redemptionis*.

*Officium Mediatoris.*

VII. Officium Mediatoris est triplex. I. *Regium*. II. *Propheticum*. III. & *Sacerdotale*. Christum tribus hisce officiis functum esse, indicat ipsius nomen משיח *Messias*, *Christus*, sive *unctus*. Solebant enim sub Veteri Testamento ungi *Reges*: *Saulus* unctus est in *Regem* à Samuele. 1. Sam. 10. ita & *David*. 2. Sam. 2. Ideo *Reges* dicuntur *uncti Dei*, ut exemplum habemus in ipso *Cyro*, Rege Idololatra. Es. 45: 1. Et *Sacerdotes*; Aaron & filii ejus uncti sunt. Exod. 30. & Levit. 8. Ita tandem & *Propheta*, uti exemplum habemus in *Elisæo*. 1. Reg. 19: 16. quare & Prophetæ *uncti* dicuntur. Ps. 105: 15. Igitur *Mediator* Jesus Christus unctus etiam est, tanquam *Rex*, *Sacerdos* & *Propheta* Ecclesiæ suæ. Hinc etiam *Christus* dicitur *unctus oleo lætitia supra consortes suos*. Psal. 2: 6. & 45: 8. Dan. 9: 25. Erant enim sub Veteri Testamento Reges, Sacerdotes & Prophetæ *consortes* Christi, per quos, tanquam per tot Pœdagogos & Curatores, Ecclesiam regebat.

*Uncti qui in Vet. Testamento?*

*Officium Regium.*

VIII. I. Officium *Regium* est summa Christi potestas, qua Ecclesiam suam tanquam Regnum spirituale, per Spiritum Sanctum intus in corde, & per prædicationem verbi, regit & gubernat, contra hostes defendit, ut fideles Deo præstent debitam obedientiam, per fidem & sanctitatem vitæ, ad gloriam Regis, & salutem animarum. Est autem Regnum Christi duplex. I. *Naturale*, quatenus est Deus & Rex Regum. II. *Spirituale*, vel *œconomicum*, in corde electorum tantum. Primum obtinet tanquam *Deus*, posterius tanquam *Mediator*. De hoc nunc nobis agendum erit.

*Est Spirituale.*

IX. Christum habere Regnum *spirituale* patet. Ipse enim Servator dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Joh. 18: 36. Paulus: *Regnum Dei non est esca, nec potus, sed justitia, pax & gaudium, per Spiritum Sanctum*. Rom. 14: 17. Ut pessime Judæi sibi fingant Messiæ Regnum *temporale* & *mundanum*. Fuit autem Christus *Rex* omnium electorum, sub *promissione* & sub *Veteri Testamento* (quod pessime negant Sociniani) & sub *Testamento Novo*. *Est* enim *idem heri hodie & in æternum*. Hebr. 13: 8. Et *pater ei omnia subjecit*. Ephes. 1: 22. Speciali tamen modo dicitur *Rex* Ecclesiæ *Novi Testamenti*, & quidem *solus Rex*. *Jehova est Rex noster*, *Jehova est Legislator noster*, *Jehova est Judex noster*. Es. 33: 22. Nam sub Veteri Testamento habebat *consortes*. Ps. 45: 8. scilicet *Deos dictos*. 1. Cor. 8: 5. Ps. 82: 2.

*Prin-*

*Principes sæculi istius.* 1. Cor. 2: 6, 8. *Pædagogos* & *Curatores.* Gal. 3: & 4. qui tunc temporis cum Christo regnabant: cum Christus nunc solus regnet, solus sit noster *Deus*, noster *Rex* & noster *dominus.* Matth. 23: 8. 1. Cor. 8: 6. Idem status Ecclesiæ sub Novo Testamento vocatur *Regnum cœlorum.* Matth. 11: 12. Joh. 3: 5. Hoc Regnum etiam prædictum fuit. Ps. 2: 6. *Unxi Regem meum super Zionem.* Dan. 2: 44. *Deus eriget regnum, quod in sæculum non destruetur.* Zach. 9: 9. *Gaude filia Zion Rex tuus veniet.* Ps. 110: 1. *Dominus dixit domino meo, sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Luc. 1: 33. *Regnabit in domum Jacob in sæcula.*

*Christi Regnum apparuit maxime post ejus Resurrectionem.*

X. Christus quidem natus est *Rex*, tamen officium istud Regium maxime manifestavit, post *resurrectionem* & *ascensionem* in cœlos: antea enim habuit *formam servi.* Phil. 2. Postea accepit *omnem potestatem in cœlis & in terra.* Matth. 28: 18. *Ascendit in altum.* Ps. 68: 19. *Dixit dominus domino meo, sede ad dextram meam.* Ps. 110: 1. Pessime tamen inde colligunt *Sociniani*, Christum demum *per ascensionem* in cœlos factum fuisse *Regem*; cum per *ascensionem* manifestius *Rex* apparuerit. Alias Christi Regnum est *æternum* & ante & post *resurrectionem.* Dan. 2: 44. Luc. 1: 33. Male colligunt *Sociniani* Regnum Christi finem habiturum post resurrectionem, ex loco 1. Cor. 15: 24, 25. *Christus tradet Regnum patri, & ipse patri subjicietur* &c. tradet enim Ecclesiam & *Regnum militans* tantum, ut non amplius militet in hac terra, ac Christo defensore opus habeat. Sed patri triumphantem Ecclesiam tradet, adeoque *ipse patri subjicietur* in membris suis, sive in Ecclesia.

*Erat tamen & ante Resurrectionem.*

*Officium Propheticum.*

XI. II. Officium *Propheticum* est illud, per quod Christus Ecclesiam suam docet, doctrinam suam miraculis confirmat, futura prædicit, & electos solatur. Christum esse *Prophetam*, testatur & prædicit Moses. Deut. 18: 18. *Prophetam excitabo ex medio fratrum tuorum, sicut te.* Hoc de Christo intelligi, docet Stephanus. Act. 7: 37. *Deus dedit vobis doctorem.* Joël 2: 23. Ideo vocatur יועץ *consiliarius.* Es. 9: 5. *Est vere Propheta, qui venit in mundum.* Joh. 6: 14. *Est Propheta potens opere & verbis.* Luc. 24: 19. Christus egit *Prophetam* sub *promissione*, & sub *Veteri Testamento*, non minus quam sub *Testamento Novo*; quod iterum contra *Socinianos* notandum est. (1. quia *idem est heri, hodie & in sæcula.* Hebr. 13. (2. Dicitur jam sub Veteri Testamento, המדבר *loquens.* Es. 52: 6. מליץ *interpres.* Job. 33: 23. (3. *Spiritus Christi fuit in Prophetis.* 1. Petr. 1:

*Est Propheta sub veteri & sub N. Test.*

11. & 3: 18, 19. Maxime tamen eſt *Propheta* ſub Novo Teſtamento; *venit in Galilaam, pradicans Euangelium Regni Dei.* Marc. 1: 14. Matth. 4: 12, 17. Luc. 24: 19. *Docebat ut habens poteſtatem.* Matth. 7: 29. & *nemo ita loquutus eſt.* Joh. 7: 46. Non autem docuit ut reliqui Prophetæ, tanquam *Miniſter* tantum: ſed ut *Princeps & Praceptor.* Eſ. 55: 4. *Legem ſuam*, non alterius, *annunciavit.* Eſ. 42: 4. *Ut habens poteſtatem, non ut Scriba.* Matth. 7: 29. *Docens viam Dei in veritate.* Matth. 22: 16. Ut docuit Chriſtus, ita & doctrinam ſuam ſanctitate vitæ confirmavit.

*Quo ſenſu fuerit Propheta?*

XII. Non fuit igitur *Propheta*, quod attulerit *novam & perfectiorem legem*, quam erat lex Moſis, uti contendunt *Sociniani*, & ut exemplo & martyrio ſuam legem confirmaret. (1. quia lex ſemper fuit *ſancta* & *perfecta* Rom. 7. (2. ei nihil addi nec detrahi debuit. Deut. 12: 32. (3. Sanctitas Dei non fuiſſet perfecta: cum tamen per iſtam legem deberent eſſe ſancti, ut ipſe Deus ſanctus eſt. Lev. 11: 44. & 19: 1. (4. Deus fuiſſet hypocrita in Veteri Teſtamento, qui ſanctitatem imperfectam acceptaſſet, tanquam perfectam. (5. Lex ſub Veteri Teſtamento requirebat, ut homo Deum & proximum perfecte amaret. Deut. 6: 5. Lev. 19: 18. Matth. 22: 37. (6. Per iſtam legem, ſi quis eam perfecte obſervaſſet, poterat obtineri vita æterna. Matth. 19: 17. Lev. 18: 5.

*Non attulit Novum fœdus operum.*

XIII. Nec attulit *Novum fœdus operum*, ut iidem *Sociniani* falſo docent, per nova mandata legis, & obedientiam novam (1. ob eaſdem rationes, quibus probavimus, eum non attuliſſe novam legem. (2. diverſa daretur Religio, quam patres non agnoviſſent: cum tamen *Chriſtus idem fuerit heri, hodie, & in ſacula.* Hebr. 13: 8. (3. quia *omnes per eandem gratiam J. C. ſervati ſunt.* Act. 15: 11. (4. quia veteres, ſub Veteri Teſtamento, in Chriſto ſervati ſunt: nam *extra Chriſtum nulla eſt ſalus.* Act. 4: 12. (5. Veteres habuerunt *idem verbum fidei.* Deut. 30: 14. Collat. cum Rom. 10: 5, 6. &c. Nec I. per totum caput 5. Matthæi probabunt *Chriſtum correxiſſe legem Moſaicam.* Non enim correxit legem Moſis, ſed tantum falſas expoſitiones Pharizæorum. II. Falſo dicitur *Chriſtum hortari Chriſtianos*, I. *ad abnegationem ſui.* II. *ad ferendam crucem.* III. *& ad imitationem Chriſti*, quia dicit: *Si quis me vult ſequi, ſumat crucem ſuam & me ſequatur, & ſeipſum abneget.* Matth. 16: 24. Non enim ſunt *nova mandata*; cum ſub Veteri Teſtamento locum habuerint, continentur enim omnia in ipſo

*Argum. adverſar.*

*Deca-*

*Decalogo*, præfertim mandatis 6, 7, 8, 9, & 10. Deinde Lex poftulavit perfectam fanctitatem, ergo & *abnegationem fui.* Deut. 6: 5. Lev. 19: 18. & 11: 44. Tandem & exempla habemus Patriarcharum, qui feipfos abnegarunt. *Abrahamus* deferuit patriam ad Vocationem Dei. *Mofes* maluit cum populo Dei ferre opprobrium Chrifti, quam poffidere divitias, & omnes delicias Ægypti. Hebr. 11. Nec III. dici debet Chriftus *dediffe novum præceptum, quum inftitueret Sacram Cœnam.* Nam Sacra Cœna non eft *mandatum*, per quod homo poffet *vivere:* fed tantum *Sacramentum*, ad obfignandam mortem Chrifti. Sed de hifce plura dicemus, ad OEconomiam Veteris Teftamenti, ubi de *lege* Dei agendum erit.

*III. Officium Sacerdotale.*

XIV. III. Officium Mediatoris eft *Sacerdotale.* Sacerdotale officium Jefu Chrifti eft illud, per quod feipfum tanquam victimam obtulit Deo, in remiffionem peccatorum electorum, & per quod apud patrem pro electis intercedit, ad obtinendam eorum falutem. Chriftum effe *Sacerdotem* patet. *Tu es Sacerdos fecundum ordinem Melchizedeci.* Pf. 110: 4. Et *erit Sacerdos in throno ejus, & erit confilium pacis inter utrumque.* Zachar. 6: 13. Dan. 9: 24. Ita & *Sacerdos futurorum bonorum* dicitur. Hebr. 9: 11. & Ἀρχιερεὺς. Hebr. 3: 1. *Sacerdos* conftitutus eft à Deo patre, non minus quam *Melchizedecus* & *Aharon.* Hebr. 5: 5. Triplex occurrit ordo Sacerdotum in Scriptura S. I. *Primogenitorum* fub Promiffione, de quibus agemus infra vol. II. Parte IV. Cap. I. §. XXV. II. *Melchizedeci*, & III. *Aharonis* fub Veteri T. Quamvis *Melchizedecus* vixerit fub *Promiffione;* tamen ejus *Sacerdotium* aliud erat quam reliquorum Sacerdotum iftis temporibus, nempe *Primogenitorum.* Hi enim habebant *Genealogiam notam*, habebantque Succeffores. Sed & *Reges* non erant. Talis autem fuit *Melchizedecus. Rex Salem, fine Patre, fine Matre* adeoque ἀγενεαλόγητος. Sacerdotium *Aharonis* magis conveniebat cum Sacerdotio *Primogenitorum:* cum habuerit & *genealogiam nobiliffimam*, & *Succeffores* perpetuos. Sed & in locum Primogenitorum Aharon, cum Filiis fuis, inftitutus eft. Chriftus non fuit Sacerdos fecundum ordinem *Primogenitorum:* Nec fuit ex ordine *Aharonis*, uti fub Veteri Teftamento, fed ex ordine *Melchizedeci.* (1. quia fuit *Rex* & *Sacerdos* fimul. (2. quia dignior fuit Abrahamo. (3. quia ei nullus Sacerdos fubftitutus eft, nec fucceffit. (4. quia fuit fine *patre*, ratione naturæ humanæ; fine *matre*, ratione naturæ divinæ: adeoque ἀγενεαλόγητος. Vide Hebr. 7. Fuit etiam *Sacerdos*, fe-

*Chr. non fuit Sacerdos ex ordine Aharonis.*

cundum naturam *divinam* & *humanam*; quia actiones sunt suppositorum.

*Ejus partes duæ.* XV. Habet officium Sacerdotis duas partes. I. *Oblationem victimæ.* II. *Intercessionem apud Deum pro peccatis.* Prima pars Sacerdotii Christi in eo consistit, quod seipsum tanquam victimam pro nobis

*I. Oblatio.* Deo obtulerit. Fuit tamen Christus *Sacerdos* & *victima* simul: nam *seipsum obtulit, per spiritum æternum.* Hebr. 9: 14. *Posuit vitam suam pro ovibus suis.* Joh. 10: 18. Erat quidem victima, secundum naturam humanam, pretium tamen & valor erat infinitus: cum fuerit simul Deus æque ac homo. Hinc *Deus* dicitur *Ecclesiam suam sanguine suo redemisse.* Act. 20: 28. *Crux* fuit *altare*, quatenus sacrificium sustinebat, *tulit peccata nostra in corpore suo, in cruce.* 1. Pet. 2: 24. sed *divinitas*, quatenus victimam consecrat: *seipsum* enim *obtulit per*

*II. Intercessio.* *spiritum æternum.* Hebr. 9: 14. Altera pars Sacerdotii est ipsius *intercessio.* Intercedit enim pro peccatis nostris. Joh. 17: 9. Heb. 9: 24. 1. Joh. 2: 1. Rom. 8: 34. Non consistit hæc *intercessio* in *genu flexione* aliqua, nec in *verbis* & *voce*, quasi ore *preces* effunderet coram Deo: sed in *merito* mortis & in *constanti voluntate servandi electos.* Utrumque, & *oblatio* & *intercessio* Christi, depicta fuit; maxime per solennem expiationem, quæ quotannis solebat fieri, per Pontificem Maximum, decimo die Mensis Tisri, ubi Pontifex Maximus primo immolavit victimam, deinde intravit in sancto sanctorum, ut pro populo intercederet. Levit. 16.

*Fructus Sacerdotii.* XVI. Fructus Sacerdotii Christi sunt. I. *Expiatio* peccatorum omnium electorum. Est enim *propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Joh. 2: 2. II. *Reconciliatio*, per quam Deo reconciliamur, per *mortem* & in *sanguine* Christi. Rom. 5: 10. Col. 1: 20. 2. Cor. 5: 18. III. *Cœlum nobis aperuit*, *non* enim *intravit in loca manu facta, sed in ipsum cœlum.* Hebr. 9: 23, 24. IV. *Acquisivit* sibi ipsi *semen* & *Regnum spirituale.* Es. 53: 10. Act. 20: 28. Hinc sequitur, sub Novo Testamento nullos esse *Sacerdotes*, adeoque vanos esse *sacrificulos Pontificiorum.*

*Sacerdotium & Regnum Chr. male confunduntur.* XVII. Pessime à *Socinianis* confunduntur *Sacerdotium* & *Regnum* Christi; quasi Christus diceretur *Sacerdos* tantum, quod Ecclesiam curet per doctrinam & vitam suam homines adducat ad resipiscentiam & vitam æternam. At vero *Sacerdotium* & officium *Regium* distingui patet. (1. quia munus *Regium* peragitur apud *homines:* sed *Sacerdotale* apud *Deum.* Hebr. 5: 1. (2. Scriptura Sacra ei attribuit omnes

omnes partes, & officia Sacerdotis, uti ex dictis patet. (3. *Regium* consistit in *majestate* & potestate, non tantum erga electos, sed etiam ergo hostes suos. Sacerdotale in *amore* erga electos tantum, in exinanitione, obedientia, morte & passione. Addi potest (4. quod sit *Rex* ut *Dominus*; sed *Sacerdos* ut *servus*..

*Non fuit sacerdos sibi.*

XVIII. Multo minus fuit *Sacerdos sibi* tantum, quod se obtulerit pro *infirmitatibus propriis*, ut iidem *Sociniani* docent. (1. quia fuit *sine peccato*. Hebr. 7. *nobis in omnibus similis, excepto peccato.* Hebr. 4: 15. (2. Exsertis verbis dicitur *se obtulisse pro peccatis nostris.* 1. Joh. 2: 2. & *unus pro omnibus.* 2. Cor. 5: 15.

*Non fuit sacerdos in cœlis tantum.*

XIX. Falsissime iidem *Sociniani* docent, quod fuerit *Sacerdos* tantum *in Cœlis*, totumque ejus Sacerdotium consistere in sola *intercessione*. (1. quia ejus *oblatio* Sacerdotalis est ipsa ejus *mors*. Mortuus autem est, non in cœlis, sed in terra. (2. *obtulit se pro nobis in cruce.* 1. Petr. 2: 24. non in *cœlo*. (3. Prius *fecit purificationem per sanguinem suum*, postea *intravit in cœlum*, nempe sacrificii prima parte, scil. immolatione victimæ, in terra peracta. Hebr. 1: 3. & 10: 12. Errorem suum non probabunt *Sociniani* ex Hebr. 9: 12. *Æternam redemptionem invenit in sancto*, id est in *cœlo*: Paulus enim non dicit quod redemptionem invenerit tantum in cœlis; sed quod non cum *sanguine taurorum* &c. ut Pontifices sub Veteri Testamento intrarunt in Sanctum, ita etiam Christus intraverit in cœlum: sed quod cœlum intraverit *proprio suo sanguine*, per quem invenit redemptionem *sufficientem* & *æternam*, ut nullo *alio sacrificio* opus habuerit, quemadmodum sub Testamento Veteri. Eandem Redemptionem Christus invenerat jam in Veteri Test. Job. 33: 24.

*Objectio.*

*Christus est noster Sponsor.*

XX. Quemadmodum Christus est noster *Mediator*, ita & *Sponsor*. Hinc & ἔγγυος *Sponsor* dicitur. Hebr. 7: 22. Habet autem *sponsio* Christi se ut *fœdus* aliquod, vel *contractus* aut *pactum* inter patrem & filium. Istud etiam *pactum* vocatur *Consilium pacis*. Zach. 6: 13. quia pater & filius quasi consilium & pactum aliquod inierunt, de *conciliandâ pace* inter Deum & peccatorem, salva Dei justitia. Hinc & Christus ipse testatur: *patrem sibi pactum esse*. Luc. 22: 29. Gratis dicitur, locum Zach. 6: 13. intelligi de *Rege* & *Sacerdote qui conspirent in Ecclesiæ bonum in uno Christo*: cum exsertis verbis fiat mentio de שניהם *duabus personis*, non de *una* eademque. Nempe de *Viro* cujus nomen est צמח *germen*, qui est ipse *Christus* filius Dei. Vide Es. 4: 2. Apoc. 5: 5. & de יהוה per quem intelligitur *Deus pater*, ut sæ-

*Exceptiones.*

ſæpe alibi, vide Pſ. 33: 6. Adde quod vir iſte ibi dicatur *Sacerdos*, (non autem *Rex*) qui *ædificaturus* ſit *Deo templum*, ſcil. *Eccleſiam*, quod non de alio, quam de ſolo *Chriſto* intelligendum eſt. Hoc autem *templum* vi iſtius *pacti æterni*, & *conſilii pacis*, à Chriſto ædificatum eſt. Nec intelligi poteſt de *perpetua harmonia inter filium incarnatum ac munera exercentem, & inter patrem in futuro;* niſi ejuſmodi *pactum* ac *conſilium pacis* inter *patrem* & *filium* ab æterno interceſſiſſet. Ut illud *exercitium Chriſti incarnati*, nihil aliud ſit, quam exequutio iſtius æterni conſilii pacis. Ut, ſi quis aliter locum iſtum intelligat, eum non tantum torqueat, ſed ex ſola auctoritate lectorem in ſuam ſententiam trahi poſſe putet.

*Dari conſilium pacis probatur.* XXI. Sane interceſſiſſe *Conſilium pacis*, ſive *fœdus* & *pactum* inter patrem & filium, de concilianda pace & ſalute peccatoribus maniſeſtiſſime patet; cum omnes partes, quæ in *fœdere*, ſive *pacto* requiruntur, etiam intercedant inter *Patrem* & *filium*, in negotio ſalutis noſtræ: ſcilicet à parte Patris I. *Stipulatio* & II. *Promiſſio*. A parte Filii III. *Adſtipulatio.* & IV. *Reſtipulatio.* *Stipulatio.* I. *Stipulatio* à parte patris continetur his verbis: *Eris mihi ſervus, ad erigendas tribus Jacobi.* &c. Eſ. 49: 6. *Ponit animam pro reatu.* Eſ. 53: 3, 11. Hinc Chriſtus dicit, ſe *recepiſſe tale mandatum a Patre, ut poneret vitam ſuam.* Joh. 10: 18. Ergo pater à filio ſtipulatur *obedientiam* & *mortem.*
*Promiſſio.* II. *Promiſſio* ſic proponitur: *videbis ſemen.* Eſ. 53: 5. &c. *Dabo tibi gentes hæreditatem.* Pſ. 2: 8. Promittit itaque filio *Eccleſiam*, tanquam *ſanctum ſemen* & *Regnum ſpirituale.* *Adſtipulatio.* A parte *Filii* eſt III. *Adſtipulatio*, quæ ſic enunciatur. *Ecce adſum ut facerem voluntatem tuam.* Pſal. 40: 7. & verſu 13. *Lex tua eſt in medio viſcerum meorum.* Hinc ejus mors *voluntaria* dicitur. *Ea voluntate ſanctificati ſumus.* Hebr. 10: 10. quibus verbis Chriſtus promittit obedientiam: Et Chriſtus ipſe dicit: *Cibum ſuum eſſe, ut faceret voluntatem patris ſui, & ut perficeret ipſius opus.* Joh. 4: 34. *Reſtipulatio.* IV. *Reſtipulatio* eſt ea, qua filius *hæreditatem*, *ſemen* & *Regnum ſpirituale* à Patre petit. *Certe merces mea magna eſt apud dominum.* Eſ. 49: 4. *Redime illum, inveni pretium.* Job. 33: 24. Hebr. 9: 12. glorificavi te in terris, perfeci opus, quod mihi dediſti faciendum; nunc *Glorifica me Pater* &c. Joh. 17: 4, 5. *Volo ut ubi ego ſum, & illi ſint quos mihi dediſti.* Joh. 17: 24. *Exceptio.* Fruſtra dicitur: *hæc loca magis ſpectare ad exequutionem hujus pacti in tempore, quam ad ipſam pactionem æternam.* Cum talis exequutio dari non poſſet, niſi ab æterno ita fuiſſet decretum. At iſtud æternum decretum, ut ita Patri à filio ſatis-

ſatisfieret, eſt ipſum *Conſilium pacis*, ſive *Pactum æternum.* Ergo *exequutio* pacti præſupponit *actum* ipſum.

XXII. In hoc *pacto* vel *Conſilio pacis pater* ſe habet ut *dominus* & *judex.* Ideo & *dominus* dicitur ab ipſo Chriſto Pſ. 16: 1. *Serva me domine. Dominus dixit Domino meo.* Pſ. 110: 1. Ubi Chriſtus conſideratur quidem ut *Dominus Davidis*, ſed Pater tanquam *Dominus Chriſti*, vide Matth. 22: 44, 45. *Filius* autem ſe habet ut *ſervus.* Ideo & *ſervus* dicitur. Eſ. 53: 11. & 42: 1. & 49: 6. Phil. 2: 7. ſed & *Spiritus Sanctus* in hoc pacto ſuas partes habet: applicat enim hæreditatem acquiſitam. Epheſ. 1: 13, 14. Examinetur Pſalmus 16. Nam in hoc Pſalmo contineri totum hoc pactum, certum eſt. (1. Cum agatur de *morte* & *gloria* Jeſu Chriſti, quæ proponuntur per formam Dialogi inter patrem & filium, quod nimis longum foret hic probare; nec opus eſſet, quia ab aliis jam probatum eſt. (2. cum ipſi Apoſtoli hunc Pſalmum de *Chriſto* exponant. Quod commate 10. dicitur: *non derelinques animam meam in ſepulchro*, & quæ ſequuntur, Petrus Act. 2: 27. & 13: 36, 37. exſertis verbis de Chriſto explicat. Ita & reliqua in Chriſto ſolo habuerunt ſuum complementum. Veluti ſtatim ab initio fit *precatio* cum aliquo clamore: *Serva me Domine*, vel *Deus fortis.* Hoc Chriſtum feciſſe, docet Paulus Heb. 5: 7. *Obtulit preces & ſupplicationes, magna voce.* Hoc factum eſt in horto getſemane. Mat. 26: 38. *Anima mea eſt anxia uſque ad mortem.* Et in cruce Mat. 27: 46. *Deus mi, Deus mi*, &c. vide Luc. 22: 42. & 23: 46. Invocavit אל *Deum fortem.* verſ. 1. Idem docet Paulus de Chriſto. Hebr. 5: 7. invocavit eum qui erat δυνάμενον σώζειν αὐτὸν *potens ut eum ſervaret ex morte.* Sic & eodem verſu primo חסיתי בך *Confido tibi.* Ita ſane non male ejus carnifices dicebant: πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεόν, ῥυσάσθω νῦν αὐτόν. *Confidit Deo, liberet nunc ipſum.* Matth. 27: 43. Nullius momenti & ἀπροσδιόνυσον eſt, quod nonnulli, quibus ſufficit aliorum ſententias ſine cauſa rejeciſſe, ut ut errores ſuos non demonſtrent, dicant אמרת in *fœminino*, non in *maſculino* efferri, cum id plus ſemel factum ſit: veluti de *viro* dicitur קהלת Eccl. 7: 27. De *Rege Tyri.* אמרה אתה Ezech. 28: 14. cum idem obſervetur de *Moſe.* Deut. 5: 27. & de *Deo.* Num. 11: 15. & cum eadem difficultas maneat, ſive David ſeipſum, aut animam ſuam, ſive Pater filium; aut animam ejus alloquatur. Concedimus etiam *Davidem typice Chriſtum repræſentaſſe;* Hoc enim eſt id ipſum quod volumus. Sed eo ipſo quod *typice*, non de *ſe*, ſed de *Chriſto* intelligi vult David.

*In hoc Pacto Pater ſe habet ut judex, filius ut ſervus.*

*Exceptio.*

*Filii adstipulatio.*

XXIII. Filii *Adstipulatio* in hoc pacto æterno, est ipsa ejus *Sponsio*: sive libera voluntas ejus, qua obedivit patri usque ad mortem, pro semine promisso, Phil. 2: 6. &c. Ista autem *obedientia* sponsoris, non fuit *naturalis obedientia*, qua omnes homines, etiam sancti in cœlis, Deo obediunt, sed ex *speciali pacto* & *consilio pacis*, ad acquirendum jus & prœmium promissum. *Sponsor* autem, quum voluntate se submiserit legi, pro nobis, etiam debita nostra pro nobis solvere debuit, cum in nostra potestate non fuerit, ut justitiæ divinæ satisfaceremus.

*Non fuit naturalis obedientia.*

*Obedientia Christi. I. Activa quid? II. Passiva quid?*

XXIV. Solet *obedientia* Christi sponsoris distingui in *Activam & Passivam*. Prima notat adimpletionem omnium præceptorum legis. Secunda passiones, mortem, & quidquid lex postulat contra peccatorem. Solvit autem sponsor satisfecitque pro nobis, & per *obedientiam activam*, adimplendo omnia præcepta legis; & per *obedientiam passivam*, patiendo mortem, & quicquid lex requirebat. (1. quia sponsor obligatur ad omne id, quod à peccatore exigitur. Sed à peccatore exigitur perfecta *sanctitas*, sive adimpletio legis, & *expunctio reatus*, sive *Sacrificium* per *mortem* & *passiones* victimæ, ut haberet perfectum δικαίωμα. (2. *Activa* & *passiva* non nisi unicam faciunt *obedientiam*, quæ *activa* dici deberet. (3. quia utraque obedientia unicum tantum est δικαίωμα Rom. 5: 18. Christum sola obedientia *passiva*, non *activa* satisfecisse, frustra conantur probare hisce argumentis. I. *Quod quis pro se debet, per id non potest mereri pro aliis, sed Christus tanquam creatura pro se debebat totam legem observare; Ergo observando legem, sive per obedientiam activam nihil meruit nobis.* Respondeo 1. Christum non natum & factum esse creaturam, nisi pro *nobis*. Nam *puer* NOBIS *natus*, *filius* NOBIS *datus est*. Es. 9: 5. Ergo venit ut pro *nobis* legem adimpleret. 2. Dicitur *factus sub lege*. Gal. 4: 4. At *factum esse sub lege*, significat esse *sub lege* imperante conditionem ad acquirendum prœmium, quemadmodum Adam fuit *sub lege*, ut mereretur ex pacto. Hoc sensu *Beati* in cœlo non sunt *sub lege*, nec *Christus* fuit *sub lege* naturaliter, quia sua natura sibi nihil mereri potuit: cum fuerit omni prœmio major. Ergo factus est *sub lege*, ut acquireret δικαίωμα & *jus* pro *nobis*. II. *Dicitur obedivisse usque ad mortem crucis*: Phil. 2:8. *sed ibi nulla fit mentio de obedientia activa; crux enim solam passionem significat.* Resp. Quamvis ibi non fiat mentio de *obedientia activa*, illa tamen memoratur alibi. Vide Matth. 5: 17. Ps. 40: 7, 13. III. *Lex exigit obedientiam aut pœnam,*

*Objectiones.*

*Quid sit factum esse sub lege?*

*Chri-*

*Christus pœnam luit, ergò pro nobis non obedivit legi.* Resp. Utrumque exigit à peccatore servando: & *pœnam* ad expungendum reatum, & *obedientiam* ad acquirendum jus ad vitam. IV. *Si Christus legem pro nobis adimplevit: sequitur nos a lege esse liberos.* 1. Resp. Negatur Consequentia: Nam qui est justificatus, est etiam sanctificatus, ut legi non possit non subesse. 2. Si à *legis obedientia* liberi simus, quia Christus eam pro nobis adimplevit, etiam liberi sumus à *morte:* quia Christus pro nobis mortuus est.

XXV. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, præsertim de *pacto æterno*, sequitur Christum per *obedientiam* suam & *sibi* & *nobis* meritum esse. Non quod *sibi* meruerit tanquam *Deus*, (nam qua Deus est supra omne meritum) sed qua *Mediator.* Quod autem *sibi* sit meritus, patet (1. Ex natura *pacti æterni* inter patrem & filium. Pater enim filio promisit *semen* & *hæreditatem*, si *poneret animam pro reatu.* Es. 53: 10, 11, 12. Psal. 2: 8. Phil. 2: 9. Filius adstipulatus est, & *animam posuit.* Ergo prœmium promissum, nempe istud *semen* ac illam *hæreditatem*, meruit. (2. *Pater filio pactus est.* Luc. 22: 29. Christus conditionem pacti *adimplevit.* Is autem qui conditionem pacti præstat, prœmium meretur. (3. Clamat Sacra Scriptura: *Ubi posuerit animam pro reatu, videbit semen.* Es. 53: 10: 11, 12. *Propter passiones mortis, gloria & honore coronatus* est Hebr. 2: 9. Christus *semet ipsum exinanivit, usque ad mortem, quare superexaltatus est.* Phil. 2: 9. Huic doctrinæ non contradicit. I. quod *Christus sit verus Deus, Deus autem sibi non possit mereri.* Cum sibi meritus sit, non tanquam *Deo*, sed tanquam *Mediatori*, nam qua *Deus*, uti diximus, est supra meritum. II. Non sequitur: *si Christus sibi meritus est; ergo novam conditionem & dignitatem sibi acquisivit.* Cum sibi acquisiveverit, *gloriam Mediatoris*, sibi enim acquisivit *peculium*, *hæreditatem.* Ps. 2. & *semen.* Es. 53: 10. Maxime tamen dicendus est, quod *nobis* meritus sit: nempe *remissionem peccatorum* & *jus ad vitam æternam*, quod ex sequentibus clarius patebit.

*Christus meruit & sibi & nobis.*

*Objectiones.*

XXVI. Ex hisce omnibus manifesto patet, Christum non fuisse *sponsorem Dei* apud homines, ut *promissiones Dei ratas faceret*, & ut nobiscum *novum* faceret *fœdus operum*, nomine Dei, & morte sua omnia confirmaret, ut inepte docent *Sociniani:* sed *nostrum* esse *sponsorem* apud Deum, ut debita nostra solveret. (1. quia sponsoris est, debita solvere debitoris. Cum autem *nos* essemus debitores, non *Deus*, sequitur non *Deum*, sed *nos* opus habere *sponsore.* (2. quia ta-

*Non fuit Sponsor Dei apud homines.*

*Sed noster apud Deum.*

talis ſponſor promiſſus eſt, qui ſimul eſſet *Sacerdos*, ut tanquam victima pro nobis ſatisfaceret. Hebr. 2: 10. qui *animam poneret pro reatu.* Eſ. 53: 5. & eſſet מוסר שלומנו Eſ. 53. *exemplum* juſtitiæ Dei, quæ punit peccata noſtra in Chriſto, ut haberemus *pacem.* (3. Deus *ſponſore* non opus habet, cum ſit ipſa veritas. (4. quia ſponſor debet eſſe excellentior, & magis fide dignus, quam is pro quo ſpondet: ſed Deus, cum ſit fide digniſſimus, nullo ſponſore opus habet. (5. Moſes, Prophetæ & Apoſtoli etiam ſponſores dicendi eſſent, quod tamen nuſquam factum eſt. (6. Sponſio illa nos nihil juvaret; cum nos ipſi propria *obedientia* deberemus ſatisfacere.

*Chriſtus hanc Sponſionem non potuit deſerere.*

XXVII. Falſiſſime docent *Remonſtrantes*, *Chriſtum hanc ſponſionem potuiſſe deſerere*, modo voluiſſet renunciare gloriæ propoſitæ. Cum enim eam ſemel in ſe ſuſcepiſſet, eam etiam neceſſario debebat præſtare. (1. quia nititur æterno Dei decreto, quod eſt *immutabile.* (2. quia Chriſtus in æterno conſilio pacis ſponſionem *voluntarie* ſuſcepit. Pſ. 40: 7. Hebr. 10: 10. (3. quia *juramento* confirmata eſt. Hebr. 7: 28. (4. Chriſtus non fuit *Sacerdos* & *ſponſor*, ſecundum *mandatum carnis*, ut Sacerdotes Veteris Teſtamenti, qui ſponſionem typicam & Sacerdotium deſerere cogebantur, propter *vitium*, ſenectutem & varios *caſus*, tandem propter *mortem*; ſed erat Sacerdos κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου Heb. 7: 16. Ideo *eſt Sacerdos in æternum.* Hebr. 7. (5. quia Chriſtus non poterat peccare; erat enim *Sacerdos ſine vitio.* Hebr. 7. ſed ſcelus eſſet ſponſionem deſerere. Fruſtra

*Objectiones.*

*Remonſtrantes* opponunt. I. *Chriſtus mortem horruit, ergo eam deſerere voluiſſet, & potuiſſet, modo voluiſſet renunciare gloriæ propoſitæ.* Reſp. Mortem debebat horrere: cum fuerit pœna: omnis enim pœna *horreri* debet, alias non eſſet pœna. Non ſequitur tamen, Chriſtum ideo ſponſionem potuiſſe deſerere, cum enim hanc pœnam in ſe ſuſcepiſſet, debebat eam horrere, & tamen libere ferre. II. *Ergo Chriſtus non libere obedivit.* Reſp. 1. *Libere* obedivit, quia ſponſionem ſponte ſua in ſe ſuſcepit. 2. *Neceſſario* obedivit neceſſitate *decreti*, & *pacti æterni*; ſed *voluntarie*, reſpectu liberæ voluntatis, quia potuiſſet non ſpondere. Deus neceſſario ſanctus eſt, tamen liberrime ſanctus. 3. Eſt πρῶτον ψεῦδος *Remonſtrantium*, libertatem conſiſtere in *indifferentia.*

Utrum autem Chriſtus fuerit *Expromiſſor*, an *Fidejuſſor*: vide Parte III. Cap. XIX. & VI. Argum. III.

# CAPUT VI.

## *De Satisfactione Mediatoris, aut Sponsoris solutione.*

I. MEdiator, vel *sponsor* fœderis, quemadmodum spospondit, & debita nostra in se suscepit, ita & solvere ac satisfacere debuit; nam qui *spondet is etiam solvet.* Vox quidem *satisfactio* in negotio redemptionis, non reperitur in verbo Dei, ἀυτολεξεὶ tamen vocabulum istud *satisfactio* retinendum est: cum habeamus voces æquivalentes, veluti τιμὴ, λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις &c. Nihil autem aliud intelligitur per *satisfactionem*, quam *debiti solutio*, qua justitiæ divinæ satisfit pro *debitis*, id est pro *peccatis* nostris, quæ *debita* vocantur. Matth. 6: 12, 14. Notandum etiam est, debitum solvi, non tantum per rem aliquam adventitiam, veluti per *argentum* vel *aurum*, sed & per quamlibet *conditionem præstitam*, aut per *factum* aliquod, secundum legem.

*Sponsor noster solvit.*

*Satisfactio quid?*

II. Est etiam satisfactio pro peccatis necessaria; quia Deus decrevit peccata non remittere sine satisfactione, sed velle ea punire vel in *peccatore*, vel in *Sponsore. Quo die comederis, morte morieris.* Genes. 2: 17. Deut. 27: 29. Rom. 2: 9.

*Est necessaria.*

III. Christum autem pro peccatis nostris, *proprie dicto* & *vero merito* satisfecisse justitiæ divinæ, tanquam supremi judicis, patet. (1. quia est *sponsor* noster: nam qui spondet, is alterius peccata in se suscipit, adeoque ea solvit. Hinc *peccata nostra in eum conjecta* dicuntur. Es. 53: 6. & *pravitates nostras* quoque *suas* vocat. Psal. 40: 13. (2. quia est summus noster *Pontifex.* Hebr. 3: 1. & 7: 20. At *Sacerdotis* est victimas offerre, in remissionem peccatorum. Vide quæ de *Sacerdotio Christi* dicta sunt cap. præc. paragr. XIV. & seqq. (3. quia ipse est *victima.* Hebr. 10: 12. *Sacrificium grati odoris.* Hebr. 9: 14. Ideo & Christus *peccatum* dicitur, id est, *sacrificium pro peccato.* 2. Cor 5: 21. *peccatum factus est pro nobis.* Ephes. 5: 2. quod sub Veteri Testamento, חטאת *peccatum* significaverit *sacrificium pro peccato.* Exod. 29: 14. Hinc & *peccata nostra* dicitur *tulisse in cruce.* 1. Petr. 2: 24. Et *agnus Dei* vocatur, *qui fert peccata mundi.* Joh. 1: 29. Es. 53: 4, 6. Et hoc notandum est: quod *sacrificium* peccata expiet, quia substituitur loco peccatoris, quare & victimis *peccata* & *maledictio* populi solebant imponi. Levit. 16: 21. quæ erant picturæ

*Christus vere satisfecit, & meruit.*

Christi, cui *peccata* &. *maledictiones* nostræ impositæ sunt; ideo κατάρα & *maledictio* factus *dicitur pro nobis*. Gal. 3: 13. Deut. 21: 23. (4. *Mors* & *obedientia* Christi dicitur verum *pretium*, quo redimeremur à peccatis nostris, & quo Christus nos sibi acquisiverit. Ideo dicitur & כפר Job. 33: 24. & λύτρον. Matth. 20: 28. Marc. 10: 45. λύτρωσις. Hebr. 9: 12. περιποίησις. Act. 20: 28. & τιμή. 1. Cor. 6: 20. 1. Pet. 1: 18. (5. quia *mors Christi* verum fuit *meritum*. Is enim qui pretium solvit, meretur. (6. quia exsertis verbis dicitur *pro nobis mortuus*. ὑπὲρ ἡμῶν. 1. Cor. 15: 3. 2. Cor. 5: 15. Rom. 5: 8. Et ἀντὶ ἡμῶν. Matth. 20: 28. Hinc & ejus *mors* dicitur ἀντίλυτρον. 1. Tim. 2: 6. & se dicitur dedisse θυσίαν περὶ ἁμαρτίας. Heb. 10: 12.

*Christus mortuus est non tantum nostro bono, sed & nostro loco.*

IV. Mortuus igitur est Christus, non tantum *nostro bono* & *utilitate*, ut nobis præiret exemplo *passionis*, & ut novam suam doctrinam morte sua confirmaret, ut impie docent *Sociniani*; sed *nostro loco*, per veram *substitutionem*, ut victima substituitur pro peccatore, quare *sacrificium*, *victima*, *agnus* &c. & ἱλασμὸς dicitur. 1. Joh. 2: 2. Nec quidquam eos juvat; quod ὑπὲρ ἡμῶν *significat bono nostro*, *& utilitate*, *prout Paulus dicit: se pati pro Ecclesia*. Col. 1: 24. Potest enim hoc aliquando significare. Tamen nunquam ita sumitur, quando de morte Christi dicitur: tunc enim notat *substitutionem*, & *nostro loco*, ut Christus passus sit pro nobis, id quod nos debebamus pati, ut ab ista pœna liberaremur, quasi omnia passi essemus. Ideo *si unus* (Christus) *pro omnibus*, *omnes* dicuntur *esse mortui*. 2. Cor. 5: 15. Id est omnes in Christo censentur mortui, pro quibus Christus mortuus est. Deinde Christus ita mortuus est pro nobis, ut David voluit mori pro filio suo, ut filium *Absalonem* in vita conservaret. 2. Sam. 18. Tandem ipsi etiam *Propheta* & *Apostoli* dicendi essent *mortui pro nobis*: cum ipsi quoque nobis exemplum dederint passionis, & doctrinam suam confirmaverint morte sua. Nihilominus exsertis verbis negatur, eos *pro nobis* esse mortuos. *Num Paulus pro vobis crucifixus est?* 1. Cor. 1: 13.

*Christus meritus est ex condigno.*

V. Meritus autem est Christus, non *ex pacto* tantum, ut Adamus meritus esset si stetisset, sed ex *condigno*. Ist est digna fuit ipsius mors, ut propter eam Deus peccata nobis condonaret. (1. quia Christus est θεάνθρωπος, qui potest offerre pretium meriti infiniti. (2. quia ipse *Deus Ecclesiam proprio suo sanguine redemit*. Act. 20: 28.

*Acceptilatio figmentum.*

VI. Peccata igitur nobis remittuntur, ob veram *satisfactionem*, *solutionem*, & ob *meritum* pretii infiniti. Non autem propter *acceptila-*

*tilationem* tantum, aut propter *fictionem juris*, quemadmodum *Sociniani* impie, aliique satis incaute, loquuntur. (1. quia *Acceptilatio* est tantum *solutio imaginaria.* (2. Talis solutio magis est hypocritica & ficta, quam vera. (3. Deus justitiam suam hoc modo non manifestasset. (4. Histrionicum esset, quidquid de Christi *merito*, *expiatione*, & *Redemptione* dicitur in Scriptura Sacra.

VII. Satisfecit autem Christus sustinendo pœnam *infernalem*, non tantum pœnam *corporalem*, & *mortem temporalem*, quam Deus acceperit pro satisfactione plena, ut falso docent *Sociniani* & *Remonstrantes.* (1. Hæc esset *acceptilatio*, quam ostendimus esse absurdam. (2. Justitiæ Dei non fuisset satisfactum. (3. Christus in anima anxius fuit, eo usque ut sudaret grumos sanguinis, & exclamaret: *Deus mi, quare dereliquisti me?* ut etiam opus haberet consolatione per angelum. Hæc autem omnia notant angores extremos, & infernales, in ipsa anima, ob sensum iræ Dei propter peccata; nisi dicamus, Christum fuisse hominem mollissimum. Veram igitur ac proprie dictam solutionem Christus præstitit, per quam absolute & plenarie satisfecit patri, tanquam judici, pro peccatis nostris.

*Christus passus est pœnam infernalem.*

VIII. I. Non igitur *redemit nos per liberationem tantum impropriam, ut Israelitæ liberati dicuntur ex Ægypto, non pretio, sed sola virtute Dei.* Hoc enim est πρῶτον ψεῦδος *Socinianorum;* cum nos redemerit suo *sanguine*, *morte*, & vero *merito*, λύτρῳ כפר &c. uti jam demonstravimus. Falsum etiam quod dicunt *Sociniani* II. *Deum dici nos purgasse, non vera purgatione per Sanctificationem Spiritus Sancti, sed tantum nos liberando a pœna: aut quatenus aliquid confert ad nostram regenerationem, quum sanguis & mors Christi nos ad regenerationem permoveat.* Sane hoc modo per Apostolos & Martyres purgaremur. Deinde dicimur purgari per sanguinem Christi; tanquam per verum ἱλασμόν. 1. Joh. 2: 2. Adeo etiam ut Apostolus dicat: *sine effusione sanguinis non fit remissio peccatorum.* Hebr. 9: 22. Vide. Rom. 3: 24, 25. Tandem quemadmodum sanguis victimarum *typice* purificavit sub Veteri Testamento, ita & Christi sanguis, sub Testamento Novo, purificavit *vere.* Falso dicitur III. *Christum nullum pretium obtulisse, quia nihil aliunde obtulit, adeoque nullam dari satisfactionem.* Non enim omne *pretium* significat rem adventitiam, *argentum*, *aurum* &c. sed & *factum* aliquod, immo quicquid solutionem adferre potest, secundum legem. Lex autem Dei requirebat *mortem* pec-

*Liberavit nos, per liberationem propriam.*

*Argumenta contraria.*

*peccatoris*, aut ejus *ſponſoris*. Cum igitur *ſponſor* mortem obierit etiam vere ſatisfecit. Nec dici debet IV. *Neminem eſſe cui offeratur pretium; cum Chriſtus à nobis dicatur Deus, adeoque ſibi ipſi obtuliſſe.* In hoc enim nihil eſt abſurdi: cum nihilominus *Patri* obtulerit, tanquam judici, œconomice, non autem ſibi: cum teneat locum *ſponſoris* & *ſervi*, in negotio ſalutis noſtræ. Phil. 2: 9. Quod autem dicant V. *Chriſtum debuiſſe ſatisfacere Diabolo, quia ſub ejus poteſtate ſumus.* 2. Petr. 2: 19. Joh. 8: 34. id eſt impium: Cum Diabolus non ſit ſupremus *dominus* peccatorum, ſed tantum eorum *carnifex*. Deinde liberati ſumus à ſervitute peccati, & à pœna, ne Diabolus nobis noceret, quando Chriſti *patri* ſupremo Domino, & judici ſatisfecit. VI. Nihil *Socinianos* juvat locus Ezech. 18. *anima, quæ peccat, morte morietur.* Inde enim non ſequitur, *alterum pro altero non poſſe ſatisfacere.* Fatemur quidem, nudam creaturam pro alio ſatisfacere non poſſe: poteſt tamen θεάνθρωπος. Deinde *anima quæ peccat morietur*, niſi habeat ſponſorem ſufficientem, qualis eſt *Chriſtus*, qui ſponte ſua debita in ſe ſuſcepit. VII. Et quamvis *Chriſtus debitum ſolverit*, non ſequitur tamen, *eum nihil meritum eſſe.* Nam merito ſuo ſolvit pro nobis. Deinde mors Chriſti eſt *ſolutio debiti*, reſpectu Dei judicis: ſed *meritum* eſt, reſpectu noſtri, quia nobis meruit remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. *Et ſic* meruiſſe, oſtendimus ubi de *ſponſione* egimus. Nec dici poteſt VIII. *Chriſtum non tuliſſe omnem pœnam, quam nos meriti ſumus, nempe mortem æternam & deſperationem, adeoque pro nobis non eſſe meritum.* Nam *æternitas cruciatuum* & *deſperatio* non ſunt de eſſentia pœnæ infernalis, ſed accidentia tantum in reprobis, non in ſanctis. Deinde dignitas Chriſti θεανθρώπου tempus vel *durationem* ſufficienter compenſat. Tandem Chriſtus revera pœnas infernales tulit. (1. quia ejus anima ac conſcientia anxia fuit ad mortem, ob ſenſum peccati noſtri. (2. quia ſudavit grumos ſanguinis. (3. quia ſolutus fuit doloribus inferni. Matth. 26. Pſ. 18. & 16: 10. Fruſtra quoque argumentantur. IX. *Deus peccata nobis remittit; ut nos remittere debemus proximis.* Matth. 18. *Sed remittere debemus ſine ſatisfactione; Ergo Deus remittit ſine ſatisfactione.* Nam 1. ita remittere debemus ex ſpeciali præcepto Dei, tale autem præceptum Deus non accepit. 2. Nos non ſumus ſupremi *judices* quemadmodum Deus, ut nobis ſemper debeat ſatisfieri. 3. Inter homines dantur mutua officia, ut, quemadmodum nobis remitti cupimus, ita & nos debeamus re-

remittere ſine ſatisfactione. Reſpectu noſtri Deus ſemper gratuito remittit. X. *Moſen fuiſſe Mediatorem.* Gal. 3: 19. *& tamen non ſatisfeciſſe* concedimus; negamus tamen inde ſequi: *Chriſtum etiam non ſatisfeciſſe:* cum Moſes fuerit Mediator typicus tantum, qui non niſi typice ſacrificium obtulit & interceſſit. Satisfecit ſæpe per victimas, quas obtulit, ſed typice tantum. Chriſtus autem vere peccata noſtra expiavit. XI. Falſum eſt: *Chriſtum fuiße noſtrum Sacerdotem in cœlis tantum, quia in cœlis redemptionem invenit.* Hebr. 9: 12. *adeoque eum in terris non ſatisfeciſſe.* Non enim dicitur *in cœlis* tantum redemptionem inveniſſe, ſed quod in cœlum intraverit, & quod *invenerit redemptionem proprio ſanguine*, non ſanguine *animalium.* Vide Cap. v. de *Sacerdotio Chriſti.* theſ. xix. XII. Fatemur quidem *ſub Veteri Teſtamento Deum promiſiſſe remiſſionem peccatorum pœnitentibus,* tamen non *ſine ſatisfactione.* Deus enim dat pœnitentiam iiſdem, quibus dat Chriſtum ſponſorem. Deinde remiſſio peccatorum eſt gratuita, à parte peccatoris; merito tamen eſt acquiſita per Jeſum Chriſtum. Tandem fideles Veteris Teſtamenti, debebant *lavare manus in innocentia*, id eſt debebant reſipiſcere, nihilominus tamen debebant *circumire altare Dei.* Pſ. 26: 6. Id eſt debebant ſacrificia offerre pro peccatis, ad depingendum verum ſacrificium Jeſu Chriſti XIII. Et quamvis *in Novo Teſtamento habeamus remiſſionem peccatorum, per fidem*, non minus tamen etiam *per ſatisfactionem*, cum *fides* & *ſatisfactio* non pugnent. Chriſtus enim pro nobis ſatisfecit, & per fidem amplectimur ſatisfactionem.

*Non quælibet gutta ſanguinis ſervare potuit totum mundum.*

IX. Quamvis Chriſtus proprie & vere pro nobis ſatisfecerit, tamen non ſequitur, eum meritum eſſe *ex ſuperabundanti*, quaſi quælibet gutta ſanguinis totum mundum potuiſſet ſervare, ut docent *Pontificii*, ut ut etiam *infernales* pœnas ſuſtulerit. (1. quia niſi *infernales pœnas* paſſus fuiſſet, juſtitiæ Dei non fuiſſet ſatisfactum, talem enim pœnam peccator meritus erat. (2. Si minorem pœnam ſuſtuliſſet, Deus odium adverſus peccatum non clare demonſtraſſet. (3. Si unica gutta ſanguinis mundum potuiſſet redimere, Deus plus æquo peccatum in Chriſto puniviſſet. Et quamvis *Chriſti mors fuerit pretium meriti & valoris infiniti*, inde tamen non ſequitur, *quamlibet guttam potuiſſe omnes homines expiare:* tale enim pretium requirebatur, ut ſatisfieret pro ſingulo homine, non minus quam pro toto mundo, quemadmodum totum lumen ſolis requiritur, ad illuminandum unum hominem, æque ac homines omnes.

*Exceptio.*

*Nullus eſt theſaurus Papæ.*

omnes. Nullus igitur *Thesaurus Papæ*, quasi ex meritis Christi *superabundanti* aliquid supereßet, quo nos opus non haberemus, & quod *Papa* servaret in thesauris suis, idque inde depromeret, & applicaret quibus vellet.

*Christus non acquisivit jus Patri Novum fœdus cum homine pangendi.*

X. Ex dictis patet, Christum non esse mortuum, tantum ut *patri acquireret jus novum fœdus cum hominibus pangendi, & de remissione peccatorum contrahendi, quacunque conditione vellet*, quemadmodum falso docent *Remonstrantes*. (1. quia Deus pater est *dominus*, eique omne jus competit, nec quidquam ei acquiri potest. (2. Nulla alia conditio requiritur ad servandos homines, quam *mors sponsoris Jesu Christi*, alias salus esset ex *operibus*, atque sic *Christus frustra mortuus fuisset*. Gal. 2: 21. (3. Nostra justificatio totaque salus dependeret magis à nobis, quam à morte Christi. Christus igitur mortuus est, ut sua morte Deum nobis propitium redderet, nos cum eo reconciliaret, salutem & omnia quæ ad salutem requiruntur, nobis acquireret. Non igitur satisfecit tantum, ut Deus cum homine esset *reconciliabilis*, sed ut de facto essemus *reconciliati*, & ut haberemus vitam. Rom. 5: 10.

*Ejus satisfactio, est absoluta, non conditionata.*

XI. Est igitur satisfactio Christi *absoluta*, non *conditionata*, si nos eam amplecti velimus; quia nobis acquisivit Spiritum Sanctum, per quem habemus ipsum etiam *velle* reconciliari, & *fidem*, per quam satisfactionem & reconciliationem amplectimur. Ut satisfactio Christi non tantum sit *plena*, sed & *efficacissima*, non quod ejus efficacia dependeat à voluntate hominis, si vellet eam sibi applicare; sed de ipso merito Christi, & misericordia Dei. (1. quia Christus mortuus est pro electis, cum voluntate servandi (2. Christus frustra mortuus esset, pro omnibus reprobis. (3. Spopondisset pro non liberandis, quod esset contra naturam sponsionis & sapientiam sponsoris; debet enim sponsor nosse quorum debita in se suscipit. (4. Scriptura Sacra nusquam loquitur de satisfactione *conditionata*, sed *absolutam* tantum docet. Est enim *ἱλασμὸς propitiatio pro peccatis nostris*. 1. Joh. 2: 2. Per eum habemus τὴν ἀπολύτρωσιν τῶν ἁμαρτιῶν, τὴν ἄφεσιν. Col. 1: 14, 20. (5. Illi pro quibus Christus mortuus est, & ipsi mortui sunt, id est mors Christi ipsis imputatur, ac si ipsi mortui essent. 2. Cor. 5: 15. Satisfecit igitur Christus *absolute*, & pro solis quidem electis, sine ulla *conditione*. Et quamvis *à nobis postulet conditionem fidei, ut credamus;* tamen absolute satisfecit, & ita quidem satisfecit, ut

nos

nos crederemus, adeoque ipse conditionem fidei nobis acquisivit, eamque in nobis adimplet.

*Non tantum impetravit satisfactionem, sed eam nobis applicat.*

XII. Nec tantum *impetravit* nobis reconciliationem & satisfactionem, per mortem suam, sed & ipse eam nobis quoque applicat per fidem, quam nobis dat virtute Spiritus Sancti, ut *applicatio* non magis dependeat à *nostro arbitrio* ac *viribus propriis*, quam *impetratio*. (1. quia eo ipso, quod Christus pro nobis solvit, solutio nobis *applicatur*. (2. quos Christus reconciliavit, eis non imputat peccata. 2. Cor. 5: 19. Hebr. 10: 7. Illi *servantur*. Rom. 5: 10. *Consummantur* & in *perpetuum sanctificantur*. Hebr. 10: 14. (3. *Sponsio* postulat, ut, soluto debito, debitor plane liberetur.

*Staisfecit Christus, pro omnibus peccatis.*

XIII. Satisfecit autem Christus pro omnibus peccatis nostris, non tantum, ut docent *Pontificii*, pro *peccato orginali*, vel *actualibus ante baptismum*, pro *reatu culpæ*, & pro *pœna æterna*: ita ut nos ipsi satisfacere debeamus, pro peccatis *venialibus*, & pro *reatu pœnæ*. (1. quia nulla dantur peccata *venialia*: aut si talia sint, nulla satisfactione opus habent. (2. quia pro minimo peccato requiritur satisfactio meriti & pretii infiniti; cum justitia Dei læsa sit infinita. (3. Sanguis Christi nos purgat *ab omni*, (non à *quibusdam* tantum) *peccato*. 1. Joh. 1: 7. Et *nulla manet condemnatio in iis, qui sunt in Jesu Christo*. Rom. 8: 1.

*Non est mortuus pro angelis.*

XIV. Cum Christus sit *Mediator* & *Sponsor* fœderis gratiæ hominisque *peccatoris*, sequitur eum non esse mortuum pro *Angelis*. (1. quia *mali* in damnatione manent: *boni* autem redemptore non opus habent. (2. Christus *non assumpsit Angelos*, sed *semen Abrami*. Hebr. 2: 16. (3. factus est θεάνθρωπος ut *homines* liberaret; non θεάγγελος, ut liberaret *Angelos*. Si autem dicatur, *omnia reconciliasse, quæ in terra & quæ in cœlis sunt*. Ephes. 1: 10. Col. 1: 19, 20. id debet intelligi de *electis* tantùm, qui vixerunt sub promissione & sub Veteri Testamento, tunc autem, cum Christus mortem passus esset, fuerunt in cœlis: at non intelligitur de *Angelis*.

*Objectio.*

## CAPUT VII.

### *De Gratia Universali.*

I. AT quamvis pro solis *hominibus* mortuus sit, tamen non pro *omnibus*. (1. quia est *Sacerdos* & *victima*. At *sacrificia* pro certis quibusdam peccatoribus offerebantur. Lev.

 17:

*Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus probatur.*

17: 11. ita & Christus se obtulit pro peccatis quorundam; scilicet pro peccatis *populi sui.* Matth. 1: 21. pro *gente sua.* Joh. 11: 51. pro *corpore suo.* Ephes. 5: 23. pro *ovibus suis.* Joh. 10: 15. pro *Ecclesia sua.* Act. 20: 28. pro *multis*, ergo non pro omnibus. Matth. 26: 28. Hebr. 9: 28. *Multos*, non *omnes*, introduxit in gloriam. Hebr. 2: 10. mortuus est pro *electis suis*, ergo non pro *omnibus*, cum *electio* opponatur *omni*, & semper quosdam excludat. Deinde *pauci* tantum *electi sunt.* Matth. 20: 16. (2. Non debuit, nec poterat mori pro iis, quos pater, secundum *pactum æternum*, & *consilium pacis*, ei non dederat. Sed non *omnes* ei dederat, sed *quosdam* tantum, scilicet *semen mulieris*, *semen.* Es. 53: 10. *hæredes.* Joh. 17: 9. Ps. 2: 8. (3. Non poterat mori, nisi pro iis, pro quibus spoponderat. Sed spoponderat pro *semine* promisso, pro *hæredibus suis.*

*Quid sit pro aliquo mori?*

II. (4. Non poterat mori pro omnibus, quia non habuit voluntatem omnes servandi. Nam *pro aliquo mori*, est habere *voluntatem eum servandi per mortem suam.* Ut David mori volebat, pro filio suo Absalone, ut eum servaret in vita. 2. Sam. 18. Christus autem non poterat mori cum *voluntate servandi.* I. eos qui *blasphemant Spiritum Sanctum*, & quorum *peccata remitti non possunt.* Matth. 12: 31. 1. Joh. 5: 16. II. quos noverat esse *progeniem Viperarum*, atque *judicium gehennæ non posse evitare.* Matth. 23: 33. Ergo III. Nec pro *Juda* mori poterat, quia noverat, eum esse *filium perditionis* & *habere Diabolum.* Joh. 17: 12. & 6: 70. & 13: 11. Nec IV. pro *infantibus*, cum, secundum Adversarios, non habebant peccatum originale. Nec V. pro fidelibus Veteris Testamenti, quia, uti docent, nullam habebant promissionem nec cognitionem vitæ æternæ; ut extra Christum servati dicantur. Nec VI. pro *maxima parte hominum:* quia dicunt, eos non habere peccatum *originale*, multos sibi cavere à peccato, habere justitiam naturalem, servarique extra Christum. Nec VII. pro iis quos noverat jam *in inferno cruciari:* alias Deus bis exegisset satisfactionem pro eorum peccatis; primo ab ipso peccatore in inferno, deinde à Christo sponsore, quod esset iniquum. (5. Pro quibus noluit *orare*, pro iis non est mortuus. Sed noluit pro *omnibus orare.* Joh. 17: 9. Vide Ps. 69. 27, 28.

III. (6. *Fructus* mortis Christi ad omnes non pervenerunt. I. quia *omnium peccata non sunt remissa*, sed *quorundam* tantum. *Hic est sanguis meus effusus in remissionem peccatorum pro multis;* non pro *omnibus.* Vide Hebr. 9: 22. II. Pro quibus Christus mortuus est, illi

quo-

quoque *cum Christo mortui sunt.* 2. Cor. 5: 15. Sed *reprobi* cum Christo non sunt *mortui*, veterem hominem non crucifixerunt. III. Pro quibus Christus mortuus est, illi non possunt *condemnari.* Rom. 8: 1. Nemo eos potest separare à dilectione Christi. Vers. 34. Sed *reprobi condemnantur.* Marc. 16: 16. IV. Pro quibus pater *filium suum tradidit*, iis omnia *bona largitur.* Rom. 8: 32. veluti א *sanctificationem. Pro iis me sanctifico, ut & illi sanctificentur.* Joh. 17: 19. ב *Spiritum veritatis.* Joh. 14: 17. *Spiritum veritatis mundus non potest capere, vos autem eum cognoscitis, & manet in vobis.* ג *Liberatorem a peccatis*, ne *peccatis amplius serviant.* Rom. 6: 6. & à *morte.* Hebr. 2: 14. ד *Reconciliationem* & *pacem* cum Deo. Rom. 5. Rom. 1: 10. ה *Fidem* Phil. 1: 29. Rom. 3: 24. ו *vitam æternam.* Nam *si sumus reconciliati per mortem Christi, multo magis servabimur per vitam ejus.* Rom. 5: 10. Sane hæc *bona* non dantur omnibus hominibus, sed *electis*; ergo pro *electis* tantum est *mortuus.*

IV. (7. Christus non est *mortuus pro omnibus*, quia non *omnes* sunt in *fœdere gratiæ*, cujus est *caput* & *Mediator.* Sed non omnes esse in fœdere gratiæ patet, si percurramus omnes œconomias. I. Non sub *Promissione.* I. quia jam tempore Adami erat distinctio inter *semen mulieris*, & *semen serpentis.* Gen. 3: 15. II. Fuerunt *Filii Dei*, id est homines ex sancta progenie, & *Filii hominum*, id est *impii.* Gen. 6: 2. III. Post diluvium *Sem* receptus est, excluso *Chamo.* IV. In fœdere Dei non fuerunt *filii Abrahami* omnes; ut filii. *Agaræ* & *Keturæ. Esavus* filius *Isaci* rejectus fuit. II. Non sub *Veteri Testamento.* Tunc enim solus populus Israëliticus erat סגלה *peculium* Dei. Exod. 19: 5. Ps. 135: 4. Tit. 2: 14. Cæteros populos *suis viis ire sivit.* Ps. 147: 19, 20. Act. 14: 16. Erat istis temporibus *inimicitia*, & *murus intermedius*; Deuter. 23. Ephes. 2: 14. III. Non sub *Testamento Novo.* I. quia multi ex *Judæis rejecti* sunt. Rom. 11: 12. II. Christus prohibuit, ne Apostoli *abirent in vias gentium* &c. Matth. 10: 5. Et ne gratiam Dei annunciarent *in Asia.* Act. 16: 6, 7. III. Ante pauca sæcula Euangelium ignotum fuit in maxima parte mundi, veluti in tota *America.* IV. Ad hunc usque diem in multis locis, apud *Indos Orientales*, præsertim versus polum antarcticum, ignoratur Christus. Ergo certissimum est, omnes homines non esse in *fœdere gratiæ*, & Christum pro omnibus non esse mortuum; quicquid *Pontificii*, *Remonstrantes*, *Anabaptistæ* aliique dicant.

*Argumenta adversaria.* V. Frustra conantur errorem suum probare. I. ex Joh. 3: 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit filium suum unigenitum &c.* Nam ex isto loco non sequitur, *Christum pro omnibus esse mortuum:* cum per *mundum* ibi intelligatur *mundus electorum*, sive omnes *electi* per totum mundum. Dicuntur autem *mundus*, quod sua natura sint *mundani*, id est *corrupti*, prout mundus corruptus est. II. *Deus vult, ut omnes serventur* &c. 1. Tim. 2: 4. Sed per *omnes* intelligit Apostolus, non *singulos* homines in toto terrarum orbe, sed homines omnium nationum, ac conditionum, *Principes*, *Magistratus*, &c. pro quibus orandum est, & qui sunt ædificandi, quemadmodum ex præcedentibus constat. III. *Christus dicitur unus pro omnibus mortuus.* 2. Cor. 5: 15. sed intelliguntur soli *electi*, qui & *cum Christo moriuntur*, ut ibidem constat. *Reprobi* cum Christo non moriuntur, ergo nec Christus pro iis mortuus est. IV. Fatemur *Christum esse mortuum, non tantum pro peccatis nostris; sed pro peccatis totius mundi.* 1. Joh. 2: 2. Sed per *totum mundum* intelliguntur, non *singuli generum*, sed *omnia genera singulorum*, ut loquuntur Scholastici; id est, non omnes & *singuli homines*, sed *omnes nationes*, non sola natio *Judaica*; quia Ecclesia colligitur sub Novo Testamento, ex omnibus populis & nationibus. Ideo Johannes dicit: *Non tantum pro peccatis nostris*, scil. *Judæorum*, qualis fuit *Johannes*, sed omnium per totum mundum. V. *Deus reconciliavit sibi mundum.* 2. Cor. 5: 19. Et *Christus mortuus est pro mundo.* Joh. 1: 29. Sed ad hæc loca eadem responsio sufficit. Intelligitur enim *mundus electorum*, omnesque fideles per totum mundum, ex omnibus populis. VI. Nec iis favet Paulus. 1. Cor. 15: 22. *Ut omnes in Adamo moriuntur, ita omnes in Christo vivificantur.* Nihil enim aliud vult Paulus, nisi quod omnes, quicunque moriuntur, moriantur in Adamo, ita & quod omnes, qui vivificantur, vivificentur in Christo. Deinde, secundum ipsos adversarios, *non omnes moriuntur in Adamo*, nec, secundum eosdem, *omnes per* Christum *vivificantur;* docent enim, *infantes* in cunis morientes, & multos *Ethnicos* servatos extra Christum. *Pontificii* quoque negant beatam *Virginem* habuisse ullum peccatum. Ergo nec in *Adamo est mortua*, nec *in Christo vivificata.* VII. Christus falso dicitur *mortuus pro falsis doctoribus, qui dominum abnegarunt.* 2. Petr. 2: 2. Non enim Christus redemit eos, qui eum abnegarunt; sed *falsi doctores negarunt, se per Christum esse redemptos*, quod verum est: non enim redempti sunt, quemadmodum hodie

*So-*

*Sociniani* & ejuſmodi falſi doctores negant, ſe revera per Chriſtum redemptos eſſe. Deinde poſſent dici redempti *externe*, *ex opinione*, quia vivunt in externa ſocietate Eccleſiæ, quamvis non ſint vera ipſius membra. 1. Joh. 2: 19. Non ſunt igitur redempti τιμῇ 1. Cor. 6: 20. Nec *ſanguine Chriſti*, ut ſoli *electi*. Act. 20: 28. Epheſ. 5: 25.

## LOCUS XI.

## *De Fide & Juſtificatione.*

## CAPUT VIII.

### *De Fide.*

*Fœderis gratiæ partes quænam?*

I. CUm hactenus egerimus de *Fœderibus* in genere, de *Fœdere Operum*, *Fœdere gratiæ*, ejuſque *Mediatore*, De *Pacto æterno* inter Patrem & filium, de Mediatoris *ſponſione*, *Morte* & *ſatisfactione*; ordo poſtulat, ut examinemus fœderis gratiæ *naturam* atque *partes*. Quemadmodum enim in omni *fœdere*, ita & in *fœdere gratiæ* quatuor partes examinandæ erunt. I. *Stipulatio*, ſive *Lex*. II. *Promiſſio* & *Comminatio*. III. *Adſtipulatio*, & IV. *Reſtipulatio*. Ut in fœdere operum Deus ſtipulatus fuit *opus*, his verbis: *qui fecerit ea vivet in illis*, ſive *fac & vives*; quare *lex operum* dicebatur: ita in fœdere gratiæ ſtipulatur *Fidem*, *qui crediderit habebit vitam æternam*, unde & *lex fidei* vocatur. Rom. 3: 27. Nec aliud opus ſub fœdere gratiæ ad ſalutem poſtulat, quam *fidem*, τ8τό ἐςι τὸ ἔργον τ8 Θε8, ἵνα πιςεύσετε εἰς ὃν ἀπέςειλεν ἐκεῖνος. Joh. 6: 29. De hac *fide*, ſive de *Stipulatione* igitur nunc nobis agendum erit.

*Fœderis gratiæ ſtipulatio eſt Fides.*

*Fides Hebraice quomodo dicta.*

II. *Fides* Hebraice dicitur אמונה Habac. 2: 4. Græcis πίςις à πιθῶ ſive πείθω *fido*. Hic fides non ſumitur pro virtute aliqua morali, nempe pro *integritate*, *conſtantiâ*, *veritate*, aut *fidelitate*, quo ſenſu Moſes dicitur *fidelis in domo Dei*. Num. 12: 7. & ipſe Deus πιςὸς, 2. Theſſ. 3: 3. Nec pro *Doctrina*, *Religione*, ſive *fide* quam profitetur aliquis, aut pro capitibus fidei, quo ſenſu Paulus dicit: *ſe nunc annunciare fidem, quam olim vaſtaverat*. Gal. 1: 23. Sic & Romanorum *fides*, id eſt *profeſſio fidei* audita eſt per totum mundum. Rom. 1: 8. & quidam dicuntur *naufragium feciſſe fidei*. 1. Tim. 1: 19.

III. Vox *fidei* in Sacra Scriptura quadruplici modo ſumitur. Eſt enim vel I. *Miraculorum*; vel II *Hiſtorica*; vel III. *Temporaria*

&

*Fides quotuplex?*

& *Hypocritica*; vel IV. *fides Salutaris*. I. *Miraculorum* est firma persuasio de futuro aliquo miraculo, quod id fieri debeat, vel per nos, vel per alium, in bonum nostrum, vel in bonum proximi. Ita claudus Lystrensis habebat *fidem, ut sanaretur*. Act. 14: 10. Vide Matth. 9: 27. &c. *Propter incrudelitatem vestram, non potestis ejicere Diabolos*. Matth. 17: 20. Ejusmodi fidem jactabant nonnulli reproborum. Matth. 7: 22. De hac vide. 1. Cor. 13: 2. Dicitur autem. I. *Activa* hæc *fides*, quatenus aliquis habet persuasionem se posse facere miraculum. II. *Passiva*, prout aliquis habet persuasionem, miraculum fieri in sui bonum. Dicitur & *fides promissionum*, quia nititur promissione Dei. Hæc olim etiam in *Reprobis* reperta est, cum & ipsi miracula fecerint. Matth. 7: 22. 1. Cor. 13: 2.

*I. Miraculorum.*

*Estque activa & passiva.*

*II. Historica.*

IV. II. Fides *Historica* est illa, qua quis novit & credit dogmata fidei in Scripturâ revelata, ita tamen ut ea non curet, quasi ad se non pertinerent, nec ea sibi applicet ad salutem; sic & *Diaboli credunt, Deum esse unum, & horrent*. Jacob. 2: 9. Talem habebant & Principes Judæorum, *multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Pharizæos non confitebantur*. Joh. 12: 42.

*III. Temporaria.*

V. III. Fides *Temporaria* & *Hypocritica* est ea, qua quis credit dogmata fidei, & gustum aliquem percipit bonorum Euangelii, adeo etiam ut nonnunquam paratus sit, pati aliquam persequutionem, pro veritate Euangelica; quamvis Christum sequatur propter panem magis, quam propter gloriam Dei. Ideo πρόσκαιρος dicitur, & eos qui talem habent fidem, legimus πρὸς καιρὸν πιστεύειν. Luc. 8: 13. Matth. 13: 20, 21. Circa hanc fidem *naufragium faciunt* multi. 1. Tim. 1: 19. Et ea dicuntur *excidere*. Hebr. 6: 4, 5, 6.

*IV. Salutaris.*

VI. IV. Fides *salutaris*, alias *salvifica* & *justificans*, est ea, qua quis agnitam veritatem Euangelicam pio assensu amplectitur, justitiam Christi sitit & esurit, ad eum confugit, tanquam ad rupem salutis, omnemque salutem in eo quærit & invenit. Hæc intelligitur. Habac. 2: 4. *Justus sua fide vivit. Qui crediderit habebit vitam æternam*. Joh. 3: 16. *Tot crediderunt, quot ordinati fuerunt ad vitam æternam*. Act. 13: 48.

*Non sunt confundendæ hæ fidei species.*

VII. Non est igitur una eademque fides *miraculorum, Historica, Temporalis* & *salutaris*, nec ullo modo confundi debent, uti fit a Pontificiis & Remonstrantibus: sed distinguuntur tanquam variæ *species*, sub eodem genere *analogico*, quia ad generalem aliquem conceptum, nempe ad *cognitionem* & *assensum* referri possunt. Aut

etiam

etiam fides, tanquam vox *ambigua*, distinguitur in sua *significata*. Ut fides *miraculorum*, *Historica* & *temporalis* non univoce & proprie, sed improprie & *æquivoce* tantum, dicantur *fidei*. Frustra dicitur: non posse dici varias *species* fidei, aut varia *genera*, quod *esset contra analogiam Grammaticam, secundum quam fides caret plurali*: cum Grammatica Latina Linguæ Hebrææ, multo minus dogmatibus Theologicis, aut nostris conceptibus de iis formandis, nullas leges præscribere possit. Deinde non est contra analogiam Linguæ Hebrææ, cum in ea reperiatur in plurali אמונות. Prov. 28: 20.

*Cognitio est primum requisitum ad fidem.*

VIII. Ad veram fidem multa requiruntur. Et primum quidem requisitum est *Cognitio*, cum sine cognitione nihil credi possit. *Cognitionem* ad fidem esse necessariam hisce argumentis probatur: (1. Apostoli fatentur se cognovisse antequam crederent. Non solum dicunt se *credidisse*, sed statim addunt rationem quare? scil. quia *cognovimus*. Joh. 6: 69. *Si cognovisses donum Dei, tu petiisses.* Joh. 4: 10. (2. Ipsa fides vocatur *cognitio*. *Servus meus justus justificat multos cognitione sui.* Es. 53: 11. at *justificamur fide*. Rom. 3: 26. Dicitur *demonstratio*. Hebr. 11: 1. sed *demonstratio* est clara perceptio veritatis. (3. *Fides est ex auditu*. Rom. 10: 17. sed ex *auditu* hauritur *cognitio*. (4. *Samaritani* Christum cognoscere volebant, antequam in eum crederent. Joh. 4: 41, 42. Ita & *Beroenses*. Act. 17: 11. Ideo Scripturæ sunt scrutandæ, ut per eas perveniamus ad cognitionem Christi. Joh. 5: 39. (5. Et *cognitio* omnibus commendatur. *Deus det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis.* Ephes. 1: 17. Col. 3: 16. (6. nulla potest concipi fides sine cognitione, ne fides quidem *historica*: quia in omni fide debet esse *assensus*, sed non possumus assentiri rei ignotæ.

*Argumenta contraria.*

IX. Ineptissime igitur *Pontificii* dicunt I. *sufficere, ut credamus quod Ecclesia credit*. Nisi enim sciamus quid Ecclesia credat, fides esset cœca, stulta, nulla. Et ubi novimus quid credat Ecclesia, debemus scire utrum conveniat cum verbo Dei. Debemus credere quod revelavit in verbo suo: cum solum *verbum Dei* sit *principium fidei*, non *Ecclesia*, nec ulla *auctoritas humana*. II. Fatemur: *omnem cognitionem captivandam esse sub obedientiam Jesu Christi*. 2. Cor. 10: 5. Sed *cognitio* & *ratiocinatio* captivanda est, ratione τοῦ διότι sive τοῦ πῶς, quia intimam naturam & rationem mysteriorum non possumus intelligere, adeoque curiose non sunt inquirenda. Deinde si *ratio captivanda* est, sequitur dogmata salutis debere revelari, adeoque à nobis sciri: quibus enim in rebus captivaremus rationem, nisi in iis quas per revelationem cognoscimus?

III. *Beati* quidem ſunt, *qui non vident, & tamen credunt.* Joh. 20: 29. Sed hoc intelligendum eſt de viſione corporea, ut Thomas viderat: nam etſi ita Chriſtum non *videamus*, ut ille, oculis corporeis, *credimus* tamen, adeoque *beati* ſumus. IV. Si *Æthiops non intelligebat Prophetam Eſaiam.* Act. 8: 30. inde non ſequitur, nulla cognitione opus eſſe: nam quamdiu non intellexit, non credidit. Sed poſtquam ſenſus ei fuit expoſitus, ut haberet cognitionem, credidit. V. Nihil eos juvat locus 1. Corinth. 13: 9. *Ex parte cognoſcimus.* Inde tantum probatur, noſtram cognitionem nunquam eſſe *perfectam*, adeoque noſtram fidem eſſe *imperfectam.* Deinde Paulus ibi ignorantiam non commendat; ſed declaratur tantum naturalis noſtra ignorantia, & ſublimitas myſteriorum. VI. Verba 2. Cor. 3: 14. *velamen cordi impoſitum eſt;* non aliter intelligenda ſunt, quam de *Judæis*, quibus incumbit velamen Moſis, Exod. 34. quo reſpicit Paulus. Id eſt lex cærimonialis, à qua recedere nolebant, impoſita manebat, ut in Chriſtum non poſſent credere: ſed non credebant, propter ignorantiam. Si autem cognoviſſent, credidiſſent. Ergo ex hoc ipſo loco potius probatur, cognitionem ad fi m eſſe neceſſariam. VII. Verum etiam eſt, *in Sacra Scriptura multa exſtare, quæ a nobis ignorantur: qualia ſunt Regiones, Provinciæ, urbes, pagi, montes, valles, ſylvæ, fluvii, maria, homines, eorum nomina, familiæ, Genealogiæ, leges, contractus, nomina animalium, herbarum, reptilium, gemmarum, ſeminum, plantarum, arborum, & id genus infinita alia.* Sed hæc omnia poſſumus ignorare, abſque ſalutis periculo: non enim ſunt *capita fidei.* Quando enim dicimus, cognitionem requiri ad fidem, tunc intelligimus tantum res, vel capita fidei, quæ ſatis clare revelata ſunt. Alias ſi fides dependeret à cognitione omnium, quæ in verbo Dei memorantur, tunc ipſi doctores nullam poſſent habere fidem; cum ea non minus ignorent ac reliqua plebs.

*Cognitio non eſt actus eſſentialis Fidei.*

X. Sed quamvis *cognitio* ſit requiſitum abſolute neceſſarium ad fidem, tamen illa non eſt *actus eſſentialis* fidei. (1. quia multas res cognoſcimus, quas tamen non credimus, quales ſunt fabulæ Æſopi &c. (2. *Eſſentia fidei*, etiam *fidei Hiſtoricæ*, conſiſtit in eo, quo dicimur *credere*, non *cognoſcendo*, ſed *aſſentiendo.* (3. *Fides* diſtinguitur à *cognitione.* Joh. 6: 69. *Credimus & cognovimus.* Vide 1. Joh. 4: 16. *Fides eſt ex auditu.* Rom. 10: 17. Ergo *auditus*, &, per auditum, *cognitio* præcedit *fidem.*

XI. Primus igitur actus eſſentialis fidei eſt *aßenſus.* Eſt autem aſſen-

sensus in fide duplex. I. *Generalis*, per quem assentimur omnibus iis, quæ in verbo Dei revelantur. II. *Specialis*, per quem assentimur dogmatibus ad salutem necessariis, quorum ex verbo Dei habemus cognitionem. Præbemus autem assensum in rebus fidei, non propter auctoritatem Ecclesiæ, uti pessime Pontificii docent, sed propter solam auctoritatem divinam in verbo Dei, quod clare & distincte percipiamus, rem ita in Sacra Scriptura esse revelatam, vel αὐτολεξεὶ, vel per necessariam consequentiam inde fluere.

*Actus essentialis fidei. I. Est assensus. I. Generalis. II. Specialis.*

XII. Hinc patet fidei non posse subesse falsum; sive Deum non jubere, ut credamus pro vero, id quod falsum est. (1. quia Deus, unde omnis revelatio dogmatum fidei, est ipsa *veritas*. Es. 65: 16. ἀψευδὴς Tit. 1: 2. ut *in eo non sit mendacium*. 1. Joh. 2: 21. (2. Deus igitur esset auctor erroris, & nos deciperet. Falso dicitur I. *Abrahamum debuisse credere falsum; cum debuerit credere Isaacum esse immolandum, etsi non fuerit immolandus*. Non enim debebat credere, Isaacum esse immolandum, sed tantum, se ad istum actum se debere accingere, exspectando eventum à Deo. Deinde Abrahamus immolavit Isaacum vera obedientia, quam Deus intenderat. II. Nec *Adamus ante lapsum debebat credere, se habiturum vitam æternam per fœdus operum, absolute*, sed *conditionate* tantum, si in fœdere operum staret. Ergo non debebat credere falsum. Nec III. *Post lapsum debuit credere se damnari, ob fœdus ruptum*, nisi, iterum sub hac conditione, si Deus non aliud fœdus pacturus sit. IV. Nunquam probatum est: *Omnes homines debere credere: Christum pro se esse mortuum:* cum nemo hoc debeat credere, nisi qui vera fide donatus est, qui justitiam Christi sitit & esurit. V. Et quamvis *fides in hac vita sit imperfecta;* tamen non sequitur eam esse *falsam*. Nam non omne *imperfectum* est *falsum*. Deinde *imperfectio* non est in *fide*, sed in homine. VI. Nec sententiam suam probabunt hac argumentatione. *Homo debet credere, quod conscientia dictat: Sed conscientia sæpe errat & falsum dictat; ex. gratia, quando dictat Pontificio non esse comedendam carnem.* Nam conscientia hæc non dictat, nec conscientia unquam errare potest; sed *conjectura, præjudicium* hoc dictat. Deinde si vel maxime *præjudicium* vocaremus *conscientiam*, non deberet tamen talia credere, quia ex præjudicio & falso credit.

*Fidei non potest subesse falsum.*

*Objectiones.*

XIII. Secundus actus essentialis fidei est *Amor Jesu Christi*. (1. quia *fides* & *amor Jesu Christi* toties junguntur. *Ut Christus habitet per fidem in corde vestro, vera charitate radicata.* Ephes. 3: 17. *Pax sit* fra-

*II. Actus essentialis est Amor J. C.*

*fratribus & charitas cum fide.* Ephef. 6: 23. *Finis mandati est charitas.* 1. Tim. 1: 5, 14. (2. *Fides* dicitur *amor. Refrigescit amor multorum.* Matth. 24: 12. Et *qui sustinuerit* (amaverit) *ad finem servabitur.* ibid. Confer. Jacob. 1: 12. (3. qui *Christum non amat dicitur anathema.* 1. Cor. 16: 22. ita *qui non credit, damnabitur.* Joh. 3: 18. Confer. Joh. 14: 23. & 5: 24. Hinc *amor* non minus quam fides dicitur ἀνυπόκριτος. Rom. 12: 9. 2. Cor. 6: 6. 1. Tim. 1: 5.

*Non est tamen forma fidei.*

XIV. Non sequitur tamen *charitatem* esse *formam fidei*, quasi charitas erga Deum & hominem fidei daret motum, eamque ad actus suos permoveret, ut per charitatem mereremur justificationem & vitam æternam, quemadmodum falsissime docent *Pontificii.*

*Charitas à fide non potest separari.*

XV. Falso etiam iidem docent, *charitatem à fide posse separari:* cum fides & charitas sint inseparabiles. (1. quia sola *fides in* Christo *valet, ista quæ per charitatem est operans.* Gal. 5: 6. *Finis mandati est charitas.* 1. Tim. 1: 5. (2. Fides tam necessario juncta est cum bonis operibus, quæ ex charitate fluunt, ut sine ea sit *mortua.* Jac. 2: 20. Vide 1. Cor. 13: 2.

*III. Actus essentialis est fiducia. Habet varios gradus. I. Gradus fiduciæ.*

XVI. Tertius actus essentialis fidei est *fiducia*, qua homo ad Christum confugit, se resque suas in manus Dei tradit. *Fiducia*, autem illa varios habet gradus. Rom. 12: 3. Primus gradus est, quando homo peccata sua agnoscit, & ad Christum, tanquam unicum fontem salutis, confugit, ejusque salutem serio quærit & anhelat. Hoc modo dicitur *esurire & sitire justitiam Christi.* Matth. 5: 6. Hæc fides *sincera* quidem est, tamen est *imperfecta*, quare & ἀπιστία dicitur. Matth. 6: 30. Marc. 9: 24. Augeri etiam potest. Luc. 17: 5. Hinc sæpe horror & anxietas ob sensum peccati. Ps. 119: 120. & 38: 4, 5. & Tristitia, ob *amissum gaudium.* Ps. 51: 12. Tamen istæ anxietates non sunt de essentia fidei. Sunt potius *defectus*, qui sanari debent, ut fideles fiant ἄνδρες τέλειοι. Ephes. 4: 13. Peccant itaque in veram charitatem Pastores, qui pro concione *anxietates & horrores* commendant, & proponunt tanquam signa veræ fidei; ut non timeant dicere: non nisi per infernum intrari posse in cœlum: cum fides corroborata esse debeat, quæ consistit, non in *anxietate*, sed in *certitudine.*

*Fiducia non est plena in hac vita.*

XVII. Si quis justitiam Christi vere sitit & esurit, quamvis hoc tempore non plene sit persuasus de remissione peccatorum & de vita æterna, habet tamen veram fidem, & salutem. (1. quia Deus non respicit nostram *perfectionem*, quæ in hac terra nulla est, sed *sinceri-*

*rita-*

*ritatem cordis.* (2. Beati pronunciantur *sitientes* & *esurientes.* Matth. 5:6. qui autem sitit & esurit justitiam Christi, non plane de ea persuasus est. (3. Fideles sæpe anguntur ob sensum peccati, Ps. 119: 120. & 38:4, 5. & contristantur ob *amissum gaudium.* Ps. 51: 12. Falso igitur nos accusant Pontificii, quasi doceremus; omnes, qui non plene persuasi sunt de sua salute, in æternum damnari.

*II. Gradus fiduciæ. Est in fide corroborata. Per hanc homo est certus de Remissione peccatorum.*

XVIII. Alter & summus *gradus fiduciæ fidei* est is, per quam fidelis certus est de remissione peccatorum & vita æterna. Et hæc quidem dicitur *fides corroborata:* quamvis tamen nec hæc perfecta sit, secundum omnes gradus. Hominem autem, vere credentem in hac vita, posse & debere esse certum de speciali Dei misericordia erga se, sive, quod idem est, de remissione peccatorum suorum, & de vita æterna, patet. (1. quia possunt & debent esse certi de *fide* sua. Possunt enim *se explorare, utrum habeant fidem.* 2. Cor. 13: 5. *Fides* est *donum Dei.* Gal. 5:22. sed fideles *noverunt dona* Dei, quæ sibi data sunt. 1. Cor. 2: 12. Paulus *novit cui crediderit*, & est *persuasus* Deum *depositum suum servare.* 2. Tim. 1: 12. At si certi sumus de *fide*, ergo etiam de *salute:* nam *qui credit servabitur.* Joh. 3: 16. (2. Fideles certi sunt, se esse *filios Dei*, & *hæredes.* Rom. 8: 16, 17. Joh. 1: 12. Gal. 3:26. (3. Habent *spiritum promissionis*, *qui est arrhabo hæreditatis.* Ephes. 1: 13, 14. & 4: 30. non alio sensu dicitur *arrhabo*, nisi quod nos certos reddat de hæreditate obtinenda. (4. Verbum Dei nobis datum est, ut *sciremus nos habere vitam æternam.* 1. Joh. 3: 15. (5. *Fides* opponitur *timori.* *Ne timeas modo credas.* Marc. 5:36. Luc. 8:50. (6. Fides dat *pacem apud Deum.* Rom. 5: 1. *Nulla est* in electis *condemnatio.* Rom. 8: 1. *Habet accessum ad thronum Dei, cum fiducia.* Hebr. 4: 16. (7. Habent *gloriationem.* Hebr. 10: 22. *παῤῥησίαν.* Ephes. 3: 12. & *πληροφορίαν.* Hebr. 6: 11. & 10:22. (8. Persuasi sunt neminem eos posse *separare a dilectione Jesu Christi.* Rom. 8: 35.

*Fidelis certus est se gratia & fide nunquam excidere.*

XIX. Cæterum fideles possunt esse certi de remissione peccatorum, & de vita æterna, non tantum quoad *tempus præsens*, quamdiu in tali statu remanent, ita tamen ut non possint esse certi, se in isto statu semper remanere, indeque posse excidere, uti falso docent *Remonstrantes:* sed, si verus sit fidelis, ita est persuasus de misericordia Dei erga se, ut certus sit, se ea nunquam posse excidere, sed certissime se obtinere vitam æternam. Hoc ex rationibus allatis manifesto constat. Clarius etiam constabit, ubi de *Constantia fœderis gratiæ*, sive de *Perseverantia sanctorum* agemus.

*Argumenta contraria.*

XX. Hanc ſententiam non evertunt Pontificiorum argutiæ, veluti I. *In multis locis Scripturæ Sacræ fit mentio de fide, nulla facta mentione de ſpeciali miſericordia.* Nam etiamſi non fiat mentio de *ſpeciali miſericordia*, ea tamen non excluditur; Deinde ſi in uno loco non memoratur, id tamen fit in alio, uti ſupra oſtendimus. II. Non ſequitur, ſi *beati* dicantur ii, *qui credunt Chriſtum reſurrexiſſe*, Joh. 20. *fidelem* tunc nullam *habere fiduciam:* debet enim reſurrectionem credere tanquam fundamentum ſalutis & fiduciæ ſuæ. III. Non ſequitur, *ſi Publicanus cum timore acceſſit*, Luc. 18: 13. *ergo non habuit fiduciam*, erat enim *timor filialis*, qui poteſt conſiſtere cum *fiducia*, ut filius patrem *amat* & *timet.* Nec à particulari ad generale valet conſequentia; nam etſi *Publicanus* aut alius habuerit fidem infirmam, tamen non ſequitur fidem in aliis non poſſe eſſe corroboratam, cum majori fiducia. IV. Falſiſſimum eſt, *Pharizæum habuiſſe fidem ſpecialis miſericordiæ Dei; adeoque ipſos reprobos talem fiduciam habere poſſe.* Nam Pharizæus, nixus propria juſtitia, habebat tantum *faſtum Phariſaicum*, non fidem ſpecialis miſericordiæ, per Jeſum Chriſtum? V. Quamvis *nemo dicere poſſit, mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato.* Prov. 20: 9. ſi propria ſua nitatur juſtitia, poteſt id tamen dicere, ſi nitatur juſtitia Jeſu Chriſti. Deinde Deus juſtificat *impium*, Rom. 4. Ergo eum qui non habet cor perfecte mundum. Ita reprimitur ſuperbia Pharizaica. VI. Male allegatur locus Eccleſ. 9: 1, 2. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit.* Nam 1. in textu Hebræo verba ita non ſonant, ſed hoc modo. *Etiam amorem, etiam odium non cognoſcit homo.* 2. neſcit homo quid ſit odio aut amore dignum, ſi reſpiciat ad externa tantum, & res humanas. 3. Neſcit etiam quid ipſe ſit amaturus, aut odio habiturus. 4. *ſcelerati* homines ſcire poſſunt, ſe odio eſſe dignos, propter ſcelera ſua. 5. *Remonſtrantibus* hic locus plane non favet, cum doceant: hominem poſſe eſſe perſuaſum *de præſenti*, ſe à Deo amari, adeoque ſe ſalutem conſequuturum, ſi in fide remaneat. VII. *Facite ſalutem veſtram timore & tremore:* Phil. 2: 12. Hæc verba nihil juvant adverſarios: cum quidquid facimus, id ſemper faciamus diffidendo propriis viribus noſtris, & cum filiali reverentia. Ita Pſalmo ſecundo: *ſervite Domino cum timore, & gaude tecum tremore.* VIII. Non opus eſt ut *Scriptura Sacra dicat huic vel illi, veluti Johanni, Jacobo &c. remiſſa ſunt tibi peccata, ut habeas vitam æternam.* Sufficit enim, ut Scriptura Sacra hoc dicat in genere: *quicunque crediderit, habebit vitam æternam.*

Hinc

Hinc ultro ſequitur concluſio, quam quilibet credens ſibi applicare debet. *Ego credo, ergo ego habebo vitam æternam.* IX. Falſum quoque eſt; *Symbolum Apoſtolorum nullam facere mentionem de ſpeciali miſericordia.* Vult enim Symbolum ut quilibet dicat: *credo remiſſionem peccatorum & vitam æternam*, quod nemo dicere poteſt, niſi qui perſuaſus eſt, ſibi eſſe remiſſa peccata. Sed ſi vel maxime ejuſmodi quid in Symbolo Apoſtolorum nihil exſtaret, quid tum? Symbolum enim non eſt verbum Dei. X. Tandem falſum eſt, *fidem ſpecialis miſericordiæ tollere orationem, Sacramenta, bona opera &c.* Nam 1. quibus Deus dat talem fiduciam, & certitudinem ſalutis, eis etiam dat Spiritum precum cum vera pietate. 2. Tolleret etiam *orationem & bona opera* &c. in *Paralitico.* Luc. 19. in *Latrone.* Luc. 23. in *S. Antonio*, *S. Galla*, in *S. Franciſco*, quos ſpecialem revelationem, de miſericordia Dei habuiſſe, concedit *Bellarminus.* Tolleret preces & pietatem in beata Virgine Maria.

*Forma fidei quæ?*

XXI. Quæſtio, *quæ ſit forma fidei?* eſt inutilis; cum ſtricte loquendo nulla forma aſſignari poſſit ſpiritibus, & actibus mentis, ſed corporibus tantum. Tamen aliquo ſenſu dici poſſet *forma* fidei, *acquieſcentia cordis in Chriſto, tanquam auctore & fonte ſalutis;* quia per hanc *acquieſcentiam* homo ad Chriſtum confugit, ei fidit, eum amat, ei innititur. Eſ. 26: 4, 5. Pſ. 71: 6. & 2: 12. eum apprehendit. Joh. 1: 12. ejuſque *juſtitiam ſitit & eſurit.* Matth. 5: 6. Ut ut ſit, peſſime docent *Pontificii*, dari *fidem informem*, id eſt *aſſenſum ſine charitate*, talis enim fides eſt tantum *temporalis, hypocritica*, & *cadaver*, fides *mortua.* Jacob. 2: 26.

*Non eſt charitas. Nec obedientia.*

XXII. Non recte loquuntur, iidem Pontificii, quando dicunt: *charitatem eſſe formam fidei*, quæ ei det eſſe & omnem virtutem, per quam juſtificamur. Non etiam forma fidei eſt *obedientia Deo, ad normam a Chriſto præſcriptam*, quaſi *juſtificari per fidem* nihil aliud eſſet, quam obediendo Chriſti præceptis obtinere juſtitiam, ut peſſime docent *Sociniani* & *Remonſtrantes.* Sic enim (1. Magis juſtificaremur *propter* fidem, quam *per* fidem. (2. juſtificatio eſſet ex *operibus*, adeoque *Chriſtus fruſtra mortuus eſſet.* Gal. 2: 21. Rom. 3: 25. (3. Fides eſt *ſtipulatio fœderis gratiæ*, quæ omne *opus* excludit. Rom. 11: 6. *Fides* igitur non eſt *opus*, per quod mereamur, ſed *inſtrumentum* tantum, per quod amplectimur gratiam Dei in Jeſu Chriſto.

XXIII. Fidem habent omnes, quicunque recepti ſunt ad fœdus gratiæ: quia non niſi per *adſtipulationem* ingredimur in fœdus, ſed

*Utrum infantes habeant fidem?*

sed per *fidem* adstipulamur. Utrum autem *infantes* etiam habeant fidem? vix quicquam determinari potest: cum cogitationum infantiæ nostræ non simus memores. Non tamen putamus absurdum esse, si dicamus eos habere fidem; (1. quia *sancti* sunt. 1. Cor. 7: 14. sed corda nostra *purificantur*, id est sanctificantur *fide*. Actor. 15: 9. Deinde omnis *sanctitas* consistit in piis cogitationibus, quas Deus per Spiritum Sanctum in *infantibus* producere potest, æque ac in *adultis*. (2. Johannes Baptistes Spiritu Sancto impletus fuit à ventre Matris. Luc. 1: 15. (3. Ad præsentiam Christi, in utero Matris subsiliit. Luc. 1: 41. quæ indicant pios motus.

*Eam non producit Exorcismus. Nec Baptismus.*

XXIV. Hæc tamen fides non potest dici in *infantibus* producta per *exorcismum*, aut per Ecclesiæ *preces in baptismo,* ut volunt *Lutherani.* Nec quod *actu credant fide susceptorum*, aut Ecclesiæ, aut quod ipsis in baptismo *infundatur habitus fidei*, ut docent *Pontificii.* Sed quam hæc sint falsa patet (1. quia de hisce omnibus in Sacra Scriptura altum est silentium. (2. quia nec *exorcismus*, nec *baptismus* cum fide habet naturalem connexionem. (3. quia *justus sua*, non aliena, *fide vivit.* Habac. 2: 2, 4.

*Fides an in Cœlo?*

XXV. Beati in cœlis habent quicquid reperitur perfectionis in fide, ut *assensum*, *amorem J. Chr. certitudinem* & καύχησιν, tamen fidem habere dici non debent. (1. quia *non* amplius *ambulant fide*, *sed visione.* 2. Cor. 5: 7. (2. quia futura non exspectant, ut fideles in terra.

*Refertur maxime ad voluntatem.*

XXVI. *Actus essentialis* fidei referri debet ad *voluntatem* magis quam ad *intellectum:* quia actus essentiales fidei sunt *assensus*, *fiducia*, *amor*, *fames*, & *sitis*, quæ omnia ad *voluntatem*, non ad *intellectum*, referri debent: nam per *voluntatem* homo *assentitur*, *amat*, *fidit*, *sitit*, *esurit*, & ad Christum confugit, tanquam ad *rupem salutis.* Ergo fidei sedes est *voluntas.*

*Auctor fidei,*

XXVII. *Auctor* fidei non est homo ipse, quasi in arbitrio esset hominis, tantasque haberet vires, ut crederet, vel non crederet, si velit, ut pessime *Pontificii*, *Socmiani*, *Pelagiani*, *Remonstrantes* aliique docent; sed est solus *Spiritus Sanctus*, qui eam in corde electorum producit, illuminando mentem nostram eamque flectendo ut mysteria fidei in verbo revelata, & intelligeremus, & ad salutem crederemus: quod hisce rationibus probatur. (1. quia dicitur *opus Dei.* Joh. 6: 29. & ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ. Col. 2: 12. (2. dicitur *donum Dei.* Ephes. 2: 8. 1. Cor. 2: 9, 10. Ipsis Apostolis *datum est cognoscere mysteria Regni Cœlorum.*

Mat-

Matth. 13: 11. & cap. 16. *Nobis datum est, non tantum in Christum credere; sed etiam pro ipso pati.* Phil. 1: 29. (3. *Nemo potest accedere ad Christum*, id est in eum credere, (nam ad Christum accedere & in eum credere idem est) *nisi à Patre trahatur.* Joh. 6: 44, 45. (4. Christus est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως. Hebr. 12: 2. Ideo dicitur *cor aperuisse Lydiæ*, ut *crederet.* Act. 16: 14. (5. Et *Spiritus Sanctus* dicitur *Spiritus fidei.* 2. Cor. 4: 3. *Per Spiritum Deus dat fidem.* 1. Cor. 12: 9. Hinc inter fructus Spiritus Sancti ponitur *fides.* Gal. 22: 1. Cor. 2: 9, 10.

*Est donum Dei.*

XXVIII. Igitur fides dicitur *donum Dei*, non tantum ideo quod doctrina fidei nobis annuncietur, solo beneficio Dei, sine merito nostro, quo sensu omnia beneficia temporalia dona Dei dici possent. Nec tantum quod Deus omnibus & singulis hominibus largitus sit vires sufficientes, per quas mysteria fidei posset intelligere eaque credere, si vellet, quæ sunt *Socinianorum*, *Semipelagianorum*, *Jesuitarum*, *Remonstrantium* aliorumque deliria. Ita enim homo *seipsum secerneret*, credens à non credente, quod negat Paulus. 1. Cor. 4: 7. Hinc tamen non sequitur, *Deum in nobis credere, magis quam nos ipsos, & fidem magis debere dici fidem Dei, quam fidem hominis.* Opus enim attribui debet ei cui inest. Sane quamvis Deus nobis mentem dederit, tamen dicitur mens hominis, non autem Dei. Quamvis Deum omnem motum producat in corporibus, tamen corpora dicuntur moveri, non Deus. Tandem quamvis Deus omnem bonam cogitationem in mente nostra producat, tamen, secundum infinitam suam sapientiam, eam ita producit, ut ipsa nostra mens operetur, & credendo voluntas velit assentiri & credere. Eo liberius mens nostra credit, quo à Deo ad assentiendum efficacius movetur: de quibus plura vide, ubi de *Providentia Dei* egimus. Tandem eo ipso quod Deus fidem in nobis operetur, eamque nobis det, *nostra* dicenda est.

*Objectio.*

Quæ sit differentia fidei, sub Veteri & sub Novo Testamento, ostendemus, ubi de *bonis Novi Testamenti* agetur.

# CAPUT IX.

## *De justificatione.*

I. QUemadmodum in fœdere operum, ſi homo *ſtipulationem*, ſive *legem Dei* conſtanter obſervaſſet, juſtitiam ſibi acquiſiviſſet fœderalem, id eſt ex operibus, ſecundum pactum; ita & in fœdere gratiæ, qui ejus ſtipulationi adſtipulatur, id eſt, qui *credit* vera *fide*, is quoque juſtificatur, id eſt obtinet veram juſtitiam fœderis gratiæ, quæ eſt ex fide per Jeſum Chriſtum.

*Differentia inter juſtitiam fœderis operum & fœderis gratiæ.*

II. Magna igitur ſtatim ſe offert differentia inter juſtitiam *fœderis operum*, & juſtitiam *fœderis gratiæ*. Nam I. in fœdere operum juſtificatus fuiſſet homo *perfectè ſanctus*: at in fœdere gratiæ *juſtificatur impius*. Rom. 4:5. II. In fœdere operum juſtitia fuiſſet *propria* hominis eique *inhærens*: in fœdere gratiæ eſt juſtitia alterius & *imputata*. III. In fœdere operum homo juſtificatus fuiſſet ex *operibus*, in fœdere gratiæ juſtficatur ex *fide*. Rom. 4: 4, 5. & 3: 27. IV. In fœdere operum acquirendum tantum fuiſſet *jus* & *δικαίωμα* ad petendum præmium, ſive vitam æternam, ſed in fœdere gratiæ requiruntur duo. 1. *Remiſſio peccatorum*. 2. *jus ad præmium*, ſive *ad vitam æternam*. Debemus enim obtinere א *Remiſſionem peccatorum*, & ב *ſortem inter ſanctos*. Act. 26: 18. V. In fœdere operum *nemo* juſtificatus eſt; ſed in fœdere gratiæ *omnes fœderati*.

*Juſtificare eſt verbum barbarum.*

III. Verbum *juſtificare* eſt barbarum, à quo eſſet abſtinendum, ſi accurate & orthodoxe loqui velimus. Hinc enim orta eſt confuſio *juſtificationis* cum *ſanctificatione*. Hinc error de perfectione naturæ humanæ. Dicendem igitur eſſet *abſolvere*, *juſtum declarare*, ut loquuntur optimi auctores Latini. Hebraice dicitur, הצדיק Deut. 25: 1. Prov. 17: 15. cui opponitur הרשיע *condemnare*, *injuſtum pronunciare*.

*vox Hebræa, Græca.*

Græce dicitur *δικαιοῦσθαι*, cui opponitur *κατακρίνεσθαι*. Rom. 8: 33. Igitur verba iſta: הצדיק & *δικαιοῦν*, *δικαιοῦσθαι* ſunt *forenſia*, & nihil aliud ſignificant, quam aliquem *abſolvere*, aut *juſtum declarare*, prout reus in foro abſolvitur & à pœna liberatur, per ſententiam judicis.

*Male confunduntur juſtificare*

IV. *Pontificii* peſſime confundunt *juſtificationem* cum *ſanctificatione*, quaſi *juſtificare* & *ſanctificare* idem eſſet, toto enim cœlo differunt. ( 1. quia *ſanctificare* eſt hominem ex impio reddere pium & ſan-

ſanctum, per veram mutationem & correctionem mentis; ſed *juſtificare* nullam ponit mutationem in ipſa mente hominis; ſed tantum ſignificat aliquem *juſtum declarare*, & *abſolvere*, *aut* à *pœna liberare.* (2. הצדיק & δικαιοῦσθαι opponuntur τοῖς הרשיע & κατακρίνεσθαι. Sed hæc verba non ſignificant hominem *reddere pejorem*, per aliquam mutationem mentis; ſed tantum aliquem *declarare improbum* & *pœna dignum*, vel *condemnare:* ita & iſta verba הצדיק & δικαιοῦν, non dicunt aliquem *reddere meliorem* aut *ſanctiorem*, per aliquam mutationem, ſed tantum eum *declarare innocentem*, *nulla pœna dignum*, vel *eum abſolvere.* Vide Deut. 25: 1. Prov. 17: 15. Rom. 8: 33. (3. Deus dicitur abominari eum, qui *juſtificat impium.* Prov. 17: 15. ſed non abominaretur eum, qui ex *impio* faceret hominem *ſanctum* & *pium*, ſed talem qui hominem ſceleratum & reum abſolvit, ac ſi innocens eſſet. (4. *Juſtitia* diſtinguitur à *ſanctitate:* Chriſtus enim nobis factus eſt *ſapientia*, *juſtitia*, *ſanctificatio* & *redemtio.* 1. Cor. 1: 30. ubi aliud quid intelligitur per *juſtitiam*, quam per *ſanctificationem*, aut dicendum erit, Paulum commiſiſſe tautologiam. (5. Ipſe *Bellarminus* fatetur *juſtificationem ſumi pro declaratione juſtitiæ*, *ſenſu forenſi.* *De Juſtif. lib.* 1. *cap.* 1.

*& ſanctificare.*

V. Magis evertit, quam confirmat, ſententiam *Pontificiorum* I. locus 1. Cor. 6: 11. *ſed ſanctificati eſtis*, *ſed juſtificati eſtis:* diſtinguitur enim manifeſto *juſtificatio a ſanctificatione.* Alias eſſet tautologia, ut ſenſus eſſet; *ſed ſanctificati eſtis*, *ſed ſanctificati eſtis*, quod eſſet ineptum. II. Non ſequitur: *quia Deus juſtificat impium.* Rom. 4: 5. *ergo juſtificatur per juſtitiam inhærentem*, *quæ eſt ipſa ſanctificatio:* Immo contrarium potius ſequitur: nam ſi impius *juſtificatur*, id fit quia *abſolvitur* per gratiam Dei, quamvis ſua natura non ſit ſanctus, ſed impius & pœna dignus. III. Falſum eſt quod *juſtificatio*, *per quam juſtificamur*, *augeri poſſit.* Nec probatur ex Apoc. 22: 11. *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* 1. Non enim dicitur hæc juſtificatio *augeri:* ſed intelligi debet *declaratio juſtificationis*, per vitam piam; quaſi diceret: is, qui juſtificatus eſt, oſtendat per ſanctitatem vitæ, ſe vere eſſe juſtum; niſi enim coram hominibus ſe juſtificet, per ſanctitatem vitæ, non poteſt dici juſtificatus, vel abſolutus à peccato coram Deo. 2. In eodem loco *ſanctificatio* diſtinguitur à *juſtificatione*, additur enim; *qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc:* alias, uti diximus, eſſet ταυτολογία. Adde quod quidam codices habeant, *qui juſtificatus eſt*, *faciat juſtitiam adhuc.* IV. Non procedit hæc argumentatio.

*Argum. contraria.*

*Ministri Ecclesiæ homines justificant.* Dan. 12: 3. qui justificaverint multos; *sed non justificant absolvendo, sed per prædicationem ad sanctitatem adducendo. Ergo justificare est sanctificare.* Nam Ministri dicuntur *justificare* adducendo homines ad fidem in Christum, per quam justificantur. V. Ex verbis Pauli: *Sicut per unius hominis obedientiam multi peccatores constituti sunt, ita per unius obedientiam multi justi constituuntur.* Rom. 5: 18, 19. non sequitur: *sumus peccatores constituti, per peccatum inhærens: ergo justi simus per justitiam, aut sanctitatem inhærentem.* Nam 1. Similitudo consistit in re ipsa, & in auctore peccati & justificationis. Scilicet quicunque *injusti* sunt, tales facti sunt per *Adamum:* ita quicunque *justi* fiunt, tales fiunt per *Jesum Christum.* 2. Injusti & peccatores simus etiam per imputationem peccati Adami, non tantum per *corruptionem*, inhærentem: ita *justi* simus, per *imputationem* justitiæ Christi; non autem per *sanctificationem.*

*Causa efficiens justificationis.*

VI. *Causa efficiens* nostræ justificationis, sive, ut Latinius loquar, summus *Judex*, per quem absolvimur, est solus Deus. (1. quia est solus *Legislator, qui potest servare & perdere.* Jac. 4: 12. (2. Solus *Deus remittit peccata.* Marc. 2: 7. (3. *Deus est qui justificat.* Rom. 8: 32. Nulla igitur creatura potest remittere peccata; nec *Papa* nec ullus sacrificulorum. Non probabunt *Pontificii* sententiam suam, ex Matth. 16: 19. *quorum peccata remiseritis, remissa erunt.* &c. Nam Pastores Ecclesiæ remittunt, non *auctoritative*, sed tantum *ministerialiter*, nomine Dei, annunciando remissionem peccatorum, per prædicationem Euangelii.

*Impulsiva quæ?*

VII. Ratione decreti æterni Dei, prout ab æterno decrevit quosdam è miseria liberare, ad demonstrandam suam misericordiam, nulla datur *causa impulsiva* nostræ justificationis, præter solum Dei beneplacitum. (1. quia decreta Dei nullam habent causam. (2. *gratis justificamur.* Rom. 3: 24. & *gratia servati sumus.* Ephes. 2: 8. Justificatio est *donum vitæ.* Rom. 5: 8. Futile est, quod

*Exceptio.*

*Pontificii* in istis locis, per *gratiam* intelligant donum aliquod nobis inhærens, *charitatem*, aut aliud aliquod donum infusum, quod nos reddat dignos remissione peccatorum, & vita æterna. Sic enim justificaremur ex operibus, quod Sacra Scriptura respuit: cum fides & propria dignitas opponantur. Est igitur ista *gratia*, per quam justificamur, merum beneplacitum & misericordia Dei.

*Justificamur propter*

VIII. Si tamen respiciamus exequutionem decreti Dei, tunc justificamur propter justitiam & meritum Christi. (1. quia est

יהוה

יהוה *justitia nostra.* Jerem. 23: 6. & *Sol justitiæ.* Malach. 4. (2. *Servus justus, qui multos justificat.* Es. 53: 11. (3. *Indui* dicimur ejus *justitia*, tanquam *pallio justitiæ.* Es. 61: 10. (4. *In ejus sanguine justificamur.* Rom. 5: 8, 9. (5. *Factus est nobis justitia.* 1. Cor. 1: 30.

*Justitiam Chr.*

IX. Non justificamur igitur propter *propriam justitiam.* (1. quia nullam habemus. Phil. 3: 9. (2. *Omnes peccarunt, & posteriores sunt gloria Dei.* Rom. 3: 23. (3. Deus *justificat impium.* Rom. 4. Tamen justitia Christi *nostra* sit; quando eam per veram fidem amplectimur, *Ut reperiar in Christo, ut qui habeam, non meam justitiam, quæ est ex lege; sed justitiam, quæ est ex fide Jesu Christi.* Phil. 3: 9. Ergo justitia Christi nobis non est *inhærens;* sed nobis λογίζεται *imputatur*, id est modo forensi, uti solet apud mercatores, in rationes nostras refertur *ad justitiam.* Rom. 4: 5, 11. Adeoque per hanc, nos, qui natura sumus *injusti*, *simus justitia Dei.* 2. Cor. 5: 21. Justificamur igitur omnes, non singulus per propriam suam justitiam, sed per δικαίωμα & ὑπακοὴν *obedientiam* ἑνὸς *unius*, scil. Jesu Christi. Rom. 5: 15, 16, 17. &c. Phil. 3: 9.

*Non propter propriam justitiam.*

*Justitia nostra.*

X. Hinc sequitur in verbo Dei memorari duplicem justitiam. I. *Legalem* ex operibus, qualis requirebatur in fœdere operum: quæ & *nostra* dicitur. II. *Euangelica*, qualis est justitia J. Chr. in fœdere gratiæ, & non est *nostra justitia*, sed J. C. *nostra* tamen sit, quando eam vera fide amplectimur. De utraque vide Phil. 3: 9. Per solam justitiam *Euangelicam* justificamur, quando eam vera fide amplectimur. Hæc sola *Euangelica*, non *legalis*, intelligenda est, quotiescunque fideles dicuntur *justi*, aut quoties *ad justitiam suam provocant*, ut sæpe fit in Psalmis & alibi.

*Justitia I. Legalis. II. Euangelica.*

XI. *Justitia Christi*, quæ nobis imputatur, & propter quam justificamur, est, non tantum ipsius *mors* & *passio*, sed & ipsius *innocentia* ac *impletio legis.*, quatenus omnia præcepta legis exacte adimplevit. Adeoque ejus *obedientia*, cum *activa* tum *passiva*, nobis imputatur: nam & *passiva* & *activa* unica tantum est ὑπακοὴ *obedientia.* Rom. 5: 9. Deinde omnis *obedientia* Christi dici debet *Activa*, quia libere obedivit, cum legem adimplendo, tum mortem patiendo.

*Christi obedientia activa & passiva nobis imputatur.*

XII. Debebat igitur Christus non tantum pro nobis *mori*, sed & legem adimplere, adeoque *activam obedientiam* pro nobis præstare. (1. quia *maledictus est, qui non facit ea, quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. 27: 26. Gal. 3: 10. Ergo Christus pro nobis præcepta legis facere debuit, ut nos à *maledictione* liberaret. (2. Christus *factus*

*Christus debuit legem pro nobis adimplere.*

*est sub lege*, & *legi subjectus*. Gal. 4: 4. Sed sua natura non poterat *subjici legi:* quia *legi subjici*, significat esse sub lege tanquam sub domina, quæ imperat conditionem ad merendum prœmium, aut ad ferendam pœnam. Ita peccatores sunt sub lege, ita & Adamus in fœdere operum erat sub lege; quia debebat mereri. Hoc autem modo sub lege non sunt beati in cœlis, nec Christus. Ergo subjectus fuit legi pro nobis, adeoque eam pro nobis debebat implere; ut pro nobis mereretur. De his, & de argumentis contra hanc sententiam vide Cap. v. paragr. XXIII. & XXIV.

XIII. Quemadmodum Deus nobis ab æterno decrevit remissionem peccatorum & vitam æternam, & ut Christus eam nobis meritus est, ita per fidem nos eam amplectimur remissionem peccatorum, & omnem salutem per eam solam quærimus & obtinemus. Et hoc quidem Sacra Scriptura vocat *fide justificari*. Rom. 3. 28.

*Fides non est δικαίωμα aut opus bonum & meritorium.*

*Nec nova Conditio per quam mereamur.*

XIV. *Fides* autem in negotio justificationis, non debet respici tanquam *δικαίωμα meritum* aut *bonum opus*, quo mereamur remissionem peccatorum & vitam æternam. Nec dici debet *nova conditio fœderis*, per quam, si eam observamus, mereamur. (1. quia salus nostro merito, nostræque obedientiæ, non Christo adscribenda esset. (2. Justitia esset ex lege præscripta, adeoque ex operibus: Ita autem *Christus frustra mortuus esset*. Gal. 2: 21. (3. Justitiæ Dei non esset satisfactum, cum unicus actus obedientiæ, qualis est fides, non satisfaciat, sed obedientia totius legis, sine ullo peccato. (1. Justificaremur *propter* fidem, non *per* fidem, uti loquitur scriptura. (5. Fides est *imperfecta* ut & ἀπιστία dicatur. Marc. 9: 24. sed per opus imperfectum non possumus justificari. (6. Fides & bona opera opponuntur. Rom. 3: 28. & 4: 5. & 11: 6. Ergo fides non potest dici bonum opus, per quod justificamur. (7. Per fidem omnis gloriatio excluditur. Ubi igitur gloriatio? *Exclusa est. Per quam legem? operum? non, sed per legem fidei.* Rom. 3: 27. Eph. 2: 8, 9.

*Fides instrumentum.*

XV. Est igitur *fides*, in negotio justificationis nostræ, tanquam *instrumentum*, & quasi *manus* per quam amplectimur remissionem peccatorum & vitam æternam, quæ nobis gratuito offeruntur: ut, quemadmodum dicimur *nutriri per os*, non quod ipsum os sua natura nos nutriat, sed quod nutrimentum accipiamus per os, ita quoque dicamur justificari *per fidem*, non quod fides nos sua dignitate justificet, sed quod per eam amplectamur justitiam Christi, quæ nobis gratis offertur.

XVI.

XVI. Patet igitur *ſola fide nos juſtificari, ſine operibus.* Et quamvis in Scriptura Sacra non legimus ἀυτολεξεὶ, quod juſtificemur *ſola* fide; nihilominus tamen id neceſſario colligi debet, per evidentiſſimam conſequentiam. (1. quia Apoſtolus exſertis verbis dicit: *Fide juſtificamur* SINE OPERIBUS. Rom. 3: 28. quod tantundem valet, ac ſi diceret, SOLA FIDE. (2. quia ſumus ſub *fœdere gratiæ*, quod exigit *fidem*, ſed *opera* excludit. Hinc *fides* & *gratia*, id eſt *fœdus gratiæ* & *fœdus operum* perpetuo opponuntur. Rom. 11:]6. Epheſ. 2: 8. Rom. 3: 27, 28. (3. Juſtificatio noſtra fit gratis. Rom. 3: 24. & 5: 15. Ergo non per *opera.* (4. *opera* noſtra ſunt *imperfecta.* Nam *omnes peccarunt, & poſteriores facti ſunt gloria Dei.* Rom. 3: 23. Sed, id quod imperfectum eſt, opus habet gratia Dei, ergo nihil poteſt mereri. (5. *Opus*, per quod meremur, debet eſſe noſtrum; at *opera* non ſunt noſtra, ſed Dei. 1. Cor. 4: 7. Phil. 2: 13. (6. per id, quod Deo debetur, per id ipſum non poſſumus mereri: Sed omnia Deo debentur: nam ſi omnia feciſſemus, quæ mandantur, dicere tamen deberemus; *ſervi ſumus inutiles, quia fecimus, quod debemus.* Luc. 17: 10. (7. Ex operibus noſtris Deo nihil accedit boni. Job. 22: 2, 3. (8. Nulla eſt proportio inter *opus* noſtrum, & *mercedem*, id eſt inter *opera* & *remiſſionem peccatorum, vitamque æternam.* 2. Cor. 4: 17. Rom. 8: 18. (9. Nullum eſt commercium inter Deum, & inter peccatorem. Eſ. 59. (10. quia poſt *opera* noſtra, etiamſi eſſent *perfecta*, tamen *reatus* in nobis remaneret, ob peccatum originale. (11. Deus *juſtificat impium.* Rom. 4: 5. At ſi propter bona *opera* tunc *pium* juſtificaret: nam is, qui ea facit, non amplius eſt *impius.* (12. Si homo juſtificaretur per *opera*, id fieret vel *ante regenerationem*, vel *poſt regenerationem.* Non *ante*: quia talis non poteſt niſi peccare: nam *mala arbor non poteſt ferre bonos fructus.* Matth. 7: 18. Quicquid *non fit ex fide, peccatum eſt.* Rom. 14: 23. Heb. 11: 6. Non *poſt regenerationem*: nam quando aliquis eſt *regenitus*, tunc etiam eſt *juſtificatus.* Ergo *bona opera* non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.

*Sola fide juſtificamur ſine operibus.*

XVII. Fruſtra opponunt *Pontificii* I. *Si Juſtitia Chriſti nobis imputatur; ſequitur nos tam juſtos eſſe, ac Chriſtum ipſum.* 1. Negatur enim conſequentia. Nam per *imputationem* Chriſtus non tranſit in naturam noſtram, vel ejus juſtitia nobis non fit *naturalis*, ut Chriſto; ſed refertur tantum in rationes noſtras. 2. Non ſequitur: ſi ſponſor ſolvit debitum, ergo debitor tam dives eſt ac ipſe ſponſor.

*Argum. adverſar.*

II. Quam-

II. Quamvis *nemo possit dici albus ob alborem alterius:* non tamen sequitur, *neminem posse dici justum ob alterius justitiam:* 1. cum nemo possit dici *albus*, nisi ob *alborem inhærentem*, sed potest quis dici justus ob justitiam *non inhærentem*, sed *imputatam.* Hinc 2. Christi justitia dicitur nobis λογίζεσθαι *imputari*, *non inhærere.* Rom. 4: 5. III. Quamvis *nobis insit sanctitas inhærens;* non sequitur tamen, *nos justificari per sanctitatem inhærentem:* cum ista sanctitas inhærens sit imperfecta, adeoque ad justificationem non sufficiat. IV. Falso colligitur, *in nobis nullam esse justitiam imputatam*, *quia talis non fuit in Adamo.* 1. Cum Adamus fuerit in *fœdere operum*, nos in *fœdere* Gratiæ. 2. Cum fuerit sine *reatu*, & habuerit vires ut *bona opera* ederet, & per ea justificaretur. V. Futilis est argutatio: *Æthiops toga alba indutus, non potest dici albus; ergo nec nos justi, ob justitiam Christi.* 1. Nemini enim toga alba imputari potest, ut justitia Christi. 2. Induimur *pallio justitiæ Christi.* Es. 61: 10. Et toga nostra est *dealbata in sanguine Christi.* Apoc. 19: 13. quod eodem sensu de toga Æthiopis dici non potest. VI. Fatemur, *multos dici justos*, *ut Job*, *David, Joseph, multos etiam, præsertim Davidem, provocare ad justitiam suam.* Negamus tamen eos justificari propria justitia. 1. *Justi* dicuntur justitia *Euangelica* & *imputata*, sed non *inhærenti.* 2. Eorum justitia est *inchoata*, non *perfecta.* 3. *Justi* dicuntur *comparative*, si conferantur cum sceleratis; non *absolute* & interna justitia. VII. *Gratia per quam justificamur.* Rom. 3: 24. non est justitia & virtus *infusa;* sed justitia Christi *imputata*, quam Deus nobis offert & imputat mera sua misericordia ac *gratia.* VII. Non sequitur: *si Christi justitia nobis imputatur, ergo & peccata nostra ei imputantur, adeoque Christus erit peccator.* 1. Non enim amittit suam justitiam, quando ea nobis imputatur. Rex potest aliquem ditare, quamvis ipse non fiat pauperior. 2. Nostra peccata ei imputantur, ut debita sponsori; sed sponsor non fit pejor. Ideo dicitur pro nobis factus *execratio.* Gal. 3: 13. & *peccatum.* 2. Cor. 5: 21. IX. Falsum est, quod *justitia Christi in Sacra Scriptura nobis non dicatur imputari;* cum dicatur *per fidem* λογίζεσθαι. Rom. 4: 5. X. *Dicimur justificari, non per solam fidem, sed per opera.* Jac. 2: 24. non justificatione prima in foro Dei, per quam proprie nobis decernitur remissio peccatorum; sed justificatione *secunda*, qua homo justificatur coram hominibus, & ab hypocrisi absolvitur. Alias Paulus Rom. 3: 27. docet nos *per fidem*, *absque operibus justificari.* Ubi intelligit justificationem proprie dictam coram

ram Deo, per quam obtinemus remissionem peccatorum; non coram hominibus, quando per sanctam vitam testamur, nos à Deo jam esse justificatos.

XVIII. *Justificatio* dici potest alia *Activa*, alia vero *Passiva*. *Activa* dicitur, quando Deus ut supremus judex fert sententiam absolutionis, propter meritum Christi, eandemque sententiam ad fidem nostram pronunciat. *Passiva* dicitur *sensus* & *gaudium* sive *pax*, quam per istam absolutionem habemus; quamvis sensum non semper eodem modo percipiamus.

*Justificatio I. Activa. II. Passiva.*

XIX. *Justificatio* nostra est *unica* tantum, eaque est *aequalis* in omnibus electis, & *immutabilis*; nec differt gradu, quasi alter altero justior esset, uti docent *Pontificii*. (1. quia omnes justificamur per solum meritum Christi, quod omnibus aequaliter offertur & imputatur. 2. Non justificamur per bona opera, & varias virtutes gradu differentes. Ergo justitia nostra non potest *augeri*, nec *diminui*, quasi nunc magis essemus justificati, nunc minus: quia justificamur, non per *nostram*, sed per *Christi* justitiam, quae nec augeri, nec diminui potest.

*Est Unica, & aequalis justificatio.*

XX. Omnis justificatio est *plena*, *completa* & *immutabilis*: nulla *semiplena* in hac vita, quasi homo justitia excidere posset, quamdiu vivit in hac terra, completa autem esset, tantum post mortem, ut falso docent *Remonstrantes*.

*Justificatio plena.*

XXI. Commode tamen distingui potest, inter justificationem *primam* & *secundam*. *Prima* est illa de qua hactenus egimus, quae fit per *imputationem ex fide*. Hac justificatur *impius* & *injustus*, & quidem *gratia* propter meritum Christi, ad obtinendam remissionem peccatorum, & vitam aeternam; estque *perfecta*, *aequalis* & *immutabilis*. *Secunda* est *inhaerens*, imperfecta & *mutabilis*, fitque non tantum *fide*, *sed operibus*, & quidem per sanctificationem, ad obtinendum testimonium sanctitatis, ut absolveremur ab *hypocrisi*. *Primam* habemus per *imputationem*. *Secundam* per *sanctificationem*, utramque autem per gratiam Dei. De *Prima* loquitur Paulus. Rom. 3: 28. ubi dicit: *homo justificatur fide sine operibus*. De *secunda* Jacobus Cap. 2: 22: &c. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*. *Prima* fit coram *Deo*. *Secunda* coram *hominibus*.

*Distinguitur in primam & secundam.*

XXII. Pessimo tamen sensu *Pontificii* distinguunt inter justificationem *Primam*, *Secundam* & *Tertiam*: cum omnem reddant *inhaerentem* & *meritoriam*, alteram ab altera gradu tantum differentem.

*Pontificii male distinguunt inter.*

*primam & secundam.* *Male dicitur. I. Ex congruo. II. Ex condigno. III. Ex superabundanti.*

tem. Pessime iidem quoque docent: aliam esse justitiam & justificationem I. *ex congruo*, in homine *irregenito*, quæ fit propter aliquem motum virtutis, propter dispositionem ad preces & pietatem: quare congruens sit, ut Deus ei det aliquam majorem gratiam, per infusionem, ad regenerationem. II. Ex *Condigno*, quando Deus pietatem regeniti remuneratur, ob meritum aliquod dignum prœmio, & ei infundit majorem virtutem & justitiam, uti loquuntur. III. Ex *superabundanti*: quando homo regenitus meretur ultra id, quo ad salutem opus habet; ut de ejus justitia sit aliquid residui, & quod abundet, quod *Papa* largiatur & imputet imperfectionibus, per indulgentias. Hæc autem quam sint falsa, ostendemus cap. xi. De *bonis operibus*. paragr. 8, 9. De differentia inter Justificationem *veteris* & *Novi* Test. deque distinctione inter ἄφεσιν & πάρεσιν, agemus, ubi de *bonis Novi Testamenti*.

# LOCUS XII.

## *De Sanctificatione, Bonis operibus, Jejunio & Oratione.*

## CAPUT X.

### *De Sanctificatione.*

*Ad fœdus gratiæ nemo recipitur, nisi qui sanctus est.*

I. AD fœdus Dei nemo recipi potest, nisi *sanctus* sit. *Nisi quis regenitus sit per Spiritum Sanctum, non potest intrare in regnum cœlorum.* Joh. 3: 5. id est non potest recipi ad ipsius fœdus. Hinc Deus clamat: *estote sancti, ut ego sanctus sum.* Lev. 19: 2. Quemadmodum Adamus creatus fuit ad imaginem Dei, adeoque vere *sanctus* fuit, quum reciperetur ad *fœdus operum*; ita quicunque recipiuntur ad fœdus gratiæ, sunt regeniti, & vera sanctitate donati. Tandem quum fœderati, in fœdere gratiæ adstipulentur per veram fidem, adeoque fide ornati sint, fieri non potest, ut non sint sancti. Nam *fide corda nostra purificantur.* Act. 15: 9.

*Sanctitas fœderis gratiæ differt à sanctitate fœderis operum.*

II. *Sanctitas* in *fœdere gratiæ* differt à sanctitate *fœderis operum*. 1. Nam in fœdere operum fuit *innata*, in fœdere gratiæ *aliunde accedit*, nempe à *Spiritu Sancto*. 2. In fœdere operum fuit *perfecta*; at in fœdere gratiæ *imperfecta*.

III. *Sanctum* apud Romanos dicitur de *sanguine*, quasi *sanguine*

(sc.

(ſc. victimarum) *conſecratum*, teſte *Servio Æneid. libr.* 12. ad hæc verba: *qui fœdera fulmine ſanxit.* Ideoque *ſanctum* & *conſecratum* aut *ſacratum*, non raro idem ſignificant. Hebraice *ſanctus* dicitur קדוש à verbo קדש *ſanctus fuit.*

*Sanctum à ſanguine.*

*Hebraice quomodo?*

IV. Duas præcipuas habet ſignificationes verbum קדש. Primo enim notat *purificare* à ſordibus, ita ut verus nitor effulgeat. Et quum immunditiesatque ſordes expurgari ſoleant aqua, dum corpora lavantur, verbum קדש præſertim in *piel*, non minus quam verbum טהר in eadem conjugatione, ſumitur pro *lavare* aut *purgare*. Levit. 16: 19. והזה עליו כן הדם באצבעו שבע פעמים וטהרו וקדשו כטמאות בני ישראל : *Et aſperget ſuper illud* (altare) *ex ſanguine digito ſuo ſepties, & purificabit, & ſanctificabit illud de immunditie filiorum Iſraëlis* Patet igitur קדש non minus quam טהר opponi *ſordibus* & *immunditiei*, ut utrumque ſignificet *purificare*. Sic & in hitpael cum verbo טהר junguntur. Eſ. 66: 17. המתקדשים ומטהרים אל הגנות *Qui ſe ſanctificant* (vel lavant) & *purificant ad hortos.* Apud Rabbinos nihil familiarius eſt, quam ut קדש ſumatur pro lavare, præſertim ubi de ſacerdotibus, & aliis ſacris agitur. Inter ſexcenta loca notandum eſt caput 3. Codicis *Joma Sect.* 2. וכל המטיל מים טעון קדוש ידים ורגלים : *Quicunque* (ſcil. ſacerdos) *urinam emittit, opus habet ut lavet manus & pedes.* Et ſectione 3. אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אפי טהור עד שיטבול חמש טבילות ועשרה קדושין טובל כהן ג וקדש בו ביום וכלן בקדש : *Nemo intravit atrium ad miniſtrandum; etiamſi mundus eſſet, antequam quinquies aqua immerſus eſſet; & decies lavatus. Pontifex Max. immergitur & lavatur die, & omnia fiunt in loco ſancto.* Et ſect. 4. פרסו סדין של בוץ בינו לבין העם פשט ירד וטבל עלה ונסתפג הביאו לו בגדי הזהב ולבש וקדש ידיו ורגליו : *Extendebant velum byſſinum inter eum* (Pontificem Max:) *& populum. Exuebat veſtimenta ſua, deſcendebat & immergebat ſe. Adduxerunt ei veſtes aureas, quas induebat, tunc manus & pedes lavabat.* In omnibus iſtis locus, ut & infinitis aliis, apud Magiſtros קדש ſignificat lavare, & קדושה *lotionem* pedum & manuum.

*Significationes vocabuli Hebrai.*

V. Eodem ſane modo in N. T. verbum ἁγιάζειν ſumitur pro *purificare.* Ideo καθαρίζειν *purificare*, per ἁγιάζειν *ſanctificare* exponitur. 2. Cor. 7: 1. quod ſcilicet extrinſeca lotio ſymbolum eſſet, internæ purificationis & ſanctificationis: unde etiam ſanctificatio in baptiſmo, per lavacrum aquæ repræſentatur, ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας ἀγαπητοί, καθαρίζωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπι-

*Vocabula Græca.*

ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ θεοῦ. Et Ep. ad Titum cap. 3: 5. loquitur de λούτρῳ παλιγγενεσίας, *lavacro regenerationis.* Per *regenerationem* ibi Apostolum significare *sanctificationem* non est dubitandum. Sic 1. Cor. 6: 11. Apostolus, ubi dixerat. ἀλλὰ ἀπελούσασθε *abluti estis,* addit ἡγιάσθητε *sanctificati estis.* Et Ephes. 5: 26. postquam dixisset ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, *ut eam sanctificaret*, explicat quomodo sanctificet: καθαρίσας τῷ λούτρῳ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, *purificans lavacro in verbo.* Est igitur *sanctificare*, idem ac *purificare.* Sed & apud ipsos Prophanos scriptores *sanctificare* est *purificare*. Veteribus Græcis ἅγιος dicitur *purus.* Hesychius: ἅγιοι οἱ καθαροὶ καὶ σεβάσμιοι. Et apud Latinos vasa *pura* sunt vasa *sancta*, & *vestes puræ* vestes *sanctæ.* Plaut. Amphitr. Act. III. Scen. II.

*Jube vero vasa pura adornari mihi,*
*Ut quæ legionem vota vovi, si domum*
*Redissem salvos, ea ego exsolvam omnia.*

Ad quæ verba Scaliger non male observavit: Vasa pura *sunt, quæ in alio usu non fuerunt. Sic* vestis pura, *in sacris appellatur, inquit Servius, quæ neque funesta sit, neque maculam habebat ex homine mortuo. Alias* vasa pura *&* argentum purum *opponi emblematis cœlato, notum est, vasa pura* pro *vasis sanctis* quoque leges in eadem Comedia Act. V. Sc. I.

*Abi domum jube vasa pura actutum adornari mihi,*
*Ut Jovis supremi multis hostiis pacem expetam.*

Hinc apud Festum: *Pura vestimenta Sacerdotes, ad sacrificia habebant, id est non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculam habentia.*

*Hoc sensu fideles dicuntur sancti.*

VI. Hoc sensu veri fideles, qui fide salutari donati sunt, sancti dicuntur: cum per fidem à sordibus peccati sint repurgati. Non tantum eorum peccata sunt remissa; non tantum à reatu absolvuntur per justificationem; sed per Spiritum Sanctum quoque regeniti sunt; facti sunt novæ creaturæ, & eorum macula est repurgata. Quicunque enim Christo insunt, per fidem ei insunt. Joh. 6. *Christus* enim *habitat in corde nostro per fidem.* Eph. 3: 17. At Christus non habitat in loco sordido, sed apud eum qui ab omni immunditie repurgatus est; qui est בר לבב Psalm 24: 4. καθαρὸς τῇ καρδίᾳ *purus corde.* Matth. 5: 8. Quicunque igitur vera fide donantur illi etiam sunt sancti; nam *corda nostra fide purificantur.* Act. 15: 9.

*Sanctificare est rem sepa-*

VII. Deinde *sanctificare* significat etiam rem aliquam *separare*, ab usu vulgari & profano, & *destinare* ad usum aliquem sacrum. Sic

totus

totus populus Iſraëlis dicitur *ſanctus* & *gens ſancta*. Exod. 19: 6. 1. Pet. 2: 9. nempe quod Deus populum iſtum ab idololatria avocaverit, & ad verum cultum ſuum adduxerit ac deſtinaverit. Præ reliquis enim populis omnibus eum elegit, & in fœdus ſuum recepit, relictis cæteris nationibus. Pſalm. 147. Sic *Sabbathum*, quod à reliquis diebus hebdomadæ fuerit diſcretum, & ad quietem cultumque Dei modo peculiari deſtinatum, *ſanctum* vocabatur. *Tabernaculum* & *Templum* dicitur מקדש id eſt *ſanctum*, Exod. 15: 17. Ezech. 48: 10. *Sacerdotes ſanctificati* & *ſancti*. Exod. 30: 30. Ezech. 48: 11. Et *ſacrificia*. Exod. 29: 31, 36, 37. Et tota *ſuppellex* Sacerdotii dicuntur כלי הקדש Num. 4: 15. *vaſa ſancta*. Hinc non tantum *ſanctum* erat *altare*, ſed quidquid illud tetigerat *ſanctum* dicebatur. Et quia ad uſum ſacrum neceſſario ab altari deſtinabatur, ideo dicebatur *ab altari conſecratum*, vel *ſanctificatum*. Nihil ſolennius eſt Talmudicis, quam ut dicant, *altare ſanctificat*, vel *conſecrat*, videatur *Miſna Sevachim* Cap. 9. : המזבח מקדש את הראוי לו *Altare conſecrat id quod eo dignum eſt*. Id eſt ad ſacrificium deſtinat, quidquid illud tetigit. Eo, mea ſententia, reſpexit Chriſtus. Matth. 23. 19. ubi dicit τὸ θυσιαστήριον ἁγιάζον τὸ δῶρον, *altare ſanctificat donum*. Vide Exod. 29: 37.

*rare ab uſu profano, & deſtinare ad ſacrum.*

VIII. Hoc ſenſu veri fideles iterum *ſancti* dici poſſunt & debent. Nam per veram fidem ſeparantur à mundo, & mundanis concupiſcentiis, à peccato & hujus ſæculi ſordibus, & ad cultum Dei, tanquam ad uſum ſacrum, deſtinantur. Sic per æternum Dei decretum, & electionem deſtinati ſunt ad communionem cum Deo, ad cognitionem veritatis, ad participationem gratiarum ſpiritualium, & ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum. Ideo dicuntur idonei *facti ad participandam ſortem ſanctorum in luce, & erepti ex poteſtate tenebrarum, ac tranſlati in Regnum filii ſui dilecti*. Col. 11: 12, 22. *Alienati & hoſtes mente & operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis ſuæ per mortem: ut ſiſtantur ſancti & inculpati & irreprehenſibiles in conſpectu Dei. Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus quem ſibi Deus ut proprium vendicat: ut virtutes prædicarent illius, qui eos vocavit è tenebris in admirabilem ſuam lucem*. 1. Petr. 2: 9. *Electi a Deo ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati. Quo vocati ſunt à Deo per Euangelium, ad acquirendam gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. 2. Theſſ. 2: 13, 14. Ex locis iſtis, & infinitis aliis hiſce ſimilibus, clariſſime conſtat, fideles *ſanctos* dici, ideo

*Hoc ſenſu fideles ſancti ſunt.*

quod in fœdus Dei recepti, ab impietate mundi sint quasi segregati, & ad cultum Dei consecrati, nec non ad vitam æternam destinati. Quamobrem etiam monentur ab Apostolo, *ut, abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & juste & pie vivant in præsenti sæculo, expectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris Nostri Jesu Christi.* Tit. 1: 12, 13. ut exuto & deposito *veteri* homine, induant novum hominem. Ephes. 4: 22, 23, 24.

*Sanctitas non consistit in solo intellectu; sed & in voluntate.*

XI. Non recte quidam docent sanctificationem consistere in solo *intellectu;* cum consistat in *intellectu* & *voluntate* simul. (1. quia tota natura corrupta est. (2. Tota *mens νόος renovanda* est. 2. Thess. 4: 3, 4. Rom. 12: 2. (3. Deus nos sanctificat ὁλοτελεῖς 1. Thess. 4: 3, 4, 5. & 5: 23. Tit. 1: 15. (4. Intellectus nullum potest exercere imperium in voluntatem; sed se habet tantum *passive* recipiendo objecta prout sese offerunt: voluntas autem ipsa eligit, quod ipsa optimum judicat. *Intellectus* igitur debet illuminari, ut objecta recte recipiat, voluntatique proponat. Voluntas quoque debet corrigi, ut possit optimum eligere. Nec ideo, quod *voluntas sequatur ultimum judicium practicum* statuendum est *solum intellectum sanctificari, non autem voluntatem.* Cum istud ultimum judicium practicum sit opus *voluntatis:* voluntas enim judicat, non intellectus.

*Objectio.*

*Sanctitas se habet ut motus.*

X. Cum *sanctificatio* sit quædam *mutatio* hominis, & cum omnis mutatio sese habeat ut *motus*, solet in ea considerari terminus à *quo*, & terminus *ad quem.* Terminus *a quo* est *corruptio imaginis Dei.* Sed terminus *ad quem*, est *restitutio istius imaginis. Exuendus* enim est *vetus*, & *induendus novus homo.* Ephes. 4: 24. Hinc & *conversio* dicitur, nempe à *malo* ad *bonum.* Es. 1: 16, 17. Psal. 34: 15. *Expurgatio veteris fermenti, & nova massa.* 1. Cor. 5: 7.

*Non consistit in sola actuum emendatione.*

XI. Pessime igitur docent *Sociniani, Sanctificationem* consistere in sola *actuum emendatione*, modo aliquis à peccatis, quibus maxime deditus est, resipiscat; Consistit enim in totius naturæ sanatione. Ideo homo in Scriptura Sacra ante Sanctificationem dicitur *mortuus in peccatis suis.* Ephes. 2: 5. Col. 2: 13. Eo quoque referendus locus Joh. 5: 25. ubi intelliguntur, non *corporaliter*, sed *spiritualiter mortui*, quales & tunc, tempore Christi, debebant resurgere. Vide Ephes. 5: 14. Ob eandem rationem homo sua natura dicitur *vetus homo.* Ephes. 4: 22. *Animalis.* 1. Cor. 2: 14. quia *Spiritum* non habet, sed vitam agit mere *animalem*, instar bruti. Homo *Carnalis.* Rom.

Rom. 7: 14. Et irregenitorum *cor* dicitur *incircumcisum*, nempe à peccato. Et *lapideum*. Ezech. 11: 19. 36: 27. Comparatur cum *Idolo*, quod *habet oculos & non videt, aures & non audit, cor & non intelligit.* Es. 6: 9, 10. *Est arbor mala, quæ non potest ferre bonos fructus.* Matth. 7: 18. Et non sine emphasi dicitur tantum homo *exterior*, qui nudam tantum habet externam formam hominis. 2. Cor. 4: 16.

*Sanctificatio dicitur Regeneratio.*

XXII. Hinc fit ut *sanctificatio* nuncupetur *Regeneratio*; & homo *renasci* dicatur, ut fiat *nova creatura*. *Nisi quis regenitus sit ex aqua & spiritu, non potest intrare in Regnum cœlorum.* Joh. 3: 5. Et *interior homo*, ac *renovatus*. 2. Cor. 4: 16. *Interior homo, indies renovatur.* Vide Rom. 7: 25. Et *occultus homo cordis.* 1. Petr. 3: 4. Et *spiritus mentis qui renovatur.* Ephes. 4: 23. Et cum ante sanctificationem *mortuus* dicatur, ideo per sanctificationem *ex mortuis resuscitari* dicitur. *Quum essemus mortui in peccatis nostris, Deus resuscitavit nos per Jesum Christum.* Ephes. 2: 5. Patet itaque sanctificationem esse *regenerationem*, *resurrectionem*, ac *productionem novæ creaturæ*, ut consistat, non tantum in *emendatione* quorundam actuum, sed *mutatione* totius hominis.

*In quo consistat?*

XIII. Et quum *sanctificatio* sit *regeneratio* & productio *novi hominis*, novæque creaturæ, ideo solum Deum omnipotentem habet *auctorem*. Hinc sancti dicuntur *ex Deo nati*. Joh. 1: 13. Et *spiritu regenerari*. Joh. 3: 5. *Deus creat cor novum, & spiritum renovat.* Psal. 51: 12. Ezech. 36: 26. Is *vivificat ex mortuis*. Ephes. 2: 5. Hinc & *filii Dei* dicimur. Joh. 1: 12. 1. Joh. 3: 1. Utitur igitur Deus in *regeneratione* plerumque verbo suo: quare *regeniti* dicimur *per verbum veritatis*. Jac. 1: 18. Ut *Regenerationis*, ita & *Sanctificationis* causa est Deus: speciatim autem Spiritui Sancto adscribitur. Ideo *ex aqua & spiritu dicimur renasci*. Joh. 3: 5. Et Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Sanctificationis*. Rom. 1: 14. *Renovationis*. Rom. 7: 6. Tit. 3: 5. Vide Ephes. 1: 17. Rom. 8: 4. & *Spiritus Sanctus*.

*Auctor ejus est solus Deus.*

*Operatur per verbum.*

*Et Sp. S. attribuitur.*

XIV. Est igitur hæc *Regeneratio* tanquam initium tantum sanctificationis. *Sanctificatio* autem est tanquam augmentum hominis regeniti. Opportet enim ut homo nascatur, antequam crescat & augeatur. Ita sane spiritualiter primo *regeneratur*, postea per sanctificationem magis magisque *crescit* in hominem *perfectum* &c. Ephes. 4: 12.

*Regeneratio & Sanctificatio quomodo differant?*

XV. In hac tamen vita *sanctificatio* nunquam est *perfecta*, sed per sanctificationem ad perfectionem contendimus, quam tamen nunquam

*In hac vita nunquam est perfecta.*

quam attingimus, nisi post hanc vitam in cœlis. (1. quia *intellectus* nunquam est perfecte *illuminatus*, nec *voluntas* Deo perfecte submissa. *Cognoscimus* enim *ex parte tantum*. 1. Cor. 13: 12. In hac vita semper nobis adhæret aliquid *carnis*, est enim continua lucta inter *Spiritum* & *carnem*. Rom. 7: 18. Gal. 5: 17. sed *Caro se non submittit legi Dei, non potest*. Rom. 8: 7. (2. *Causam* sanctificationis non perfecte possidemus, cum habeamus tantum *primitias Spiritus Sancti*. Rom. 8: 22. & cum *fides* per quam *corda nostra purificantur*. Act. 15: 9. sit *imperfecta*. Vide *de fide*. (3. *Amor Dei* in nobis est imperfectus, ita & *charitas* erga proximum: quia *cognitio* nostra imperfecta est. 1. Cor. 13: 12. amamus enim prout cognoscimus. (4. Deus nos hortatur ad *perfectionem*. 2. Cor. 7: 1. Levit. 19: 2. 1. Petr. 1: 15. Ergo nondum sumus perfecti. (5. Sanctissimi sæpissime in gravissima peccata incidunt, ut David, Petrus, Paulus &c. (6. Ipsi Apostoli, in oratione dominica, debent petere remissionem peccatorum. Matth. 6. (7. Testantur expressa loca Scripturæ. *Si diceremus nos peccata non habere, mentiremur*. 1. Joh. 1: 6. Nemo dicere potest: *purificavi cor meum, & purus sum ab omni peccato*. Prov. 20: 9. *Justus cadit septies*. Prov. 24: 16. Notatu dignum est, quod Naziræi vovérint peculiarem sanctitatem. Numer. 6. tamen, finito Nazareatu, offerre debebant sacrificia pro peccatis, quæ stante voto commiserant.

*Objectiones.* XVI. Nunquam *Pontificii*, *Anabaptistæ*, *Sociniani*, aut quicunque illi sint, probabunt in hac vita hominis perfectionem. I. *ideo quod Spiritus Sanctus nos hortetur ut simus perfecti*. Matth. 5: 48. Levit. 19: 2. Cum 1. potius inde sequatur nostra *imperfectio*, alias nulla admonitione opus haberemus. 2. Deus ostendit per has exhortationes quale sit nostrum officium, sed non quod simus perfecti. II. quod *Noach, Moses, David, Job, Josephus aliique dicantur justi, sancti, & fideles in omnibus*. Gen. 6: 9. Luc. 1: 6. 1. Reg. 15: 5. cum dicantur justi &c. 1. justitia *Evangelica* J. C. non *legali*. Et propria 2. justitia *inchoata*, non *perfecta*. Sane quod fideles dicantur *justi* justitia *imperfecta*, patet quia *justus cadit septies singulo die*. Prov. 24: 16. 3. Justitia *causæ*, non personæ, cum etiam sceleratissimus in certa quadam causa possit esse justus; non autem intelligitur justitia *personæ*. III. quod *sponsa Christi, id est, Ecclesia dicatur integra & perfecta*. Cant. 1. *sine rugis ac macula* &c. Ephes. 5: 27. 1. Nihil enim aliud intelligitur quam Ecclesiæ amor *sincerus*, etsi non *perfectus*.

*ctus.* 2. Ecclesia est *pulchra* & *integra*, sed pulchritudine & perfectione *Christi*, non propria, magis in *capite* suo, quam in se. IV. quod *inspector debeat esse irreprehensibilis.* 1. Tim. 3: 2. Non enim indicatur in homine perfectio angelica; sed ita dicitur, quod sceleribus non sit commaculatus, ut Ecclesiam magis offendat quam ædificet. V. quod *Paulus testetur se posse omnia per Christum.* Phil. 4: 13. Omnia enim potest, non *perfecte*, sed *imperfecte.* VI. quod *is qui ex Deo natus est dicatur non peccare.* 1. Joh. 3: 9. Non enim peccat *proterve* cum voluntate, sed ex *infirmitate.* Hinc idem Apostolus eadem Ep. Cap. 1: 8. testatur: *Si dicamus nos peccatum non habere, nos mentiri & veritatem in nobis non esse.* VII. quod *justi consistant in judicio, & provocent ad justitiam suam.* Ps. 7: 9. 1. cum intelligatur justitia *causæ* non *personæ.* Vide ad argum. 11. 2. Provocant ad judicium judicis, qui judicat & absolvit ex *merito Christi*, non ex *dignitate personæ* suæ. VIII. quod *Ezechias dixerit, se coram Domino ambulasse in veritate, & in corde integro, fecisseque quod bonum est in oculis ejus.* Es. 38: 12. Nam ita ambulavit quantum id infirmitas humana permittit. Alias ipse fatetur, se peccasse. Orat enim ut Deus vellet *condonare peccata.* vers. 17. Provocat itaque ad *sinceritatem*, non ad *integritatem* suam.

*Est perpetua lucta inter Spiritum & Carnem.*

XVII. Est igitur perpetua lucta inter *spiritum* & *carnem*, inter *veterem* & *novum* hominem. Gal. 5: 17. Rom. 7: 33. & 8: 2. Et quamvis *lucta* in irregenitis detur, nihilominus tamen magna est differentia inter luctam *regenitorum* & *irregenitorum*. (1. quia in *regenitis* est lucta inter *spiritum* & *carnem*, sed in *irregenitis* nulla est lucta cum *spiritu*, quandoquidem *spiritum* non habent, sed sunt *carnales* & *animales.* Est igitur in illis *lucta* tantum inter *carnem* & *rationem*, deinde inter diversas *cupiditates:* ex. gr. inter *avaritiam* & *luxuriam.* (2. *Irregeniti* pugnant tantum cum *gravioribus* peccatis; at *regeniti* etiam cum *levioribus* & *minimis.* (3. *Irregeniti* statim in graviora scelera ruunt; at regeniti, ubi victores evaserunt, carnem magis magisque reprimunt. Gal. 5: 24. Rom. 8: 2. (4. *Irregeniti* carnis cupiditates reprimunt *formidine pœnæ*, *regeniti*, etiam Dei & *virtutis amore.*

XVIII. Ex hisce omnibus satis patet, non esse confundendam *sanctificationem* cum *justificatione*, sed inter se multum differre. (1. Habet enim se Deus in *sanctificatione* ut potens *medicus*, sed in justificatione, ut justissimus *judex*; ut *justificatio* fiat per *sententiam judicis*

*absolventis*; at *sanctificatio* per sanationem Spiritus Sancti tanquam *potentis medici*. (2. Per *sanctificationem* liberamur à *macula*; sed per *justificationem* à *reatu*. (3. *Justificatio* fit per *imputationem*; *sanctificatio* per inhærentem *mutationem*, & per *virtutis infusionem*. (4. *Justificatio* fit in momento; *sanctificatio* successive. (5. *Justificatio* est *perfecta*, *sanctificatio imperfecta*. (6. Justificatio dat perfectam *justitiam* Christi, adeoque conscientiæ adfert *pacem*. Rom. 5: 1. *Sanctificatio* non nisi imperfectam dare potest *justitiam*: adeoque nullam pacem. (7. *Justificatio* natura, etsi non tempore, prior est *sanctificatione*. Et quamvis *eadem fides justificet & sanctificet*, *cum fide justificemur*. Rom. 3: 27. *ut & fide corda dicantur purificari*, *id est sanctificari*, Act. 15: 9. justificatio tamen prior offertur, antequam homo eam fide amplectatur: ergo fidem & sanctificationem ordine naturæ præcedit.

## CAPUT XI.

### *De Bonis Operibus.*

I. QUamquam fœderati, in fœdere gratiæ, justi declarantur, non propter ullum meritum; sed propter solam justitiam Christi; nihilominus tamen *bona opera* ab iis exiguntur; & cum sanctificati sint, fide & Spiritu Sancto donati, ea necessario exercere debent. Ipsum vocabulum *bona opera*, in verbo Dei occurrit. Matth. 5: 16. *Ita luceat lux coram hominibus*, *ut videant bona opera vestra*. Dicuntur etiam *bona opera* *ἀρετὴ virtutes*. Phil. 4: 8. 2. Petr. 1: 5, 6.

*Differentia inter bona opera fœderis gratiæ, & fœderis operum.*

II. Differunt iterum multum *bona opera* in fœdere gratiæ, à bonis operibus in fœdere operum. (1. *in fœdere operum* procedebant ex justitia inhærenti, & sanctitate perfecta: at in *fœdere gratia* ex corde per fidem purificato. 1. Tim. 1: 5. & sanctitate imperfecta. (2. In fœdere operum erant *opera perfecta*, in fœdere gratiæ *imperfecta*, (3. in fœdere operum poterant justificari, in fœdere gratiæ non possunt. (4. in fœdere operum *merentur ex pacto*; in fœdere gratiæ plane non possunt mereri. (5. In fœdere operum fiebant *vi legis*, ad *vitandam pœnam*, & ad *promerendum præmium*, at in fœdere gratiæ fiunt ex solo *amore Dei*, ad testandam justificationem per fidem, sanctificationem, & gratiarum actionem, pro salute nobis per Christum parta, & gratuito oblata.

III.

III. Sunt autem bona opera: *virtutes ſecundum legem Dei, ex corde per fidem purificato, ad gloriam Dei.* Unde patet, ad *bonum opus* tres requiri conditiones, quæ ei ſint eſſentiales, ut ſi vel minima deſit, *bonum opus* dici non poſſit. I. *Opera bona* debent procedere ex *bono principio;* nam qualis cauſa, talis effectus. *Arbor mala non poteſt ferre bonos fructus.* Matth. 7: 16, 17, 18. Ex *malo theſauro* homo profert *opera mala*, & ex *bono theſauro*, *opera bona.* Matth. 12: 35. At *principium* bonorum operum eſt *fides*, ſive *cor per fidem purificatum.* Nam *charitas*, quæ proprie eſt *bonum opus*, provenit ex corde puro, *bona conſcientia*, & *fide non ſimulata.* 1. Tim. 1: 5. II. Debent fieri propter *finem legitimum.* Sed verus ac unicus *finis*, in omnibus operibus noſtris debet eſſe *gloria Dei.* Deus *omnia fecit propter gloriam ſuam.* Prov. 16: 4. Ergo & nos *omnia facere debemus propter gloriam ejus*, hortante Paulo. 1. Cor. 10: 31. *Ex eo, per eum & propter eum ſunt omnia.* Rom. 11: 36. III. Debent fieri ſecundum legem Dei: opponuntur enim *peccato;* at peccatum eſt *contra legem.* 1. Joh. 3: 4. Ergo *ratio formalis* bonorum operum eſt, ut fiant ex præſcripta lege Dei.

*Bona opera quid ſint?*

IV. Unde apparet inepta eſſe *Conſilia Euangelica* Pontificiorum, quæ ſint bona opera, non à lege Dei mandata, ſed ab Eccleſia tanquam ſalutaria propoſita: qualia ipſis ſunt *cœlibatus*, *mendicitas*, *cœca obedientia* aliaque vota monaſtica, & monachorum hypocriſes, quæ nihil continent præter *doctrinam humanam, per quam Deus fruſtra colitur.* Eſ. 29: 13. Matth. 15: 9.

*Conſilia Euangelica nulla.*

V. Opera dicuntur *bona*, vel etiam *perfecta*, bonitate & perfectione *eſſentiali*, ſive *graduum.* *Bonitatem* vel *perfectionem eſſentialem* dicuntur habere iſta opera, quæ (α) fiunt ſecundum mandatum Dei; (β) ex corde per fidem purificato; & (γ) propter gloriam Dei, adeoque illa, quæ habent tres iſtas conditiones, de quibus jam diximus. Talia in *irregenitis* non reperiuntur, ſed in *regenitis* tantum. Opera autem quæ ſunt *bona*, ſive *perfecta*, bonitate aut perfectione *graduum*, ſunt illa in quibus tres conditiones perfecte reperiuntur, ubi nihil fit niſi ex lege Dei præſcripta; ex corde quod perfecta fide perfecte eſt purificatum; & quod operatur unice propter gloriam Dei. Hoc ſenſu ſoli beati in cœlis edunt bona opera; non autem credentes in terra. 1. quia ſanctiſſimi etiam multa faciunt, quæ lege Dei non jubentur, immo quæ legi Dei ſunt contraria. (2. quia eorum fides eſt infirma. (3. quia ſibi non unice

*Bona opera varie dicuntur.*

proponunt gloriam Dei, ſed ſuum ſæpe commodum: uti ſuis locis oſtenditur.

*Opera regenitorum bona dici poſſunt.*

VI. Nihilominus tamen *opera* regenitorum dici poſſunt *virtutes* & *bona opera*. Non quod *bona* ſint *bonitate graduum*, ſed bonitate *eſſentiali*: ut quamvis non ſint *perfecte* bona, tamen ſint *vere* bona, quemadmodum *calor* in quarto gradu, verus eſt calor, non minus quam in octavo, quamvis non tam vehemens. Quemadmodum igitur *fides* noſtra, ut ut ſit *imperfecta*, nihilominus tamen *fides* eſt, modo ſit *ſincera*, ita & opera noſtra, quæ inde procedunt. Uno verbo, opera noſtra Deo grata ſunt, eodem ſenſu, quo nos ipſi ei ſumus grati. Nos autem Deo grati ſumus, *per fidem in Chriſtum*, ita & opera noſtra. Sic & ſacrificium Abelis Deo gratum fuit, quia Abel Deo prius placuit; (*reſpexit enim ad Abelem,* (nota prius ad Abelem) *& ad ejus ſacrificium*, ſcil. poſtea. Gen 4: 4.) ſed Abel gratus fuit per fidem: ita & ſacrificia, id eſt bona opera, Deo grata ſunt per fidem in Jeſum Chriſtum. 1. Petr. 2: 5.

*Cauſa bonorum operum.*

VII. *Principium* & *cauſa* bonorum operum eſt eadem quæ & fidei & ſanctificationis. I. *Spiritus Sanctus;* ſunt enim bona opera Spiritus Sancti *fructus*. Gal. 5: 22. Phil. 2: 13. II. *Fides* quæ eſt *per charitatem operans*. Gal. 5: 6. aut etiam *cor fide purificatum*. Act. 15: 9. Nam *finis mandati eſt* charitas, *ex* puro corde, *bona conſcientia & fide non ſimulata*. 1. Tim. 1: 5. Hinc *quicquid fit ſine fide, illud eſt peccatum*. Rom. 14: 23. Et *ſine fide nemo*, ergo nec ullum opus, *poteſt placere Deo*. Hebr. 11: 6. Soli igitur *regeniti* poſſunt edere bona opera, non autem *irregeniti*. (1. quia *omnis arbor bona bonos fructus facit, & omnis mala arbor fert malos fructus*. Matth. 7: 17. (2. quia ſoli regeniti habent *Spiritum Sanctum* & *fidem* cauſam bonorum operum.

*Nihil meretur.*

VIII. Cum excellentiſſima opera in hac vita ſint imperfecta, certum eſt ea nihil poſſe mereri apud Deum: cum id quod eſt imperfectum opus habeat miſericordia & gratia Dei: quod autem opus habet miſericordia, illud nihil poteſt mereri. Ut peſſime diſtinguant Pontificii operum *merita*, in meritum. 1. ex *Congruo*. 2. ex *Condigno*. 3. ex *Pacto*, & 4. ex *ſuperabundanti*, vel *ſupererogatorio*.

*Meritum ex Congruo quid?*

Meritum ex *congruo* dicunt eſſe in operibus *irregenitorum* ante fidem, quæ ex aliqua æquitate, & quaſi ex officio à Deo congruenter remunerentur. Sed quam falſo hæc à Pontificiis attribuantur irregenitis ante fidem, patet. (1. quia *quicquid eſt ſine fide, eſt peccatum.* Rom.

Rom. 14: 23. Et *fine fide nemo poteſt placere Deo.* Hebr. 11: 6. (2. Deus talia opera *congruentius* puniret propter defectum. (3. Deus eſſet προσωπολήπτης, cum reſpiceret ad opus externum, quod in fide & timore Dei non eſt factum, nec ullo prœmio dignum eſt. (4. Nullum intercedit commercium inter Deum & peccatorem. Eſ. 59. ergo apud Deum non poteſt mereri. (5. Hæc ſententia eſt *Pelagiana*, quæ ſtatuit, quod meritum operum gratiam Dei præveniat, ac ſi homo *mortuus in peccatis* aliquid boni præſtaret, quaſi *inimicus Dei*, ei poſſet eſſe gratus, & ab eo mereri. Vide ſupra, Cap. IX. §. 16.

*Argum. Contrar.*

IX. Errorem ſuum nunquam probabunt *Pontificii*, I. quod dicatur; *Habenti dabitur.* Matth. 13: 12. Ibi enim *habens* non eſt *irregenitus*, ſed *regenitus*, qui habet gratiam Dei. Illa autem gratia, quam Deus ipſi conceſſit, magis magiſque augetur. Ergo *habenti* dona ſpiritualia, dabuntur majora dona, fides, charitas, multæque aliæ gratiæ indies augentur; ſed *non habenti* ullum donum ſpirituale, ab eo omnia aufferentur, etiam externa, & quæ tranquillitatem hujus vitæ ſpectant. Hæc enim eſt gloria Dei, ut ſua dona augeat, & ut creatura ab eo in omnibus dependeat. II. *Deus* non dicitur *promereri hoſtiis.* Hebr. 13: 16. Nam 1. verbum *promereri* in iſto loco non exſtat, ſed ἐυαρεστεῖται *placet Deo:* id eſt *ejuſmodi hoſtiæ Deo ſunt gratæ.* 2. Intelligendum eſt, non de *irregenitis*, ſed de *regenitis*, quorum *hoſtiæ ſpirituales Deo gratæ ſunt, in Chriſto.* III. Si *Deus benefecit obſtetricibus Ægyptiis, quia infantes Iſraëlitarum non occiderunt.* Exod. 1: 20, 21. tamen 1. non dicuntur quicquam *meruiſſe.* 2. Deus aliquando teſtatur actiones irregenitorum ſibi eſſe gratas, non ob *dignitatem operis:* ſed ob *conſervationem Eccleſiæ*, ut in hoc factum eſt. IV. *Deus promiſit* quidem *Jehu filios ejus occupaturos ſolium, uſque ad quartam generationem, quia fecerat quod rectum erat in oculis Dei.* 2. Reg. 10: 30. Sed 1. *fecit quod rectum erat*, ratione ipſius rei, quæ fiebat & quæ *materialiter* recta erat, ſed non erat rectum *formaliter:* cum id, quod fecit, non fecerit, vi legis, ideo quod à Deo mandatum fuit, nec ex vera fide. 2. Deus promittit beneficia, non ex dignitate operis, aut ex *merito*, ſed ex mera *benignitate*, ut homines incitaret ad officium. V. Quod *Cornelius dicatur converſus ad Deum, quia fecerat multas eleemoſynas.* Act. 10: 2. ita non eſt intelligendum, quaſi converſus eſſet propter eleemoſynas, & earum merito; ſed antequam eleemoſynas fe-

fecisset jam conversus fuit: dicitur enim *homo sanctus & timens Deum*. VI. Si *scriba dicitur non longe abfuisse à Regno cœlorum*. Marc. 12: 34. Non dicitur tamen, quod Regnum cœlorum *meritus sit*: absuit enim, quamvis *non longe*, quia aliquam habebat cognitionem Regni cœlorum.

*Ex Condigno.* X. Meritum ex *condigno* Pontificiis tale est, quod reperitur in *regenitis*, & dicitur opus aliquod *præmio dignum*, quo Deus fiat noster debitor, ut homini debeatur vita æterna, tanquam merces secundum justitiam. At hæc non tantum falsa, sed & impia sunt. (1. quia meritum ex *condigno* locum non habuit in statu integritatis, & in fœdere operum, multo minus in statu corrupto & in fœdere gratiæ. (2. Tale meritum, non cadit in nudam creaturam, sed in solum Deum, scilicet in Jesum Christum, qui est θεάνθρωπος. (3. Debet esse quædam *proportio* inter meritum, & rem merito acquisitam: sed nulla est proportio inter creaturam omnesque ejus actiones, & inter amorem Dei: quia omnes creaturæ earumque actiones sunt finitæ; sed amor Dei est bonum infinitum. (4. Si daretur meritum erga Deum, deberet *Deo aliquid boni accedere*, per actiones nostras, at Deo nihil accedit. Job. 22: 2. (5. Opera etiam regenitorum sunt *imperfecta*; id est, 1. fideles non faciunt *omnia præcepta Dei*; & ex lege, ideo quia à Deo mandantur; 2. Non operantur *ex corde*, quod per *fidem perfectam perfecte* est purificatum. 3. Non unice *propter gloriam Dei*. Ideo omnes sumus *peccatores*. 1. Joh. 1: 8. Rom. 7: 12. Prov. 20: 9. & 24: 16. At *peccator*, ut ut *regenitus*, non potest mereri. (6. bona opera non sunt *nostra*, sed *Dei* opera; *Deus enim in nobis perficit velle & operari*. Phil. 2: 13, *Nihil habemus, quod non acceperimus*. 1. Cor. 4: 7. Vide infra *de viribus necessariis ad recipiendum fœdus gratiæ*. Cap. XVI. (7. Omnia opera nostra, sua natura, Deo debentur. Luc. 17: 10. Ergo solvendo debitum nihil meremur. (8. Per fidem omnis *gloriatio excluditur*. Rom. 3: 27. Ephes. 2: 8. (9. In Sacra Scriptura vocabulum *meritum*, aut *merces* non occurrit.

*Meritum ex pacto.* XI. Meritum ex *pacto* Pontificiis est tale, per quod homo fide donatus meretur remissionem peccatorum & vitam æternam, non ex *dignitate operis*, sed ex *pacto* & ex speciali Dei promissione. Tale meritum quoque non datur. (1. quia *meritum ex pacto* locum habuit in *fœdere operum* tantum, non in fœdere gratiæ. At fœdus gratiæ cum fœdere operum non est confundendum. (2. Meritum Chri-

Christi conculcaretur, & inutile redderetur, adeoque gratia Dei abnegaretur. Nam *si ex operibus, non potest esse ex gratia.* Rom. 11: 6. Et *Christus frustra mortuus esset.* Gal. 2: 21. (3. Non promittitur *merces* nisi *ex gratia.* Rom. 4: 4. Salus & omnes gratiæ Dei sunt *lac* & *vinum*, quod Deus vendit *sine argento & sine pretio.* Es. 55: 1. (4. vita æterna promissa est, *ante mundi jacta fundamenta.* Matth. 25: 34. (5. vita æterna dicitur *hæreditas.* Matth. 25: 35. Rom. 8: 17. & *gratia.* Rom. 6: 23. Tit. 3: 5. Sed *hæreditas* & *gratia* omne *meritum* excludunt. Plura vide Cap. IX. De *Justificatione.* thes. 16, 17.

*Ex superabundanti.*

XII. Meritum *supererogatorium*, vel ex *superabundanti* Pontificiis est illud, quod reperitur in hominibus sanctissimis, immo perfecte sanctis; quando præstant plura quam Deus ipse ab homine in sua lege postulat: qualia dicuntur merita *Martyrum*, *Monachorum* aliorumque, qui non tantum legem adimplent, sed & *consilia Dei* & Ecclesiæ faciunt, observando *vota cœlibatus, paupertatis, Cœcæ obedientiæ*, corpus flagellando, macerando, jejunando, peregrinando, & martyria subeundo. Tunc non tantum sibi, sed & aliis mereri dicuntur: veluti amicis, consanguineis, aut ejusmodi merita in Papæ scriniis reservari, & postea inde depromi per indulgentias Papæ, in bonum aliorum, qui ea, satis caro emerunt. Talia autem merita esse plane impia & nulla dari, satis manifesto patet. (1. Ex iis quæ dicta sunt. (2. quia homo Deo debet totum corpus & animam, cum omnibus viribus suis. Matth. 22: 37. 1. Cor. 6: 20. (3. quia nemo unquam totam legem perfecte adimplevit, multo minus fecit plus quam lex postulat: nec ab ullo fieri potest, uti ex dictis patet. (4. quia si præstitum fuisset, homo debitum tantum fecisset, sed nihil meruisset. Luc. 17: 10.

*Argumenta contraria.*

XIII. Vane argumentantur *Pontificii* 1. *Opera nostra tincta sunt in sanguine Christi, id est Christus meruit, ut opera nostra sint meritoria.* 1. Id enim factum esset *citra necessitatem;* cum solum meritum Christi sufficiat. 2. Esset *contra justitiam Dei*, quæ non exigit duplicem solutionem, alteram à Christo, alteram à nobis. 3. Perinde esset absurdum ac si quis diceret: subditus solvit nummis luteis, quod filius Regis jam solvit nummis aureis. II. *Si in Scriptura promittatur merces. Gaudete, nam merces vestra magna est.* Matth. 5: 12. & 10: 42. Intelligenda est *merces ex gratia*, non *ex debito*. De *mercede ex gratia*, vide Rom. 4: 4. Est *lac & vinum sine argento & sine pretio.* Es. 55. III. Nec aliter dicuntur *opera remunerari*, quam *ex gratia.* Rom. 4: 4.

Es. 55.

Es. 53. IV. *Deus reddet cuique secundum opera sua.* Rom. 2:6. 2. Cor. 5: 10. At *secundum opera* non significat *secundum merita:* sed *convenienter* operibus. Convenit enim ut pii æternum sint beati, ob meritum Christi, & ex gratia Dei, ut ut nihil mereantur. Ita dicuntur facere opera, vel *fructus* dignos *resipiscentiæ.* Matth. 3: 8. Act. 26: 20. id est *convenientes resipiscentiæ:* alias resipiscentia non potest merito acquiri. V. Ita fideles non dicuntur *digni vocatione*, 2. Thess. 1: 11. merito suo; sed Apostoli orant Deum, ut id fiat. VI. Eodem sensu dicuntur *ambulare in vestibus albis, quia sunt digni.* Apoc. 3: 4. nempe quia *digni* facti sunt per sanguinem Christi, non proprio merito VII. Quamvis ii, *qui fideles fuerunt in paucis, dicantur constituti super multis, ideo quia fideles fuerunt.* Matth. 25: 21. nihil tamen inde probant. Cum vox *ideo* non notet *causam* alicujus boni, sed *rationem* tantum. VIII. Quando Paulus 2. Thess. 1: 6. dicit: *justum est apud Deum, affligere eos, qui vos affligunt, vobis autem, qui affligimini, dare relaxationem:* illud *justum* non significat justitiam commutativam, sed *ex gratia* & speciali promissione Dei; nam quod Deus promisit, justum est ut fiat. Ideo dicitur *merces* κτ̀ χάριν Rom. 4: 4. IX. Ita ubi Paulus monet: *Perficite vestram salutem.* Phil. 2: 12. vult ut faciamus quod in nobis est, secundum gratiam, quam Deus nobis largitus est, ne salute excidamus. Alias Deus ipse in nobis *operatur & velle & operari.* Phil. 2: 13. X. *Qui facit opus beatus erit.* Jac. 1: 25. Non ex *dignitate operis*, sed ex *gratia Dei*, beatus erit. XI. Quando Paulus dicit, *Afflictio quæ præterit producit in nobis pondus gloriæ excellentissimæ.* 2. Cor. 4: 17. ibi notatur tantum *consequentia* afflictionis, non autem *meritum.* Adde quod iste locus evertat *meritum*, cum doceat nullam esse proportionem. XII. *Homo* si dicatur *justificatus ex operibus.* Jac. 2: 24. Non intelligitur *justitia prima*, per quam acquiritur remissio peccatorum, & jus ad vitam æternam, ut mereamur apud Deum, per opera ad obtinendam remissionem peccatorum & vitam æternam; sed indicatur *justificatio secunda*, coram hominibus, quæ est testimonium pietatis. Vide Cap. IX. de *Justificat.* thes. 21, 22. XIII. Falsissima est consequentia: *Si per bona opera non meremur; ergo ea sunt inutilia, & non necessaria.* Contrarium igitur nunc probabimus.

*Bona opera sunt utilia & necessaria.*

XIV. Et sane bona opera fidelibus pariter esse *utilia* & *necessaria*, multis rationibus probatur. (1. quia à Deo sunt mandata. Matth. 5: 16. Es. 1: 20. Ps. 34: 15. (2. quia cum fide necessario conjuncta

sunt.

ſunt. Eſt enim fides *operans per charitatem.* Gal. 5: 6. Et *fides ſine operibus mortua*, id eſt *nulla eſt.* Jac. 2: 20. (3. quia per bona opera Deus glorificatur Matth. 5: 16. & proximus ædificatur. ibid. & 1. Petri 3: 1, 2. (4. quia teſtantur nos eſſe juſtificatos fide. Jac. 2: 15, 16. &c. (5. Deo debemus teſtari gratum animum, quod aliter fieri non poteſt, quam per bona opera. (6. Firmam reddunt noſtram vocationem & electionem, id eſt per bona opera nobis cavemus à peccatis, & certiores fimus de noſtra electione. 2. Petr. 1: 10. (7. ſunt viæ ad adeundam hæreditatem æternam, *ſumus* enim *conditi in Chriſto Jeſu, ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* Epheſ. 2: 13.

*Non rectè dicuntur perniciosa.*

XV. Peſſime igitur negant *Lutherani*, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria: ut abſurde *Amſdorfius* dixerit: *bona opera eſſe pernicioſa.* Dici enim poſſunt *ad ſalutem neceſſaria*, non ratione *juris* & *meriti*: cum nihil *mereantur*, nec ullum *jus* nobis acquirant; ſed tantum *ratione officii*, quod per ea Deum glorificemus, proximum ædificemus, hæreditatem per Chriſtum partam adeamus.

*Fideles in exercitio pietatis poſſunt reſpicere ad remunerationem.*

XVI. Quamvis per bona opera nihil mereamur, tamen, in exercitio pietatis, poſſumus reſpicere ad mercedem cœleſtem. (1. quia debemus *credere Deum eſſe remuneratorem quærentium ſe.* Hebr. 11: 6. (2. quia *validam habemus exhortationem accipiendi illam ſpem.* Hebr. 6: 15. (3. *Novimus laborem noſtrum non eſſe vanum in Deo.* 1. Cor. 15: 58. *Non fruſtra queritur Deus.* Eſ. 45. (4. Habemus exemplum 1. *Chriſti*, qui *ſibi propoſuit gaudium.* Hebr. 12: 2. 2. & *Moſis*, qui etiam *reſpexit ad remunerationem.* Hebr. 11: 26. Hæc tamen remuneratio exſpectari debet ex *gratia*, non ex *merito*, & præcipuus noſter finis, quo reſpicimus in omnibus actionibus, debet eſſe *gloria Dei.*

## CAPUT XII.

### *De Reſipiſcentia.*

I. AD bona opera referri ſolent *Reſipiſcentia, Jejunium* & *Præcationes*, quæ non minimam faciunt cultus divini partem. De hiſce igitur nunc quædam nobis dicenda erunt. Et ante omnia quidem De *Reſipiſcentia.*

*Quotidie opus habe-*

II. Cum opera noſtra in hac vita ſint imperfecta, quotidie opus ha-

*mus Resipiscentia.* habemus *Resipiscentia*: est enim Resipiscentia Spiritualis quædam Resurrectio à lapsu, ut quoties in peccatum labimur, toties per Resipiscentiam resurgendum sit.

*Non habuit locum in fœdere operum.* *An sit virtus?* III. In fœdere *operum* Resipiscentia locum non habebat, cum ibi nullum fuerit peccatum. Ergo *Resipiscentia*, proprie loquendo, non est virtus. (1. quia *virtus* omnem *Resipiscentiam* excludit; nam qui vera virtute præditus est; nunquam peccat, adeoque nulla Resipiscentia opus habet. (2. *virtutes* lege mandantur; *Resipiscentia* nulla lege mandatur: lex enim jubet perfectionem sine peccato; ergò & sine *Resipiscentia*. (3. quo homo carere debet, id proprie non est *virtus*; sed homo carere debet *Resipiscentia*, cum debeat esse perfectus. Potest tamen aliquo sensu dici virtus *fœderis gratiæ & Euangelica*: quia refertur ad odium peccati & boni; sed odium mali & amor boni est *virtus*.

IV. *Resipiscentia* Hebraice dicitur תשובה à *revertendo*: quia Resipiscens ex via peccati, quæ est *lata*, & ad perditionem ducit, redit in viam virtutis, quæ est *angusta*, ducitque ad salutem; qualem duplicem viam proposuit servator. Matth. 7: 13, 14. Dicitur etiam נחם Hos. 13: 14. ab הנחם *consolationem accipere*; quod resipiscens se soletur ob remissum peccatum. Græce dicitur μετάνοια à *mente*, quia *mentem mutat* à malo ad bonum. Unde Latinis recte *Resipiscentia*, quasi *aliter*, sive *melius sapere*. Μεταμέλεια quoque dicitur à *pœnitudine* & ab angore Conscientiæ, ob malum peractum. Ut ut secundum etymologiam differant, tamen eodem sensu sumi solent. Matt. 21: 29. ubi μεταμέλεσθαι ponitur pro μετανοεῖν; dicitur enim filius in vineam abivisse μεταμεληθεὶς. Vulgatus fere semper habet *Pœnitentia*; quo vocabulo *Pontificii* abusi, *Resipiscentiam* posuerunt in certis quibusdam *pœnis corporeis*, veluti *flagellatione*, *abstinentia cibi*, *peregrinatione*, *maceratione corporis*, aliisque Monachorum hypocrisibus: cum tamen consistat in mutatione mentis à peccato ad virtutem.

*Quomodo Græce? Pontificii abutuntur vocabulo pœnitentiæ.*

*Utrum fidem præcedat, an eam sequatur?* V. *Resipiscentia* aliquando sumitur *stricte* 1. pro *dolore* ac *tristitia*, ob commissum malum. 2. *Late*, pro dolore & emendatione vitæ simul 3. *Latissime*, pro tota hominis ad Deum *Conversione*. Priori sensu *Resipiscentia præcedit fidem*, saltem quoad sensum, quem de ea habemus; opportet enim ut agnoscamus peccata, doloreque afficiamur ob peccata, antequam per fidem quæramus justificari. Hinc monemur prius ut resipiscamus, deinde ut credamus. Marc. 1: 15. Act. 20: 21. Secundo sensu Resipiscentia sequitur fidem. (1. quia nemo

po-

potest serio tristari ob peccatum, nec vitam emendare, nisi *cor* habeat *purificatum per fidem.* (2. *quidquid fit sine fide est peccatum.* Rom. 14: 23. Ultimo sensu *Resipiscentia* includit fidem: totalis enim Resipiscentia est *Regeneratio*, *Sanctificatio* & *productio nova creatura*; quæ sine fide fieri nequeunt.

VI. *Resipiscentia* etiam distingui potest in *primam* & *secundam.* *Prima* fit in homine *irregenito.* *Secunda* in *regenito.* Quæ inter sese differunt. 1. Respectu *termini à quo*; nam in *irregenitis*; quoad *primam* Resipiscentiam, est peccatum *regnans*; at vero in *regenitis* est peccatum *infirmitatis*, tale enim committunt regeniti. Tale respicitur in secunda resipiscentia. 2. Respectu termini *ad quem.* Nam per *priorem* in irregenitis fit *integra mutatio status*; per *posteriorem* fit *mutatio gradus* ejusdem status. 3. Respectu *subjecti*: *prima* enim fit in *irregenitis*; sed *secunda* in *regenitis.*

*Resipiscentia prima & secunda.*

VII. *Resipiscentia* à *fide* differt. 1. quod *fides* respiciat *Christum* salutis fontem: *Resipiscentia* vero *Deum amandum.* 2. *Fides* versatur circa *remissionem peccatorum*; at *Resipiscentia* circa *emendationem vita.*

*Differt à fide.*

VIII. Absolvitur autem *Resipiscentia* duobus omnino actibus. *Primus* actus est *dolor cordis*, sive *contritio* ob commissum peccatum: estque duplex, vel *mundi*, vel *secundum Deum.* Dolor *mundi* reperitur in sceleratis, oriturque, non ex *amore erga Deum* &c. virtutem, sed ex *formidine pœna*, estque via ad desperationem, & quasi suburbium inferni: qualis fuit in *Caino*, *Esavo*, *Juda* &c. Hic dolor ad veram Resipiscentiam referri non potest. Dolor *secundum Deum* non inde procedit, quod peccator horreat pœnam, sed potius quod detestetur peccatum ipsum, qua peccatum, quod offenderit Deum, quem novit summe esse amandum & colendum, adeoque semper junctus est cum sensu amoris & benevolentiæ Dei. De duplici isto dolore vide 2. Cor. 7: 10. Exempla veri doloris habemus Ps. 51: 14. & 38: 4, 5. Joël. 2: 13. pluribusque locis alibi.

*Duobus actibus absolvitur. Dolor in Resipiscentia.*

IX. Secundus actus essentialis Resipiscentiæ est *emendatio vita*; quæ iterum consistit in duplici actu. I. In *odio & fuga peccati.* II. In *amore & praxi pietatis.* Utrumque actum S. Scriptura exprimit per *exuere veterem hominem* & *induere novum.* Ephes. 4: 22. *Recedere à malo & facere bonum.* Ps. 34: 15. Es. 1: 16, 17. *Odisse* autem debemus *peccatum*, non tantum quod nobis sit *exitiosum*, propter *pœnam*; sed propter solam *turpitudinem*, quæ peccato inest, quod sit contra legem & sanctitatem Dei, hominemque polluat. Ita *amare* debemus

*Emendatio vita.*

 vir-

*virtutem* eamque exercere, non tantum *ad evitandam pœnam*, & quod inde aliquod bonum nobis ſit exſpectandum, ſed quod ſua natura ſit *amabilis*, ſanctitatique Dei conformis. Ut impie *Papa Leo X. Lutherum* tanquam hæreticum damnaverit, quod docuerit: *veram reſipiſcentiam conſiſtere in emendatione vitæ.*

X. Inepte *Pontificii* ad veram *Reſipiſcentiam* requirunt *Contritionem, Confeſſionem* & *Satisfactionem.* I. quia *contritionem* ponunt, non tam in *cordis ſincero dolore*, quam in *corporis maceratione*, ciborum abſtinentia, flagellatione &. id genus alia, quæ in verbo Dei non jubentur. II. *Confeſſio* fieri debet ſoli Deo, cui peccamus. Pſ. 51: 6. qui ſolus peccata remittit. 1. Joh. 1: 9. Prov. 28: 13. Non autem cogendus eſt *pœnitens*, ad confeſſionem *auricularem*, cum non tantum inutilis, tyrannica, ſed & impoſſibilis ſit: cum plurima peccata ignoremus. Pſ. 19: 13. Concedimus tamen peccatum *confitendum* eſſe, apud eum quem offendimus, veniamque ab eo petendam eſſe, ut ſincere cum eo reconciliemur. Jac. 5: 16. Nec prohibitum cenſemus, ſi quis accedat paſtorem aliumve virum doctum, peccatum ei exponat, & conſolationem ab eo petat, modo id faciat ultro & ſponte ſua, cujus facti exemplum habemus. Act. 19: 18, 19. III. *Satisfactio* nulla datur, præter ſatisfactionem J. C. ſolam. Quamvis etiam non negemus, in certis quibuſdam cauſis, ſi Eccleſia gravius offendatur, ei quoque publice ſatisfieri debere. 1. Tim. 5: 20.

*Error Pontificiorum.*

*Nemo cogi debet ad confeſſionem.*

XI. Cum omne peccatum ſit abominabile, etiam ab omni reſipiſcendum eſt. A ſola tamen *blaſphemia* in Spiritum S. non datur reſipiſcentia. Hebr. 10: 26, 27. 1. Joh. 5: 16. Et cum omnes homines, præter Chriſtum, ſint peccatores, omnes etiam reſipiſcentia opus habent, ne excepta quidem *virgine Maria.*

*A blaſphemia in Spiritum S. non datur reſipiſcentia.*

XII. Deus in gratiam recipit omnes reſipiſcentes, quocunque tempore id fiat: cum procedat ex vera fide, quæ Deo ſemper grata eſt. Ezech. 18: 21. *Sera* tamen *Pœnitentia* raro eſt *ſeria:* ut non ſine periculo differatur. Hebr. 3: 7.

*Reſipiſcens in gratiam recipitur.*

XIII. *Pœnitentiam* eſſe *meritoriam*, peſſime adfirmant *Pontificii.* (1. cum ſit teſtimonium nos eſſe *peccatores indignos:* at ubi eſt *meritum*, ibi debet eſſe *dignitas* in *merente*, (2. Eſt tabula quam Deus nobis porrigit in naufragio, ut ſervaremur; ſed nemo meretur accipiendo tabulam, quæ ei offertur.

*Non eſt meritoria.*

XIV. Auctor Reſipiſcentiæ, quemadmodum fidei omniumque *virtutum* eſt ſolus Deus. Jer. 31: 18. Cant. 1: 4. Mal. 4: 6. Phil. 2: 13. Joh. 6: 26. Ezech. 36: 26.

*Ejus Auctor.*

XV.

XV. Est itaque *Resipiscentia virtus quædam Euangelica, à Deo solis electis data, per quam agnoscunt peccata, ea horrent & fugiunt, post serium dolorem ante actorum malorum, amant & exercent bonum.* Utrum autem *Resipiscentia* sit *Sacramentum*, ut falso statuunt Pontificii, examinabitur, ubi *de Sacramentis sub Novo Testamento.*

*Quid sit?*

XVI. Quamvis *Resipiscentia* consistat in *Intellectu* & *Voluntate*, totoque homine; nihilominus tamen vix fieri potest, quin se prodat per aliquod opus externum. Et veteres quidem solebant se *sacco* & *cilicio* vestire, in pulvere sedere, vestes lacerare, lachrymas fundere &c. 2. Sam. 13: 19. Ester. 4: 1. Jer. 6: 26. Dan. 9: 3. Hodie duo præcipue observari solent: *Jejunium* & *Preces.*

## CAPUT XIII.

### *De Jejunio & Precatione.*

I. JEjunium dici non debet, sola *abstinentia* quorundam ciborum, veluti *carnis*, aut eorum delectus, veluti *piscis* aut aliorum, dum exquisitissimis aliis cibis corpus saginatur, qualia *jejunia* celebrant *Pontificii.* Talia sunt ficta & hypocritica, cum sua natura nullum detur discrimen ciborum, *nec polluat quicquid ingreditur ventrem.* Matth. 15: 1. & sub Novo Testamento abolita sit lex cibaria, Col. 2: 21, 22. ut plenam habeamus libertatem *comedendi quicquid in macello venditur*, 1. Cor. 10: 25. vide Rom. 14: 17. Debet igitur *Jejunium* procedere ex vera *Religione*; consistit enim in *abstinentia omnium ciborum*, aliarumque rerum, quibus bene hilaresque vivimus.

*Sola abstinentia non est pœnitentia.*

II. Non existimamus tamen, nos hac ratione posse mereri, (ut falso docent *Pontificii*) quasi immitem aliquem Deum placare conaremur, mera ostentatione & vexatione corporis, ut hypocritæ. *Si jejunetis, quare maceratis animam vestram.* Es. 58: 3, 7. *Si jejunetis, ne sitis ut hypocritæ σκυθρωποὶ, macerant enim facies suas, ut viderentur jejunare.* Matth. 6: 17. Col. 2: 23. Jejunamus igitur ut testaremur nos vita esse indignos, ut caro domaretur, & ut *corpus redigeretur in servitutem* piæ mentis. 1. Cor. 9: 27. vide & cap. 7: 5. & ut redderemur aptiores ad preces & reliqua officia pietatis.

*Jejunio non meremur.*

III. *Jejunia* non debent restringi ad certa quædam stata *tempora* & *dies*, uti solent *Pontificii* observare diem *veneris*, *quadragesimale*,

*Non debet restringi ad certum aliquod tempus.* *quatuor tempora, Rogationes* & *vigilias*, cum natura *fœderis gratiæ* non patiatur *stata tempora*, sed sola œconomia veteris Testamenti. Possunt igitur fieri jejunia omni tempore, ubi id calamitas aliqua postulaverit, aut ubi aliquis pio Zelo ad id movetur. Errant quoque *Pontificii*, quod diebus *dominicis*, *festis*, totoque tempore inter *Pascha & Pentecosten* jejunia vetent: quia quilibet debet habere libertatem jejunandi, quo tempore ad id observandum pietate se impulsum senserit.

*Magistratus possunt jubere jejunia publica.* IV: In Calamitate publica, aut imminente aliquo periculo, Magistratus habent auctoritatem jubendi jejunia publica; quemadmodum factum est à *Josaphato*. 2. Chron. 20: 2, 3. & à *Rege Ninive.* Jon. 3: 8, 9.

*Preces ponendæ inter bona opera. Quid sint?* V. Inter bona opera præcipue etiam ponendæ sunt *Preces*, quæ etiam junctæ esse solent *Jejunio*, & non raro ex *Resipiscentia* oriuntur. Sunt autem Preces aliæ I. *Eucharisticæ* & *gratiarum actiones*, fierique solent magis cum *gaudio* & *hilaritate*, quam cum dolore & tristitia animi pœnitentis. Ideo hæ ad pœnitentiam vix referri solent. II. aliæ fiunt ut petamus res *necessarias*. III. aliæ ut *deprecemur mala*. Hæ duæ postremæ species in resipiscentia maxime adhibentur.

*Gratiarum.* VI. Possunt fieri, maxime publica auctoritate, *gratiarum actiones*, pro acceptis beneficiis, *jejunia* precesque, ad deprecandum aliquod malum imminens, simul. Ut pii Magistratus non peccent, si forte indicent jejunia, & jubeant, ut eodem die Deo agantur gratiæ, pro acceptis beneficiis, & simul ut ejus iram, quam per peccata provocavimus, deprecemur, imminensque malum avertamus precibus atque jejuniis.

*Quis precibus invocandus?* VII. Is, ad quem preces nostræ dirigi debent, est solus Deus, Pater, Filius, & Spiritus S. (1. quia solus est *omniscius*, qui novit nostras necessitates. Es. 63: 16. Ap. 2: 23. 1. Reg. 8: 39. (2. Solus est *omnipotens*, qui potest nos exaudire. Ps. 115: 3. (3. Solus est *summe bonus*, qui certissime *vult* exaudire. Ps. 103: 2, 3, 4, 5, 13 Matth. 19: 7. (4. Nos *ad se* solum *vocat*. Ps. 50: 15. & 145: 18, 19 Joh. 16: 23. (5. Solus est in quem *credimus*, ergo & *invocandus*, quia nemo invocandus nisi is in quem credimus. Rom. 10: 14. (6. Solus est, cui possumus *sacrificare*. Exod. 22: 20. At preces nostræ sunt *sacrificia spiritualia*. Hebr. 13. 15. Ergo Deo soli offerendæ. (7. Deus expresse prohibet, ne alium adoremus. Exodi 20: 23. Matth. 4: 10.

VIII.

VIII. Est autem invocandus per solum servatorem nostrum Jesum Christum. *Quidquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis.* Joh. 16: 23. Nullæ igitur creaturæ, quantumvis sanctæ, invocandæ sunt: nec ut *adjutores*, nec ut *Intercessores* & *Mediatores.* (1. quia *unicum* tantum habemus *Advocatum apud patrem.* 1. Joh. 2: 1. Unicum *Mediatorem.* 1. Tim. 2: 5. (2. quia natura *fœderis gratiæ*, non fert varios *Internuncios* & *Mediatores*, nisi sub certa quadam œconomia, quales maxime erant sacerdotes sub veteri Test. (3. Esset contra Script. S. *Nemo vobis dominetur, per subjectionem Spiritus & cultum Angelorum.* Col. 2: 18. (4. *Angeli* & *Sancti* ipsi prohibent adorationem sui. Apoc. 19: & 22: 9. Et *Petrus* adorari noluit. Act. 10: 25, 26. Vana est exceptio *Pontificiorum; Angelos & Sanctos noluisse adorari in terra, permittere autem idem, quando sunt in cœlo.* Cum istius distinctionis nullam possint adferre rationem; deinde cum sancti cultum suum non restricte, sed absolute prohibuerint. Tandem cum addant rationem, quæ ubique locorum obtinet: nempe Deum esse adorandum: *adora Deum;* ergo nullam creaturam.

*Deus est invocandus per Mediatorem.*

*Exceptio.*

IX. *Preces*, quemadmodum omnia bona opera, procedere debent, non tantum à *labiis* & *ore*, sed à *corde fide purificato.* Debent enim fieri I. cum vera *fide* & confidentia, sine *dubitatione. Si quis opus habeat sapientia, petat eam à Deo, ne dubitet* &c. Jacob. 1: 6, 7. *Quidquid petieritis, si credideritis, accipietis.* Matth. 21: 22. II. Cum *intelligentia, attentione* & *pio zelo* ac *vehementia* cordis. 1. Cor. 14: 15. Jacob. 5: 16. Es. 29: 13. Corruunt igitur orationes *Latinæ Pontificiorum*, & *Hebrææ Judæorum* imperitorum, qui preces deblaterant, quas non intelligunt, lingua ignota. 1. Cor. 14: 7. III. Debent fieri animo *submisso* & corde *contrito.* Ps. 51: 19. Eccl. 5: 1. 1. Petr. 5: 6, 7.

*Preces è corde procedere debent.*

X. *Res*, quæ petuntur, debent esse *justa*, *pia* & *sancta*, ad gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ; propriamque nostram salutem. Ut nihil *absolute* peti possit, præter gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ, & propriam nostram salutem. Reliqua omnia petenda sunt sub hac *conditione*, si tendant ad gloriam Dei. *Quærite Regnum Dei & ipsius justitiam, & reliqua supra dabuntur.* Matth. 6: 33. Alias *nescimus quid petamus*, Matth. 20: 22. *Male petimus*, & *nihil obtinemus.* Jac. 4: 3. Sub hac conditione libere petere possumus quæcunque bona, sive *corporalia* & *terrena*, sive *spiritualia* & *cœlestia.* Ita &

*Res quæ petatur?*

*de-*

*deprecari* possumus omnia *mala*, sive *corporalia*, sive *spiritualia*. Prov. 30: 8, 9. Hinc & ipse Servator in oratione, quam ipse dictavit, nos docuit, ut petamus res *corporales*, non minus quam *spirituales*, quamvis hæ maxime sint petendæ. Matth. 6.

*Orandum esse pro omnibus hominibus.*

XI. Illi, pro quibus orandum est, sunt *omnes homines*. 1. Tim. 2: 1, 2. Etiam *inimici* nostri. Matth. 5: 44. quod & factum est à Christo. Luc. 23: 34. & à Stephano. Act. 7: 60. Pro iis tamen, qui *peccant in Spiritum Sanctum*, non est orandum. 1. Joh. 5: 16. Tamen cum id nobis non facile constet, utrum aliquis tale peccatum commiserit, vix ullus erit, pro quo non orandum nobis fuerit. Pro *mortuis* autem velle orare, non tantum vana & inutilis est superstitio *Pontificiorum*, sed & orationis abusus, & contemptus nominis Dei. Cum autem tota hæc superstitio imaginario purgatorio superstructa sit, cum eo etiam necessario extinguitur. Vide quæ de *Purgatorio* dicemus cap. seq. paragr. 12. & 13.

*Non pro mortuis.*

*Semper esse orandum.*

XII. Ad habendas preces certum *tempus* nemini præscribi potest, nisi in publicis conventibus, quæ absque determinato tempore fieri nequeunt. *Semper* enim *orandum est*, monente Paulo, 1. Thess. 5: 16. Ephes. 6: 18. eo tempore ac momento, quo necessitas id postulat, & quo aliquis pio zelo ad id permovetur. Et cum singulis momentis à Deo dependeamus, ut quicquid accipimus boni id ab eo habeamus omnibus momentis, pro iis singulis momentis gratiæ agi debent. Et cum semper obsessi simus infinitis malis, Deus semper orandus est, ut ea à nobis avertat, aut ex iis nos liberet. Non quod singulis momentis longæ atque verbosæ preces recitandæ sint. Hoc enim fieri non potest; sed à Deo exaudiuntur, tanquam preces, *pia desideria*, & *suspiria* sinceri cordis, quæ etiam *preces* dicuntur. Ps. 7: 10. & 145: 19. Testes habemus Ezechiam. Es. 38: 3. & Annam 1. Sam. 1: 13. Nullus quoque certus *locus* requiritur, nisi in publicis congregationibus. Vana autem superstitio est *Pontificiorum*, qui locum sanctiorem hunc putant quam alium. Hinc eorum peregrinationes, ut nunc *Lauretta*, nunc *Compostellis*, nunc *Hierosolymis*, nunc alibi orarent. Nec causam suam defendent exemplo Vet. Test. quando fideles *Hierosolymas* ascendere debebant ter singulis annis: id enim obtinuit sub Vet. Test. tantum, ubi Religio affixa erat isti urbi tanquam Religionis Metropoli & sedi. At vero sub Novo Test. totus mundus datus est *hæreditas* Christo. Ps. 2. & *tota terra est domino*. Ps. 24. & *in omni loco hodie manus puræ ad Deum attolli possunt*. 1. Tim.

*Preces ad locum non adstringuntur.*

*Objectio.*

1. Tim. 2: 8. non minus quam *Hierosolymis*, aut *Samaria.* Joh. 4: 21, 23. Ut nullus hodie reperiatur locus, qui ullam habeat sanctitatem, sive legalem, sive naturalem.

*Cavenda ostentatio in precibus.*

XIII. Cavendum est in precibus, maxime publicis, ne fiant ad *ostentationem*, *longis multisque verbis*, iisque conquisitis, ad demonstrandam eloquentiam, sub prætextu quod habeant *spiritum precum*, ne forte ostentando spiritum precum, longa & verbosa oratione, eundem Spiritum in reliquis extinguant. Res ipsæ petendæ sunt, paucis aptisque verbis, & animo sincero. Ideo Servator damnat *βαττολογίαν* & *longas preces* Pharisæorum. Matth. 6. quare & ipse nobis præscripsit formulam orationis, quæ omnia quidem bona corporalia & spiritualia comprehendit, sed paucis & aptissimis verbis.

*Potest unus precibus præire reliquis.*

XIV. In publico cœtu potest unus aliquis orando reliquis præire, propter infirmiores, & ut omnes Deum quasi una mente colant. Quilibet tamen pio motu potest & debet Deum invocare in suo conclavi, prout necessitas id postulaverit, & Sp. Sanctus id ei dictaverit. Matth. 6: 6. Non sunt tamen temere rejiciendæ preces à piis & doctis viris *composita*, & in Ecclesia, sive publice, sive privatim jam receptæ.

*Numerus precum præscribi non potest.*

XV. Ut nec locus, nec tempus precationibus præscribi potest, ita nec certus numerus. Nulla enim sanctitas sita est in rerum numero. Deus etiam coli & exorari vult, non tam numero, quam pio animi motu, & cordis adfectu. Quare delirant *Judæi*, qui statis temporibus, statas quoque habent suas preces, & certo quidem numero, quas in Synagogis deblaterent antequam exeant, aut etiam quas legant intra privatos parietes. Pejus *Pontificii*, quibus vel *ad pœnitentiam*, vel ob alias rationes, imponuntur, aut etiam quas nonnunquam in se suscipiunt, certo numero plures scil. *Orationes Dominicas*, aut *ave*, aut *credo*, aut alias preces, quas ad *rosarium*, granaque lustrata & benedicta, uti ea vocant, absque sensu, recitant.

*Error Judæorum.*

*Et Pontificiorum.*

*Gestus in Oratione.*

XVI. *Gestus*, quales adhibendi sint inter orandum, in Scriptura Sacra nusquam præscribuntur, ut nemo ad eos cogi possit sine superstitione, & vi quæ inferetur conscientiæ. Sive enim quis *sedendo*, sive *stando*, sive *cubando*, sive *genibus flexis*, sive *tecto*, sive *aperto capite*, sive *junctis*, sive *expansis manibus* oret, perinde erit; modo id fiat pio fervore animi. Observari debet tamen talis gestus in precibus publicis, qui neminem offendat, pro more populo-

 rum,

rum, qui submissum demonstret animum, & quo maxime reliqui ad preces incitentur, quibusque tota Ecclesia ædificetur. Exemplum quidem habemus *in Daniele, qui genibus flexis adoravit.* Dan. 6: 1. Et in aliis, *qui in terram se prosternebant, unde* השתחוה & προσκυνεῖν, *id est in terra instar canis repere.* Inde tamen non sequitur, orari non posse *stando, aut sedendo.* Cum fideles hoc vel illo gestu oraverint proprio motu, non vi præscriptæ alicujus legis. Sed & *gestus* sæpe omnis neglectus est. Tandem השתחוה & προσκυνεῖν non semper significat, se *prosternere*, sed simpliciter *adorare*: veluti Hebr. 11: 21. ubi Jacob dicitur προσκυνεῖν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *adorasse super extremitate baculi sui*, id est *stando*, & *baculo innitendo*; alias in extremitate baculi se non poterat prosternere.

*Oratio Dominica perfectissima.* XVII. Omnium Orationum præstantissima perfectissimaque, & quæ reliquarum quasi formula esse debet, est Oratio quam nos docuit Christus *Dominus*, quare & *Dominica* nuncupari solet. Continet autem tres partes. I. *Præfationem.* III. *Petitiones* ipsas. Et III. *Clausulam.* I. *Præfatio* docet solum Deum Patrem, Filium & Spiritum S. adeoque nullam creaturam adorandam ac invocandam esse. Deum invocandum esse tanquam *Patrem*; maxime nunc sub Novo Test. ubi modo excellentiori *filii Dei* facti sumus. Jer. 31. Joh. 6. & 1. Rom. 8: 15. Dicitur *in cœlis*; cum quod inde ostendat potentiam & benevolentiam, maxime sub Novo Test. ubi Ecclesia est verum *Regnum cœlorum*, immo *cœlum* ipsum; tum ut cogitationes ab omni re terrena abducamus, & ad cœlestia unice dirigamus, & ut cum vera Reverentia tanquam ad *cœlestem* accedamus. Eccl. 5: 1. Sed & ut pleniorem haberemus fiduciam in oratione, ut solent filii erga patrem. *Noster* quoque dicitur, non *meus*; ut disceremus *communem* nos omnes habere *Patrem*, nosque omnes esse *fratres*, adeoque curæ nobis esse debere salutem proximi æque ac nostram ipsam.

*Quot petitiones.* XVIII. *Petitiones* numero sunt sex. Et primo quidem tres quæ gloriam Dei strictius respiciunt. Deinde tres quæ spectant *bonum hominis.* Ut ante omnia petamus *gloriam Dei & ejus justitiam.* Deinde nostrum bonum tanquam *additamentum.* Matth. 6: 33. *I. Petitio.* I. *Petitione* petimus ut *nomen Dei Sanctificetur.* *Nomen* Dei est id, per quod cognoscitur. Cognoscitur quidem per opera creationis & conservationis, maxime tamen per opus redemtionis, sub Novo Test. ubi clarissime manifestavit *virtutem Justitiæ* & *misericordiæ*, per mortem Jesu Christi. Ideo Christus dicit se *annunciasse nomen Dei inter fratres suos.*

*suos.* Pſ. 22. & Joh. 17. Petimus itaque ut *juſtitia* & *miſericordia*, quam per Chriſtum & in Chriſto manifeſtavit ab omnibus agnoſcatur, ad gloriam Dei. Petimus primum *gloriam Dei.* Matth. 6: 33. quia Deus omnia ad gloriam ſuam fecit. Prov. 16. *Secunda Petitione* petimus *veniat Regnum tuum.* Deus ſemper fuit *Rex* totius mundi, maxime populi Judaici. Tamen iſtud *Regnum* erat aliquomodo *terrenum*, adſtricti enim erant *elementis mundi*, & *mandatis carnalibus.* Heb. 7: 16. & 9: 10. Immo & hominum imperio ſubjecti erant; quale Regnum erat *mutabile.* Hag. 2: 7. Hebr. 12: 16, 17. Epheſ. 1: 10. & 2: 6. Hebr. 12: 22, 33. At circa tempora iſta, quando Chriſtus iſtam Orationem dictavit, appropinquavit *Regnum Dei.* Matth. 3: 2. Debuerunt igitur fideles orare, ut, abolitis Principibus ſæculi Vet. Teſt. 1. Cor. 2: 7. *Diiſque perituris.* Pſ. 82. *Deus vivens*, Hebr. 9: 14. 1. Tim. 3: 14. qui eſt Chriſtus, ſolus regnaret. Eſ. 33: 22. Et quamvis *Regnum Dei* venerit, tamen cum hactenus multi populi gemant ſub tyrannide Antichriſti, & Paganiſmi, oramus, ut Antichriſto atque Diabolo à ſolio ſuo detruſis, Chriſtus glorioſius habeat Regnum, ut *plenitudo gentilium in ejus Regnum*, id eſt in Eccleſiam intret, & *ut totus Iſrael ſervetur.* Ita ut tandem dicant fideles: *Regna mundi ſunt Domino, & Chriſto ejus.* Apoc. 11: 15. Dan. 7: 27. Et *veniant omnes gentes & adorent coram Deo.* Apoc. 15: 4. Pſ. 86: 9. Et ut tandem poſt glorioſam reſurrectionem fideles transferantur omnes ex terra in cœlum, ubi Regnum Dei eſt perfectum, & ubi *Deus erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15: 28. III. Petimus: *fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in cœlis.* In omni Regno pacato & bene conſtituto, cives obediunt voluntati Principis. Ideo & à nobis petendum eſt, ut fiat voluntas Dei Regis noſtri. *Voluntas* autem Dei, eſt ipſius *Lex*, ſive mandatum amoris. Agnoſcimus ergo nos eſſe carnales, corruptos, ſub lege peccati, quæ in nobis regnat. Rom. 7: 17, 18. &c. ut habeamus voluntatem reluctantem voluntati Dei. Rogamus itaque ut velit nobis dare Spiritum Sanctum, qui voluntatem noſtram regat, & ſubmittat, imperio Jeſu Chriſti: *Hæc eſt voluntas Dei veſtra ſanctificatio.* 1. Theſſ. 4: 3, 4. Rogamus quoque ut nobis det agnitionem veritatis, ut ſciamus quænam eſt voluntas Dei *bona, grata & perfecta.* Rom. 12: 2. Ut fiat *in terra*, ab hominibus, ut ut regenitis, tamen terrenis, & terreſtribus concupiſcentiis plus ſatis immerſis. Sed etiam ut fieret in *tota terra*, quemadmodum Regnum Dei eſt in *tota terra* exſpectandum. *Sicut*

*II. Petitio.*

*III. Petitio.*

*in cœlis.* In cœlis ab Angelis & ab omnibus beatis voluntas Dei fit perfecte, alacriter atque celeriter, ita & in terra fieri debet; quandoquidem sumus in Ecclesia, sive in Regno Dei, tanquam in *cœlo. Nostra* enim *civitas est in cœlo.* Phil. 3: 20. Ergo deberemus vivere in hac terra quasi in cœlis jam inter beatos ageremus.

*IV. Petitio.* XX. Sequuntur tres petitiones quæ spectant nostrum bonum. *Quarta* petitio est; *Da nobis panem nostrum quotidianum.* ἐπιούσιος fit ab ἐπιὸν quod significat *futurum*, vel *adveniens.* Ergo petimus panem *Panis verbum Dei.* necessarium in futurum. *Panem* in Script. S. significare *verbum Dei*, certum est. Ita qui *verbum Dei* audiunt, id legunt atque meditantur, *verbo Dei pasci* dicuntur; qui vero carent eo, illi dicuntur *esurire panem verbi divini.* Fieri sane non potest, quin hac petitione corda nostra altius quoque quam ad *terrena* tantum respiciant, & quin petamus Deum velle nos alere *verbo veritatis*, omnibusque bonis spiritualibus, ad vitam & pietatem necessariis. Deinde petimus *Bona temporalia.* bona necessaria ad *vitam temporalem.* Non panem solum, stricte ita dictum, nam *homo non vivit solo pane*, Deut. 8: 3. sed quidquid ad sustentandam hanc vitam requiritur, *cibum*, *potum*, *vestimenta*, *habitationem*, *sanitatem*, *pacem*, & quicquid vitam reddit amœniorem ad gloriam Dei. Petimus etiam ut laboribus nostris velit adesse, cum sine ejus auxilio omnibus labor sit inanis. 1. Cor. 3: 7. *Panis est præcipuus cibus.* Os. 2: 21. Hæc omnia petimus solo nomine *panis*; quia *panis* est præcipuus cibus ad sustentanda corpora nostra. Ita Deus dicitur *pluvia misisse panem.* Exod. 16. intelligit omnia necessaria ad vitam sustentandam. Eadem significatione Deus dicit; *in sudore faciei comedes panem tuum.* Genes. 3: 19. Eodem sensu occurrit variis locis alibi, ut etiam convivia splendidissima Regum dicantur לחם *panis* tantum. Dan. 5: 1. Vide Genes. 18: 5. & 21: 14. & 31: 54. 37: 25. Marc. 3: 20. 7: 2. Act. 2: 46. Ps. 104: 15. & 105: 16. Rogamus etiam ne unquam simus soliciti de futuro, & ut à nobis longe absit omnis avaritia, & nimia concupiscentia rerum terrenarum. Vide Prov. *V. Petitio.* 40: 8. Hebr. 13: 5. Matth. 6. Luc. 12: 15. *Quinta* petitio est. *Remitte nobis debita nostra, sicuti nos remittimus debitoribus nostris.* Fatemur primo nos omnes esse peccatores in hac vita, ne ipsis quidem Apostolis, qui jubentur ita orare, exceptis. Igitur oramus ut Deus peccata nobis remittat. Peccata non remitti est dignus haberi pœna æterna, & excludi à vita æterna. Petimus itaque duo, 1. *Liberationem* à pœna. 2. *jus* ad vitam, per Jesum Christum. Cum autem

Deus

Deus nos prorſus gratuito juſtificet, abſque merito noſtro, petimus hic, ut nobis det conſolationem, & certos nos reddat in animo de remiſſione peccatorum. Addimus: *ut & nos remittimus debitoribus noſtris;* Remittimus proximis, non quod eos non objurgemus ob commiſſum peccatum, hoc enim fieri debet, modo abſit nimia acerbitas, ut ipſe peccatum agnoſcat, & ſerio reſipiſcat; nec etiam remittendo peccata proximo, renunciamus juri quod nobis competit in foro civili. Proximum igitur ob peccata corripere poſſumus, & jus noſtrum contra eum legitima via proſequi permiſſum eſt; ſed deponenda eſt ira, inimicitia & vindicta, ut, quamvis odio habeamus ejus peccata, tamen ipſum fratrem amemus, ei nullum auferamus damnum, ſed ipſius commoditates procuremus, quantum poſſumus. Epheſ. 4: 26. Prov. 24: 17, 18. Job. 30: 24. Quicunque itaque hanc petitionem facit, animo examinare ſerio debet, utrum omnem iram, rancorem & vindictam depoſuerit, & proximo ſuo cum quo forte ipſi aliqua inimicitia interceſſit, condonaverit, omniaque fauſta ei ex animo deſideret, atque procuret. Inde tamen non exiſtimandum eſt, ut delirant *Pontificii*, nos quidquam apud Deum mereri, ſi proximo peccata remittamus. Nihil enim meremur faciendo debitum. Luc. 17: 10. Sed proximo condonare eſt naturale debitum, nam *quod tibi fieri non vis*, *alteri ne feceris.* Et quamvis proximo condonare debeamus *ſine ſatisfactione*, non ſequitur tamen & *Deum peccata nobis remittere ſine ſatisfactione;* ut docent *Sociniani.* Reſpectu noſtri nobis revera remittit ſine ſatisfactione, cum nos nihil mereamur; ſed non reſpectu filii ſui J Chriſti: Deinde Deus non habet mandatum, uti nos, quo obligaretur ut peccata remitteret ſine ſatisfactione. Deus eſt ſummus *judex*, qui pœnam juſto exigere poteſt à creatura: homo vero *miniſter*, qui tale jus non habet. Nec intercedit mutua talis obligatio inter Deum & hominem, quemadmodum inter hominem & proximum ſuum. *Sexta* petitio *eſt: Ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo.* Hic duo à Deo petimus. 1. ut nos præſervet à *malo futuro.* 2. ut nos liberet a *malo præſenti.* Deus non inducit in tentationem, non incitando ad peccatum. Hæc eſt intentio Diaboli & carnis noſtræ. Jacob. 1: 13. 1. Theſſ. 3: 5. Matth. 26: 41. Aliquando *tentat* Deus manifeſtando fidem & veram virtutem filiorum ſuorum, ut factum eſt in Abrahamo, Hebr. 11: 17. Jobo & aliis. Ita tentat Eccleſiam permittendo perſequutiones, cui ſe libere ſubmittit

*Non meremur remittendo peccata Proximis.*

*Objectio.*

*VI. Petitio.*

*Quomodo Deus tentet?*

tit Ecclesia: Ps. 26: 2. & 139: 23. immo in hac gloriatur. Rom. 5: 3, 4, 5. Jacob. 1: 2. Novit enim istas esse castigationes paternas, ut *fieremus participes sanctitatis ejus.* Hebr. 12. Aliquando Deus tentat hominem denegando ei gratias suas, ad aliquod tempus, quasi eum deseruisset. Ita tentavit Ezechiam. 2. Chron. 32: 31. Potest hic utraque tentatio intelligi. Oramus enim Deum ut velit impedire ne à Diabolo tentemur, malis cupiditatibus. Deinde, ut velit moderari nostras afflictiones, ne sub onere persequutionum succumbamus. Ut omnes *tentationes* nostræ sint *tentationes humanæ*, id est tales quales homines, adjuti virtute Spiritus S. possunt perferre: utque det *cum tentatione felicem exitum.* 1. Cor. 10: 13. Ut in omni tentatione victores evadamus, quemadmodum Abraham, Jobus & alii: atque sic ut per hanc nostram tentationem pietas & fides nostra manifestior fiat, ut inde proximus ædificetur & salus nostra propria procuretur. Addimus; *libera nos à malo.* Intelligimus per *malum* primo *auctorem omnium malorum Diabolum*, qui & רע / πονηρὸς vocatur. Intelligimus deinde omnia reliqua *mala*, quibuscum luctamur. Oramus itaque Deum ut nos velit ex omnibus malis, quæ nobis nocent, eripere; ut *liberati ab omnibus inimicis, ei possimus servire sine timore in omni sanctitate & justitia, omnibus diebus vitæ nostræ.* Luc. 1: 74, 75.

*Clausula Orationis.* XX. Sequitur Orationis clausula: *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Clausula duo continet. I. *Confessionem* majestatis divinæ. II. *Sigillum* per particulam *Amen.* Indicatur iterum, eum, qui à nobis invocatur, esse supremum Deum, & ab eo solo omnia bona esse exspectanda; ideo summa cum anima *submissione* invocandum esse; quandoquidem subditus à Rege nihil petit, nisi cum profunda cordis subjectione. Tamen etiam *confidenter* esse petendum; cum sit *potens* qui possit nos exaudire, & *bonus Rex*, qui curam habet subditorum. Deo itaque est *Regnum.* Maxime sub Nov. Test. solus regnat. Es. 33. non possidet *Regnum* precario, nec est *Rex* dependens, aut debilis, quasi à potentiore dependeret; sed habet regnum potentissimum, à quo reliqui *Reges* totius terræ dependent. Est enim *Deus noster in cœlis, facit quidquid vult.* Ps. 115. Nemo potest *resistere ipsius voluntati.* Rom. 9. Ideo gloriam supremam possidet. *Omnis caro fœnum est, & omnis gloria hominis*, etiam potentissimorum Monarcharum, *ut flos agri.* Sed gloria Dei est vera & permanens in æter-

ternum. *Ego sum* יהוה *hoc est nomen meum: non dabo gloriam meam alteri.* Es. 42. *In sæcula sæculorum.* Hanc clausulam ita solebant addere Judæi ante tempora Christi, propter *Zaducæos*, qui credebant unicum sæculum *in hac vita* tantum. Sed reliqui credebant *vitam futuram in cœlis*, ideo dicebant, non tantum in *sæculum*, sed & *sæcula sæculorum.* *Regnum* itaque *potentia* & *gloria* Dei sunt *æterna.* Tale non est Regnum & gloria Regum, ne potentissimorum quidem Monarcharum, omnes enim interierunt. Nec tale fuit regnum *Judaicum* sub Vet. T. erat enim *mutabile.* Hebr. 12: 28. & *Principes regni istius sæculi debebant aboleri.* 1. Cor. 2: 6. cum fuerint *mortales* ut homines. Ps. 82. Ideo Christus in plenitudine temporis eos ut tritum vestimentum, quo velatus fuit in Test. Vet. *exuit.* Col. 2: 15. Sed Christi Regnum est in *sæcula sæculorum:* cujus *non est finis:* nec tradi poterit unquam alteri. Dan. 2: 44. Mich. 4: 7. Luc. 1: 33. *Sigillum* Orationis est *Amen.* Est *Sigillum* ordinarium omnium fere orationum. Vel ad orationes aliorum solebant fideles dicere *Amen.* 1. Cor. 14: 16. Ita ad omnes maledictiones & benedictiones populus dicebat *Amen.* Deut. 27. Ita & ad benedictiones Nehemiæ, Nehem. 1: 7. Septuaginta ponunt γένοιτο *fiat.* Numer. 5: 22. Lucas habet ναί. Luc. 7: 26. & 11: 51. Est itaque *particula optantis*, exponente Jeremia, cap. 28: 6. quum enim *dixisset Amen* ad verba Hananiæ addit, tanquam si vellet exponere quid intelligat per *Amen: Ita faciat Dominus. Deus efficiat omnia verba prophetiæ tuæ.* Est igitur *optantis* & *persuasi* simul, ac si diceremus: Ex animo *opto* ut hæc omnia quæ peto fierent; immo *persuasus sum* id fore: Deum hæc omnia facturum, quantum necessitas id postulat ad gloriam suam, ædificationem Ecclesiæ & propriam meam salutem.

*Sigillum Orationis.*

*Amen.*

## CAPUT XIV.

### *De Fœderis Gratiæ Promissione & Comminatione; sive de vita & Morte æterna.*

I. Diximus omne fœdus quatuor continere partes. I. *Stipulationem*, & II. *Promissionem*, à parte Dei. III. *Adstipulationem*, & IV. *Restipulationem* à parte hominis. Ostendimus Stipulationem in fœdere gratiæ esse *Fidem.* De hac, quemadmodum de *Justificatione*, *Sanctificatione* & *Bonis operibus*, quæ eam sequuntur, hactenus egimus. Agendum nobis nunc erit, de secunda

da parte, quam diximus esse *Promissionem.* In fœdere gratiæ *Promissio* & *Comminatio* est eadem ac in fœdere operum: scilicet *vita* & *mors æterna.* Ita enim servator noster. Joh. 6: 47. *Qui crediderit in me, habebit vitam æternam.* & 3: 16. Marc. 16: 10. *Vitam æternam* atque *cælestem* etiam, promissam fuisse Adamo in fœdere operum, probavimus Vol I. Part. III. Cap. II. ubi de *Fœdere operum.* thes. XIV. & seqq. Differt tamen *Promissio* in *fœdere gratiæ*, à Promissione in *fœdere operum*, quia in fœdere operum sola *vita æterna* promittitur: at in *fœdere gratiæ* præterea *Remissio peccatorum*, & *Resurrectio corporum.* Quandoquidem *Resurrectio* fit demum sub finem OEconomiæ Novi Testamenti, de ea agemus, ubi ad istam OEconomiam deventum fuerit.

*Vita æterna quid?*

II. *Vita æterna* nihil aliud est quam *perfecta fruitio Dei.* (1. quia Deus est summum bonum. (2. est credentium *magna merces.* Gen. 15: 1. Non est existimandum, Deum in vita beata menti nostræ communicare, aut infundere aliquid *infiniti* aut *increati*, aut quod *infinito modo* se beatis præbeat. (1. mens enim nostra, quæ est *finita*, non potest comprehendere *infinitum.* (2. Omnis felicitas & perfectio mentis commensurata est naturæ suæ, adeoque *finita* est Non etiam credendum est, vitam æternam consistere in actione aliqua *transiente*, sed *immanente*, in ipsa mente hominis. Nec consistit in *perfectione*, & *operatione sensuum externorum*, nec in fruitione boni corporei; sed in præcipua hominis parte, qua Deo similis est, nempe in *anima* ejusque operationibus. Actio mentis, ratione intellectus, solet vocari *visio Dei*: quia cognitio est, quasi *mentis visio. Videbimus tunc facie ad faciem.* 1. Cor. 13: 12. 1. Joh. 3: 2. Matth. 5: 8. Hinc sancti dicuntur *satiari specie Dei.* Ps. 17: 15. & 16: 11.

*Visio Dei quid sit?*

III. Ergo in vita beata Deus conspicietur oculis *mentis* tantum, non *corporis*, ut pessime docent *Sociniani.* Non tamen videbitur Deus à sanctis *immediate*, & *intuitive*, per *essentiam* suam: aut per seipsum, aut per *speciem intelligibilem*, ut docent *Pontificii.* (1. quia Deus est *spiritus invisibilis.* 1. Tim. 1: 17. (2. *habitat lucem inaccessam, nemo unquam vidit eum, nec videre potest.* 1. Tim. 6. Exod. 33: 20. (3. *A nemine videbitur, nisi ab unigenito filio, qui est in gremio patris.* Joh. 1: 18. (4. Ipsi *Pontificii* exprimere non possunt, quid intelligant, per *species* suas *intelligibiles*, multo minus quid sit cognoscere *intuitive.*

*Deus non cognoscitur comprehensive.*

IV. Prorsus impium est dogma eorundem *Pontificiorum*; Deum cognosci in vita beata *comprehensive.* (1. cum *infinitum* à *finito* compre-

prehendi non possit. (2. cum deberemus cognoscere naturam mysteriorum *Trinitatis, incarnationis,* infinitas Dei *perfectiones, attributa*, ejus *essentiam, consilia,* & *decreta;* at sic infinitam haberemus cognitionem, adeoque nos ipsi tot fieremus Dii, quod est blasphemum. (3. Videbimus Deum, ut *Angeli vident faciem ejus.* Matth. 18: 10. tamen oculos corporeos non habent, nec etiam *comprehensive* cognoscunt. Est igitur hæc *visio* ipsa intellectus nostri *cognitio*, nam *visio* & *cognitio* pro eodem sumuntur. Vide 1. Cor. 13: 12, 13. Hinc propter claram cognitionem qualem, in hac vita habere non possumus, dicimur tunc *videre facie ad faciem.* 1. Cor. 13: 12. quemadmodum Moses Deum vidit. Exod. 33: 11, 20, 23. Ita dicimur *cognoscere, ut cogniti sumus.* 1. Cor. 13: 12.

*Argumenta solvuntur.*

V. 1. *Videbimus* quidem *Deum sicuti est.* 1. Joh. 3: 2. Non sequitur tamen, quod creatura Deum videre possit, vel oculis corporeis, vel ejus essentiam *immediate, intuitive* vel *comprehensive.* Tantam habebimus *cognitionem*, quantam creaturæ finitæ habere possunt, & quantum ad fruendum summo bono sufficit. II. Eodem sensu intelligi debet locus 1. Cor. 13: 12. *videbimus facie ad faciem.* III. Si *Moses Deum vidit facie ad faciem.* Exod. 33: 20, 23. Non tamen vidit *essentiam* ejus; sed ejus *præsentiam* tantum, per *species* aliquas *corporeas* & *visibiles*, quæ repræsentabant gloriam & majestatem Dei. Ita quoque dici potest *visus* in *Templo*, & alibi. IV. *Paulus vidit res inenarrabiles.* 2. Cor. 12: 4. At non dicitur *vidit*, sed tantum *audivit.* Deinde non vidit *Deum*, si vel maxime aliquid *vidisset*, sed *res.* Tandem non vidit *oculis corporeis*, multo minus *essentiam* Dei, & quidem *intuitive* & *comprehensive.*

*Rerum terrenarum cognitione carere possunt beati.*

VI. Rerum corporalium, artium, aliarumque quæ hanc vitam spectant, cognitio, sine damno ex memoria nostra deleri potest, in vita beata, absque dimunitione gloriæ nostræ: quemadmodum senes non dolent, si obliviscantur ineptias pueritiæ. Quamvis tamen cognitio rerum hujus mundi non videatur contraria æternæ beatitudini. Sane cognitionem & memoriam restare peccati, & luctæ cum peccato aliisque Ecclesiæ hostibus, patet. (1. quia triumphaturi erimus de Ecclesiæ hostibus. (2. Et nunc beati orant Deum, ut vindicet sanguinem sanctorum in terra. Apoc. 6: 10. Ita quoque credibile est, beatos in vita futura se agnituros. Non tamen propter carnales affectus, sanguinis aut specialis amicitiæ amore. Nec etiam ullo dolore, ob amicos in terra relictos, afficiuntur: omnes enim

lachrymæ abstergentur, & nullus erit planctus. Apoc. 7: 16. & 21: 4. Beatos in cœlo quoque cognituros *Patriarchas*, *Mosen*, *Prophetas*, *Apostolos*, *Eliam* &c. colligi posse videtur, ex Luc. 13: 28. ubi dicitur: *videbunt Abrahamum*, *Isaacum & Jacobum assidentes.* Vide etiam Matth. 17: 3. Ut *intellectus* ita & *voluntas* beatorum perfectissima erit. Hinc perfectus *amor* erga Deum, & *charitas* erga sanctos. *Charitas* enim *nunquam excidit*. 1. Cor. 13: 8. Hæc *charitas* sola *lex* erit beatis; ut ne momentum concipi possit, quo Deum non perfecte ament & glorificent.

*Eadem corpora beata erunt.*

VII. Pessime docent *Sociniani*, perfectam sanctitatem non posse reperiri in hoc corpore: adeoque post resurrectionem hoc corpus esse deponendum, & aliud esse induendum alterius naturæ, instar aëris, stellæ, &c. aut aliquod *corpus spirituale* assumi debere. Hæc mera esse deliria patet. (1. quia Deus hoc corpus perfecte sanctificare potest, æque ac reliqua corpora, qualecunque homo assumeret. (2. In tali corpore perfecte sanctus fuit Adamus, ante peccatum: ergo perfectæ sanctitati non repugnat. (3. Deus *vile* hoc *corpus transformat*, *redditque conforme corpori suo glorioso.* Phil. 3: 21. (4. Non datur præstantius corpus, quam hoc organicum, quod Deus semel animæ adjunxit. (5. *Aër*, *stella*, nec *aurum*, nec *adamas* tam perfectum corpus dici potest. (6. *Spirituale corpus* non datur, estque nihil aliud quam merum figmentum; & manifesta contradictio esset, si quis fingeret *corpus spirituale*. *Corporis* autem *gloria* videtur consistere maxime in perfecta membrorum dispositione, pulchritudine & immortalitate. Ejus *actiones* videntur consistere in eo, quod canant laudes Dei, &, ut quidem est credibile, sermone Hebræo: *linguæ* enim *cessabunt*. 1. Cor. 13: 8. id est, cognitio variarum linguarum tunc nullum habebit usum.

*Corporis gloria.*

*Beati fruentur Deo sine creaturis.*

VIII. Fruentur beati Deo immediate & perfectissime, sine creaturis aliis, ut sine intermissione, cum Adamus in statu integritatis frueretur Deo tantum per creaturas; Deinde intentus fuit somnio, culturæ terræ &c. adeoque non potuit Deo frui eodem modo & tam perfecte. Est ergo hæc felicitas summa, & satietas omnium desideriorum. Ideo gaudium erit inenarrabile, quo totus homo perfusus in æternum lætabitur, quod in hac vita nec concipi, nec exprimi potest. 2. Cor. 12: 4. Sacra Scriptura hoc exprimere solet, per *Regnum*, *thronum*, *Coronam* Apoc. 3: 21. & 2: 26. Luc. 19: 17. per *convivium perpetuum*. Matth. 8: 11. Apoc. 2: 7. Per *nuptias*. Apoc. 19: 9. per

per cantum & *instrumentorum harmoniam.* Apoc. 5: 8, 9. per *satietatem deliciarum.* Psal. 36: 9. Quæ tamen omnia non sunt intelligenda more *Turcarum*, aut *Judæorum*, de deliciis corporeis. Et quamvis post resurrectionem corpus sit glorificandum æque ac anima, tamen non sequitur, corporis gloriam consistere in fruitione rerum terrenarum. *Deus* enim *abolebit ventrem & escas.* 1. Cor. 6: 13. *Nec uxores ducentur, nec nubent.* Matth. 22: 30. Vide Apoc. 7: 17.

IX. Hac felicitate fruentur omnes fideles, qui in fœdus Dei recepti sunt, etsi sacramentis externe in Ecclesia non sint initiati; adeoque ipsi etiam infantes. (1. quia infantes sunt *sancti.* 1. Cor. 7: 14. Ergo & *justi*, & *glorificati.* Rom. 8: 29. (2. quia filius Davidis mortuus est ante octavum diem, ergo sine circumcisione, tamen in cœlum receptus fuit, quo abiturus speravit David. Ita enim se consolatus est, *se abiturum ad puerum suum.* 2. Sam. 12: 23. Vanissimum igitur est figmentum, quod *Pontificii* docent, de, nescio quo, *limbo infantium*, ubi infantes reclusi gaudio cœlesti non fruerentur, si moriantur ante baptismum.

*Vita æterna fruentur etiam infantes.*

X. Eadem felicitate fruebantur fideles ante natum Christum, sub promissione ac Veteri Testamento, æque ac ii qui vivunt, post natum Christum, sub Testamento Novo. Exempla habemus in *Enocho* & *Elia*, qui vivi in cœlum abrepti sunt: nec non in *Abrahamo* & *Lazaro*: cum Lazarus statim post mortem in gremium Abrahami delatus fuerit. Vide Gen. 5: 24. 2. Reg. 1: 10. Luc. 16: 22. Est igitur iterum fabula *Pontificiorum*, qui sibi finxerunt *Limbum Patrum*, in quo, tanquam in *carcere*, reclusi fuerint Patres, qui obierunt ante *resurrectionem* & *ascensionem* Christi in cœlos.

*Et fideles Vet. Test.*

*Nullus datur Limbus.*

XI. Nec suas fabulas probabunt *Pontificii* I. quod Jacobus dixerit: *facietis descendere canitiem meam in sepulchrum.* Gen. 37: 35. & 43: 38. *Sepulchrum* enim ibi intelligitur per שאול, non *limbus*: cum de hoc in verbo Dei sit altum silentium. II. *Non relinques animam meam in inferno.* Psal. 16: 10. 1. In textu non dicitur in *inferno*; sed in *sepulchro.* 2. *Infernus* non est *limbus*; nec inde datur exitus. 3. Hæc de *Christo* dicuntur. Act. 2: 27, 29. At Christus in limbo non fuit. Sensus verborum est: *Non relinques* (Christus loquitur) *corpus meum in sepulchro, ut sentiat corruptionem.* III. *Carcer in quo non est aqua*, & in quo fuisse dicuntur fideles Veteris Testamenti Zachar. 9. non significat *limbum*: sed *servitutem* ac *jugum legis ceremonialis*, qua *vincti* erant fideles, tanquam tot vinculis: & ubi fuerunt

*Argumenta Adversariorum.*

tanquam in *fovea*, ubi tot aquæ pacis, libertatis & consolationis non fuerunt, quemadmodum hodie sub Testamento Novo. IV. Ita quoque si *Christus prædicavit spiritibus qui sunt in carcere.* 1. Pet. 3: 19, 20. 1. prædicavit per ministros suos, præsertim per Noachum. 2. Non prædicavit iis, qui erant in *limbo*, sed qui sunt in *inferno.* 3. prædicavit impiis, quum adhuc essent in terra, qui tamen tempore Petri erant in *inferno.* Ita Paulus dici potest prædicasse iis, qui hodie sunt in inferno. V. Nec *Samuel fuit evocatus ex limbo.* 1. Sam. 28: 13. 1. Nondum enim probatum est, eum fuisse in *limbo.* 2. Ipse *Samuel* non fuit evocatus, sed *Diabolus* talem evocationem, permittente Deo, mentitus est. Diabolus enim talem potestatem non habet, ut educat homines vel ex *cœlo*, vel *ex limbo.* VI. Si *Patres non obtinuerunt promissione.* Hebr. 6: 39. hoc intelligendum est de *bonis Novi Testamenti*, quæ non obtinuerant, quamdiu vixerunt in terra. VII. Ita *priori tabernaculo consistente, nondum manifestata erat via ad sacrarium.* Hebr. 10: 20. Nempe exprimitur ibi status fidelium Veteris Testamenti in hac vita, scilicet quod, stante tabernaculo, Sacerdotes soli pro populo intercederent: sed præter eos nemo in tabernaculo ad Deum accedere poterat; cum nunc sub Novo Testamento omnes sine discrimine simus Sacerdotes, & ad Deum accedamus. VIII. Verba Joh. 3: 13. *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo:* si ad literam sumantur, tunc nemo in cœlum ascendit, præter Christum. Sensus igitur est: nemo ascendit in cœlum, tanquam vindex electorum, & victor hostium, nisi Christus, qui de cœlo descendit ad redemptionem Ecclesiæ suæ. Alias certum est *Enochum* & *Eliam* ascendisse in cœlum. IX. Christus in *interiora terræ descendit.* Ephes. 4: 9. Non tamen sequitur eum *descendisse in limbum, ut Patres inde liberaret.* Sed per *inferiora terræ* potius intelligendus est, vel *uterus matris*, vel *status exinanitionis*, vel *sepulchrum* in quo sepultus fuit. Nec quicquam roboris inest huic ratiocinationi. X. *Patres Veteris Testam. non poterant glorificari, quia non erant justificati: sed justificati non erant, quia habebant tantum πάρεσιν, non autem ἄφεσιν.* Verum est, eos non habuisse ἄφεσιν in plena emphasi: cum reatus nondum fuerit expunctus: ut eum quotidie per jugum servitutis debuerint confiteri: sed πάρεσις erat justificatio, quæ sufficiebat ad obtinendam gloriam: quia per eam habebant jus ad vitam.

XII. Quemadmodum nullus datur *limbus* infantium, nec patrum,

trum, ita nullum quoque *purgatorium*, in quo animæ ſanctorum debeant, aliquando ad multos annos, aſſari, & purgari, niſi inde maturius liberentur, per miſſas, preces, aliorumque merita, aut per indulgentias Papæ. (1. quia hæc ſunt hauſta ex deliriis *Ethnicorum, Turcarum*, ac *Judæorum*, & in Eccleſia Romana approbata per avaritiam ſacrificulorum, ad emungendos homines, ſub prætextu, quod magnum adferant ſolatium & libertatem animulis, (miſere in igne purgatorio vexatis) per miſſas, preces, peregrinationes, & alias Monachorum hypocriſes. (2. talis ignis eſſet vel *corporeus* vel *ſpiritualis*: Non *corporeus*: cum corpus animam afficere non poſſit, multo minus illam poſſit purgare. Nec eſt *ſpiritualis* cum conſiſtat in angoribus & cruciatibus conſcientiæ: ſed talis eſt ignis infernalis, qui eſt proprius reprobis, qui non purgat, ſed magis ad deſperationem adigit. (3. Sanguis Chriſti *nos purificat ab omni peccato*. 1. Joh. 1: 9. (4. Una oblatione Chriſtus conſumavit in perpetuum, eos qui ſanctificantur. Hebr. 10: 14. (5. *Nulla eſt condemnatio in iis, qui ſunt in Jeſu Chriſto.* Rom. 8: 1, 33, 34. Ergo nec pœna in iis locum habere poteſt. (6. Sunt beati ſtatim poſt mortem: nam *à laboribus* (ergo maxime *à cruciatu*) *quieſcunt*. Apoc. 14: 13. Eſ. 57: 2. (7. Latroni promittitur *paradiſus*, eodem die quo mortuus eſt. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. (8. Qui victuri erunt ultimo die judicii, nullum ſentient purgatorium: cum in momento mutentur & in gloriam rapiantur. 1. Cor. 15. 1. Theſſ. 4: 17. (9. Duo memorantur in Scriptura S. loca, non plura, nec pauciora ſcil. *cœlum* & *infernum*. (10. Homo per mortem cadit in locum, ubi remanet. Eccleſ. 11: 3.

*Nullum datur Purgatorium.*

XIII. Vane *Pontificii* dicunt 1. *Sacrificia eſſe oblata pro mortuis.* 2. Machab. 2: 43. 1. Non enim ſunt *oblata* pro *mortuis*, ſed pro *vivis*, ne contaminarentur, ob peccata commiſſa ab iis, qui jam erant mortui. 2. Non orarunt pro mortuis, ut ex aliqua pœna liberarentur, nam de ea altum eſt ſilentium: ſed offerunt tantum in ſpem *reſurrectionis ex mortuis*. 3. Liber Macchabæorum eſt Apocryphus: adeoque ejus teſtimonium nihil probat. II. Si peccatum *quoddam dicitur non remitti, nec in hoc, nec in futuro ſæculo.* Matth. 12: 32. non ſequitur tamen dari *peccata, quæ in futuro ſæculo remittantur*, adeoque homines in *purgatorio* ab iis purgari ac liberari. 1. Nam *in æternum non remittentur*, ut exponit Marcus Cap. 3: 2. Si daretur liberatio in futuro ſæculo, id eſſet potius intelligendum de *extremo*

*Solvuntur argumenta.*

*judicio*, ut nonnulli ex patribus, & *Judæis* exiſtimarunt. 3. Animæ non manent in purgatorio uſque ad futurum ſæculum. III. Verba Luc. 12: 59. Non *exibis ex carcere*, *uſque quo ultimum minutum ſolveris*, non ſunt intelligenda de vita *futura*, ſed de *præſenti*: fit enim mentio de adverſario, cum quo homo debet reconciliari: ſed talis adverſarius non eſt *Diabolus*. IV. Nec quæ habet Paulus. 1. Cor. 3: 12, 13. *Si quis ſuperædificet ſuper hoc fundamentum aurum*, *argentum*, *lapides &c. cujuſque opus manifeſtum fiet; dies enim declarabit*, *nam per ignem retegetur*, ponunt *purgatorium*. Nam 1. hic dicitur quod opus purgetur, non perſona. 2. Et *bona* & *mala opera* dicuntur *explorari*, ſed *bona* opera non opus habent *purgatione*. 3. Mentio fit de certo *die*: ſed *purgatorium* non notat aliquem *diem*. Poſſet igitur intelligi dies *ultimi judicii*. Non dicitur per *ignem*, ſed *quaſi* per *ignem purgari*. Igitur per *ignem* poteſt intelligi Spiritus Sanctus, qui tandem aliquando tanquam *ignis* diſcernet *ſolidam doctrinam* & *fundamentalem*, quæ *auro* & *gemmis* precioſior eſt, à doctrina *vana*, *levi*, *inutili* quorundam doctorum, ut & ipſi tandem errores ſuos, tanquam *ſtipulas*, *fœnum* & ligna, quæ contulerunt, agnoſcant, eaque deſerant, & tamen per fundamenta fidei ſerventur. Hæc omnia fiunt in hac vita, non in purgatorio, poſt mortem. V. *Ad nomen Jeſu omne* quidem *genu ſe flectet*, *etiam eorum qui ſunt ſub terra*. Phil. 2: 10. ſed *ſubterranei* iſti non ſunt in *purgatorio*, ſed *mortui in ſepulchro*; aut ipſi etiam *Diaboli*, qui coguntur ſe Chriſto, tanquam creatori & judici, ſubmittere. Vide Apoc. 5: 13. VI. *Quid facient*, *qui baptizantur pro mortuis?* 1. Cor. 15: 29. In hoc loco nulla fit mentio de purgatorio. Multi non male intelligunt de iis qui mortuum tetigerunt, aut qui fuerunt in cubiculo, ubi erat mortuus. Num. 19: 11. Lavabantur enim in ſignum *lotionis ſpiritualis*, per ſanguinem Chriſti, ad obtinendam vitam æternam, in corpore & in anima. Corpus enim debebat lavari lotione externa, non minus quam anima interne purificabatur; quia per Chriſtum corpus redemptum fuit æque ac anima. 1. Cor. 6: 20. Debebat igitur ipſum corpus glorificari, adeoque reſurgere, quod per totum iſtud caput probat Apoſtolus. VII. Fatemur *neminem pollutum intrare in cœlum* &c. Apoc. 21: 27. Nec *carnem & ſanguinem poſſidere regnum cœlorum*. 1. Cor. 15. Sed hæc nihil faciunt ad *purgatorium*; cum *purgentur per ſanguinem Chriſti*. 1. Joh. 1: 9. Rom. 6: 7. VIII. *Amici qui nos recipiant in æterna tabernacula*, Luc. 16: 9. non ſunt in *purgatorio*; cum

ta-

tales nos recipere non possunt in cœlum; sed potius *beati*, qui jam *in cœlo* sunt. Et ex hac vita in cœlum recipimur, non ex purgatorio. IX. Quæ narrantur de *multis qui redierunt ex purgatorio*, meræ sunt fabulæ, ad stabiliendum hoc figmentum, à Monachis confictæ. X. Ad locum Zachar. 9: 11. ex quo nonnulli *purgatorium* probare conantur, respondimus supra, ubi de *limbo* thes. XI. arg. 3.

*Paradisus Cœlum.*

XIV. Locus æternæ fœlicitatis dicitur *Paradisus*. 2. Cor. 12: 4. Luc. 23: 43. Alias vocari solet *Cœlum*. Est scilicet idem locus, ubi nunc sunt *Christus*, *Enochus*, & *Elias*. Cum in corpore, non minus quam in anima sint beati, opportet ut sint in aliquo loco: cum corpus sit in loco, immo ipse locus. In eodem quoque loco erit anima nostra, æque ac corpus post resurrectionem. Nam eodem modo quo nunc dicitur in *terra*, tunc post mortem statim erit in cœlo. Est enim anima ubi maxime exercet suas operationes, cum igitur post mortem operetur, non circa *terram*, nec res *terrenas*, sed circa *cœlem*, & res *cœlestes*, ideo optimo jure dici debet esse in *cœlo*.

*Dari gradus gloriæ.*

XV. Gradus aliquos dari gloriæ cœlestis, est valde probabile. (1. quia *dabit unicuique secundum opera sua*. Rom. 2: 6. 1. Cor. 3: 8. Non quidem propter *meritum*, sed *ad rationem* operis. (2. quos Deus in hac vita majoribus donis dignatur, quamvis nihil mereantur, sed ex mera gratia, eos quoque dignari videtur, per eandem gratiam, majori gradu gloriæ. Vide 1. Cor. 15: 41, 42. Dan. 12: 3. Imprimis gloriæ aliquem gradum habituri videntur *Abraham*, *Isaacus*, *Jacobus*, *Moses*, *Elias*, omnesque Apostoli, quod colligi posse videtur ex Matth. 8: 11. Luc. 16: 22. Matth. 17: 3. & 19: 28. Apoc. 21: 14. Nulla tamen metuenda erit *ambitio*, aut *invidua*: sed in omnibus erit satietas lætitiarum, & desiderii adimpletio; ut in statu integritatis, si homines in eo permansissent, aliquis fuisset gradus honoris (major enim honor delatus fuisset parentibus quam liberis) sed sine invidia & ambitione.

*Argumenta solvuntur.*

XVI. Verum quidem est, I. *omnes justos splendere sicuti splendet sol.* Matth. 13: 43. hoc tamen non evertit gradus, nam minor splendor erit sicut solis: sunt enim stellæ quæ majorem habent splendorem quam sol. Ita legimus: *lux solis erit septula*. Es. 30: 26. Ita quoque II. *Omnes operarii eandem habent mercedem.* Matth. 20: 9, 10. Sed illa *merces*, quam omnes obtinebunt operarii, est *vita æterna*. Hoc tamen non impedit, quo minus in vita æterna dentur certi gradus. Habebunt mercedem eandem, essentia quidem, sed

non

non gradu. III. Quamvis *Deus sit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15: 28. hoc tamen non impedit gradus: cum & in hac vita sit omnia in omnibus, nihilominus tamen dantur gradus donorum. 1. Cor. 12. IV. Nec sequitur: si *justificatio est æqualis, ergo & gradus gloriæ æquales:* alias enim & *sanctificatio* in hac vita deberet esse æqualis. Idem enim esset argumentum: *Justificatio est æqualis, ergo & sanctificatio est æqualis*, quod tamen non sequitur. V. *Omnes* quidem *sunt filii, immo & hæredes.* Hebr. 12: 23. Rom. 8: 17. *Et Reges.* Apoc. 1: 6. *Et sponsa & corpus Christi.* Non sequitur tamen *ergo nullus datur gradus.* Nam non omnes *filii* sunt iidem. Alii enim sunt *majores*, alii *minores natu.* Ita nec eadem est *hæreditas* inter fratres; nec eadem *gloria* omnium *Regum*; nec eadem sunt *membra corporis*, aliud est *caput*, aliud *pes*, aliud *manus* &c.

*Comminatio in fœdere gratiæ.*

XVII. *Comminatio* in fœdere gratiæ eadem est, ac in fœdere operum. Scilicet *mors æterna.* Joh. 3: 18. Marc. 16: 16. *qui non credit damnatus est.* Est autem *mors æterna rejectio à facie Dei, privatio summi boni, & æterni cruciatus in* medio *Diabolorum.* Ut consistat *mors æterna* 1. in *pœna damni.* 2. in *pœna sensus.* Pœna *damni* dicitur ista *privatio summi boni;* Pœna *sensus* consistit in sensu doloris, ac in cruciatu æterno. Igitur *mors æterna* non est *annihilatio* aut *somnus* animæ, adeoque mera *pœna damni*, ut volunt *Sociniani:* cum certum sit eam etiam consistere in *pœna sensus*, id est in summis *doloribus ac cruciatibus æternis.* (1. quia reproborum *vermis nunquam moritur, nec eorum ignis extinguitur.* Es. 66: 24. Matth. 9: 44. (2. Est *fletus & stridor dentium.* Matth. 8: 12. (3. Exsertis verbis dicitur *supplicium:* sed *annihilatio* tale supplicium non esset. Vide Matth. 25: 46. 2. Thess. 1: 9. (4. Erit *inæqualitas*, vel *gradus* supplicii. Nam conditio Sodomæ & Gomorrhæ tolerabilior erit, quam Hierosolymitanorum. Matth. 10: 15. & 11: 22, 24. Frustra autem ponerentur *gradus* pœnæ, si plane nulla esset pœna. (5. Dicuntur *socii diaboli*, qui in æternum cruciatur. Matth. 25: 48. (6. *Dives epulo* in inferno *malum recepit:* ut etiam *guttam aquæ optaverit ad solatium.* Luc. 16. (7. Animæ non possunt *dormire*, nec *extingui:* cum sint spiritus, quorum tota natura consistit in *actu cogitandi*, qui *actus* nec *dormire*, nec *extingui* potest. (8. Reatus in reprobis semper manet, adeoque digni sunt, ut semper crucientur.

*Argumenta Adversar.*

XVIII. Futile est quod dicant 1. *In Symbolo Apostolorum non fit mentio de morte æterna. Ergo nulla datur.* Nam in symbolo fit mentio

tio tantum de iis quæ ſalutem ſpectant. Deinde de *morte æterna* ſatis ſit mentio, ſub nomine *judicii;* venit enim Chriſtus ad *judicandum vivos & mortuos.* II. Et quamvis *Chriſtus mortem aboleverit.* 2. Tim. 1: 10. illud tamen intelligendum eſt tantum ratione *electorum*, non reproborum. Nam pro *electis* mortem abolevit, non pro *reprobis.* III. *Deus eſt miſericors, & miſericordiarum non obliviſcitur in ſæcula.* Pſ. 77: 8. Sed hoc intelligi debet de *electis*, non de *reprobis.* IV. Male argumentantur ex Luc. 12: 48. *Servus qui ignorat voluntatem Domini paucis plagis afficietur. Ergo non æternis.* Nam *paucæ plagæ* non ſignificant plagas *temporales* & *finiendas*, ſed *æternas*, gradu tamen à graviſſimis differentes. Nam ut in *gloria*, ita & in *pœna* dantur gradus. V. Quamvis *peccata non ſint æterna, ſed in tempore facta*; non ſequitur tamen, *pœnam non debere eſſe æternam.* Nam 1. pœnam æternam merentur, quia Deum infinitum offenderunt. 2. *Peccata* dici poſſunt *æterna;* nempe à parte poſt. Nunquam enim à peccatis reſipiſcent: Ergo in æternum peccant. Juſtum igitur eſt, ut in æternum puniantur.

XIX. Hæc tamen pœna, ſua natura, *infinita* dici non debet: cum *infinitum* in creaturam *finitam* cadere non poſſit. Nihilominus ratione *boni amiſſi*, & *durationis*, quæ ſunt infinita, ſuo ſenſu infinita dici poſſet.

*Pœna non eſt infinita.*

XX. Male docuerunt *Origenes, Judæi, Sociniani* & *Anabaptiſtæ*, has pœnas aliquando ceſſaturas. Impie & *Sociniani* tradunt; *reprobos* tantum, qui vivunt ultimo die judicii, comburi igne conflagrationis totius orbis; ſed ita ut totus orbis, *reprobi* & *Diaboli* omnes, quaſi uno die, conſumi & in nihil redigi deberent. Atque hoc vocant *æternam perditionem.* Delirant pariter *Anabaptiſtæ* docentes *infernum* fore tantum poſt conſummationem ſæculorum, quando terra in, neſcio quam, ignium abyſſum converti debeat.

*Error Origenis &c.*

XXI. Perverſe docent *Remonſtrantes*, eos tantum damnari, qui Euangelium rejiciunt, non autem eos, qui de Euangelio nihil audiverunt: cum omnes reprobi, quicunque illi ſint, ſi non credant, *jam*, id eſt *nunc*, condemnati, & non tantum in futurum *condemnandi* ſint, propter rejectum Euangelium. Vide Joh. 3: 18. Deinde homo morte & damnatione dignus eſt, propter peccatum primi parentis, quod nobis imputatur, uti ſuo loco, ubi de *peccato originali*, oſtendimus. Tandem propter peccatum *actuale*, quod quilibet committet quotidie; cum nemo tam perfectus & ſan-

*Error Remonſtrantium.*

ſanctus ſit, quin Deum quotidie cogitatione, verbis & facto offendat. Sed ſtipendium omnis peccati eſt mors.

*Gradus Pœnæ.* XXII. Ut dantur gradus *gloriæ*, ita & *pœnæ*. Nam conditio *Tyriorum* tolerabilior erit, quam civium *Corazim* & *Bethzaidæ*. Matth. 11: 21, 22. Ut vel ex ſolis iſtis gradibus ſequatur, dari pœnam aliquam ſenſus: quamvis *Sociniani* contrarium ſtatuant, ut ſupra audivimus.

*Locus ſupplicii.* XXIII. Quemadmodum datur locus gaudii, ita & ſupplicii. Iſte locus vocari ſolet *infernus*, & *locus ſupplicii*. Luc. 16: 23. Matth. 10: 28. *Carcer*. 1. Petr. 3: 19. *Abyſſus*. Luc. 8: 31. *gehenna* Ignis Matth. 5. 22. Præſertim autem exprimitur per *ignem*. Sed ignis iſte non poteſt dici *materialis*: ſaltem *materialis* non poteſt *animam* afficere. Ut animarum pœna & cruciatus conſiſtat in æternis angoribus, & horrore conſcientiæ ac deſperatione. Poteſt tamen Deus conſervare ignem corporeum, qui corpora cruciaret in æternum, poſt Reſurrectionem. Quemadmodum conſervat ſolem, aliaſque ſtellas, quæ merus ſunt ignis, & prout lampades in ſepulchris repertæ dicuntur ardentes, jam per quindecim forte ſæcula. Ut ut ſit, cum non detur major cruciatus corporis, quam per ignem, videtur quod Sacra Scriptura acutiſſimos omnes cruciatus impiorum, cum in corpore, tum in anima, exprimere voluerit per *ignem*.

## LOCUS XIV.

## *De Promulgatione Fœderis Gratiæ, de Libero Arbitrio & Gratia Dei.*

## CAPUT XV.

### *De Promulgatione fœderis Gratiæ; ſive de vocatione ad fidem.*

I. EGimus hactenus de duabus prioribus partibus *fœderis gratiæ*, à parte Dei, nempe I. de *Stipulatione* ſive de *Fide*, deque *bonis* quæ *fidem* ſequuntur, *Juſtificatione*, *Sanctificatione*, *Bonis operibus*, *Reſipiſcentia*, *Jejunio*, ac *Precatione*. Deinde II. De *Promiſſione & Comminatione*, ſive de *Vita & morte æterna*. Nunc dicendum eſſet de reliquis partibus fœderis gratiæ, à parte hominis; ſcilicet III. De *Adſtipulatione* & *Reſtipulatione*. Sed ante-

tequam homo *adstipulari* possit, opportet ut fœdus promulgetur, hominique proponatur. Ergo primum dicendum erit de *Promulgatione* & *vocatione* ad istud *Fœdus*; sive de *Vocatione ad fidem & ad salutem.*

II. *Promulgatio* à viris doctis solet comprehendi tribus partibus. 1. *Notificatione* illius. 2. *Præcepto fidei.* 3. *Promissione salutis.* De *Fide* egimus. De *Promissione* fusius agemus, ubi ad OEconomias deventum fuerit. Nunc de *Vocatione. Notificatio* fœderis gratiæ, ipsaque *Vocatio* ad fœdus gratiæ, & ad fidem, paucis his verbis comprehenditur. *Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis.* Act. 16: 31. quæ verba cum contineant ipsam *stipulationem*, non male *Mandatum*, sive *lex fidei* dicitur. Rom. 3: 27.

*Notificatio fœderis gratiæ quibus verbis comprehendatur.*

III. *Mandatum fidei* est *legale*, quoad *obligationem*, quatenus lex naturalis jubet, ut homo omne verbum Dei, omnemque revelationem reciperet. Hoc sensu *mandatum* istud fuit etiam in *Adamo* ante peccatum, debebat enim credere omni revelationi divinæ. Tamen hoc mandatum non habet conditionem *pacti*, quasi homo illud observando posset *mereri*, ut in *fœdere operum*; sed tale dicitur, quatenus fluit ex promissione Testamentaria, de servandis omnibus fœderatis, per veram fidem apprehendentibus omnia bona, quæ per Christum, ex mera gratia, à Deo offeruntur. Et hactenus quidem est mandatum *Euangelium.* Et hoc quidem sensu concedimus *Remonstrantibus*, *mandatum fidei* non habuisse *Adamum* ante lapsum.

*Mandatum fidei an legale?*

*An Adam id habuerit?*

IV. Hinc patet, quo sensu Christus dici possit *Legislator?* Quatenus scilicet est summus Deus, omnemque legem tulit, in ipso etiam fœdere operum, ac postea eandem repetiit & renovavit in Veteri Testamento; ut *Angeli*, *Moses* & reliqui *Legislatores* omnes ipsius tantum fuerint *Ministri.* Est etiam Christus *Legislator* in fœdere gratiæ, quatenus hominibus viam salutis aperuit, quatenus inculcat naturalem istam obligationem omnia credendi, quæ Deus revelavit, quatenus fidem à nobis petit: adeoque quatenus *mandatum fidei* urget & jubet, cordibusque per spiritum suum fidem inscribit. Negamus tamen Christum esse *Legislatorem fœderis gratiæ*, aut potius *novi fœderis*, quo sensu volunt *Sociniani*; scilicet quod *novam* & *perfectiorem* dederit *legem*, quam quæ à Mose lata est, & quasi per nova *præcepta Euangelica*, uti loquuntur, pepigerit *novum fœdus operum*, perfectius quam cum ipso Adamo, & postea cum

*Quo sensu Christus sit Legislator?*

*Error Socinianorum.*

Iſraëlites per Moſen, perfectiorem ſanctitatem exigendo, & perfectiora bona promittendo, ut per obſervantiam operum iſtius fœderis ſervaremur: cum tamen *fœdus operum* nulla ratione fieri poſſit poſt peccatum.

*Mandatum fidei non proponitur abſolute.*

V. *Mandatum fidei* non proponitur *abſolute*, hoc modo: *Omnis homo credere debet Chriſtum pro ſe eſſe mortuum*, quemadmodum falſo docent *Sociniani*, *Remonſtrantes* aliique fautores gratiæ univerſalis & liberi arbitrii. Ita ſane proponi non poteſt, cum ſoli *credentes* hoc credere debeant. Nec omnes credentes quidem hoc ſemper credere poſſunt. Nam illi, qui ſunt *infirmiores*, non ſemper habent ſenſum amoris Jeſu Chriſti, uti oſtendimus, ubi *de fide* egimus. Eſt igitur opus *fidei corroboratæ*, firmiter credere, *Chriſtum pro ſe eſſe mortuum*.

*Sed conditionate.*

Ergo mandatum fidei ſemper proponitur *conditionaliter*, hoc modo: *Quicunque credit in Chriſtum ſervabitur*; ſive *ſi credis in Chriſtum ſervaberis*. Rom. 9: 33. Joh. 3: 16.

*Conditio non dependet ab homine.*

VI. Tamen iſta *conditio* non dependet ab hominis *arbitrio*, quaſi Deus proponeret homini ſalutem, *voluntate incompleta* & *dependente* à voluntate hominis, ut complete & abſolute velit ſalutem, ubi creatura vult. Sic enim Dei *voluntas* eſſet mera *velleitas* & deſiderium, quod ab homine dependeret, ab eoque poſſet fruſtrari. Deus igitur ad ſalutem vocat *ſerio*, immo ipſas quoque dat vires ad credendum omnibus, quos ad fœdus ac ad fidem recepit, adeoque revera eis dat ſalutem. Et quamvis multi non credant, adeoque ſalutem non conſequantur, hæc tamen propoſitio vera eſt: *Quicunque credit in Chriſtum ſervabitur.*

*Hic non intelligitur vocatio æterna.*

VII. Per *vocationem* ad *fœdus gratiæ*, ſive ad *Fidem*, non intelligitur vocatio iſta *æterna*, quæ eſt ex *Teſtamento æterno* & κατὰ πρόθεσιν, quatenus Deus ab æterno certam hæreditatem deſtinavit filio, ac ſalutem iſti hæreditati, de qua egimus, ubi de *Prædeſtinatione*. Nunc agendum eſt de *Vocatione*, quæ fit in *tempore*.

*Vocatio diſtinguitur in externam & internam.*

VIII. Hæc vocatio diſtinguitur in *Externam* & *internam*. *Externa* eſt iſta *compellatio*, *qua homo ad fidem & ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum invitatur*. *Externa* vocatio fit per prædicationem Euangelii. Nam *fides eſt ex auditu, auditus per verbum Dei*. Rom. 10: 17. Per hanc *Externam* promiſcue vocantur *electi* & *reprobi*. Nam

*Externa quomodo fiat.*

multi ſunt *vocati*, ſed *pauci electi*. Matth. 20: 16. *Omnes fuerunt vocati*, ſed *non omnes venerunt*. Matth. 22: 14. Apoſtoli mittuntur, ut omnes vocarent ad fidem, quamvis multi non ſint credituri. *Ite*,

vo-

*vocate omnes* &c. Marc. 16: 15, 16. Fit tamen ipsa etiam vocatio *externa* maxime propter *electos*; cum æterno Testamento hæredes scripti sint omnium bonorum. Ergo ad eos tantum pertinet *fructus vocationis*, *fides* & *æterna salus*. Hinc κατὰ πρόθεσιν κλητοὶ dicuntur. Rom. 8: 28. & κλητοὶ ἅγιοι. 1. Cor. 1: 2. Est etiam hæc vocatio *externa* erga electos semper *efficax*: ut nemo vocetur, qui non audiat, credat & ad fœdus Dei accedat. Nam *tot crediderunt*, *quot ordinati fuerunt ad vitam æternam*. Act. 13: 48. *Deus vocat ea*, *quæ non sunt*, *tanquam sint*. Rom. 4: 17. id est eos, qui nullam habent fidem, adeoque spiritualiter nihil sunt, vocat tanquam habentes fidem omniaque dona spiritualia, quæ ipsis certissime dat.

*Vocantur maxime Electi.*

*Vocatio est efficax.*

IX. Reprobi, si vocentur, istud non fit κατὰ πρόθεσιν, vi *æterni Testamenti*: cum non scripti sint hæredes bonorum spiritualium, quæ per istam vocationem offeruntur, sed cum reprobi inter electos vivant, & à Ministris Jesu Christi discerni non possint, Deus permittit ut omnes promiscue vocarentur, vocatione *externa*. Et quamvis *reprobi* nec fidem nec salutem consequantur, nec consequi possint propriis viribus, tamen serio vocantur: quia debebant peccata sua agnoscere, Christum fontem salutis fateri, cum in eo revera omnis salus sita sit. Deberent eum vera fide amplecti & amare, cum summe sit amandus, ut & seriam deberent agere pœnitentiam peccatorum. Si autem id non præstent, culpa hæret in ipsis, non in Deo vocante. Adde quod Deus beneficium oblatum revera largiretur, si conditionem præstarent. Quod autem Deus quibusdam tantum largiatur vires præstandi conditiones, non omnibus, id facit ex *beneplacito*, non ex *debito*.

*Reprobi quomodo vocentur.*

*Seria.*

X. Pessime igitur *Remonstrantes*, aliique fautores liberi arbitrii & gratiæ universalis, accusant Reformatos, quod *Deum faciant hypocritam*; quia scilicet docent, Deum vocatione externa vocare multos, quos tamen novit servari non posse, & quos ipse servare nolit. Docemus enim Deum *serio vocare*, si non ad *salutem*, saltem ad *convictionem*. Sed hoc ipsum in adversarios retorqueri potest. Deus enim novit (fatentibus ipsis *Remonstrantibus* aliisque fautoribus gratiæ universalis) multos non credituros, & qui sint non credituri. Cur ergo tales vocat? Nonne ad *convictionem*, cum sciat eos non credituros, adeoque non esse servandos? Dicere debent, aut Deum non esse omniscium, ut sciat quinam sint credi-

*Deus non est hypocrita.*

*Quomodo Deus serio vocet.*

turi; aut Deum accusabunt hypocriseos, quod vocet, *voluntate incompleta* & *conditionata*, ad fidem & salutem homines, quos tamen novit, (sive per *scientiam mediam*, sive per aliam, perinde erit) nunquam credituros, nec servandos esse. Nisi igitur nobiscum fateantur, Deum eos vocare ad *convictionem*, dicant nobis cur eos vocet?

*Beneficia infidelibus ex vocatione.*

XI. Sed & ipsis *infidelibus*, saltem multis, per prædicationem Euangelii, allatum est magnum beneficium, cum fere ubique, sub Christianismo, non tantum artes & scientiæ mirum in modum auctæ sint, sed & idololatria sit exstirpata, multa peccata & mali mores sint emendati, à multis sordibus ipsi infideles repurgati. Vide Hebr. 6: 4, 5. Et quamvis hoc ab iis non fiat fide, & ex pio motu, fit tamen per aliquam imitationem doctrinæ Christi, ut & hoc debeant Christo ejusque vocationi.

*Vocatio externa non universalis.*

XII. *Vocatio externa*, quamvis fiat promiscue ad electos & ad reprobos, tamen *universalis* dicenda non est, ut volunt *Pelagiani, Remonstrantes, Jesuitæ* ac alii. (1. quia prædicatio Euangelii non pervenit ad omnes & singulos homines, omnibusque temporibus. Sub Veteri Testamento paucis contigit. *Deus enim notificavit præcepta sua & verba Israeli, non reliquit populis.* Psal. 147. Act. 14: 16. (2. Sub Novo Testamento non *omnes*, nec *eadem hora vocantur.* Matth. 20. (3. Prohibiti sunt Apostoli ne annunciarent Euangelium *Ethnicis* & *Samaritanis.* Matth. 10: 5. Et ne abirent in *Asiam* & *Bithyniam.* Act. 16. (4. Ante pauca sæcula Euangelium ignotum fuit toti *Americæ*, pluribusque regionibus & Insulis Indiarum. Tales ad hunc usque diem plurimi reperiuntur in Indiis Orientalibus, atque versus utrumque polum, qui ne fando quidem quidquam de Christo audiverunt.

*Argumenta solvuntur.*

XIII. Sine causa dicitur. I. *Dari vocationem aliquam per viam naturæ, quale est τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ.* Rom. 1: 20. *per contemplationem operum creationis & conservationis, & per innatam notionem, sive ideam Dei, quæ sit universalis vocatio, quia omnibus hominibus communis est.* Nam τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ & innata idea Dei docet tantum dari Deum, eumque esse colendum: sed non docet *mysterium pietatis*, aut mysterium fidei ad salutem; ut per talem cognitionem ipsi etiam ethnici serventur. Et sane si hæc cognitio naturalis ad salutem sufficit. (1. Non opus esset prædicatione Euangelica, contra Rom. 10: 17. (2. Justificatio esset ex operibus, adeoque *Christus frustra mortuus est.* Gal.

Gal. 2: 21. (3. *gratia* cum *lege* confunderetur, & *natura* cum *Euangelio*, contra Rom. 11: 6. Adde (4. *animalis homo non comprehendit ea, quæ sunt spiritus Dei, nec potest ea cognoscere.* 1. Cor. 2: 14. *Nec idonei sumus ad quidquam cogitandi.* 2. Corinth. 3: 5. Rom. 8: 5, 6, 7. II. Quamvis *Christus assumpserit naturam totius generis humani*, non sequitur tamen: *ergo totum genus humanum ad salutem vocat*, quia salus non consistit in eo, quod Christus *assumpserit naturam*, sed in eo quod se *tradiderit*: at tradidit se pro *electis* tantum, non pro *reprobis*. III. Non verum est; *omnes tantum propter incredulitatem damnari.* Damnantur enim propter peccatum originale & alia actualia, etiamsi de Christo ne fando quidquam audiverint. *Non* sequitur igitur: *omnes ad fidem vocantur.* IV. Locus Joh. 3: 18, 36. *Qui credit in eum non judicatur, qui vero non credit, jam judicatus est. Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui filio non credit, non videbit vitam, & ira Dei manet super eum*, nihil eos juvat. Non enim dicitur, quod homo damnetur, *si non credat*, sed quod *jam sit damnatus*, & *quod ira super eum maneat.* Ergo, antequam Euangelium ei annunciaretur, jam fuit sub ira. V. *Deus* quidem *vult ut omnes serventur & perveniant ad cognitionem veritatis.* 1. Tim. 2: 4. Non tamen omnes & singulos; sed omnium nationum & conditionum homines, *Reges, subditos* &c. ut ex hoc eodem loco constat. Plura vide Vol. I. Part. III. Cap. VII. Thes. V. Ubi de *Gratia Universali.*

*Vocatio interna.*

XIV. *Vocatio interna* consistit non tam in sermone externo, quam in operatione interiori Spiritus Sancti, qui intellectum illuminat & voluntatem flectit, ut vocati possint mente sua intelligere sermonem Euangelii, Christumque amplecti ad salutem. Hoc fit quando non tantum *Paulus plantat, & Apollos rigat*, sed quando Deus etiam dat *incrementum.* 1. Cor. 3: 6. quando Paulus non tantum prædicat Euangelium *Lydiæ*: sed quando Spiritus Sanctus *ipsi aperit cor, ut possit credere.* Act. 16: 14. Ideo Spiritus Sanctus *miscet fidem* cum prædicatione verbi, ut ii, qui ad fidem vocantur, credant. Hebr. 4: 2. Tunc *prædicatio Euangelii* constat, *non sermone* tantum, *sed & potentia & Spiritu Sancto.* 1. Thess. 1: 5. Tunc Euangelium est *potentia Dei ad salutem.* Rom. 1: 16. Est *virtus Dei.* 1. Cor. 1: 18. *vivus sermo & efficax, ac penetrantior quovis gladio.* Hebr. 4: 12. Vocationem hanc internam intelligit Paulus. Rom. 11: 20. ubi dicit: *donum Dei & ejus vocatio, sunt sine resipiscentia.* Eadem dicitur *vocatio sancta.* 2. Tim. 1: 9. Qui per hanc vocantur, *acquirunt gloriam Dei nostri*

*stri Jesu Christi.* 2. Thess. 2: 13, 14. ac dicuntur esse *cum agno*, *electi*, *vocati & fideles.* Apoc. 17: 14. Non dicuntur *vocati* multi *sapientes*, *fortes*, *aut nobiles;* sed *stulti*, *quos Deus elegit.* 1. Cor. 1: 26, 27.

*Homo se habet passive.* XV. In hac vocatione, homo se habet mere *passive*, quoad prima momenta: cum Deus vocando cor moveat ad audiendum & credendum. *Vocat enim res quæ non sunt* (ubi est nulla voluntas credendi) *tanquam sint.* Rom. 4: 17. quemadmodum vocavit lucem, *fiat lux*, *& facta est lux.* 2. Cor. 4: 6. & ut vocavit *Lazarum*, ut surgeret & viveret, cum esset mortuus. Joh. 11: 43.

*Vocatio externa & interna quomodo conveniant.* XVI. Vocatio *externa* & *interna* conveniunt in eo 1. quod utraque Deum habeat auctorem. 2. Utraque ordinarie fieri soleat per prædicationem Euangelii. 3. Utraque exponat voluntatem Dei, hortetur ad fidem & resipiscentiam, ac promittat salutem homini resipiscenti. Differunt tamen. 1. *Externa* magis est extensa quam *interna:* cum hæc fiat ad *electos* tantum, illa ad *electos* & *reprobos* simul.

*Quomodo differant?* 2. *Externa* non est in omnibus efficax, sed *interna* semper est efficax: ut, quicunque *interne* vocantur, vere serventur. *Vocat enim Deus ea quæ non sunt*, *tanquam sint.* Rom. 4: 17. Quare electi non magis possunt resistere huic vocationi, quam *lux*, ubi Deus dixerat; *fiat lux:* aut *Lazarus* ut non resurgeret ad vocem Christi clamantis, *Lazare surge; Facit* enim *Deus omne suum beneplacitum.* Es. 46: 10. 3. Per *internam* Deus sibi semper proponit *salutem;* per *externam* non semper: sed respectu reproborum, sibi proponit eorum *convictionem*, & declarationem curæ suæ erga Ecclesiam. *Duo erunt in agro*, *duo molent in mola*, *hic recipitur.* Matth. 24: 40. Hunc Deus *sua vocatione dignum reddit*, illum non. 2. Thess. 1: 11.

*Unde hæc differentia.* XVII. Tota autem ista differentia *internæ* & *externæ* vocationis: scilicet quod hic credat & servetur, ille non, dependet, non à *voluntate* & *arbitrio* hominis, sed ab æterno Dei *decreto* & *proposito*, quod hic vocatus sit κατὰ πρόθεσιν, ille non. Rom. 8: 27. Ineptiunt igitur fautores liberi arbitrii, quando docent: Deum per nescio quam *vocationem congruam*, uti loquuntur, vocare homines, in quibus videt *dispositiones prævias*, quibus se Deo commendent: aut quod homo recte utatur prima gratia Dei; aut quod ob sensum & ex conscientia miseriæ suæ, ad Christum confugiat; ut vix ullus vocetur & ad fidem perveniat, nisi qui prius naturali aliqua probitate, sese Deo dignum reddiderit.

*Nulla est vocatio congrua.*

*Probatur.* XVIII. Quam falsa hæc sit sententia, patet. (1. quia homo natu-

turali sua probitate *seipsum secerneret*, contra Pauli dictum. 1. Cor. 4: 7. (2. aliquid haberet, quod non accepisset à Deo: nempe ut bene uteretur naturæ viribus, & prima gratia, contra Paulum, loco jam modo laudato. (3. Sine Deo nihil quicquam boni possumus cogitare. 2. Cor. 3: 5. Deus ipse producit in nobis *velle & perficere*. Phil. 2. 13. (4. Nemo credit, nisi qui ad vitam æternam prædestinatus est: *Tot crediderunt, quot ordinati fuerunt ad vitam æternam.* Act. 13: 48. (5. Nemo vocatur, nisi quem Deus *prædestinavit*. Nam *quos vocavit, eos etiam prædestinavit.* Rom. 8: 30. (6. Experientia docet: eos, qui pessimi videbantur, sæpe ad fidem esse adductos, ut *Romanos, Ephesios, Colossenses* aliosque gentiles: eos autem, qui probiores habebantur, præteritos esse, & non credidisse, ut *Judæos*, qui *habebant Zelum*. Rom. 10: 2. tamen à Deo esse rejectos. (7. Deus nos sibi reconciliavit, per Christum, eo ipso momento *quum inimici essemus.* Rom. 5: 10. Col. 1: 20, 21. Ergo ubi nulla omnino dispositio ad fidem. Ita vocatus fuit Paulus, quum, tanquam infensissimus hostis Ecclesiæ, Christum in membris suis persequeretur. Act. 9. Eo ipso momento, quando Christus exclamavit: *Saul, Saul, quare me persequeris.* (8. *Vocavit eos, qui non sunt, tanquam sint.* Rom. 4: 17. Quæ autem potest esse prævia dispositio in eo qui non est?

## CAPUT XVI.

### *De Viribus Necessariis ad recipiendum Fœdus Gratiæ, & de Libero Arbitrio.*

I. POstquam de *Stipulatione* & *Promissione* fœderis gratiæ, quæ sunt duæ ejus præcipuæ partes à parte Dei, quemadmodum & de *Promulgatione* fœderis gratiæ, sive *Vocatione ad fidem*, egimus: Nunc examinandæ erunt duæ reliquæ partes à parte hominis; nempe *Adstipulatio* & *Restipulatio*.

II. Quemadmodum *stipulatio* continetur his verbis. *Crede in Dominum Jesum Christum*, uti ostendimus Cap. VIII. ubi de *fide* egimus: ita & *Adstipulatio* hac quasi formula comprehenditur. *Credo Domine.* Marc. 2: 24. *Credo te esse Christum Filium Dei, qui debebat venire in mundum.* Joh. 11: 27. Per hanc igitur *Adstipulationem* fœdus Dei recipitur, & homo fit fœderatus Dei. Sed hæc per se satis sunt nota.

*Adstipulationis formula.*

III. Præcipua quæstio est, qua via, quibusque *viribus* homo ad-

*Quibus viribus homo adstipuletur.* stipulari possit. Nam ex iis, quæ diximus de *Vocatione*, satis manifesto patet, non esse in hominis potestate, ut ad fœdus gratiæ accedat, Deoque stipulanti adstipuletur, sive in Christum credat, *propriis viribus:* sed Deum ipsum, quemadmodum *Stipulationem* sive *mandatum fidei* proponit, & salutem promittit, ita quoque *homini largiri vires*, ad *adstipulandum* per fidem, & ad recipiendum fœdus gratiæ.

*Adam poterat viribus naturalibus.* IV. Quemadmodum *fœdus operum*, & *fœdus gratiæ* in multis, ita & in hoc maxime discrepant: quod Adamus fœdus operum potuerit in se recipere, omnesque conditiones fœderis adimplere, *viribus naturalibus*, atque liberum habuerit arbitrium faciendi, vel non faciendi: cum in statu peccati homo libero arbitrio & viribus naturalibus, fœdus *gratiæ* in se recipere non possit. Examinari itaque hic debet, quid sit *liberum arbitrium*, deinde quænam sint ipsius partes in recipiendo fœdere gratiæ, sive in amplectendo Christo per veram fidem?

*Liberum Arbitrium utrum in intellectu an in voluntate?* V. Quæstionem, qua quæritur; utrum *liberum arbitrium* consistat in *intellectu*, an vero in *voluntate?* plane inutilem censemus: cum *intellectus* & *voluntas* non sint diversæ *facultates*, à mente vel à se realiter distinctæ, sed varii tantum *modi cogitandi*, uti ostendimus Parte II. Cap. XIV. ubi de *anima* ejusque facultatibus egimus. Asserimus tamen, istum modum cogitandi, in quo formaliter consistit *libertas*, adeoque *liberum arbitrium*, esse *voluntatem*, non autem *intellectum*; cum *intellectus* se habeat mere passive, ut res percipiat, quas voluntas nollet percepisse: veluti si fur audiat sententiam mortis. Unde sequitur, intellectum non semper *agere*, multo minus *libere* agere. Non potest igitur in eo consistere natura *liberi arbitrii*. *Intellectus* tamen ad *voluntatem* prærequiritur: Non enim judicat voluntas, nec eligit, nec negat, nec adfirmat, nisi præeunte intellectu, tanquam face, ut voluntas de objectis possit judicare, ea amare vel respuere.

*Voluntas non est cæca.* VI. *Voluntas* igitur non est dicenda *cæca*, collustratur enim per *intellectum*, à quo, non *re*, sed *cogitandi modo* tantum differt. Actus igitur mentis, qui natura prior est, *intellectus* & mentis *lux* dici potest; sed actus ejus secundus, *voluntas*. Unde sequitur, voluntatem ab intellectu non determinari, sed eam seipsam determinare, alias enim non esset voluntas; aut voluntas cogeretur. Id enim solum quod determinat ad judicandum, adfirmandum, negandum, amandum, fugiendum, in eo ipso, inquam, consistit *libertas*. Nam *se de-*

*determinare* est *libere agere:* sed *libertas* est in sola *voluntate*. Ergo sola *voluntas* seipsam determinat ad volendum, nec ab ulla re, præter Deum, determinari potest. Est igitur *liberum arbitrium* nihil aliud, quam ipsa voluntas nostra, quæ, quidquid agit, ex consilio & propria sponte liberrime agit.

*Liberum arbitrium quid?*

VII. Ut accuratius percipiamus naturam libertatis voluntatis nostræ, adeoque quid sit *liberum arbitrium*, examinandum primum erit, quid sit intelligendum per *necessitatem*. *Liberum* enim & *necessarium* opponuntur: ut *libertas* per solam *necessitatem* destruatur, quamvis non per necessitatem quamlibet.

VIII. Primum itaque est quædam *necessitas dependentiæ*, *infallibilitatis* & *determinationis*, quæ oritur ex decreto Dei: hinc & *necessitas decreti* nuncupatur. Quidquid enim fit, illud ab æterno à Deo decretum est, ut ita fieret: cum omnia dependeant ab ejus summis perfectionibus, ac æterna voluntate. Huic *necessitati* subsunt creaturæ omnes, omnesque earum actiones, ipse quoque *Adamus* in statu integritatis, *Angeli* & *beati* in cœlis: nisi fingamus creaturas à Deo *independentes*, quod implicat contradictionem.

*Necessitas dependentiæ.*

IX. Hæc *necessitas* non tollit *libertatem*. Idem enim Deus, qui decrevit, ut ex. gr. Redemptorem *amemus*, decrevit etiam ut id faciamus *voluntarie* & *liberrime:* cum non possimus *amare* nisi *libere*. Aliter sane Deus determinat actiones *liberas* quam *necessarias*. Actiones *physicas*, quæ sunt necessariæ, ita determinat, ut uno modo, nunquam aliter, agant, adeoque necessario sic semper agant. Ex. gr. actionem *ignis* ita determinat, ut *necessario urat*, & ut non possit non urere; nisi per miraculum ipsius motum aliter determinet, aut corpora, quæ attingit, ita disponat, ut lædi non possint, uti factum est in fornace Babylonica. Sed *voluntatem* nostram ita determinat, ut necessario quidem hoc velit; sed ut ex *consilio*, adeoque *liberrime velit*, & ut sua natura aliud possit velle. Omnis enim ordo, natura, & nexus rerum, in quocunque statu sint, à decreto Dei ejusque voluntate dependent, à quo omnia in tali statu positæ sunt. Quid? quo Deus voluntates nostras efficacius determinat, quo efficacius volumus; & quo efficacius volumus, eo liberiores sumus in actionibus nostris. Et sane *voluntatem* consistere cum *decreto* Dei, nec pugnare libertatem cum aliqua necessitate, patet. (1. Exemplo *Titi:* Nam etsi Deus *cordi ejus indiderit*, *ut abiret ad Corinthios*, tamen αὐθαίρετος *propria sua voluntate* abiit. 2. Cor. 8: 16. (2. *Angeli* confirmati, & *beati*

*Non tollit libertatem.*

*Quomodo determinentur actiones physicæ?*

*Quomodo voluntatem?*

*Voluntas potest consistere cum necessitate.*

*ti* in cœlis *necessario* Deum amant, ut non possint eum non amare tamen *liberrime* eum amant, cum nullus amor concipi possit, qui non fiat liberrime. (3. *Deus* necessario existit, necessario est perfectus, bonus, justus, necessario se amat &c. tamen liberrime.

*Necessitas Physica.*

X. Deinde est quædam necessitas *Physica* & *naturalis*, qualis est in rebus corporeis, quæ agunt cœco *impetu*, sine *consilio* & sine *voluntate*. Ita moventur necessario *stellæ*, *lapis* cadit, *ignis* urit &c. Non enim possunt non moveri, cadere & urere. Ejusmodi necessitas etiam adscribenda est brutis animalibus, nisi eis attribuamus cogitationem & consilium; alias cœco agunt impetu, ut non possint aliter agere. Hæc *necessitas*, cum excludat omne consilium & voluntatem, etiam cum *libertate* consistere non potest. Talis *necessitas* in voluntate concipi non potest: cum voluntatis natura sit ipsa libertas: ut ubi est *voluntas*, ibi necessario sit *libertas*: ubi nulla *libertas*, ibi nulla quoque *voluntas*.

*Necessitas coactionis.*

XI. Tandem datur quædam *necessitas coactionis*, quæ à *naturali* non multum differt; nisi quod *naturalis* intrinsecis quibusdam fixis & ordinariis legibus fiat; cum *coactio* externas habeat causas, nec semper eodem modo fiat. Sic lapis projectus coacte tendit in altum; Fur obtorto collo tractus tendit ad patibulum, ergo plane *coactus*, non *voluntarie*; cum ejus voluntas non agat, sed tantum membra corporis, quæ trahuntur, & protruduntur. Omnis *coactio* semper *voluntati* contraria est. Nam qui cogitur, eo ipso quod cogatur, non vult: quia voluntas non magis potest cogi, quam ut lapis projectus ex consilio & voluntarie se moveat. Ut eodem ipso momento, quo voluntas incipit *velle*, homo non possit dici quod cogatur. Sola igitur *necessitas coactionis* voluntatem tollit. Sed *coactio* in *voluntate* locum habere non potest; nec ullius coactionis in voluntate nostra nobis unquam conscii fuimus.

*Libertas quid?*

XII. Examinata *necessitate*, videndum erit quid intelligendum sit per *liberatum*, adeoque quid sit *liberum arbitrium*. Et primo quidem *liberum*, *libertas* & *liberum arbitrium* dicitur sensu aliquo *excellentissimo*, quo scilicet quis in suis operationibus à nullo alio dependet, nec determinatur ulla ratione. Hoc sensu solus *Deus* liber est, *liberumque* habet *arbitrium*, quia est numen summe perfectum, adeoque à nemine dependet, sed omnia dependent ab ejus voluntate, ab eaque determinantur. Et hoc quidem sensu nulla creatura habet *liberum arbitrium*, ne ipse quidem *Adamus* in statu integritatis, nec

*Sensu Excellentissimo.*

*Ange-*

*Angeli* & *beati* in cœlis: cum omnes eorum actiones & volitiones dependeant à voluntate & operatione Dei, ab eoque sint determinatæ: Omnes enim creaturæ, in omni statu atque tempore, agunt ex necessitate decreti & dependenter à voluntate Dei, adeoque omnes creaturæ earumque actiones semper sunt necessariæ. Hæc tamen necessitas non tollit *liberum arbitrium* in creaturis. Vide § 8, 9. cum liberum arbitrium in creatura, ut ut *imperfectum*, stare possit cum libero arbitrio *summe perfecto* Dei, uti supra ostendimus.

*Liberum Arbitrium naturale.*

XIII. Deinde est *libertas* quædam, vel *liberum arbitrium naturale*, quod nihil aliud est quam ipsa *voluntas*; nam ipsa natura & essentia *voluntatis* consistit in *libertate*, nec *libertas* nostra aliud quid est, quam ista *voluntas*: ut quotiescunque volumus, liberi simus. Est igitur *liberum arbitrium* homini adeo *naturale* & *necessarium*, ut eo privari non possit, quin tota mens destruatur: clare enim & distincte percipimus, quotiescunque volumus, nos semper *liberrime* velle, & quam primum hoc velle displicet, nos, ratione istius rei, non amplius velle: ut etiam libere non velimus, nec possimus cogi ut velimus, aut velle pergamus. Cum autem *liberum arbitrium* sit ipsa *natura voluntatis* nostræ; sequitur illud reperiri, non tantum in *Adamo* in statu integritatis; sed & in ipso homine *corrupto*, post peccatum. Nec potest concipi homo, aut mens, sine *libero arbitrio*. Hinc populus Dei dicitur, עם נדיב *populus voluntarius*. Cant. 6: 11. & *oblatio* quædam dicitur נדבה *voluntaria*. Exod. 35. 29. Consistit igitur *liberum arbitrium* in hoc solo: quod homo, sive adfirmet, sive neget, sive amet, sive oderit, sive desideret, sive adversetur, semper agat ex *consilio* & *sponte suâ*, sine ulla *coactione*; cum nullius coactionis nobis unquam conscii simus.

*Liberum Arbitrium post peccatum.*

*Error Manichæorum.*

XIV. Impie itaque à *Manichæis* ponuntur duo principia, alterum *boni*, alterum *mali*, unde dependeat omne bonum & malum, adeo ut omne *liberum arbitrium* prorsus negandum sit. Dum *Manichæis* sese opponere volebant veteres, veluti *Pelagius* ejusque postea sequaces *Jesuitæ*, *Remonstrantes* aliique, in aliud absurdum delapsi sunt; ut omnia soli *libero arbitrio* & naturæ viribus attribuerint. Hi pessime naturam *liberi arbitrii* explicant, cum illud ponant in *indifferentia*, qua, positis omnibus ad agendum necessariis, homo posset agere vel non agere.

*Jesuitarum.*

XV. Concedimus quidem mentem nostram, prout habet va-

*Liberum Arbitrium non consistit in indifferentia.*

rios modos cogitandi, jam hanc posse habere cogitationem, jam illam; nunc hoc posse velle, nunc illud: adeoque hoc sensu, quem Scholastici vocant *sensum divisum*, eam *indifferentem* esse, ad plures modos cogitandi & volendi: non enim repugnat naturæ voluntatis, ut æque hoc velit ac illud. Tamen in hac *indifferentia* libertatis natura non consistit: quia quamdiu mens est indifferens, nullus actus voluntatis concipi potest; nulla enim est *electio*, nulla *reprobatio*, nullus *amor*, nullum *odium*; ergo nulla *voluntas*. Ubi autem *vult*, jam voluntas se determinavit, nec ante istam determinationem *voluntas* dici potest. Tali igitur sensu, quem vocant *sensum compositum*, impossibile est, ut voluntas sit *indifferens*. Non potest enim simul *velle* & *non velle*, quemadmodum non potest simul *adfirmare & negare*, *amare* & *odisse*.

*Indifferentia est infimus gradus libertatis.*

XVI. Est igitur *indifferentia* infimus gradus libertatis, & vix *libertas* dici potest: immo potius est *servitus ignorantiæ*; cum ex mera ignorantia oriatur. Nam si homo satis *clare* & *distincte* cognosceret *verum* & *bonum*, non hæreret *indifferens* & *dubius*, quid sibi eligendum sit, quin illico se determinaret, & ex statu indifferentiæ transiret ad statum determinationis, id est optimum eligeret; in sanam enim mentem cadere non potest, ut optimum cognoscat, illud tamen non eligat, sed respuat. Quis credet, hominem famelicum, si ipsi proponatur *panis* & *lapis*, manere indifferentem, ut æque eligat *lapidem* ac *panem?* Si enim sanæ mentis est, necessario, quamvis liberrime, eligit *panem*, & lapidem præteribit. Deinde si respiciamus ad voluntatem Dei ejusque decretum, talis indifferentia ne concipi quidem potest. Nam ex decreto Dei omnis nostra voluntas est determinata. Ergo non potest esse *indifferens*, alias enim posset frustrari decretum Dei.

*Voluntatis libertas in quo consistat?*

XVII. Colligimus igitur *libertatem* Voluntatis consistere, non in *indifferentia*, sed in eo tantum quod non agamus ex *necessitate naturali*, & cœco impetu, quemadmodum *ignis* necessario urit, & non potest non urere, vel aliter agere; nec ex aliqua *coactione*, ut *lapis projectus*, qui ad motum ab alio constringitur & determinatur: sed quod agamus ex *consilio* & *praelectione*, *sponte nostra* & sine ulla *coactione*. Hinc in Sacra Scriptura *liberum arbitrium* opponitur, non *æternæ necessitati*, aut *decreto* Dei, sed soli *coactioni*: scilicet τὸ ἑκούσιον τῇ ἀνάγκῃ. Philemon. 14. ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον. Et 1. Petri 5: 2. ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως.

XVIII.

XVIII. Præter libertatem *naturalem*, datur etiam libertas quædam *Conditionis*, qua quis alterius voluntati & arbitrio non subjicitur. Talem libertatem habent *Monarchæ*, si cum subditis suis; *parentes*, si cum liberis, *Domini*, si cum servis conferantur. Sic & *servitus* datur *Conditionis*, per quam quis alterius arbitrio subjicitur: ut *subditi* Monarchæ, *filii* parenti, & *servi* domino. Hæc servitus dici potest *Moralis* & *Politica*. Consistere quoque potest cum libertate *naturali*: ut quamvis voluntas subditorum ad serviendum adigatur, libere tamen serviant. Etiam eo ipso momento, quando aliquis vellet excutere servitutem *conditionis* & *moralem*, nihilominus, quamdiu obedit, *libere* obedit; quia tunc, etiam isto tempore quo obedit, id consultius & optimum judicat. Hoc autem judicat *libere*, & hoc *judicare* est ipsum *velle obedire*. Ergo obedit *naturali libertate*, quamvis *servitute morali* & *politica*.

*Libertas conditionis.*

*Moralis & Politica.*

XIX. Hæc ad statum hominis peccatoris pulcherrime applicari possunt. *Adamus* in statu integritatis habebat *liberum arbitrium*, non tantum *naturale*, sed & *morale* ac *conditionis*, nulli enim servituti subjectus fuit, nec servituti peccati, nec ullius creaturæ. Docent Theologi *Adamum* in statu integritatis habuisse libertatem ad *ὁπότερον*, eum fuisse instar bilancis in æquilibrio, aut globi in plano, ut hac vel illac æque facile impelli potuerit, ad *mala*, quam ad *bona*. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi fuisset *indifferens*, aut *dubius* quo se verteret: hoc enim non permittebat perfecta sanctitas imaginis Dei, quæ eum ad *bonum* determinabat, potius quam ad *malum*. Nec decretum Dei talem *indifferentiam* in Adamo permittebat: determinabatur enim Adamus à Deo, non minus quam reliquæ creaturæ omnes. Fuit itaque Adamus tantum in statu *mutabili*, ubi ex bono potuit delabi ad malum, & in quo statu tantam habuit potestatem ad bene agendum, quam ad peccandum. Ergo verum habuit *Liberum Arbitrium?*

*Liberum Arbitrium in Adamo quale?*

XX. Aliter res sese habet cum *peccatore*. Non enim habet potestatem ad bonum, æque ac ad malum, eodem modo ut Adamus: sed voluntas nostra, in statu peccati, ad *malum* tantum vergit. Nam *figmentum hominis malum est à pueritia.* Gen. 8: 21. *Non possumus bene facere, edocti male facere.* Jer. 13: 23. *Arbor mala non potest ferre bonos fructus.* Matth. 7: 18. Vide 2. Cor. 3: 5. 1. Cor. 2: 14. Rom. 8: 7. Sumus igitur sub *peccato*, tanquam sub *domino*, ejusque servi aut mancipia; adeoque *liberum arbitrium morale* & *conditionis* ho-

*In peccatore quale?*

hodie non habemus. Hinc in verbo Dei vocamur *servi*, & *servi peccati.* Joh. 8: 34. *Servi corruptionis.* 2. Petr. 2: 19. *Servi eratis peccati, liberati estis per justitiam.* Rom. 6: 20. *Venditi* dicimur *sub peccato.* Rom. 7: 14. Et *servimus multis malis cupiditatibus.* Tit. 3: 3. & *Facimus voluntatem carnis.* Ephes. 2: 2, 3. φρόνημα τῆς σαρκὸς *inimicum est adversus Deum: legi Dei se non subjicit, nec potest.* Rom. 8: 7.

*Habemus servum arbitrium.*

XXI. Patet itaque, *moraliter* & secundum *conditionem*, nos magis habere *servum arbitrium*, quam *liberum*, in statu peccati. Quamvis tamen *servum arbitrium* semper habeat junctam *libertatem naturalem*, quæ à voluntate hominis nulla vi avelli potest. Nam quemadmodum *servus*, ut ut *servus* sit, tamen libere servit domino, libertate *naturali*, quamvis necessitate & *servitute morali*, adeo ut per *moralem servitutem* non possit amittere *libertatem naturalem.* Ita servitus *conditionis* & *moralis*, per quam necessario servimus peccato, ut Deo servire non possimus, non tollit à nobis *libertatem naturalem:* experimur enim in nobis, nos, etiam ad peccandum, nunquam cogi, sed semper *liberrime* & *sponte* nostra peccare.

*Homo naturaliter non potest adstipulari.*

XXII. Cum igitur homo peccator non habeat liberum arbitrium *moraliter* & *secundum conditionem*, sed *servum* tantum, sequitur eum etiam naturaliter non habere potestatem adstipulandi stipulationi fœderis gratiæ, illudque amplectendi: hoc enim Dominus ejus, cui subest, nempe peccatum, ei non permittit. Ut in hoc *fœdus gratiæ* differat à *fœdere operum*; quod Adamus natura sua propenderet ad *fœdus operum*, illud ultro acceperit, potestatemque atque vires habuerit stipulationi Dei adstipulandi: cum peccator natura sua *fœderi gratiæ* aversetur, nullasque habeat vires illud recipiendi, & stipulationi Dei adstipulandi, quæ in peccatore est, non tantum *imbecillitas moralis*, & diminuta quædam ac læsa potentia, uti contendunt *Remonstrantes*, sed *naturalis*, *inhærens* & omnimoda *impotentia.* (1. quia homo est corruptus à nativitate. *Nam figmentum cordis ejus malum est à pueritia.* Gen. 8: 21. & 6: 5. *Non potest benefacere, edoctus malefacere,* Jerem. 13: 23. *Arbor mala non potest ferre bonos fructus.* Matth. 7: 18. *Per nos non sumus idonei ad cogitandum quicquam* scil. *boni.* 2. Cor. 3: 5. *Animalis homo non potest capere ea quæ sunt spiritus Dei, quia spiritualiter discernuntur.* 1. Cor. 2: 14. (2. *Homo peccator* est *inimicus Dei, ut qui legi* (adeoque nec *fœderi*) *se subjicere non possit.* Rom. 8: 7. (3. Comparatur cum *infante recens nato*, in miserrimo statu, ex quo se liberare non potest, ut necessario pereat, nisi Deus eum assumat & ser-

ſervet. Ezech. 16. (4. Eſt *mortuus in peccatis ſuis.* Epheſ. 2: 15. Col. 2. Non de quibuſdam & gravioribus tantum peccatoribus iſta loca ſunt intelligenda, ut volunt *Remonſtrantes*, ſed de iis omnibus qui per Chriſtum vivificantur: at omnes credentes vivificantur: unde neceſſario ſequitur; ergo & omnes fideles *mortui* dicuntur.

*Solutio argumentorum.*

XXIII. Fatemur quidem I. *homines ſæpe dici ſaucios & dormientes*; hoc tamen non impedit, quo minus dicantur *mortui in rebus ſpiritualibus*: eorum enim *vulnera* ſunt *letalia*, & eorum *ſomnus* eſt ipſa *mors*; ſolet enim *mors corporalis* per ſomnum exprimi, ut Dan. 12: 2. 1 Cor. 15: 18. Ita & *mors ſpiritualis* vocatur *ſomnus*: quare illi, qui *dormire* dicuntur, monentur, non tantum ut *evigilarent*, ſed ut *reſurgerent ex mortuis. Evigila tu, qui dormis, & reſurge ex mortuis.* Epheſ. 5: 14. II. *Rudera iſta imaginis Dei quæ reperiuntur in hominibus, aut notitia boni & mali*, non ſufficiunt, ut quis credat in Chriſtum: inde igitur non ſequitur eum habere vires ſufficientes naturaliter, ut credat: cum ſemper mortui maneant in rebus ſpiritualibus. Deinde ipſi Diaboli etiam habent notitiam boni & mali, juſti & injuſti, manent tamen ſemper depravatiſſimi. III. Futilis eſt hæc argutatio: *quod homo, non amiſit in & per Adamum, illud adhuc habet: ſed homo non amiſit per Adamum vires credendi, quia ipſe Adam tales vires non habuit.* Jam antea oſtendimus Cap. XV. Theſ. III. *mandatum fidei eſſe legale, quoad obligationem, quatenus lex naturalis jubet, ut homo omne verbum Dei, omnemque revelationem reciperet, omnique revelationi credat.* Ergo Adamus naturaliter habebat vires, ut crederet revelationi Euangelicæ, ſi ea ipſi revelata fuiſſet ante peccatum: quamvis in iſto ſtatu ipſi non fuerit revelanda. Ita habebat quoque poteſtatem & vires dandi eleëmoſynas, aut hominem liberandi ab homicida & latrone, quamvis nullam habuerit occaſionem dandi, aut liberandi.

## CAPUT XVII.

### *De Gratia Dei in Converſione Hominis.*

I. OMnes igitur vires, quas homo habet, ad recipiendum fœdus gratiæ, & ad adſtipulandum *mandato*, vel *legi fidei* habet à ſola *gratia Dei.* Nam *gratia ſervati ſumus.* Epheſ. 2: 8

*Quicquid ſumus, id ſumus per gratiam Dei.* 1 Cor. 15: 10. Et *gratia Dei ſola nobis ſufficit.* 2 Cor. 12: 9. *Non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei gratificantis.* Rom. 9: 16. *Homo nihil poteſt, niſi è cœlo ipſi datum ſit.* Joh. 3: 27. Pauci ſunt qui *gratiam Dei* non concedant in negotio ſalutis noſtræ; ſed quid per eam intelligi debeat, non multi recte capiunt. Removebimus itaque primo errores eorum, qui hanc materiam non ſatis meditati ſunt, deinde veritatem ipſam adſtruemus.

*Gratia Dei non eſt Remiſſio peccatorum.*

II. *Gratia* igitur *ſalutaris* I. Non eſt *Remiſſio peccatorum tantum, quæ gratis homini offertur.* (1. quia *Remiſſio peccatorum* ſine diſcrimine annunciatur *electis* & *reprobis*; adeoque ipſa nihil faceret ad producendam veram fidem, ut per eam Chriſtum amplecteremur. (2. Sola *remiſſio peccatorum* non ſufficit, niſi ipſam remiſſionem peccatorum amplectamur. Immo nulla datur remiſſio peccatorum, niſi eam vera fide amplectamur. Quæſtio igitur manet, *quomodo remiſſionem peccatorum in verbo oblatam amplectamur?* Utrum *viribus naturalibus?* an ſpeciali aliqua *gratia Dei*? Jam oſtenſum eſt, id *viribus naturæ* & beneficio *liberi arbitrii* fieri non poſſe; ergo alia aliqua gratia Dei, præter remiſſionem peccatorum, opus eſt. II. Non eſt tantum *Revelatio promiſſionum Euangelii*, & *exemplum Chriſti*: quæ ideo *gratia Dei* diceretur, quia homo non meruit, ut ei reveletur, & tale exemplum Chriſti proponatur, quo ſenſu omnia beneficia, etiam corporalia, dici poſſent *gratiæ Dei*, quia homo non meruit, ut ei diſtribuantur. Hanc ſententiam falſam eſſe patet. (1. quia *Revelatio promiſſionum* & exemplum Chriſti omnibus proponitur reprobis & *electis.* (2. *Promiſſiones Euangelii* credi debent, & *exemplum Chriſti* eſt imitandum. Hoc autem fieri debet vera fide: ſed fidem iſtam habere non poſſumus viribus naturalibus; Ergo alia gratia Dei expectanda eſt.

*Non tantum Revelatio permiſſionem Dei.*

*Non eſt tantum auxilium ut poſſimus.*

III. III. Non eſt tantum aliquod *auxilium, quo Deus adjuvet nobis ſolam poſſibilitatem boni & poſſe bonum, quod primitus in natura dedit, ut, quod facere jubetur homo per liberum arbitrium, id facilius poſſit implere per gratiam.* Ita nempe ut Tò *velle* habeat à viribus *liberi arbitrii*, ſed Tò *poſſe* à *gratia Dei*: ut homo habeat *fidem, charitatem, perſeverantiam* aliaque *bona* à *ſe*, non autem à *Deo*: immo *hominem poſſe præſtare opera vere bona ex viribus naturæ, ut ipſi etiam infideles habeant veras virtutes*, ut volunt *Pelagius*, *Sociniani* & alii. Quam falſum ſit hoc dogma, patet: cum Deus det, non tantum Tò poſſe,

ſed

ſed & ipſum *velle* & *operari*, Phil. 2: 13. *Perficit in nobis potenter totum opus fidei.* 2 Theſſ. 1: 11. Et *quicquid habemus, id à Deo habemus:* nec ulla ratione *gloriari* poſſumus, nos aliquid habere, quod non *acceperimus.* Adeo etiam ut *nemo ſeipſum ab alio ſecernere poſſit.* 1 Cor. 4: 7. Sed falſitas hujus dogmatis clariſſime patebit, ſi examinentur ea quæ dicta ſunt, de *Sanctificatione*, *Regeneratione*, de *libero*, aut potius *ſervo arbitrio*, &c. IV. Hæc gratia non eſt nudum aliquod *donum*, ſive gratia aliqua *habitualis* & *infuſa qualitas*, quæ mentem illuminet, & ſuaſu ſuo atque hortatu voluntatem ſtupentem excitet; quare *præveniens* & *excitans* ſolet vocari, ita tamen ut etiam pendeat à *libero arbitrio*, adeoque in hominis ſit poteſtate, ut gratia iſta bene vel male utatur, ut docent *Pontificii*; & quam gratiam iidem etiam vocant *gratiam gratis datam*, & *gratiam gratum facientem.* Hæc cum ſint ejuſdem commatis fere ac figmenta *Pelagii* & *Socinianorum*, alia refutatione non opus habent. Quis enim dicet hæc omnia mereri nomen gratiæ? (1. Cum à *libero arbitrio* & mutabili voluntate hominis dependeant, & plerumque homini, ipſis adverſariis fatentibus, ſint plane inutilia: quod enim homini non procurat certam ſalutem, id proprie loquendo gratia non eſt. Adde (2. quod grati ſimus Deo, antequam ullam gratiam, ullum donum in nobis habeamus. Deus enim nos ſola ſua miſericordia ſuſcipit; cum *in peccatis ſimus mortui;* Cum ſimus *ſervi peccati;* cum *nihil boni a nobis habeamus;* cum *inimici ſimus Dei*, & *legi nos ſubjicere non poſſimus;* cum in horrendo ſtatu abjecti in ſanguine noſtro volutemur. Ezech. 16. Tandem (3. Non tantum à Deo exſpectandum eſt τὸ *poſſe* ſi velimus, ſed & τὸ *velle.* Phil. 2: 13. Et niſi Deus ipſe nobis det omnia, & *velle* & *poſſe;* nulla gratia nobis prodeſſe poteſt, ut ne gratia quidem dicenda ſit.

*Non eſt qualitas infuſa, præveniens & excitans.*

IV. V. Non eſt *gratia congrua*, qualem ſibi fingunt Pontificii, *Remonſtrantes* aliique, quæ ſit naturalis quædam *diſpoſitio ad pietatem*, ob quam Deus gratiam ſuam largiatur. Ex. gr. quod dederit gratiam ſuam *Petro*, non *Judæ*, *Paulo*, non *Cajaphæ*, quia in illis bonæ erant cogitationes, in hiſce non. Ita ajunt, Deum dediſſe gratiam ſuam *petenti*, *quærenti*, *pulſanti*, veluti *Cornelio* & *Lydiæ*, quo etiam referunt dictum Matth. 13: 12. *habenti dabitur.* Quare etiam magna impietate docent, *hominem irregenitum poſſe facere opus moraliter bonum, ſecundum omnes circumſtantias.* Sed hiſce nihil ſani ineſt. (1. debent enim bona opera fieri 1. ex *mandato Dei*, 2. ex *bo-*

*Non eſt gratia congrua.*

*no principio*, id eſt ex *corde per fidem purificato*, & *bona conſcientia*. 1 Tim. 1: 5. 3. Unice *propter gloriam Dei:* quæ tamen in nullo *irregenito* reperiuntur; cum ſint γεννήματα ἐχιδνῶν, *qui cum ſint mali, nihil poſſunt boni facere.* Matth. 12: 34, 35. (2. Deus eſſet προσωπολήπτης, qui in homine reſpiceret aliquid, quod perfectæ legi ſuæ non eſſet conforme, tanquam bonum opus & præmio dignum. (3. Deus confert gratiam ſuam iis, qui plane nullam habent diſpoſitionem ad pietatem, immo iis, qui acerrimi ſunt hoſtes Dei, qualis erat Paulus, quum ad fidem adduceretur. Act. 9. (4. multi dicuntur *habere*, quibus tamen *nihil datur*: ita *Judæi habebant Zelum.* Rom. 10: 2. tamen erant rejecti, & nihil illis dabatur. (5. *Pharisæus* ipſe teſtatur, ſi non ſit inſtar publicani, ſe hoc habere à Deo; quare ei etiam eo nomine gratias agit. Luc. 18: 11. (6 Ipſum *bene velle* non habemus à nobis, ſed ab ipſo Deo. Phil. 2: 13. (7. Si quis *petit*, *pulſat*, *quærit*, id non habet à ſe, ſed ab ipſo Deo, qui ipſi dat & *poſſe* & *velle* petere, pulſare, & quærere. Phil. 2: 13. *Nemo poteſt dicere Chriſtum eſſe dominum, niſi per Spiritum Sanctum.* 1 Cor. 12: 3. (8. Deus *utrumque fecit*, & eum qui aliquid habere videtur, & eum, qui nihil habet. Job. 34: 19. Omnia itaque habemus à Deo, ipſam etiam *diſpoſitionem* ad pietatem. Ergo nulla datur *diſpoſitio naturalis;* adeoque nulla *gratia congrua.* Vide quæ diximus de *vocatione congrua.* Cap. XV. Theſ. XVII. XVIII.

*Non eſt ſuaſio moralis.*

V. VI. *Gratia* Dei non eſt *ſuaſio moralis*, quaſi Deus eſſet excellens tantum aliquis *Orator*, & in convertendis hominibus magna uteretur arte Rhetorica. (1. Ita Deus vix majori uteretur efficacia in convertendis hominibus, quam Diabolus in iis corrumpendis. (2. Talis ſuaſio non confert vires; ſed eas in homine jam ſupponit, quibus homo poſſet bene vel male uti, pro arbitrio ſuo, quod eſt πρῶτον ψεῦδος. VII. Non eſt ſola *illuminatio externa*, & *remotio obſtaculorum* extra hominem: quia Euangelium prædicatur, & promiſſiones clare proponuntur; quaſi valvæ eſſent remotæ, ut homo lucem ſolis & res quaslibet aſpicere poſſit ſuis viribus, modo oculos aperire velit, quia (1. Homo non debet conſiderari, ac ſi naturaliter haberet viſum, in rebus ſpiritualibus, & quaſi verſaretur in cubiculo, ubi valvæ adhuc ſunt clauſæ ante prædicationem Euangelii: ſed debet conſiderari tanquam *cæcus*, immo *mortuus*, qui opus habet vivificatione & integra reſtitutione viſus: qualia exempla habemus in *Paulo*, *Lydia* aliiſque. (2. Homo ſine gra-

*Non eſt illuminatio externa tantum.*

gratia Dei plane nihil, ne oculos quidem mentis, ſua natura, aperire poteſt: ûti conſtat ex iis, quæ ſupra jam dicta ſunt. VIII. Non eſt *motus aliquis externus*, extra voluntatem exiſtens, & ab ea diverſus, quæ rem aliunde moveret & afficeret: Nam iſte motus præſupponit in voluntate aliquam aptitudinem naturalem, & inclinationem ad operationem, quæ tamen in voluntate nulla eſt: cum ſit *cæca*, immo *mortua* in rebus ſpiritualibus, uti ex dictis patet.

*Nec motus externus.*

VI. Debet igitur gratia Dei concipi ut nova quædam *creatio.* Nam quemadmodum Deus per creationem producit rem ex nihilo, ita per conſervationem & concurſum, ſingulis momentis eam quaſi reproducit, ita tamen, ut nulli rei vis inferatur: ſic in operibus gratiæ *vocat res quæ non ſunt, tanquam ſint,* Rom. 4: 17. adeoque mentem noſtram, tanquam creaturam quaſi reproducit cum piis cogitationibus & volitionibus, & ita quidem ut voluntas velit liberrime, omnia illa ad quæ à Deo determinatur. Uno verbo Deus æterna, abſoluta & efficaciſſima voluntate voluit, ut mentes noſtræ, non tantum exiſterent; ſed ut ſingulis momentis cum piis ejuſmodi cogitationibus exiſterent, ut gloriam Dei ſuamque ſalutem velint, atque liberrime velint: Cum autem æterna iſta Dei voluntas ſit efficax, mentes noſtræ neceſſario tales cogitationes pias in tempore habere debent: cum nemo voluntati Dei reſiſtere poſſit, teſte Paulo. Rom. 9: 19. Et hæc æterna atque efficax voluntas Dei eſt tota *gratia*, quam poſſumus & debemus concipere in negotio ſalutis noſtræ: quæ ut facile concipi poteſt, ita & veriſſima eſt, & cum ſimplicitate Dei ejuſque immutabilitate maxime convenit. Unde patet, *gratiam Dei* & efficacem ejus operationem, non magis pugnare cum *libero arbitrio*, quam ejus providentiam & concurſum ordinarium, circa res quaslibet. Non magis enim libertatem voluntatis lædit, ſi Deus eam continuo quaſi reproducat cum piis cogitationibus, & volitionibus cœleſtibus, quam cum volitionibus circa res naturales.

*Gratia Dei eſt nova quædam creatio.*

*Dei efficax voluntas.*

VII. Eſt igitur *gratia Dei ſummus atque æternus ejus amor erga electos, per quem eos non tantum recipit in pacem, peccata remittit, Chriſtum filium ſuum unigenitum pro iis tradidit, eosque ad fidem & fœdus vocat, vitam æternam promittit; ſed per quem etiam tollit impedimenta converſionis, diſpellit tenebras mentis, lucem veritatis accendit, voluntatem emollit & flectit, immo eam de novo quaſi creat, reproducit & ex mortuis reſuſcitat, eamque potenter ſuaviterque determinat ad bonum, ut illud li-*

*Gratiæ Dei definitio.*

*liberrime velit & amplectatur.* Hæc omnia manifesto patent, (1. Ex summo gradu amoris Dei, quo suos diligit. *Ita enim dilexit mundum, ut dederit filium suum unigenitum* &c. Joh 3: 16. quæ particula *ita* nullam haberet emphasin, si Deus in Jesu Christo nobis non *omnia* dedisset, quæ ad salutem sunt necessaria, adeoque vires & piam voluntatem ad credendum, immo ipsam *fidem*, *perseverantiam*, & reliqua. (2. Natura *fœderis gratiæ* postulat, ut gratia Dei undique elucescat, adeoque ut Deus fœdus proponat & conditiones propositas omnes in nobis operetur. (3. *Fides* est donum Dei, & à solo Spiritu Sancto in nobis producitur, uti ostendimus ubi *de fide* egimus. Cap. VIII. (4. Deo attribuitur nostra *vocatio interna*, *Regeneratio*, *Resipiscentia*, *Perseverantia*, & quicquid boni habemus, ut suis locis ostenditur. *Efficit enim in nobis velle & operari.* Phil. 2: 13: *Excellens magnitudo potentiæ ejus est in nobis, qui credimus secundùm efficacitatem præpollentiæ virium ipsius.* Ephes. 1: 19. *Deus facit ut statutis suis ambulemus.* Ezech. 36: 27. Vide Joh. 6: 44. Act. 2: 47. Rom. 4: 17. Cant. 1: 4. Jerem. 31: 18. Joh. 3: 27. & 15: 5.

*Voluntas ad gratiam Dei se habet passive.*

VIII. Igitur voluntas hominis ad gratiam Dei se habet mere passive, in primo momento operationis Dei: ut patiatur se à Deo fingi, pro ipsius beneplacito; Ita tamen ut ad primum motum, qui fit à Deo, anima ipsa secundo momento etiam operetur, quia voluntas in homine, sine operatione, ne concipi quidem potest. Optime itaque Paulus docet: voluntatem ad gratiam Dei habere, ut *lutum* ad *figulum*, à quo omnem formam accipit. Rom. 9: 20, 21. aut ut *lapis* se habet ad *templum Dei*, sed tanquam *lapis vivus*, uti loquitur Petrus. 1 Petr. 2: 5. quia spirituali ædificio inseritur, non *coacte*, sed *voluntarie*, ita ut ædificio inseri velit. Non quod Deus ullo tempore in mente aut voluntate nostra operetur, ante voluntatem, & quo ipsa voluntas non operetur. Quando enim in voluntate nostra operatur, tunc in ea producit *velle*, sed *velle* est ipsum operari voluntatis; ergo eodem tempore, quo Deus in voluntate operatur, ipsa voluntas quoque operatur. Deus itaque in voluntate prior operatur, non *prioritate temporis*, sed *prioritate naturæ*, & *principii*, tanquam prima causa omnium nostrarum operationum.

*Actiones piæ nostræ sunt.*

IX. Unde sequitur *fidem* omnesque mentis nostræ *actiones pias*, revera *nostras* esse: cum Deus faciat ut mens nostra eas velit, & liberrime velit: immo ut potentissime operetur & velit, quantum operari & velle potest, secundum vires quas Deus ipsi largitus est.

Cum

Cum autem Deus natura prior in nobis operetur, & voluntatem nostram potenter moveat & flectat, ad omne bonum; certum est totam salutem *gratiæ Dei* unice adscribendam esse. Unde etiam constat, nos non esse Dei *causas socias*, quasi operaremur cum Deo, & propriis viribus aliquid ad nostram salutem conferremus, quod non haberemus à Deo, ut volunt *Synergistæ Lutherani*, aliique contra Paulum, qui omnia & *velle & operari* Deo soli adscribit. Phil. 2: 13. Vide 1 Cor. 4: 7.

*Causa socia.*

*Synergistæ.*

X. Solet etiam hæc *gratia Dei* dici *irresistibilis*, quod vocabulum primo à *Jesuitis* confictum est, odio veritatis, & ad proscindendos Reformatorum doctores, quasi Reformati per Tò *irresistibile* intelligerent aliquam *coactionem*, & quasi Deus voluntati nostræ vim inferret eamque propelleret cœco impetu, eodem modo quo pecus agitur, aut lapis projicitur, ita ut nesciat quid agat, & ut resistere non possit. Si hoc sensu Tò *irresistibile* sumatur, tunc negamus *gratiam* Dei esse *irresistibilem*. Nam etsi Deus afficiat voluntatem eamque determinet, ut non possit non habere pias cogitationes, quæ ad fidem, spem, charitatem, perseverantiam, & ad reliquas virtutes requiruntur, tamen Deus non agit in ipsa voluntate, contra naturam voluntatis nostræ; eam enim ita afficit, ut homo semper ex consilio & præelectione operetur, summaque cum libertate, & sine ulla coactione velit.

*Gratia irresistibilis non est coactio.*

XI. Si autem per Tò *irresistibile* intelligunt vim & potentiam Dei, quatenus voluntas nostra ita suaviter à Deo est mota atque ducta, ut ejus voluntati resistere nec possit, nec velit, optime dicitur *irresistibilis* omnis operatio Dei, adeoque ejus *gratia*, quæ in nobis operatur, hoc sensu erit *irresistibilis*. Et sane hoc sensu gratiam Dei esse *irresistibilem*, clarum est. (1. quia Apostolus hoc docet exsertis verbis: *Nam voluntati ejus quis resistet?* Rom. 9: 19. (2. gratia Dei est *virtus interna Dei*, quæ se habet ad conversionem nostram, ut ejus potentia ad creationem. *Vocat enim Deus ea, quæ non sunt, tanquam sint.* Rom. 4: 17. *Operatur in nobis velle & operari.* Phil. 2: 13. *Consilium Dei stat, & facit omne suum beneplacitum.* Es. 46: 10. Quemadmodum *nihil* poterat resistere efficacissimæ voluntati Dei in creatione, ita homo, qui vocatur quando revera nihil est, non potest resistere potentiæ divinæ. (3. Voluntas Dei dependeret à voluntate hominis, adeoque non esset summe perfectus Deus.

*Quo sensu irresistibilis dicatur.*

XII. Insulsum igitur est dogma *Remonstrantium*, qui docent: *men-*

*Error. Remonstrantium.* *mentem à Spiritu Dei illustrari, tenebras ejus vinci, vi insuperabili, affectus etiam sanari irresistibiliter*, tamen *voluntatem posse sequi, vel non sequi, resistere gratiæ Dei, vel non resistere, ut in libero arbitrio hominis semper positum sit, utrum velit resistere, an se submittere;* quæ non tantum sibi manifesto contradicunt, sed & *vires nostras Deum nostrum faciunt*, Habac. 1: 11. Nec errorem suum probabunt I. ex verbis Stephani Actor. 7: 51. *Spiritui semper obnitimini.* Ibi enim intelligi debet tantum externa prædicatio Spiritus Sancti; non quod resistatur Spiritui intus in corde operanti. II. Verba Matth. 23: 37. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui filios tuos congregare &c. sed tu noluisti*, eos nihil juvant. Nam 1. *Voluit congregare*, per ministerium externum. 2. Illi, qui noluerunt, non sunt iidem, quos Christum voluit congregare; voluit enim congregare eorum *filios*, sive *Cives Jerusalem;* sed qui noluerunt, sunt *Patres carnis, Sacerdotes, Scribæ, Principes* & *Seniores* populi, qui prædicationi Euangelii sese opposuerunt, & Prophetas occiderunt. III. *Deus omnia fecerat vineæ suæ*, ut merito rogare potuerit: *quid facerem vineæ meæ?* Es. 5. Sed hoc de *ministerio externo* intelligendum est. Alias non potest dici, quod Deus *omnia fecerit*, quæ poterat facere, etiam per internam operationem Spiritus Sancti, cum Deus eorum corda proculdubio potuisset convertere, nisi omnipotentiam ejus negemus. IV. Fatemur *Sensum carnis esse inimicitiam contra Deum, & legi Dei se non subjicere, nec posse.* Rom. 8: 7. Tamen non sequitur: hominem carnalem semper resistere gratiæ Dei: nam etsi non possit se subjicere *naturaliter*, potest tamen & debet se subjicere *supernaturaliter* & per gratiam Dei: alias nemo se subjiceret. V. Inde etiam non sequitur: *qui Deo vocanti obstrepit, is revera ejus voluntatem adimplet.* Euangelium enim non prædicatur, ut homo obstrepat; hæc sane non est voluntas Dei. Ergo obstrependo voluntatem non adimplet.

*Eorum argumenta solvuntur.*

VI. Concedimus totum, scilicet *Neminem converti posse, quam qui actu convertitur:* numerus enim electorum & convertendorum, nec potest augeri nec diminui. VII. Nec ideo *homo semper dubius erit, utrum serio ad salutem vocetur.* Nemo enim debet dubitare de *sinceritate Dei*, si ipse officium suum sincere faciat. Immo si experiatur in se veram fidem, persuasus debet esse, se non tantum sincere vocatum esse, sed se revera servari. VIII. Nec inde sequitur: quod *homo in negotio salutis se habeat ut truncus, si per liberum arbitrium gratiæ Dei resistere non possit.* 1. Truncus enim nihil agit; at vero voluntas

nostra

nostra operatur, ita enim Deus eam excitat & flectit, ut lubentissime velit obedire Deo. 2. *Sponsa* Christi, id est Ecclesia ita *trahitur*, ut ipsa liberrime *currat. Trahe nos, & curremus post te.* Cant. 1: 4. Ita homo *reducitur* à Deo, ut ipse sponte sua *convertatur.* Jer. 31: 18. IX. Nec ideo minus *actiones bonæ & piæ erunt actiones nostræ, & non solius Dei tantum.* Sunt *Dei operationes* fatemur quidem, ideo conversio nostra magis Deo attribuitur, quam nobis. Cant. 1: 4. Jerem. 31: 18. Phil. 2: 13. sunt tamen etiam *actiones nostræ*, quia mens nostra in iis producendis operatur, & quidem liberrime: Deus enim ita in voluntate nostra operatur, ut nos velimus & operemur quod Deus vult. Quamvis tamen fateamur difficillimum esse captu, quomodo id fiat, & quomodo operatio Dei consistere possit cum libertate mentis nostræ. Sufficit Sacram Scripturam id docere, & sanam rationem id dictare. X. Nec *frustranea erunt omnia mandata, admonitiones, promissiones* &c. *si homo non agit ex libero arbitrio, ita ut possit obedire, vel resistere voluntati Dei.* 1. *Mandata* enim, *admonitiones* &c. sunt tanquam instrumenta ad excitandam & disponendam voluntatem nostram. 2. *Esaias monetur ut obediret, nihilominus tamen Deus ipsi simul aperit aurem.* Es. 50: 5. Paulus prædicat *Lydiæ*, simul tamen Deus ei cor aperit. Act. 16: 14. Est πρῶτον ψεῦδος Remonstrantium, qui docent: *habitus infusos non cadere sub præceptum.* Deus enim nobis revera infundit *fidem, charitatem, perseverantiam*, eadem tamen simul mandat, quia per ejusmodi mandata, tanquam per instrumenta, infundit.

*Gratia Dei non est sufficiens nisi efficax.*

XIII. Hæc gratia Dei non tantum est *sufficiens*, ut docent *Remonstrantes, Pontificii* aliique, sed & *efficax*, cum id, quod non est *efficax*, non possit dici *sufficiens*; quia omnis sincera gratia Dei datur ob salutem. Est igitur finis gratiæ Dei salus: ut ubi gratia non obtinet finem, id est *salutem*, ibi non sit gratia sufficiens. Deinde cui aliquid deest, id non potest dici *sufficiens*, sed ubi non est *efficacia*, ibi præcipuum deest; Ergo sine *efficacia* non est *gratia sufficiens.* Gratia autem hæc *sufficiens* & *efficax* in solis *electis* reperitur, non in *reprobis*, qui nec *sufficientem*, nec *efficacem* obtinent.

*Nulla datur gratia universalis sufficiens.*

XIV. Falso igitur docent *Remonstrantes* aliique dari aliquam gratiam *universalem* & *sufficientem* in *omnibus hominibus*: sed *efficacem* tantum in *electis*, quæ *efficacia* dependeat ab hominis *libero arbitrio*, non ab efficaci operatione Spiritus Sancti. (1. quia homo aliquid haberet, quod non accepisset, contra Paulum. 1. Cor. 4: 7. *Seipsum se-*

*cerneret*, & *à non credente* se *distingueret*, contra eundem Paulum, ibidem. (3. *Sola Dei* gratia non sufficeret; contra 2. Cor. 12: 9. (4. Non esset *gratificantis Dei* tantum, sed & *hominis volentis & currentis.* Contra Rom. 9: 16. (5. Voluntas Dei dependeret à voluntate hominis.

*Nulla subjectiva, nec objectiva.*

XV. Sequitur igitur nullo sensu dari *gratiam Universalem*; nullam esse *subjectivam Remonstrantium, Socinianorum, Pontificiorum*, aliorumque. Nec etiam datur Gratia Universalis *Objectiva* quorundam ex Orthodoxis, qui volunt Deum omnibus hominibus gratiam suam quidem obtulisse per Euangelium, & per opera creationis ac providentiæ suæ: sed in homine peccatore esse *impotentiam moralem*, ut eam non possit amplecti, nisi regenitus per Spiritum Sanctum, adeoque esse *universalem objective* in omnibus, sed *particularem subjectivam* in electis tantum. Falsum est, gratiam istam esse universalem *objective*. Primum quia non omnibus annunciatur, cum multi mortui sint, & quotidie moriantur, qui ne fando quidem quidquam de Christo audiverunt. Nec dicendum est, omnibus revelatum esse *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ*. Rom. 1. Hoc enim non sufficere, nec *gratiam* dici debere, jam probavimus. Deinde sola prædicatio externa, sive per prædicationem Euangelii, sive per *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ*, non sufficit ad conversionem & salutem, fatentibus ejusmodi gratiæ fautoribus. Quod autem non est *sufficiens* ad salutem, id *gratia salutaris* dici non debet, cum Deus *gratia* sua semper intendat salutem electorum, eamque producat in iis atque consequatur. Plura vide Capite VI. & VII. Ubi de *Gratia Universali* fusius egimus.

## LOCUS XV.

## CAPUT XVIII.

*De Constantia Fœderis Gratiæ, sive de Perseverantia Sanctorum.*

*Fœdere operum nemo servatus.*

I. Cum *fœdus gratiæ* in multis differat à *fœdere operum*, tunc & in hoc præcipue. 1. quod per *fœdus operum* nemo servatus fuerit; sed per *fœdus gratiæ* omnes fœderati serventur. 2. quod *fœdus operum* fuerit *mutabile*, nec diu steterit, sed inde omnes fœderati *exciderint*; fœdus autem gratiæ sit *immutabile* & *constans*, ut eo nemo excidere possit: sed qui semel in hoc fœdus recepti sunt, in eo stent, perseverent, & salutem certissime consequantur. Quicunque

que enim gratiam Dei semel consequutus est, vera fide in Christum credidit, is gratia & fide nunquam excidit, sed in ea stat & persevérat, salutemque necessario adipiscitur. Et hæc quidem constantia in fide & gratia Dei dici solet, *Perseverantia Sanctorum*, de qua nunc fusius agendum erit.

*Perseverantia Sanctorum probatur.*

II. Probatur igitur *Constantia fœderis gratiæ*, sive *Perseverantia Sanctorum.* (1. Ex natura *Pacti æterni* inter patrem & filium. Nam per istud pactum pater promittit filio certum *semen* & *hæreditatem*, ubi *posuerit animam pro reatu.* Es. 53: 11. Psal. 2: 8. Ergo Christus necessario debebat istud semen obtinere, cum conditionem pacti præstiterit, & pater promissis steterit. (2. Ex natura *sponsionis* Christi. Est enim contra naturam sponsionis contraque sponsoris prudentiam, ut spondeat pro iis, quos non novit certissime servandos. *Novit enim qui sint sui.* 2. Tim. 2: 19. *Novit oves suas.* Joh. 10: 14. (3. Ex natura *solutionis*, quæ facta est vi sponsionis. Nam *obediens fuit usque ad mortem crucis.* Phil. 2: 8. &c. Sed repugnaret sapientiæ & justitiæ sponsoris, ut tam earum pretium solveret pro iis, qui non servarentur. Indignum quoque esset bonitate & justitia supremi judicis, ut tantam solutionem acciperet à sponsore pro iis, quos ipsi non certo daret. (4. Ex *restipulatione* sponsoris vi istius pacti æterni. Cum enim solvisset, semen istud & hæreditatem, quam sua solutione acquisivit, à patre confidenter petiit: *Pater volo ut ubi ego sum, & illi sint quos mihi dedisti.* Joh. 17: 24. *Redime eum, ne descendat in foveam.* Job. 33: 24. Hebr. 9: 12. Igitur sponsor solvit, non tantum ut *possent* servari fœderati, si velint, sed ut *vellent* servari, ut crederent in Christum, adeoque ut *revera servarentur: dat enim velle & perficere.* Phil. 2: 13. (5. Ex natura *fœderis gratiæ.* Dicitur *fœdus gratiæ*, quia est plane *gratuitum*, quod in mera gratia & εὐδοκίᾳ Dei fundatum sit. Eph. 1: 9. 2. Tim. 1: 9. Ergo Deus solus est auctor omnium partium & conditionum fœderis, adeoque quod homo adstipuletur, credat & in fide perseveret. Omnia enim à Deo habemus. 2. Cor. 3: 5. Si autem in nobis producat *adstipulationem*, id est *fidem*; cur non etiam *perseverantiam* in fide? Eo magis, cum ejus dona sint ἀμετάθετα Hebr. 6: 17, 18. & ἀμεταμέλητα. Rom. 11: 29. cum sit *firma & constans gratia.* Ps. 89: 29. & jurejurando *confirmata.* Hebr. 6: 17, 18. Hinc Deus dicitur fœdus suum pepigisse, ut populus suus *à se non recedat*; quare & *perpetuum* dicitur. Jer. 31: 40. quæ non tantum de bonis Novi Testamenti, sed & de omnibus bonis salutaribus fœderis

gratiæ intelligi possunt. (6. Ex natura *Testamenti:* fœdus enim gratiæ habet naturam *Testamenti*, uti suo loco ostendimus. Sed in omni Testamento testator scribit sibi *certos hæredes.* Nec dicendum est, hæredes scribi *sub conditione*, aliqua præstanda, scilicet *si credant* & in fide perseverent. Hoc quidem locum habet inter homines, ubi Testator est incertus utrum hæredes conditionem adimpleturi, & hæreditatem adituri sint: & ubi testator hæredem ad implendam conditionem non potest adigere. Sed hoc in Testamento Christi locum habere non potest: cum Testator ipse det fidem, adeoque in hærede conditionem adimpleat. Adde quod hoc Testamentum irritum fieri non possit: cum sit *sanguine* & *morte Testatoris ratificatum.* Hebr. 9: 17, 18, 19. Ergo nec Testatoris voluntas mutabilis est, nec hæres hæreditatem respuere potest: quia Deus eum potenter movet, ut hæreditatem adeat.

*Exceptio.*

III. Probatur quoque *perseverantia Sanctorum* (7. ex natura *Promissionis* fœderis gratiæ, & ex *fine* propter quem Deus eos in fœdus recipit. *Finis* autem illius est, ut fœderati habeant *vitam æternam.* Nam (α) *eliguntur*, *adoptantur*, atque *vocantur ad acquirendam gloriam D. N. J. C.* 2. Thess. 2: 13, 14. Ephes. 1: 4, 5, 13, 14. (β) *Justificantur* & *reconciliantur*, ut essent *sancti.* Col. 1: 21. ut *liberarentur ab ira* & *servarentur per vitam ejus.* Rom. 5: 9, 14. Nervose ibi argumentatur Paulus: *Si reconciliati sumus, per mortem Christi, multo magis servabimur per ejus vitam.* Stramineum esset hoc argumentum, si fideles gratia Dei possent excidere, non enim servarentur, etiamsi reconciliati. (γ) Spiritus Sanctus electis datur, ut *haberent vitam æternam hæreditatem.* Est ipsis enim *arrhabo hæreditatis.* Ephes. 1: 14. & 4: 30. 2. Cor. 1: 21, 22. Hinc, uti solis electis *datus est*, ita & *in iis manet.* Joh. 14: 16, 17. Ergo non permittit, ut fœdus deserant. (δ) Omnia beneficia fidelibus data sunt, & finis omnium est *gloria æterna. Quos prædestinavit, eos vocavit & justificavit, & quos justificavit etiam glorificavit.* Rom. 8: 28, 29. Frustra excipiunt *Remonstrantes*: Apostolum hic agere de *prædestinatione* & *vocatione* ad *afflictiones*, & per eas ad *gloriam:* nam non omnes, qui vocantur ad afflictiones, servantur, veluti πρόσκαιροι. Matth. 13: 21. Nec omnes, qui glorificantur, vocantur ad crucem. Multi enim profunda pace fruuntur per totam vitam. Sed quocunque sensu sumatur, Paulus tamen adfirmat *electos* & *vocatos glorificari.* Rom. 8: 29, 30. (8. Probatur

*Exceptio.*

cx

ex *dignitate* fœderatorum: fiunt enim סגלה & דבר נחמד *peculium*, & *res pretiosa in manu Dei.* Exod. 19: 5. Deut. 14: 2. Sunt *genus electum*, *Regale sacerdotium*, *gens sancta*, λαὸς εἰς περιποίησιν. 1. Petr. 2: 9. *Christi sponsa.* Cant. 6: 1. Ps. 45: 11, 12. Os. 2: 19. Ephes. 5: 32. Ejus *membra* vers. 30. Ita & *pupilla oculi ejus.* Deut. 32: 10. Zach. 2: 12. Ejus *caro* & *corpus.* Ephes. 5: 29, 30. *Fratres.* Rom. 8: 29. *Palmites.* Joh. 15: 4, 5. *Oves.* Joh. 10: 14. Ejus κλῆρος *sors.* 1. Petr. 5: 3. An credibile est, eum rem tam caram tamque pretiosam unquam deserturum, & amissurum? (9. Ex fœderatorum *vita*, quæ magis est vita Christi, quam hominum, cum Christus in *corpore* & in *membris* suis *vivat.* Joh. 14: 19. Col. 3: 3. Gal. 2: 20. *Vita* autem Christi non potest extingui. (10. Ex *alimentis*, quibus regeniti in *vita spirituali* conservantur: *Cibus* enim & *potus* eorum est ipse *Christus.* Sed qui talem cibum comederit, & potum biberit, is nunquam *esuriet* nec *sitiet* in æternum. Est enim cibus qui *manet in vitam æternam:* ut si quis eum ederit nunquam moriatur. Joh. 6: 27, 29...... 51. &c. *Quisquis biberit ex aqua quam ei dabo, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joh. 4: 14. Sine probatione dicit *Bellarminus*, fontem istum siccari & obstrui posse; est enim *fons aquæ salientis in vitam æternam*, & *nunquam sitiet*, *qui ex eo biberit.* Nec error iste probatur ex Jerem. 2: 13. *Me dereliquerunt, ut effoderent sibi cisternas fractas.* Nunquam enim impios, de quibus loquitur Jeremias, ex isto fonte bibisse, satis patet: cum sibi cisternas foderint.

*Exceptio.*

IV. Probatur (11. Ex *conditione* fœderatorum, quod *peccare non possint: quia semen Dei in eis manet.* 1. Joh. 3: 9. Cum autem maximum esset peccatum, si quis à fide recederet, sequitur eos ab ea recedere non posse, ita enim *peccarent.* Inepte excipiunt *Remonstrantes: sanctos non peccant, quamdiu in sanctitate manent.* Perinde est ac si dixissent *sancti non peccant, quamdiu non peccant.* Ita argumentatur Johannes: *Qui ex Deo natus est, non potest peccare. Sancti ex Deo nati sunt.* Ergo. Majorem probat, *quia semen Dei in eis manet.* Hoc autem *semen* Dei est ipsum verbum Dei, aut potius illa *virtus spiritualis*, quam Spiritus Sanctus per verbum Dei in sanctis producit. Hinc *verbum* toties cum *semine* comparatur. Luc. 8: 11. Marc. 4: 2, 14. Hebr. 4: 12. Act. 12: 24. Quamdiu igitur hoc *semen*, sive hæc virtus Dei in homine manet, non peccat: sed in sanctis manet εἰς αἰῶνα, *in æternum.* 1. Petr. 1: 23. Manet quidem, quia est ἄφθαρτον

*Exceptio.*

*incorruptibile*, ut loquitur ibi Petrus. Eſt *incorruptibile*, non tantum ſua natura, ut nugantur *Remonſtrantes*; ſed ideo etiam quia in homine manet in æternum. Sed quia *incorruptibile* eſt, ab ipſo homine corrumpi non poteſt. Hinc iiſdem ſanctis promittitur hæreditas, quæ nec corrumpi nec marceſſere poteſt. 1. Petr. 1: 4, 5. (12. Probatur ex *dignitate* & *valore mortis Chriſti*. Nam illi, pro quibus Chriſtus traditus eſt, illis etiam tradita ſunt omnia bona cum Chriſto, adeoque *fides, perſeverantia* & *vita æterna. Qui proprio filio non pepercit.* &c. Rom. 8: 32. (13. Ex ſingulari *cura*, quam Chriſtus habet de electis ſuis, & quam eis promittit. (α) dicitur σωτὴρ τοῦ σώματος, *Servator ſui corporis*. Epheſ. 5: 23. Hinc *cuſtodit eos, & nemo ex eis perit, niſi filius perditionis*, qui ei *datus fuit*, *ad Apoſtolatum* tantum *non ad ſalutem*. Joh. 17: 12. *Ex ovibus meis*, ait Chriſtus, *nemo peribit in æternum*. Joh. 10: 17, 18. &c. (β) *Orat Patrem, ut eos conſervet ab impio iſto*. Joh. 17: 15, 20. *Oravit pro Petro, ne fides ipſius deficeret*. Luc. 22: 31, 32. (γ) *Non permittit ut tentarentur ultra vires ſuas, ſed dat exitum cum tentatione*. 1. Cor. 10: 13.

Exceptio.

V. Probatur porro (14. Ex Chriſti manifeſta *promiſſione*. *Portæ inferni nihil poterunt contra Eccleſiam*. Matth. 16: 18. Inſulſe *Remonſtrantes* per *portas inferni* intelligunt *ſtatum mortis*, quaſi Chriſtus dixiſſet: *Putredo ſepulchri & ipſa mors non impediunt, quominus ii, qui perſeverant in fide, habeant vitam æternam*. Quis unquam ſomniavit, ſtatum mortis evertere Eccleſiam? *Portæ inferni* ſunt Diaboli, tyranni, hæretici, blanditiæ mundi &c. prout *portæ* ſignificant robur & potentiam urbium ac imperiorum, Senatus & Principum aulas. Deut. 21: 19. Ruth. 3: 11. Zach. 8: 16. Thren. 5: 14. & alibi. Hinc nec *nimbus* nec *ventus* evertent Eccleſiam, cum ſit fundata ſuper petram. Matth. 7: 27. Nec *mors*, *nec vita*, *nec Angelus* &c. *nos ſeparabunt a dilectione Chriſti*. Rom. 8: 34. (15. Ex *defectu virium hoſtium Eccleſiæ*, qui *electos non poſſunt ſeducere*. *Falſi Chriſti*, *falſi Prophetæ edent ſigna magna & miracula: ita ut ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos*. Matth. 24: 24. Perinde eſt ac ſi dixiſſet: *impoſſibile eſt, ut ſeducant electos*. *Remonſtrantes* male excipiunt: εἰ δυνατὸν ſignificare, non *abſolutam impoſſibilitatem*, ſed rei tantum *magnam difficultatem*. Sed ad ſuperandam difficultatem non opus eſt *ſignis* & *miraculis*. Nec probabunt εἰ δυνατὸν ſignificare tantum *magnam difficultatem*, non *abſolutam impoſſibilitatem*, ex Act. 20: 16. ubi Paulus dicit, *ſe feſtinare, ut feſto Pentecoſtes*, εἰ δυνατὸν *eſſet Hieroſolymis*. Et Rom. 12: 18.

Exceptio.

Exceptio.

Sa

*Si fieri potest, cum omnibus hominibus vivite in pace.* Nam ista verba εἰ δύνατον, *si possibile est*, sunt vel *dubitantis*, vel *absolute negantis.* Dubitantis sunt, quando is, qui ea profert, eventum ignorat. Hoc dici potest de Paulo, non de Christo. Ergo Christus, qui est omniscius, hæc dixit, ut rem plane negaret, & ut ostenderet impossibile esse, ut electi seducantur. Ejusmodi phrasin vide Gal. 4: 15. εἰ δύνατον *vestros oculos effoderetis & mihi daretis*, id est ex natura rei impossibile est, ut oculos effodiatis, & ut mihi quicquam boni inde accedat. Sic Matth. 26: 39. *Pater mi* εἰ δύνατον *transeat hic calix a me.* Hoc erat impossibile ex decreto Dei, & sponsione Christi. Sic *impossibile* est, ex decreto Dei, & propter tot alias rationes, ut electi seducantur. Adde quod, si possibile esset, ut electi seducerentur, tunc ex hoc dicto sequeretur omnes electos seduci, etiamsi difficulter: cum falsi Prophetæ nihil intentatum relinquant, ut eos seducant, si seduci possint.

VI. Probatur præterea *Perseverantia Sanctorum*, ex iis quæ dicta sunt de *Prædestinatione, Electione, Vocatione*, de *Objecto mortis Christi*, de *Gratia Universali*, & de *certitudine fidei ac salutis*, quemadmodum suis locis ostendimus. Nam si illi, quos Deus *prædestinavit, elegit, vocavit*, pro quibus *Christus mortuus est*, quibus *gratiam suam largitur*, necessario servantur, ut supra probavimus; si fideles *certi* esse possunt de salute sua, sequitur eos fœdere Dei, sive gratia ac fide nunquam posse excidere. Ergo *fœdus gratiæ* est *constans, immutabile*, & veri fœderati fidem nunquam amittunt.

*Argumenta adversaria solvuntur.*

VII. Contra *Perseverantiam Sanctorum* nihil faciunt quæ solent adferri ab adversariis. 1. *Cum avertit se justus à justitia sua: & fecerit iniquitatem, moritur in illa.* Ezech. 18: 26. Nam 1. Propheta non dicit absolute, *justum se avertere à justitia sua*: sed tantum *conditionate*; *si sese averterit.* Est conditio impossibilis, quæ nihil ponit in re. Veluti Gal. 1: 1. *Si Angelus vobis annunciaret aliud Euangelium*, non sequitur, quod Angelus id unquam facturus sit. 2. Potest intelligi justitia ficta & hypocritica, qua facile excidere potest, immo & excidit; ut in gravissimam pœnam incidat: alias Deus ad tempus sæpe hypocritis parcit, ut Achabo aliisque, quos tamen, postquam in scelera ruunt, gravissime punit. 3. Intelligi potest justitia *legalis*, non *Euangelica.* Homo scilicet fidelis sæpe excidit ex justitia *legali*, adeoque gravissime punitur, pœna corporali & temporali, secundum leges, quemadmodum, adulteri, homicidæ, fures, ut David aliique:

ta-

tamen non excidunt *gratia Dei*, & justitia *fœderali* ac *Euangelica.* De tali pœna conquesti fuerunt Judæi, scilicet quod Parentes peccaverint, & quod filii nunc puniantur. Injustas istas querelas Deum nunc retundit, ostendens se eos non punire propter peccata parentum, sed propter peccata, quæ quilibet injuste & contra legem commiserat. II. Illi *qui super petram* dicuntur *ædificati, & verbum Dei suscipiunt, at radices non habent, sed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8: 13. non habent veram fidem *salutarem*, sed *temporalem* & *hypocriticam* tantum. Ideo dicuntur tantum *πρόσκαιροι* & *radicem non habentes;* sed veri fideles fidem *ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ* & bonum fructum fuerunt *ἐν ὑπομονῇ*. Luc. 8: 15. III. *Christus tollit* quidem *omnem palmitem in se non ferentem fructum.* Joh. 15: 2. sed ejusmodi palmites non fuerunt in Christo: aut, si in Christo fuerunt, id intelligendum est, tantum quoad professionem externam: quemadmodum Johannes loquitur. 1. Ep. 2: 19. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis.* Eodem sensu, si *palmites* fuissent in Christo *vera fide*, non *hypocritica*, mansissent in Christo.

VIII. IV. *Charitas multorum dicitur quidem refrigescere.* Matth. 24: 12, 13. Tamen 1. non dicitur *extingui.* 2. Si *charitas extinguitur*, aut si *fides perit*, tunc erit fides tantum *hypocritica* non *salutaris.* V. Si Paulus *corpus suum castigavit & in servitutem redegit, ne forte reprobus efficeretur.* 1. Cor. 9: 27. non sequitur tamen eum *reprobum fieri* potuisse. Contrarium potius ex isto loco sequitur. VI. *Illi qui dicuntur evacuati a Christo, qui in lege justificantur, & à gratia exciderunt.* Gal. 5: 4. non sunt veri *electi*, qui fide salutari sunt donati: Christum enim sibi reddunt inutilem; Nam *si justificatio est ex lege, Christus frustra mortuus est.* Gal. 2: 21. Qui autem justificationem quærunt per legem, illi nunquam fuerunt in Christo per fidem: sed tantum per professionem externam. VII. Qui dicuntur *naufragium facere circa* fidem. 1. Tim. 1: 19. *in novissimis diebus à fide discedere.* 1. Tim. 4: 1. Illi non habebant veram fidem *salutarem*, sed *simulatam*, *temporalem* & *hypocriticam* tantum; quod maxime patet ex ipso textu, cum fuerint imbuti falsa doctrina, *fabulis*, *vanis genealogiis* & *doctrina Diabolorum.* 1. Tim. 4: 1. Habebant itaque fidem simulatam, quoad externam professionem, quam etiam deseruerunt.

IX. Nec VIII. favet locus ex Hebr. 6: 4, 5, 6. *Impossibile est, ut ii, qui semel illuminati sunt, qui gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, qui bonum verbum Dei gustaverunt & virtu-*

*tutes futuri sæculi, si labantur, iterum renoventur ad resipiscentiam.* Nam 1. Non dicitur in hoc loco, eos, *qui semel sunt illuminati, qui gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti* &c. posse relabi; sed id, quod additur, est tantum *conditionale*, quod nihil ponit in re, præsertim si sit conditio impossibilis. 2. In hoc loco non agitur de vera fide, sed de *temporali* tantum, de qua Matth. 13: 20. 21. & Luc. 8: 13. Nam Apostolus agit de iis, qui sunt instar terræ, quæ *fert spinas & tribulos, quæ reproba est, & prope cremationem*, vers. 8. quales habent fidem hypocriticam & temporalem tantum, adeoque eam amittere possunt. 3. Apostolus loquitur de multis Judæis, qui jam erant *illuminati* de promisso Messia, qui jam venerat, *Gustaverunt donum cœleste*, Jesum Christum à patre cœlitus datum, quem acceperunt *cum gaudio*, Matth. 13: 20. *Participes facti sunt Spiritus Sancti:* non quod acceperint Spiritum Sanctum, *Paracletum*, *Advocatum*, qui eos *duceret in omnem veritatem*, qui est *arrhabo*, *sigillum* &c. Ephes. 4: 30. & qui in eis *remaneret in æternum.* Joh. 14: 18. sed *dona* quædam *Spiritus Sancti*, per impositionem manuum, ut prædicarent verbum, & miracula ederent, non minus quam Judas aliique, qui tamen veram fidem non habuerunt, de quibus vidè Matth. 7: 22. *Bonum gustaverunt verbum Dei*, agnoverunt verbum de Christo esse ἐυαγγέλιον בשורה טובה *bonum nuncium* de remissione peccatorum, & de vita æterna, cui verbo assensum præbuerunt. Tandem *gustaverunt virtutes futuri sæculi*, id est gratissimum illis fuit, sæculum Veteris Testamenti mutari in *sæculum futurum* Novi Testamenti. Hebr. 8: 13. Gal. 1: 4. 1 Cor. 2: 6. Ephes. 1: 12. se liberari à *jugo servitutis*, & *lege carimoniarum*, quæ imponebant *jugum insuportabile.* Act. 15: 10. & imponi *jugum leve.* Matth. 11: 30. ut non amplius haberent *Spiritum servitutis*, sed *Spiritum adoptionis.* Rom. 8: 15. ut, cessante *pædagogia*, essent emancipati & sui juris. Gal. 4: 1, 2. &c. Eo usque multi Judæi pervenerunt, sed, cum veram fidem non habuerint, etiam ista professione externa exciderunt. Ideo *ad resipiscentiam non renovantur;* id est, Deus eos ad veram resipiscentiam nunquam elegit, adeoque in lapsibus suis eos reliquit: immo eis *dat efficaciam erroris, ut credant mendacio.* 2. Thess. 2: 11.

IX. Idem fere responderi potest IX. ad verba ejusdem Apostoli Hebr. 10: 26, 27. *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia pro peccatis* &c. 2. Petr. 2: 21, 22. *Melius erat illis non agnovisse viam justitiæ, quam post agnitam retrorsum converti* &c. Nam qui *voluntarie peccant*, non habent veram fidem; veri

 enim

enim *electi habent semen Dei in se & non possunt peccare.* 1 Joh. 3: 9. Petrum ibi non loqui de veris fidelibus patet: quia vocantur *sues & canes*, quales non sunt *electi.* X. Si *angeli & primi parentes exciderunt*, non sequitur; *ergo & nos possumus excidere.* Nam 1. angeli & primi parentes *libero arbitrio* relicti fuerunt, nos autem stamus sola gratia Dei. 2. *Angeli & primi parentes* fuerunt creati *labiles*; at vero ii, qui regeniti sunt, non possunt peccare, eo sensu, ut à Deo deficiant. XI. Nec procedit: *Saulus erat vir bonus & justus, tamen excidit.* 1. Sam. 9: 2. Non enim dicitur *justus*, sed tantum בחור *juvenis*, aut, si exponas per *electum*, dici debet *electus* ad *imperium.* Fuit *Vir bonus*, id est *ad imperium aptissimus.* XII. *David fuit vir secundum cor Dei.* Act 13. *Vera fide praeditus, tamen horrenda peccata commisit*; fatemur; sed nondum probatum est, eum *vera fide excidisse.* Idem dicendum est de *Salomone.* Ita & *Petrus* Apostolus in gravissima peccata incidit; tamen, fatentibus ipsis *Pontificiis*, ipsius fides non periit, perdidit tantum *confessionem fidei, non fidem ipsam.*

XI. Non sequitur XIII. *Si Judas & Simeon Magus fidem amiserunt.* Act. 8. *Ergo & veri credentes.* Nam illi veram fidem nunquam habuerunt. *Judas* dicitur *filius perditionis*, & *habuisse Diabolum.* Joh. 17. & *Simeon* non habuisse *cor rectum.* Act. 8. Et quamvis *Judas* dicatur Christo *datus*, Joh. 17. non sequitur tamen eum habuisse veram *fidem*: fuit enim *datus* non ad *fidem* & ad *salutem*, sed ad *Apostolatum.* Falsum etiam est argumentum XIV. *Qui facit actum infidelitatis, is fidem amittit, sed multi ex credentibus faciunt actum infidelitatis, ut Petrus, Paulus, David* &c. Multi faciunt actum contrarium alicui facultati, vel habitui, quamvis tamen habitum non destruant. Sic aliquis male scribit, male canit, quamvis habitum bene scribendi, & cantandi non amiserit. Deinde ipsa minor negatur: nam non omnes, qui peccant, statim committunt *actum infidelitatis.* Potest esse actus *infirmitatis*, non *infidelitatis.* Sic Petrus & reliqui fideles, si peccent, ostendunt se esse *infirmos*, non tamen *infideles.* Ergo committunt actum *infirmitatis* tantum, non *infidelitatis.* Ipsi etiam *Pontificii* fatentur, Petri fidem nunquam defecisse, quamvis gravissime peccaverit, abnegando J. Christum.

*Instantia.*

XII. Nec magis stringit XV. *Infantes in baptismo vere justificantur, tamen postea gravissime peccant. Ergo fide excidunt.* 1. Non justificantur per baptismum ex *opere operato*, ut volunt *Pontificii.* 2. Si infantes habent veram fidem & postea peccant, hoc fit ex *infirmitate*: non ex *infidelitate.* XVI. Falsa etiam est consequentia: *si fides amitti non pos-*

*posset, nulla daretur hæresis.* Nam hæretici nunquam habuerunt veram fidem, sed fictam tantum. XVII. Nec ideo *frustra fient admonitiones, promissiones, & comminationes:* sunt enim instrumenta & adminicula, quibus Deus vult uti ad convertendos & conservandos homines in fide. XVIII. Quamvis *nemo posset esse certus de salute sua, & de sua perseverantia in fide:* tamen non sequitur, *eum posse fide & fœdere excidere.* 1. Nam etsi fidelis non semper sit persuasus de salute sua, tamen debet & potest esse certus, si habeat fidem corroboratam. Rom. 8:35. &c. Psal. 23. 2. Deinde si vel maxime nemo esset certus de salute sua, nondum tamen probatum est, eum fide excidere. *Incertitudo* est signum fidei infirmæ, sed non *amissæ*, aut *amissibilis.* XIX. Nihil eos juvat locus Apoc. 22: 19. *Si quis abstulerit aliquid ex libro hoc, auferet Deus partem ejus ex libro vitæ.* Nam 1. hæc conditionate tantum dicuntur; sed *conditio impossibilis nihil ponit in re.* Impossibile est, ut verus fidelis auferat aliquid ex libro Dei; Ergo & impossibile ut ejus nomen auferatur. 2. *Deleri ex libro vitæ* significat *non scribi in libro vitæ.* Psal. 69:28. Ergo si infideles aliquid conentur *auferre ex libro* vitæ, eorum nomina *non scribentur in libro vitæ,* quod perinde sumitur, ac si diceretur eorum nomina *delentur.* Tandem 3. infideles seipsos quasi inscribunt libro vitæ, *vana sua opinione;* sed Deus eorum hypocrisin manifestabit: atque ita quasi *delentur ex libro vitæ.* XX. Qui dicuntur *à fide ἀστοχεῖν aberrare,* 1 Tim. 1: 5, 6. non deficiunt à fide, sed illi eam nunquam attigerunt, ut Pharizæi & alii vani Philosophi. XXI. Ad verba 2. Petr. 2: 1. *Abnegarunt Dominum pro se esse mortuum*, respondimus Cap. 7. parag. ult.

XIII. Non potest ergo fidelis gratia Dei excidere, nec *finaliter*, uti contendunt Pontificii, Remonstrantes & alii: *nec totaliter*, ut nonnulli ex orthodoxis concesserunt. Nam (1. qui *totaliter* fide & gratia Dei excidit, is non amplius à Deo amatur. Ergo non est *membrum* Christi; Christus enim suum *corpus*, adeoque *membra* sua amat, Ephes. 5: 25. qui autem non sunt *membra* sua, non amat, nec ea servat. (2. Quomodo talis, qui *totaliter* excidisset, non *finaliter*, rediret ad fidem? Non propriis viribus. Si autem per Deum reducatur, id fiet vi *electionis* æternæ. Ergo & vi æterni *amoris*, quia *Electio* & *Amor* non differunt. Si vero *Electio* & *Amor* manet, sequitur eum *amore* & *gratia* Dei non *excidisse.* Est igitur *fœdus gratiæ* constans & immutabile, quare & illi, qui semel in hoc fœdus recepti sunt, eo nunquam excidunt, sed salutem certissime consequuntur.

# DOCTRINÆ
## *DE*
# FOEDERIBUS DEI.
### Vol. II. Pars IV.
## DE OECONOMIIS FOEDERUM.
### LOCUS XVI.
### CAPUT I.
*De OEconomia ſub Promiſſione.*

I. HActenus de tribus prioribus partibus doctrinæ fœderum egimus. Nempe I. De *Inſtrumento fœderis*, ſive de de Sacra Scriptura. II. *De Partibus fœderatis*, ſive de *Deo & Homine*. III. De Fœderibus ipſis. Sequitur ut nunc agamus de IV. & ultima parte, ſive de *OEconomiis fœderum*. Hæc quarta parte agendum erit I. De *variis OEconomiis*, earumque *differentia* & *convenientia*. II. De *prima OEconomia ſub Promiſſione* in ſpecie; Ubi de *fide Patrum*, De *verbo*, *Sacramentis*, *Eccleſia* & *Regimine Eccleſiaſtico* ſub Promiſſione. III. De *OEconomia ſub Veteri Teſtamento*. Ubi de *Teſtamento* in genere. IV. De *Teſtamento Veteri* in ſpecie, deque *Differentia* inter Teſtamentum Vetus & Novum. V. De *Lege Dei* in genere, & in ſpecie de *Lege Morali*. VI. De *Decalogo*. De *Perfectione* & *Uſu* Legis moralis. VII. De *Lege Cerimoniali*. Ejus *initio* atque *Uſu*. VIII. De *Lege Forenſi*. IX. De *Verbo*, & *Sacramentis*, De *Eccleſia* & *Regimine Eccleſiaſtico* ſub Veteri Teſtamento. X. De *Abolitione* ejus. XI. De *OEconomia Novi Teſtamenti*; Ubi de *Initio* Novi Teſtamenti. XII. De Novi Teſtamenti *Mediatore* & *Meſſia Jeſu Chriſto*. XIII. De ejus *Perſona*, & *Incarnatione*. XIV. De Chriſti *Exinanitione* & *Morte*. XV. De ejus *Exaltatione*,

*ne*, *Resurrectione*, *Ascensione* in cœlos & *Sessione ad dextram Patris*. XVI. Dr *Euangelio*. XVII. De *Bonis Novi Testamenti*. XVIII. De *Verbo* & *Sacramentis* sub Novo Testamento in genere. XIX De *Baptismate*. XX. De *Sacra Cœna*. XXI. De *Ecclesia*. XXII. De *Regimine Ecclesiastico*. XXIII. De *Ministris Ecclesiæ* sub Novo Testamento. XXIV. De *Classibus* & *Conciliis*, sive *Synodis*. XXV. De *Disciplina Ecclesiastica*. XXVI. De *Magistratibus*, *eorumque jure circa sacra*. XXVII. De *Ecclesia sub Novo Test. variis fatis*, *& de Anti-Christo*. XXVIII. De *Regno Christi glorioso* post destructum Anti-Christum. XXIX. De *Resurrectione* & *Ultimo Judicio*, sive de *fine seculorum*.

II. Parte III. Cap. IV. Thesi V. ubi de *Fœdere gratiæ* egimus, ostendimus illud, inter alia, à *fœdere operum* distingui, quod *fœdus operum* uno tantum modo administratum fuerit, sed *fœdus gratiæ* variis modis: quos modos administrandi vocamus *œconomias*.

*Dari triplicem, non duplicem œconomiam.*

III. Sunt qui *duplicem* tantum *œconomiam* ponunt, quare in *Vetus* distingunt & *Novum Testamentum*, putantque Vetus Testamentum initium habuisse statim à πρωτευαγγελίῳ, ab eodem momento, quo Deus cum Adamo lapso erexit novum *fœdus gratiæ*, usque ad tempora Christi Servatoris. Secundam autem œconomiam sub Novo Testamento, à tempore Christi usque ad ultimum judicium. Nos putamus Scripturæ Sacræ & naturæ rei magis convenire: si dicamus triplicem dari œconomiam, I. Sub *Promissione*, ab Adamo usque ad Mosem. II. Sub *Veteri Testamento*, à Mose usque ad Christum. III. Sub *Novo Testamento*, à Christo usque ad ultimum judicium: quare hæc τριχοτομία magis quam διχοτομία statuenda nobis videtur. (1. quia totum istud tempus, ab Adamo ad Mosen, non potest referri ad *Vetus Testamentum*: cum *Vetus Testamentum initium habuerit* tantum *à monte Sinai*, tempore Mosis. Gal. 4: 24. *Dominus nobiscum pepigit fœdus in Horeb. Non tale fœdus pepigit cum patribus*, scil. cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, &c. Ergo *patres*, nempe Abraham, Isaacus, Jacobus &c. non fuerunt in eodem *Testamento Horebi* sive *Sinai*. Deut. 5: 2, 3. vide Jer. 31: 32. Hebr. 8: 9. &c. Ergo totum istud tempus conficit aliam œconomiam, quam *Testamentum Vetus*, quam vocamus œconomiam sub *Promissione*, de qua suo loco. (2. Deus Ecclesiam suam plane aliter gubernavit ab Adami tempore, usque ad Mosen: ergo & alia est *œconomia*, nam ubi diversa est *administratio* Ecclesiæ, ibi est diversa *œconomia*.

*Quare τριχοτομία statuenda.*

*Differentia inter tempora sub promissione, ab Adamo, ad Mosen, & sub Vet. Testamento, post Mosen.*

IV. Externam Ecclesiæ administrationem sub Veteri Testamento cœlo diversam fuisse, ab administratione Ecclesiæ, ab Adamo usque ad Mosen, tam clarum est, ut à nemine negari possit, nisi qui horrendis præjudiciis mancipatus est. Nam I. ante Mosen erat tempus *libertatis*, non minus quam hodie sub Testamento Novo; post Mosen *duræ servitutis*, cum ante Mosen nihil fuerit, quod haberet vel umbram servitutis, præter pauca *sacrificia*, quæ tamen plerumque *voluntaria* & *pacifica*, ad nullum *tempus*, *locum*, *sacerdotem*, nec ad certam *causam* restricta. II. Nullum erat *sacerdotium* certæ familiæ addictum; cum *rejectione* totius populi. III. Nullum discrimen *Sanctorum* & *sanctitatis*, inter *Israëlitas*, *Levitas*, *Sacerdotes* & *Pontificem Maximum*. IV. Nulla certa *Regio*, tanquam terrestris *hæreditas*, nullus peculiaris *populus*, aut *natio*, *Urbs*, *Templum*, *sedes religionis*, nec *Supremus Senatus*. V. Nulli *Dii dicti*, *Domini*, *Magistri*, *Rabbi*, *Patres Carnis*, *Legislatores*, *Principes sæculi*, *Tutores*, *Curatores*, & *Pædagogi*. VI. Nulla observatio *dierum Noviluniorum*, *Festorum*, *Sabbathorum*. &c. VII. Nullum *discrimen ciborum*, *vestimentorum*, *mundi* & *immundi*. VIII. Nullum interdictum de *Commixtione agrorum*, *satorum*, *animalium*, *arborum* & *vestimentorum*. IX. Nulla lex de *lepra* hominum & ædificiorum, de immunditie gonorrhæa, puerperæ, menstruatæ, & id genus alia. X. Nullum *sacrificium* speciale *hylasticum*, adeoque nulla *purificatio* propter contactum *cadaveris*, *mortui*, aut alterius alicujus rei *immundæ*. &c. propter *casum* aliquem *naturalem*, homini ob infirmitatem humanam etiam inevitabilem, veluti ob *puerperium*, propter *profluvium*, *gonorrhæam*, *lepram* & morbos alios. XI. Nulla fuit *comminatio*, nec *timor mortis*, ob ejusmodi casum aliquem, quem homo etiam ex infirmitate humana evitare non poterat. XII. Nulla fuit addita *maledictio*; nec unquam auditum fuit carmen istud horrendum: *Maledictus*, *quicunque non perstiterit*, *in omnibus*, *ut faciat.* Deut. 27. Uno verbo totum istud choragium cærimoniarum, sub horrenda comminatione ac perpetuo timore mortis, adeoque durum istud *jugum servitutis*, quod ne ipsi quidem Apostoli sanctissimi ferre poterant. Act. 15. hæc omnia, inquam, ante Mosen non fuerunt. Ergo & plane alia erat *OEconomia*, quam post tempora Mosis. De hisce plura vide, ubi de *Testamento Veteri*.

*Convenientia trium OEconomiarum.*

V. Conveniunt hæ tres OEconomiæ inter se. I. quatenus omnes fideles sub *Promissione*, sub *Veteri Testamento*, & sub *Testamento No-*

*Novo* in Adamo peccaverunt, fœdus operum fregerunt, & morte æterna digni facti sunt. II. quod omnes sint in eodem *fœdere gratiæ*, omnes à Deo *electi*, ad fœdus gratiæ *vocati*, vocatione interna & per eundem spiritum. III. Quod omnes eundem *sponsorem* & *mediatorem* habeant, Jesum Christum. IV. quod eadem *fides* in Jesum Christum omnibus data sit. V. Quod per eandem fidem omnes *justificentur*; ab eodem spiritu *sanctificentur*, ad veram resipiscentiam adducantur, eandemque beatitudinem consequantur in cœlis.

VI. OEconomia sub *Promissione* & sub *Veteri Testamento* conveniebant. I. quod omnes fuerint *προηλπικότες antesperantes*, Ephes. 1: 12. Act. 26: 6, 7. adeoque *sub spe* tantum *exspectantes* & *sperantes* bona adhuc futura, non autem habentes *fidem* apprehendentem bona præsentia. Talis *fides* nondum venerat. Gal. 3: 23. II. quod eorum *conscientia* nondum fuerit *consummata*, quatenus nondum habebant testimonium in conscientia sua, *reatum* esse jam *expiatum*; adeoque omnes futuram expiationem exspectaverunt, & per sacrificia repræsentaverunt. Quamvis tamen etiam in hoc differrent fideles Veteris Test. & sub Promissione. III. quod habuerint peccatorum tantum *πάρεσιν prateritionem.* Rom. 3: 25, 26. Non autem *ἄφεσιν Remissionem* in emphasi, ut nulla amplius esset exspectanda expiatio. Hebr. 10: 18. Quale autem fuerit discrimen inter OEconomiam sub *Promissione*, & sub *Testamento Veteri*, vide thes. 4.

*Convenientia OEconomiæ sub Promissione & sub Vet. Test.*

VII. Fideles autem sub *Promissione* conveniebant cum fidelibus sub *Novo Testamento.* I. quod eadem gaudeant *libertate*, & neuter jugo servitutis subjectus sit. II. quod nullam habeant certam hæreditatem terrestrem, ad nullam certam familiam aut populum restricti, sed per totum mundum dispersi sint. Quomodo autem uterque populus, & sub *Promissione*, & sub *Testamento Novo*, differat à fidelibus sub Testamento Veteri, vide supra thes. 4.

*Convenientia inter Promissionem & Nov. Test.*

VIII. Differunt etiam fideles *Novi Testamenti* à fidelibus *Testamenti Veteris*, & ab iis qui fuerunt sub *Promissione*, I. quod fideles *Novi Testamenti* non amplius sint *sub spe*, sed ipsam habeant *fidem*. Gal. 3: 23. II. quod habemus omnia bona promissa, sine cærimoniis; *conscientiam non peccati.* Hebr. 10: 2. sed *consumatam*, Hebr. 9: 9. Non tantum *πάρεσιν.* Rom. 3: 25. sed ipsa *ἄφεσιν* in plena *emphasi.* Hebr. 10: 18. nullisque indigeamus *sacrificiis* & cærimoniis, ad depingendum sacrificium Jesu Christi futurum: sed expiationem, omnia bona, immo ipsam salutem jam habeamus præsentem.

*Differentia OEconomiæ Novi Test. ab OEconomia sub Promissione & sub Test. Vet.*

IX. Pri-

*Tempora Promissionis quæ?*

IX. Prima igitur OEconomia ab Adamo post peccatum, usque ad tempora Mosis, post exitum ex Ægypto, dicitur sub *Promissione*. Ita autem vocatur, non quod Deus sub Testamento *Veteri* & *Novo* nihil promiserit: sed quod istis temporibus factæ sint, primæ omnium *Promissiones*, de impetranda salute, per Christum Mediatorem, de ipsa etiam possidenda terra Chanaan sub Veteri Testamento. *Vobis Euangelizamus promissiones, quæ patribus factæ sunt.* Act. 13:32. *Abrahamo dictæ sunt promissiones & semini ejus.* Gal. 3:13. *Quod proeuangelizatum fuit per Prophetas in Sacris Scripturis.* Rom. 1:2. *Per fidem habitavit Abraham in terra promissa.* Hebr. 11:9. vide Rom. 4:13, 14.

*Prima Promissio quæ?*

X. Omnium autem promissionum prima facta est Adamo, statim post peccatum, quando Deus cum eo pepigit fœdus gratiæ, hisce verbis: *Et ponam inimicitiam inter te & inter mulierem, inter semen tuum & semen ejus, illud conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum,* Gen. 3:15. Hæc *promissio* omnium est excellentissima, continetque compendium totius *fœderis gratiæ*, sive *Religionis Christianæ*. Adeo etiam ut reliquæ omnes promissiones, quæ post hanc factæ sunt, hujus tantum fuerint *repetitiones* & *explicationes*.

*Prima promissio continet summam totius fœderis gratiæ.*

XI. Fuisse autem primam istam *promissionem* quasi *compendium* totius *fœderis gratiæ*, manifestum est. Primum quod attinet *serpentem*, is significat *Diabolum*; cum loquutus sit: at brutum animal non potest loqui. Deinde Diabolus dicitur ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος. Apoc. 12:9. & 20:2. 2. Cor. 11:3. Ita Es. 65:25. *serpens* dicitur *comedere pulverem*. Est autem *serpens* apud Esaiam Diabolum, qui *pulverem terræ*, id est *reprobos* tantum devorat: at *electis* non potest nocere, præsertim sub Novo Testamento, ubi regnum Christi erit gloriosum. *Venenum ejus est ut venenum serpentis, ut aspidis surdæ* &c. *Deus destrue dentes eorum, in ore eorum.* Ps. 58:4, 5, 6. *Semen serpentis* sunt *reprobi*, quorum *pater* atque *sator* est *Diabolus*. Joh. 8:44. Hinc τέκνα τοῦ διαβόλου dicuntur. 1. Joh. 3:8. & γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν. Matth. 3:7. & 12:34. & 23:33. *Filii maligni.* Matth. 13:38. vide Psalm. 58:5, 6.

*Serpens quid?*

*Semen serpentis quid?*

*Mulier quid? Semen mulieris quid?*

XII. *Mulier* significat *Ecclesiam*. Hinc toties cum *muliere* comparatur. Apoc. 12:1, 4, 6, 13, 14, 15, 16, 17. & 19:7. & 21:9. Et *sponsa* Christi vocatur. Ephes. 5:32. Cantic. 1:2. &c. 2. Cor. 11:2. Ps. 45:11, 12. Os. 2:19. *Semen* autem *mulieris*, sunt *electi* & veri fideles, aut membra Ecclesiæ, quos Ecclesia parit, & quasi enixa est. Hinc etiam

Chri-

Christo sub nomine *seminis* promittuntur. *Ubi posuerit animam pro reatu, videbit semen.* Es. 53. Sub *semine mulieris* continentur præcipue *Christus* tanquam ejus *sator*, *pater* & *caput*, maxime cum ex sola muliere natus sit. *Non enim dicit de seminibus, quasi de multis, sed quasi de uno, & semini tuo, qui est Christus.* Gal. 3: 16. Eo respexit *Eva* Gen. 4: 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abele.* Hinc & Christus *secundus Adam* dicitur, quia est *pater* omnium qui spiritualiter vivunt, quare & *pater æternitatis* dicitur. Esai. 9: 5. Sed & ipsi *Adamus* ac *Eva* continentur sub semine mulieris, quia Christum per fidem habent patrem: nec aliter vivunt vitam spiritualem nisi per Christum.

*Christus secundus Adam.*

XIII. Hæc *promissio* de semine mulieris caput serpentis contrituro, ut πρωτευαγγέλιον, ita & præcipua capita fidei, & quasi Compendium Religionis Christianæ continet. Docet enim I. *Omnes homines naturaliter esse amicos Diaboli, & inimicos Dei.* Debebat enim Deus ponere *inimicitiam* inter *semen mulieris* & *semen serpentis*; ergo antequam Deus *inimicitiam* poneret, erat amicitia inter omnes homines & Diabolum. Ideo homines irregeniti toties dicuntur *inimici Dei.* Vide Rom 8: 7. & 5: 10. Col. 1: 20. Jacob. 4: 4. 1. Joh. 2: 15. Joh. 15: 8. Rom. 1: 29, 30. II. *Electos vel semen mulieris factos esse amicos Dei, hostesque Diaboli, non propriis viribus, sed opera & gratia Dei; Nam Deus ipse posuit inimicitiam.* Cadit ergo *liberum arbitrium.* III. *Reprobos esse semen serpentis sua natura, & voluntate hominis; semen autem mulieris, id est electos, ex voluntate Dei tantum, & regeneratione Spiritus Sancti.* Hinc est distinctio inter *filios carnis*, & *semen promissionis.* Rom. 9: 7, 8. IV. *Semini mulieris datum esse Assertorem* & *Servatorem, qui semini serpentis caput conteret.* V. *Assertorem illum esse potentissimum Deum*, qui posset *opus & imperium Diaboli destruere.* 1. Joh. 3: 8. VI. *Assertorem etiam esse Hominem, qui* haberet *calcaneum*, id est *naturam humanam*, in qua pateretur. VII. *Assertorem & Victorem esse sanctissimum, & sub nulla maledictione.* Hebr. 7: 26. quia erat *inimicus Diaboli*, alias ejus caput non contrivisset. VIII. *Debuisse nasci assertorem, non ex Viro, vi generalis benedictionis: crescite & multiplicamini; sed via extraordinaria, ex Virgine, ut esset verum semen mulieris,* κατ' ἐξοχήν. IX. *Victoriam fore integram & perfectam, ut semen serpentis non possit nocere sancto semini*, debebat enim semini serpentis *caput conterere.* Ergo *semen mulieris* debet liberari ab imperio Diaboli, debet *sanctificari, justificari, fidem obtinere*, in ea *perseverare*, ex mortuis *resurgere*,

*Brevis explicatio primæ promissionis.*

*gere*, & frui *gloria cœlesti*. 1. Joh. 5: 18. 1. Cor. 15: 26. &c. Hebr. 2: 14. 1. Joh. 3: 8. X. *Hanc victoriam non posse obtineri, nisi per multas passiones seminis mulieris*: ejus enim *calcaneus*, id est *natura humana*, debebat *conteri*. Es. 53: 7. XI. *Has passiones debere esse breves: quia calcaneus* conterendus erat, non *caput*, ubi esset mortis periculum. Debebat fieri *minor angelis*, sed מעט Ps. 8: 6. βραχύ, Hebr. 2: 7. XII. *Hanc victoriam esse totius seminis, eique imputari, quamvis parta sit ab ejus capite & patre Jesu Christo.* Nam totum semen dicitur *conterere caput* serpentis: ut omnes fideles id conterant in capite suo Jesu Christo, per eum enim sumus plus quam victores. Rom. 8: 36, 37. Adeoque XIII. *Omnia bona & merita Christi applicari & imputari electis, ac si ipsi meriti fuissent.* XIV. *Electos non posse participes fieri ullius boni, nisi convertantur, & ex semine serpentis fiant semen mulieris*, id est nisi à Diabolo sese convertant ad Christum, eique inserantur per fidem. XV. *Fuisse semper distinctionem inter semen mulieris, & semen serpentis; id est inter reprobos & electos.* Cadit ergo *gratia Universalis*, adeoque certissimum est, Deum quosdam tantum *elegisse*, reliquos *reprobasse*.

*Eadem promissio repetita Patribus.*

XIV. Cum prima ista *Promissione* hæc omnia contineantur, & cum Adamus ac Eva ea omnia crediderint, sequitur eos habuisse eandem fidem in Christum, quam & nos habemus hodie. Eadem quoque *Promissio* repetita est *Abrahamo*. Gen. 12: 15. & 17. Hinc Paulus: *Abrahamo & semini ejus facta sunt promissiones.* Gal. 3: 13. Ideo *diem Christi vidisse* dicitur, Joh. 8: 56. Et *Isaco*; nam Ismael *reprobatus* est. *In Isaco tibi vocabitur semen.* Rom. 9: 7, 8, 9. quare & fideles dicuntur: *secundum Isacum promissionis filii.* Gal. 4: 28. *Jacobum* eandem habuisse *Promissionem*, patet ex ejus Prophetia de *Schilo*. Gen. 49: 10. Hinc & ipse dixit: *salutem tuam exspecto.* vers. 18. Ideo *Jacobus* dicitur à *Deo amatus*, & *misericordiam consequutus*: cum *Esavum* Deus *oderit*, ut *misericordiam non consequutus sit*. Rom. 9: 11, 15, 16. Eandem promissionem habuisse *Jobum*, inde constat quod *Assertorem* גאל suum exspectaverit. Cap. 19. Sic & *Elihu* eadem credidit, agnovit enim *Angelum ex mille*, id est *Christum*, *Angelum faciei*, qui dicebat: *Redime ne descendat in foveam, inveni solutionem.* Job. 33: 23, 24. quæ de *Christo satis* manifesto explicat Paulus: Is enim intravit in sancta, proprio suo sanguine αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. Hebr. 9: 12.

XV. Cum itaque fideles, sub prima ista *OEconomia*, omnes habuerint promissiones de venturo Messia, sequitur eos etiam

can-

candem habuisse fidem, qualem habuerunt fideles sub veteri, & nos hodie sub Novo Testamento: quod porro hisce argumentis probatur. (1. quia *est unica tantum fides, ut & unus Dominus & una salus.* Ephes. 4: 5. (2. *Jesus Christus est idem heri*, id est sub *promissione; hodie*, sub *Veteri Testamento*, quo tempore Paulus vixit, quando obtinuit quasi tempus præsens; *& in sæcula*, scilicet sub *Testamento Novo.* Heb. 13: 8. (3. *Deus est Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi.* Matth. 22: 32. Ita & *Deus patrum* vocatur. Hebr. 11: 16. sed non est Deus noster, nisi *fœderatus*, per fidem in Christum. (4. *Habemus Communionem cum fidelibus Veteris Testamenti*, 1. Joh. 1: 3, 7. Sed hanc *Communionem habemus etiam cum patre & filio.* Vers. 3. & *per sanguinem* quidem *Jesu Christi.* Vers. 7. Ergo & eadem est fides. (5. Omnes, & sub Promissione, & sub Veteri, & sub Novo Testamento, *servamur per eandem gratiam.* Act. 15: 11. (6. Christus dicitur גאל *vindex* omnium fidelium, sub *Promissione*, & sub *Veteri Testamento*, æque ac sub Novo: *asseruit enim Israelem servum suum.* Luc. 1: 54, 55. Et *semen Abrahami vindicavit.* Hebr. 2: 16. *Asseruit eos ex omni malo.* Gen. 48: 16. Ideo dicitur גאל sanctus Israelis. Es. 41: 14. Ps. 103: 4. (7. Abrahamus exsertis verbis dicitur justificatus per fidem. Nam *credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Rom. 4: 3. Jac. 2: 23. Ideo accepit circumcisionem, signum & sigillum justitiæ per fidem. Rom. 4: 11. Hac fide omnes gentes justificantur. Quicunque justificantur, justificantur per eandem fidem *Abrahami;* quare & *pater credentium* vocatur. Rom. 4: 11, 12. Gal. 4: 8, 9. sequitur igitur: omnes habere eandem fidem. Hinc & Abrahamus dicitur *obtinuisse benedictiones in semine suo*, id est in Christo. Gal. 3: 16. *Non enim loquitur de seminibus, sed de semine ut uno*, quemadmodum Paulus, magnus iste criticus, ibi loquitur. (8. Sancti sub Promissione & Veteri Testamento *salutem Dei exspectabant*: ut *Abrahamus desideravit videre diem J. C.* Joh. 8: 56. & *Jacobus salutem Dei exspectavit.* Gen. 49: 18. Sed *nulla salus est extra Christum.* Actor. 4: 12. (9. Sic & *David: omnis salus mea est, & omne beneplacitum erit, quum domus mea non germinabit.* 2. Sam. 23: 5. id est ex domo mea rejecta & humili (qualis fuit domus Davidis quum Christus nasceretur) prodibit Messias, qui salutem adfert. (10. *David* vocat Christum *Dominum suum.* Ps. 110: 1. & *gratiæ Christi* vocantur חסדי דוד *gratiæ Davidis.* Es. 55: 3. 2. Chron. 6: 42. (11. Omnes fideles sub Promissione & sub Veteri Testamento exspectarunt expunctionem reatus; præsertim fideles sub Veteri Testamento desiderarunt libe-

*Patres sub Promissione habebant eandem fidem nobiscum.*

rari à jugo servitutis, quod ferre non poterant. Act. 15: 10, 11, & 26: 7. Hinc & omnes patres dicuntur προηλπικότες. Ephes. 1: 12. & *Speculatores*. Mich. 7: 4. Es. 52: 8. Talis fuit *Simeon* tempore Christi. Luc. 2: 25. Ideo dies adventus Christi dicitur *dies Visitationis*, quo Deus *populum suum visitavit*. Luc. 1: 68. Ps. 8: 5. (12. Christus expiavit peccata *omnium*, & sub Promissione & sub Veteri, æque ac sub Novo Testamento. Est enim *expiatio*, *non tantum pro peccatis nostris*, scilicet fidelium qui vixerunt tempore Johannis, sub Veteri & sub initio Novi Testamenti, *sed & totius mundi*. 1. Joh. 2: 2. (13. Patres ante Christum habuerunt πάρεσιν per Christum. Rom. 3: 25, 26. & Christus dicitur *mortuus ad redemptionem transgressionum, sub primo Testamento*. Hebr. 9: 15. (14. *Animalia quatuor*. Apoc. 4: 4. & *viginti quatuor Presbyteri*. Apoc. 5: 8, 9. per quos intelliguntur quatuor animalia. Ezech. 1. id est omnes fideles sub Promissione, sub Veteri, & sub Novo Testamento dicuntur *redempti per sanguinem Christi*. (15. Christus est *finis legis*, *ad justificationem fidei*. Rom. 13: 9. quia Christus servituti legis finem imposuit, & homines ad se adduxit, adeoque fuit finis unicus, quo collineabat tota lex: ut fideles etiam sub lege, per Christum, non per legem, servati sint. Hinc Moses testatur, legem adduxisse homines ad Christum. Deut. 10: 11, 12, 13. & 30: 10, 11, 12. Nam ista verba: *Præceptum hoc, quod ego tibi præcipio hodie* &c. explicat Paulus de *præcepto fidei* in Christum, Rom. 10: 5, 6...9. quo sensu verba Mosis proculdubio à veris Israëlitis fidelibus intellecta sunt; non de *fœdere operum*, sed de *fœdere gratiæ*, per Christum. (16. Ipsa natura peccatoris postulat, ut, quicunque servatur, salutem obtineat per *fœdus gratiæ*, sive per fidem in Christum: cum Deus aliud fœdus cum peccatore non pepigerit, nec aliud, quam *fœdus gratiæ*, cum eo pangere potuerit.

*Fideles sub Promissione habuisse eandem fidem probatur per exempla.*

XVI. Probatur porro, sub *Promissione* fideles habuisse eandem fidem, qualem & nos habemus sub Novo Testamento (17. per multa exempla Patrum. I. *Adamus* post peccatum uxorem suam vocat חוה quia erat *mater* כל חי *omnis viventis*. Genes. 3: 20. Est enim *Mater* Jesu Christi, qui est *fons vitæ*, Joh. 5: 21. & omnium eorum, qui vitam spiritualem habituri sunt per *semen ejus*, scil. per *Jesum Christum*. Si de vita *temporali* ac *animali* tantum intellexisset Adamus, non magna fuisset gloria *Evæ*, quod dicta fuisset mater *viventium*: cum omnes homines jam *mortui fuerint in peccatis suis*. Ephes. 2: 5. II. *Eva* postquam peperit *Cainum* dixit: *Acquisivi virum* את יהוה *dominum*. Putavit scilicet *Cainum* esse *Messiam* promissum, vel fal-

ſaltem illum, ex quo Meſſias naſci deberet. Quamvis *Eva* erraverit circa perſonam, liquet tamen, eam habuiſſe fidem ipſam in Meſſiam. Idem credebat poſtea de *Setho*, Gen. 4: 25. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abele.* III. Eandem fidem habuit *Abel. Fide enim obtulit.* Hebr. 11: 4. Et IV. *Enochus:* cum ipſius tempore cultus Dei reſtitutus fuerit. *Tunc enim incepit invocari nomen Jehova.* Gen. 4: 26. Et *cum Deo ambulavit.* Gen. 5: 24. quod ſine fide fieri non poterat: oportet enim ut is, qui vult *accedere* ad Deum, (adeoque qui vult cum eo *ambulare*) *credat Deum eſſe.* Hebr. 11: 6. V. *Lamech* eandem fidem habuit. Ideo filium vocavit *Noachum*, id eſt *quietem*, Gen. 5: 24. quod ſperaret eum fore *Meſſiam*, aut quod ex eo tandem deberet naſci *Mesſias*, veram quietem ſpiritualem daturus animabus. Matth. 11: 28. VI. Eandem fidem habuit quoque *Noachus:* erat enim *vir juſtus*, & *cum Deo ambulavit.* Gen. 6: 8, 9. Fuit & *præco juſtitiæ.* 2. Petr. 2: 5. & 1. Petr. 3: 19, 20. & *per fidem* factus eſt *hæres juſtitiæ.* Hebr. 11: 7. VII. Et *Semus.* Gen. 9: 27. *Alliciat Deus Japhetem, & habitabit in Tabernaculis Semi.* Tandem VIII. *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Jobum*, *Elihu*, *Melchizedecum* alioſque eandem habuiſſe fidem, apparet ex iis, quæ jam dicta ſunt ſupra, de Promiſſione facta Patribus.

*Errores rejiciuntur.*

XVII. Impie igitur negant *Sociniani:* præceptum fidei extitiſſe in *Veteri Teſtamento*, aut ſub *Promisſione*; adeoque dicere audent neminem Patrum, ante Chriſtum natum, credidiſſe in Chriſtum, aut per fidem in Chriſtum ſervatum eſſe. Delirant & *Remonſtrantes*, qui negant *præceptum fidei* extitiſſe in Veteri Teſtamento. Impia quoque eſt ſententia *Judæorum* ſtatuentium, ante Moſen merum fuiſſe תהו *Chaos*, ſine *lege* & ſine *fide.* Nec hæreſin ſuam ullus probabit I. ex Gal. 2: 23, 25. *Antequam veniret fides: quum veniret fides non amplius ſumus ſub pædagogia.* Non enim ſequitur ex iſtis verbis: ſub Promiſſione & ſub Veteri Teſtamento non fuiſſe fidem in Jeſum Chriſtum. Non habebant fidem apprehendentem bona Novi Teſtamanti præſentia, ſed ea tantum *ſperabant* futura, adeoque *ſub ſpe* erant, & προηλπικότες, Epheſ. 1: 12. Act. 26: 6, 7. Cum autem bona iſta futura ſperarent, ſequitur eos veram habuiſſe fidem. Nec quicquam eos juvat, quod dicit Paulus Hebr. 8: 6. *Nos meliores habemus promisſiones:* habemus enim meliores quam fideles ſub Veteri Teſtamento, cum hodie liberati ſimus à jugo ſervitutis, & bona poſſideamus Novi Teſtamenti.

*Objectio.*

*Sub Promissione non fuit verbum scriptum.*

XVIII. Sub *Promissione* fuisse ullum *verbum Dei scriptum*, non patet. Deus igitur docuit Ecclesiam I. per *legem naturalem*, sive *Moralem*. Quæ *Judæi* narrant de *septem præceptis*, quorum sex acceperit Noachus ab Adamo, & cui addiderit septimum, de non comedendo membro vivi animalis, fabulosa sunt; Adde quod præcepta ista sint legis moralis, præter ultimum tantum. De præceptis istis vide infra Cap. 2. §. 9. II. Habebant *Verbum Dei* viva voce factum ad Adamum, Enochum, Abrahamum & ad reliquos, usque ad Mosen propagatum, ut & *visiones*, *Apparitiones*, & *somnia* divinitus immissa. Unde Patres docebant Ecclesiam per *Catechesin ἄγραφον*, quod istis temporibus facile fieri poterat, ob paucitatem credentium, ob longam vitam Patriarcharum, & ob crebras *apparitiones* Dei.

*Sacramenta sub Promissione.*

*Sacrificia.*

XIX. *Sacramenta* sub Promissione varia fuerunt. Primum Sacramentum, quod & toti Ecclesiæ omni tempore fuit commune, fuerunt *sacrificia*: depingebant enim Christum, verum sacrificium pro peccatis nostris. Hinc fideles per fidem sacrificarunt, ut Abel. Hebr. 11. Fuerunt & alia *Sacramenta*, postea addita *extraordinaria*: qualia erant *Diluvium* & *Arca Noæ*, *Iris*, *mare rubrum*, & *nubes*, & *Circumcisio*.

*Arca Noæ.*

*Arca Noæ* ipsumque *diluvium* erant signa extraordinaria mortificationis veteris, & vivificationis Novi hominis: nempe purificationis animarum in sanguine Jesu Christi, tanquam per baptismum. *An ignoratis, quotquot baptizati estis in Christo, in mortem ejus baptizati estis? Sumus enim sepulti cum eo per baptismum.* Rom. 6: 3, 4. *Cui*, nempe diluvio & Arcæ Noæ, (de qua loquutus fuerat) *respondet baptismus, non per quem sordes carnis abluuntur, sed attestatio bonæ conscientiæ coram Deo.* 1. Petr. 3: 21.

*Iris.*

*Iris* etiam erat signum gratiæ Dei, per Christum. Non enim poterat Deus homini gratiam & conservationem promittere, nisi per Mediatorem per quem omnia reconciliantur: adeoque *Iris* non tam vitam temporalem, quam spiritualem promittit. Gen. 8: 21. Es. 54: 10.

*Exceptio.*

Et quamvis *Iris significet fœdus, quod factum erat cum tota terra cunctisque animalibus*, Gen. 9: 12, 13, 17. non sequitur tamen, *eam non esse Sacramentum*: nam illud fœdus homines fideles respicit; ut ipsa terra & animalia conserventur, ad propagandos veros electos & fœderatos Dei. *Mare rubrum* erat Sacramentum, quia significabat idem ac baptismus, *sepulturam* veteris hominis, & vivificationem novi. *Omnes baptizati fuerunt in nube & in mari rubro.* 1. Cor. 10: 1, 2.

XX. *Cir-*

XX. *Circumcisio* fuit Sacramentum datum familiæ Abrahami, non toti Ecclesiæ sub *Promissione.* Gen. 17: 5, 7, 11, 12. Fuit autem *Circumcisio* signum *fœderis gratiæ.* Gen. 17: 1, 2. &c. ideo *sigillum justitiæ per fidem dicitur.* Rom. 4: 11. Significabat quoque idem quod *baptismus* sub Novo Testamento, nempe *munditiem mentis ac cordis.* Col. 2: 11, 12. Cum *Circumcisio* data fuerit soli familiæ Abrahami, sub *promissione*, sequitur reliquas gentes extra Abrahamum potuisse servari sine circumcisione. Sub *Promissione* non potest dici Circumcisio *jugum.* Nam ea sola non facit *jugum.* (1. quia non data fuit omnibus gentibus, sed soli familiæ Abrahami. 2. Fiebat in teneris pueris octavo die, qui vix habebant sensum doloris & pudoris. (3. Ægyptii aliique populi Orientales Circumcisionem ultro in se susceperunt, non tanquam *jugum*, sed *ad munditiem*, teste Herodoto libr. 2. (4 Circumcisio unico fiebat momento, sed *jugum* continuo incumbebat. Non igitur potest dici *jugum*, quemadmodum sub Veteri Testamento, quando cum multis aliis cærimoniis difficillimis colligata fuit. Tunc enim hominem faciebat *debitorem legis.* Gal. 5: 3. Atque sic juncta cum toto choragio cærimoniarum, metu mortis, & sub dominis ac magistris rigidis, facta est onus. Act. 15. Fieri autem Circumcisionem volebat Deus *octavo die.* (1. quia mulier, quæ masculum peperat, septem dies immunda erat, & octavo puer circumcidebatur. Lev. 3. (2. Omne animal non offerebatur ante octavum diem. Exod. 22: 30. (3. Ante istum diem non bene poterat infans ferre dolorem; Non tardius circumcidi debebat, cum post octiduum acrior fuisset dolor.

*Circumcisio.*

*Soli familiæ Abrahami data.*

*Non erat jugum sub Promissione.*

*Cur octavo die facta?*

XXI. Cultus Dei sub *Promissione* erat simplicissimus, & fere totus spiritualis, quum non multis cærimoniis premeretur Ecclesia. Externus cultus fere totus consistebat in *sacrificiis*, quæ à Deo instituta videntur, statim post initum *fœdus gratiæ:* prout in pangendis fœderibus solebant adhiberi sacrificia, ad majorem confirmationem & ratificationem. Præsertim ad depingendum sacrificium Jesu Christi, qui istius fœderis erat Mediator, ut fideles scirent se in amicitia Dei esse non posse, nec ullum cum eo habere fœdus, nisi merito sacrificii Christi: cum Deus fœdus hoc pepigisset עליזבח Psalm. 50: 5. id est *super sacrificio*, scilicet Christi.

*Cultus Dei sub Promissione simplex & fere spiritualis.*

XXII. *Sacrificia* itaque non sunt *juris naturalis*, ut pessime docent *Pontificii* ac *Sociniani*, sed *juris divini*, & ex speciali revelatione Dei. (1. quia sana ratio non dictat Deum posse placari, sanguine hir-

*Sacrificia non sunt juris natura-*

*lis, sed divinu.* hirci aut bovis: sed potius Deum justitiam suam exerciturum contra ipsum peccatorem, ut puniat illum ipsum, per quem læsus est. (2. Sacrificia fiunt *ex fide:* quemadmodum ipse Abel dicitur fide sacrificasse. Hebr. 11. At fides nititur revelatione. Nam *fides est ex auditu.* Rom. 10: 17. (3. Sacrificia sunt picturæ & umbræ Jesu Christi. Hebr. 10: 1. Sed *natura* Christum non depingit: cum omnia, quæ in Christo sunt, contineant mysteria.

*Primum Sacrificium à quo oblatum?*

XXIII. Primum omnium sacrificiorum videtur oblatum esse ab *Adamo*, statim post initum novum fœdus gratiæ. Credibile est, fuisse sacrificium *pacificum*, & gratiarum actionum; statim enim, post erectum fœdus gratiæ, vestivit se pellibus, quæ istis victimis detractæ videntur; pelles enim cedebant Sacerdotibus. Lev. 6: 31. vide Gen. 3: 21. II. *Abel* & *Cain* etiam sacrificarunt. Gen. 4: 2, 3, 4. Hebr. 11. III. *Noachus* post diluvium. Gen. 8: 20. IV. *Melchizedecus:* fuit enim *Sacerdos altissimi*, & ab Abrahamo decimas accepit. Gen. 14: 20. At decimæ boum & pecudum offerebantur Deo. Levit. 27: 32. Credibile itaque est, Melchizedecum sacrificasse. V. *Abrahamum* sacrificasse, patet Gen. 12. & 13. & 15. & 21. & 22. VI. Idem fecit & *Isacus.* Gen. 26: 25. VII. *Jacobus* Gen. 28: 18. VIII. *Jobus* cap. 1: 5. & 42: 8. Ita & IX. de *Judæo*, ante legem Mosaicam, legimus, quod habuerint *Sacerdotes* (intelliguntur proculdubio primo geniti) ergo sacrificabant. Vide Exod. 24: 5.

*Varia Sacrificia.*

*Sacrificia sub Promissione non erant jugum.*

XXIV. Sacrificia istis temporibus non dici debent *jugum*, ut sub Testamento Veteri. (1. quia fuerunt *rara*, *libera*, plerumque *pacifica.* (2. quilibet offerebat, eo tempore quo volebat, quando ad offerendum pio zelo impellebatur: uti hodie baptizamus & Sacram Cœnam celebramus, ubi id maxime consultum fuerit, & ubi commodius fieri potest. (3. Nullum erat præfixum *tempus*, nullum *templum*, nullus designatus *locus*, nulli *Sacerdotes certa familiæ*, cum rejectione totius populi. Nulla certa *sacrificia*, pro certis quibusdam *peccatis*, etiam pro talibus, quæ sua natura non erant peccata: nec ulla adjecta *maledictio*, & *exprobratio peccati* fuit, quemadmodum sub Veteri Testamento. Nihilominus cum tunc temporis expiatio nondum facta fuerit, Deus sacrificia etiam per legem expressam exigere poterat, quovis modo; cujus rei exemplum habemus in *Abrahamo*, quum Deus juberet, ut filium *Isacum* immolaret.

XXV. *Sacerdotes* sub *Promissione* fuisse *Patres* familiarum & *Primogeniti*, videtur posse colligi ex Exod. 19: 22, 24. *Sacerdotes & populus ne frangant sepimentum.* Sed tunc *Sacerdotium Aharonis*, nec ullum aliud fuit institutum: tamen à *populo* distinguuntur *Sacerdotes.* Ergo videntur fuisse *primogeniti.* Sed de his clarius Exod. 24: 5. *Et misit JUVENES filiorum Israelis, qui obtulerunt* &c. Et Num. 3: 12, 13. *Ecce ego sumpsi Levitas ex FILIIS Israelis*, (ex *Levitis* & ipsi *Sacerdotes* fuerunt) *pro omni PRIMOGENITO aperiente vulvam.* Ergo credibile est admodum, antea *Sacerdotes* fuisse *Primogenitos.*

*Sacerdotes sub Promissione qui?*

XXVI. *Sabbatha, Novilunia, dies festi, discrimen ciborum, vestium; pollutiones*, & *purificationes legales*, aliæque *cerimoniæ*, quæ ullum facerent *onus*, sub *Promissione*, non memorantur. Sed hæc omnia initium habuerunt sub *Testamento Veteri*, de quo suo loco. Vide etiam supra thesin quartam.

*Sabbatha &c. sub Promissione non memorantur.*

XXVII. *Ecclesia* sub *Promissione* dispersa fuit, per totum terrarum orbem, aliquando pomœria sua latius, aliquando minus extendebat. Latius etiam sub Testamento Novo: cum sub Testamento Veteri ad certum populum restricta fuerit.

*Ecclesia per totum mundum dispersa.*

XXVIII. *Regimen Ecclesiasticum*, quantum constat, istis temporibus fuit *OEconomicum.* (1. quia nullum habebant *Synedrium, Concilium, Senatum*, aut *Judices.* Sed ipsi *Patres* suas familias docebant simul & regebant. (2. Omnes fere *Patriarchæ* fuerunt *Sacerdotes* & *Prophetæ.* Nam *Enochus* prophetavit. Jud. vers. 14. *Noachus* maledixit Chanaano, & benedixit Semo. Gen. 9: 25. &c. Benedicere autem *est* Sacerdotum. Numer. 6: 14. *Abrahamus* expertis verbis *Propheta* vocatur. Gen. 20: 7. quare & familiam suam docuit. Gen. 17: 9 Tamen in captivitate Ægyptiaca videntur Israëlitæ habuisse *Seniores*, postquam cœperunt coire in unum populum. Memorantur enim *Seniores omnes filiorum* Israel. Exod. 4: 29. Habebant Patriarchæ regimen, non tantum *Ecclesiasticum*, sed & *Politicum.* Nihilominus tamen non est credibile, Patres istos habuisse aliquod jus *Pontificis* & *Monarchæ*, ac *ullam infallibilitatem*, uti somniant *Pontificii.* Nemo enim Patrum legitur habuisse potestatem reliquis familiis omnibus imperandi. Exemplum habemus in Abrahamo, qui Lotho non poterat *imperare*, sed *persuadere* tantum. Genes. 13. Gratis à *Pontificiis* dicitur: *Patriarchas in doctrina non errasse:* nam ante diluvium multos errasse, patet ex *Cainitis*, & ex eo, quod cultus Dei tempore Enochi restitutus fuerit. Post diluvium multos

*Regimen Ecclesiasticum sub promissione.*

*Regimen Politicum.*

*Nullus fuit Pont. Max.*

 tos

*Patres potuerunt errare.* multos quoque erraſſe, manifeſtum eſt, vel in Nachoro, patre Abrahami, aliiſque qui fuerunt idololatræ. Deinde, ſi quidam non errarunt, id habebant ex peculiari dono *Prophetiæ*, quum fuerunt *Prophetæ & Doctores*, quod nec de *Papa*, nec de ullo homine dici poteſt.

*Eccleſiæ ſub Promiſſione Corruptio. Cainitæ juſtitiarii. Sethitæ ſancti. Corrumpuntur. Filii hominum qui?* XXIX. Eccleſia ſub *Promiſſione* fœde corrupta fuit. Primo per *Cainum*, ejuſque poſteros, qui primi videntur *juſtitiarii*, qui docebant juſtificationem per bona opera: quare etiam ejus ſacrificium, cum non obtuliſſet ex fide, ſed magis videatur nixus proprio merito, quam merito Chriſti, Deo non fuit gratum. Gen. 4. Hebr. 11. *Sethitæ* tunc Religionem caſte ſervabant. Deinde tamen & ipſi Sethitæ corrupti ſunt. Dicuntur enim *filii Dei* ſumpſiſſe uxores *filias hominum*. Gen. 6: 2. Per *filios Dei* commode intelligi poſſunt *Sethitæ*, fideles qui confitebantur Religionem Sethi & Abelis. *Poſuit mihi* (inquit Eva) *ſemen aliud pro Abele*. Geneſ. 4: 25. *Filii* autem *hominum* videntur fuiſſe *Cainitæ*, qui docebant falſam doctrinam de juſtificatione per opera. Inepiunt igitur *Judæi*, qui per *filios Dei* intelligunt *Angelos*, qui fornicati ſint cum fœminis, unde nati ſint *Nephilim* Gigantes. De quibus Gen. 6: 4. Num. 13: 34. Cum tamen

*Exceptio.* certum ſit, ſpiritum non poſſe generare. Et quamvis *Angeli dicantur filii Dei*. Job. 1: 6. & alibi, tamen inde errorem ſuum non probant, cum non ſoli *Angeli*, ſed & *Chriſtus*. Pſ. 2: 7. Matt. 2: 7. Rom. 1. & ejus membra, ſive *electi* dicantur *filii Dei*. Job. 1: 12. 1. Joh. 3. videtur etiam nomen *filii Dei* à fidelibus primum aſſumptum, circa tempora Enochi; *tunc enim inceperunt homines ſe vocare nomine Dei*,

*Unde iſta appellatio?* id eſt vocarunt *ſe filios Dei*. Illi autem *filii Dei*, ſive *fideles* paulatim in Religione corrupti ſunt, contrahendo matrimonia, aut ſcortando cum *Cainitis*, aliiſque impiis: quale exemplum habemus manifeſtum in Iſraëlitis, qui ſe corruperunt cum fœminis Moabiticis Num. 25. Fuit igitur Eccleſia Dei peſſime corrupta tempore Enochi: ſed per *Enochum* reformata eſt. Gen. 6. 2, 12. Iterum corrupta eſt circa tempora *Noachi*, quare Deus mundum delevit per diluvium.

*Quale peccatum tempore Noæ?* XXX. Quale peccatum tunc temporis regnaverit, non ſatis conſtat. Non videtur fuiſſe *Idololatria*, cum ea demum memoretur circa tempora. Tare patris Abrahami. Joſ. 24: 2. ut & temporibus Jacobi & Labani. Gen. 31: 19. Forte fuit *Atheiſmus*, *Scortatio* & id genus alia.

XXXI

XXXI. In ipso diluvio tota Ecclesia constabat ex octo viris & foeminis. Gen. 7: 13. qualis congregatio totius Ecclesiae universale nunquam fuit, post multiplicatum genus humanum. Post diluvium Ecclesia propagata fuit, per Noachum, qui Deo statim aedificavit altare. Genes. 9.

*Tota Ecclesia in Arca.*

XXXII. *Noachus* fuit clarissima pictura Christi. (1. quia fuit *justitiae praeco*, ut & Christus *servus justus, qui sua justitia multos justificavit.* Es. 53. (2. Novus fuit quasi Adamus, ad propagandum genus humanum, & Ecclesiam Dei, ut & Christus dicitur *secundus Adam.* 1. Cor. 15. (3. Genus humanum in *Arca* servavit: ita & Christus suos in *Coelum*, tanquam in arca. (4. Cum eo Deus renovavit *foedus gratiae*: ita & Christus foederis gratiae est auctor & mediator.

*Noachus fuit pictura Christi.*

XXXIII. A diluvio ad Mosen Ecclesia varia habuit fata. Paulo post iterum corrupta est per *Chamum*, & *Chanaanem* Chamique posteros Nimrodum, qui primus fuit *Rex* & populorum vastator. Genes. 10: 8, 9. Iisdem temporibus Ecclesia fuit in stirpe *Semi.* Promissio tunc data est: *Japhetum* ejusque posteros *alliciendos esse ad Tabernaculum Semi:* id est gentiles, qui sub Veteri Testamento *a foedere Dei fuerant alieni*, Ephes. 2. reconciliandos per Christum, & adducendos ad veram Ecclesiam, quod factum est sub Novo Testamento, cum Christus omnes reconciliaverit, & *ex duobus fecerit unum pace facta, per sanguinem ejus.* Ephes. 2. Eisdem temporibus aedificata est *turris* & *Urbs Babylon*, *Metropolis Religionis*, & typus *Antichristi*, per superbiam & ambitionem. Apoc. 17. Tempore *Abrahami* invaluit *idololatria.* Jos. 24: 2. Sic & *Laban* habebat *imagines*, in quibus Deum coli credebat. Gen. 31: 19. Per Abrahamum Ecclesia iterum est reformata, & ab idololatria repurgata, post vocationem ejus.

*Fata Ecclesiae post diluvium.*

XXXIV. Ex posteris Abrahami quidam rejecti fuerunt, quemadmodum ejus filius *Ismael*, *Esavus*, filius Isaci. Filii *Keturae* quoque recensentur inter infideles. Ita & extra Abrahami familiam nonnulli ad Ecclesiam pertinebant: ut *Melchizedecus*, tempore Abrahami. *Jobus*, *Elihu* & alii, qui tempore Mosis vixisse creduntur.

*Ex posteris Abrahami quidam rejecti.*

XXXV. Ex hisce omnibus constat, ad tempora ista usque, nullam fuisse Ecclesiam *Universalem*, sub uno capite; quod contra *Pontificios* notandum est, qui tantopere urgent necessitatem *capitis*

*Nulla fuit Ecclesia universalis.*

*totius Eccleſiæ.* Conſtat etiam nullam fuiſſe *Gratiam Univerſalem*: cum Deus tot nationes, & homines prætererit.

XXXVI. In Captivitate Ægyptiaca, circa tempora Moſis, Iſraelitis valde multiplicatis, alia videtur fuiſſe facies Eccleſiæ. Nam, duce Deo, ſub Miniſterio Moſis, ab Ægyptiis omnibuſque reliquis populis ſeſe ſepararunt, & in unum populum convenerunt; præſertim ſub Veteri Teſtamento, de quo in ſequentibus.

# LOCUS XVII.

## *De II. OEconomia ſib Veteri Teſtamento.*

## CAPUT II.

### *De Veteri Teſtamento in Genere.*

I. DEus poſt tempora Moſis Eccleſiam ſuam plane aliter gubernavit, quam antea, quare alia omnino dicenda eſt *OEconomia*, quam ea quæ fuit ſub *Promiſſione*. Secundo autem iſta œconomia dici ſolet ſub *Veteri Teſtamento.*

*Teſtamentum quomodo dicatur?*

II. *Teſtamentum* Hebraice, in Scriptura Sacra, dicitur ברית Græce διαθήκη, quibus vocibus ipſi quoque *fœderis* exprimuntur, quod fœdera Dei, præſertim *fœdus gratiæ*, habeat rationem *Teſtamenti*, ut ſuo loco, ubi de *fœderibus* egimus, oſtendimus. In Verbo Dei itaque accurate attendendum eſt, ad ſenſum illorum vocabulorum; cum nunc *fœdus*, nunc *Teſtamentum* ſignificent. *Fœdus* notant, quotieſcunque ponunt aliquam *ſtipulationem & adſtipulationem*. Attendendum etiam eſt, ad quale fœdus referendum ſit, ſi forte alicubi fœdus ſignificat. Si ad *fœdus operum* referri poſſit, tunc illud ſignificat. Veluti: *Tranſgreſſus ſunt* ברית *fœdus*, *ut Adam.* Hoſ. 6: 7. Si ad *fœdus operum* referri non poteſt, tunc neceſſario ſignificat *fœdus gratiæ*. De *fœdere gratiæ* intelligi debet, quotieſcunque mentio fit de fœdere Dei cum *peccatore*; cum Deus non pepigerit fœdus operum cum peccatore, nec tale fœdus cum eo pangere poſſit, poſtquam fœdus operum ſemel ruptum eſt.

*Accurate examinandæ voces* ברית *διαθήκη.*

*Vox* ברית *maxime ſi-*

III. Vocem ברית ſignificare *Teſtamertum* magis quam *fœdus*, multis in locis Scripturæ Sacræ, vel *fœdus Teſtamentarium*, quod

quo-

habeat naturam Testamenti, vel inde patet, quod toties notet fœdus μονόπλευρον, sive ab una parte tantum, quando Deus solus de suis beneficiis disponit. Veluti: *Erigam fœdus meum, ut intres in arcam.* Genes. 6: 18. Ubi Deus mero suo beneplacito disponit de salute Noachi, & cap. 9: 15, 18. *Hoc est fœdus quod erigo.* Ita dicitur *fœdus* vel potius *Testamentum perpetuum*, & *fœdus salis:* quia solo beneplacito Dei & immutabili ipsius voluntate nititur. Levit. 24: 8. Num. 18: 19. Ita Deus dicitur *dare fœdus pacis.* Num. 25: 12. Eodem sensu dixit Job: *se pepigisse fœdus cum oculis suis:* id est talem fuisse constantem suam voluntatem, *ne oculi aspicerent uxorem.* Job. 31: 1. Pro *Testamento* etiam sumitur. Jer. 31: 31. *Hoc est fœdus quod pangam cum domo Israelis:* quod de *Pacto*, vel de *fœdere* non potest intelligi: cum Deus novum fœdus non pepigerit: sed *Novum Testamentum*, post adventum Christi, prout ibi bona Novi Testamenti promittuntur. Pro *Testamento* sumendum est. Exod. 24: 8. Nec aliter quam de *Testamento* explicat Paulus Hebr. 9: 17 &c. Ita & διαθήκη magis significat *Testamentum*, quam *fœdus.* Luc. 22: 29. *Testamento dispono vobis.* Ubi est dispositio à sola parte Christi, adeoque *Testamentum.* Matth. 26: 28. *Hic est sanguis Novi Testamenti. Testamentum ratum factum, licet humanum, nemo irritum facit, aut supra disponit,* Gal. 3: 15. *Ubi est διαθήκη, ibi necessario debet intervenire mors testatoris. Firmum enim fit per mortem Testatoris* Hebr. 9: 17, 18, 19, 20. Sic dicuntur *Ministri Novi Testamenti.* 2. Cor. 3: 6. & novum opponitur *Veteri*, vers. 14. Ita Christus *melioris Testamenti Mediator dicitur.* Opposite ad Mediatores *Veteris Testamenti.* Heb. 7: 22. & 8: 9. Significant *duo Testamenta.* Gal. 4: 24. Hinc nonnunquam *hæreditas* cum διαθήκη jungitur. Hebr. 9: 15, 16. ubi κληρονόμοι dicuntur qui sunt recepti ad illud Testamentum. Vide Gal. 3: 15.... 18. at, de διαθήκη, sive *Testamento* loquens, addit: *Abrahamo & semini ejus dictæ sunt promissiones.* Ita & *hæreditas* jungitur *immutabili Dei voluntati*, quæ *voluntas* est ipsum Testamentum.

IV. Voces ברית & Διαθήκη notant aliquando Testamentum *Vetus*, aliquando *Novum.* Præsertim autem *Novum* significant, quando additur epitheton *Novi*, *secundi*, aut *melioris*, aut quando *Veteri* opponitur, ut Jerem. 31: 31, 32. Hebr. 8: 7, 13. & 9: 15, 18. Tandem quotiescunque significantur *bona*, quæ ante natum Christum non habebant locum, toties referri debent, non ad *Vetus*, sed ad *Novum Testamentum.*

*[margin: significat testamentum.]*

*[margin: ברית & διαθήκη notant aliquando Testam. vetus, aliquando Novum.]*

*Testamentum æternum quid?*

V. Memorantur in Scriptura Sacra Testamentum *æternum*, Testamentum *Vetus*, & Testamentum *Novum*. *Testamentum æternum* dicitur. Hebr. 13: 20. 2. Sam. 23: 5. Est autem *æternum Testamentum* nihil aliud quam *æterna Dei voluntas*, *de danda hereditate* cœlesti. Adeoque est ipsum *decretum æternum Dei*. Cum autem hoc *decretum*, vel *voluntas* sit *æterna*, ideo etiam *æternum Testamentum* dicitur. De

*Vetus Test.*

hoc fusius egimus, ubi de *Decretis Dei*. *Vetus Testamentum est manifestatio voluntatis Dei, de danda hæreditate terræ Canaan populo Israëlitico.* Hoc dicitur *primum Testamentum*. Hebr. 9: 15, 18. quod prius in hac terra manifestatum fuerit. Deinde quod opponatur *Testamento Novo*. Dicitur etiam *Testamentum Vetus*. Hebr. 8. 13. ubi [illegible] ϗ γηράσκον vocatur & παλαιὰ διαθήκη. 2. Cor. 3: 14. Tandem est &

*Testamentum Nov.*

*Testamentum Novum.* ברית חדשה. Jerem 31. 31. καινὴ διαθήκη, interprete Paulo. Hebr. 8: 8. Vide & Matth. 26. 28. Hebr. 9: 15. & 8: 13. Dicitur & *secundum* Testamentum, quia *primo* opponitur. Hebr. 8. 7. & 9: 15, 18. Et *melius* vocatur, propter bona & *promissiones*, quæ in Novo Testamento sunt κρείττονες *meliores*. Hebr. 8: 6, 7. De variis hisce *Testamentis* vide Rom. 9: 4. ὧν αἱ διαθῆκαι, *quorum sunt Testamenta*. Nam *Judæi* vivebant sub *Veteri Testamento*, & & *hospites Testamentorum promissionum* dicuntur. Eph. Cap. 2. 12.

*Speciatim memorantur duo Testamenta.*

VI. Speciatim autem fit mentio de *duobus* Testamentis, quæ *æterno Testamento*, vel decreto Dei æterno, de danda hæreditate, innituntur, & per quæ Deus voluntatem suam hominibus [illegible] manifestavit. *Hæc sunt duo Testamenta*. Gal. 4: 24.

*Æternum Testamentum duo fœdera.*

VII. *Æternum Testamentum*, sive *Decretum Dei* [illegible] *fœdera*. Primo *fœdus operum*. Deinde *Fœdus gratiæ*. Deus enim per *æternum Testamentum*, sive *decretum* suum *æternum* decrevit sese [illegible] suæ vario modo manifestare, eamque non uno modo gubernare. Decrevit igitur primo *fœdus operum*. Illud voluit inire cum *homine integro*, sed *labili*; hinc decrevit permittere ejus lapsum, ut manifestaret gloriam justitiæ & misericordiæ suæ. Tandem decrevit fœdere operum rupto, pangere novum *fœdus gratiæ*, per quod omnes electi servarentur. Sed *æternum Testamentum* maxime [illegible] ad *fœdus gratiæ*: sub quo Deus decrevit Ecclesiam iterum vario modo gubernare

*Refertur præcipue ad fœdus gratiæ.*

do gubernare. Primo scilicet per *nudas promissiones*, sine ullo onere legis, sine operosis cærimoniarum umbris, sine [illegible] servitutis, quemadmodum factum est ab Adamo, usque ad tempora Mosis. Hæc autem Ecclesiæ gubernatio vocatur [illegible]

*Promissione*, de qua cap. præced. egimus. Deinde voluit eam gubernare per umbras & cærimoniarum involucra, ac per duram servitutem, sub lege Mosaica, promittendo hæreditatem terrestrem. Et hæc quidem dicitur *OEconomia* sub *Veteri Testamento*. Tandem & tertio Ecclesiam regere decrevit, modo plane spirituali, rupto velamine, & cærimoniarum umbris fugatis, dando ipsi bona mere spiritualia promissa, quæ fideles antea spe tantum possiderant. Et hæc dicitur *OEconomia Novi Testamenti*, de qua suo loco. Hic nobis nunc agendum est de *Testamento Veteri*. *Est autem Testamentum Vetus: Voluntas Dei, de danda hæreditate terræ Canaan, cum impositione jugi duræ servitutis, per ministerium Mosis.*

*Testamentum Vetus quid?*

VIII. Hoc *Testamentum* continet totam OEconomiam Ecclesiæ, & administrationem *fœderis gratiæ*, à Mose usque ad Christum. Non debet autem ad *Vetus Testamentum* referri totum illud tempus, ab Adamo usque ad tempora Mosis, quemadmodum nonnulli docent. Sed initium ejus statuendum est, tantum post exitum ex Ægypto in *Monte Sinai*. (1. quia ubi diversa est administratio fœderis gratiæ, ibi est alia *OEconomia*; est enim *administratio* Ecclesiæ ipsa *OEconomia*. Administrationem autem fœderis gratiæ, ab Adamo ad Mosen, plane aliam fuisse quam à Mose ad Christum, manifestum est, ex iis quæ diximus de OEconomia sub Promissione, cap. præced. thes. 4. clariusque patebit ex iis, quæ de Veteri Testamento dicentur. (2. Apostolus Paulus, Gal. 4: 24. exsertis verbis docet, *Vetus Testamentum initium habuisse in Monte Sinai.* Ibi non agitur tantum de *solemni aliqua repetitione Veteris Testamenti, ejusque confirmatione, & accessione multorum rituum*: sed de ipso *initio*, ut Paulus clare docet: cum præcipuus scopus Pauli in illo loco sit, ut notaret *initium* Veteris Testamenti. (3. Hoc Testamentum Deus pepigit *in deserto cum Patribus*. Jer. 31: 32. Ergo in *deserto* habuit *initium*, non autem à tempore Adami. *Deus noster pepigit fœdus nobiscum in Horeb*; (id est *fecit nobis Testamentum*) *Non fecit tale Testamentum patribus nostris*, id est ab Adamo, ad hæc tempora Mosis. Deut. 5: 21. Ergo patres, ante Mosen, non fuerunt in Veteri Testamento. (4. *Vetus Testamentum generavit in servitutem.* At *servitus* sumpsit initium tempore Mosis in deserto, non autem ab Adamo ad Mosen; tunc enim sub *Promissione* obtinuit *libertas*, uti ostendimus, ubi de differentiis OEconomiarum egimus. Cap. præced. thes. 4, 5, 6, 7. (5. *Agar* fuit typus *Veteris Testamenti*, & *servitutis*, quemadmodum *Sara* Testa-

*Quænam tempora sub Veteri Test.*

*Exceptio.*

*sta-*

*ſtamenti Novi*, & *libertatis*. Gal. 4: 24, 25. &c. Unde colligi debet Vetus Teſtamentum nondum fuiſſe tempore Agaræ & Abrahami, ſed tunc temporis fuiſſe tantum depictum, tanquam adhuc futurum, prout typus ſolet præcedere antitypum. (6. Omnia, quæ ad Teſtamentum Vetus requiruntur, ut *hæreditas* & *mors* typica Teſtatoris, poſt Moſen tantum reperiebantur, non ante Moſen. 1. *Hæreditas* fuit *terra Canaan*, quæ ante tempora Moſis non fuit data. 2. *Mors typica* teſtatoris erat victima, cujus ſanguine aſpergebantur populus & altare, quare & ſanguis ille vocatur *ſanguis Teſtamenti*. Hoc autem non eſt factum ante Moſen, ſed in deſerto, poſt exitum ex Ægypto, Exod. 24. quo reſpicit Paulus, Hebr. 9: 15, 18. ubi dicit *prius Teſtamentum non eſt initiatum ſine ſanguine*. Gratis dicitur *verbum ἐγκαινίζεσθαι apud Paulum ſumi, pro denuo ſolenniter dedicare, rem quæ antea exſtitit.* Cum id, quod dicitur ἐγκαινίζεσθαι, antea fuerit quaſi abolitum, per aliquam profanationem, ut ſecundo & de novo initiaretur, quod de *templo* forte dici poteſt; at neutiquam de *Vetere Teſt.* quomodo enim fuiſſet profanatum & abolitum, ut de novo initiaretur? Deinde Vetus Teſtamentum initiatum fuit, ut & novum. At *Novum Teſtamentum* initium ſumpſit, quando fuit initiatum per ſanguinem Chriſti, ita & *Vetus* initium ſumpſit, quum initiaretur per *ſanguinem typicum victimæ*. Gratis etiam excipitur

Exceptio. *Vetus Teſtamentum dici recens, tantum ratione circumſtantiarum, & novorum rituum:* dicitur enim *recens*, quoad partes ſuas præcipuas, id eſt quoad 1. *hæreditatem* terræ Canaan. 2. quoad *mortem typicam*, & *ſanguinem Teſtatoris*. 3. quoad *ſervitutem:* quæ tunc temporis in deſerto tantum initium habuerunt: quemadmodum & Novum Teſtamentum initium habuit, & *recens*, ſive *Novum* dicitur, tantum in *morte* & *ſanguine Chriſti*.

Solvuntur Argumenta. IX. Vetus Teſtamentum initium habuiſſe ab ipſo tempore Adami, aut unquam ante Moſen, non probabunt 1. ex eo, *quod Vetus Teſtamentum fuerit promiſſum & promulgatum jam inde à temporibus Abrahami: cum ipſi promiſſa fuerit terra Canaan.* Gen. 12: 7. & 15: 7. & 17: 18. Nam in Teſtamento tria ſolent occurrere. I. *Promulgatio* voluntatis Teſtatoris, ſive promiſſio hæreditatis. II. *Ratificatio* promiſſionis, per mortem Teſtatoris. III. *Executio* Teſtamenti, quando hæreditas promiſſa diſtribuitur, & hæreditatem adit hæres. Tempore Abrahami erat quidem promulgatio voluntatis Teſtatoris, ſive promiſſio hæreditatis terræ Canaan; ſed nondum

Vetus Teſt. Promiſſum.

erat *ratificatio*, nec *exequutio* Testamenti. *Ratificatio typica*, per *mortem typicam* testatoris, (omnia enim erant *typica*, adeoque totum Testamentum Vetus) facta est in deserto, quando morte & sanguine victimæ initiatum est. Exod. 24: 8. Hebr. 9: 17, 18. *Exequutioni* vero datum est, tunc demum, quando populus terram Canaan occupavit. II. Quamvis *statim post lapsum fideles habuerunt Testamentum* (fœdus) *gratiæ, talibus signis propositum & confirmatum, quæ confessionem nondum expiati reatus in se continebant, quæque idcirco aliquando per introductionem Novi Testamenti antiquanda erant:* non sequitur tamen, *vetus testamentum habuisse initium, statim post primam promissionem Adamo factam.* Hæc enim non sufficiebant ad *vetus testamentum:* sed requirebatur præterea *mors testatoris typica, hæreditas,* & *servitus;* cum *vetus testamentum generaverit ad servitutem.* Galat. 4: 24. Sed hæc omnia initium habebant tantum in monte Sinai. III. Nec sequitur *si per novum testamentum antiquata sunt Circumcisio & sacrificia, quæ fuerunt ante Mosen.* Hebr. 8: 13. *Ergo vetus testamentum erat etiam ante Mosen*, Nam *circumcisio* & *sacrificia* fuerunt ante & sub Veteri Testamento. In Veteri Testamento manserunt, illiusque servitutem auxerunt, postquam gravius onus, & major servitus accessit, adeoque *umbræ* fuerunt etiam sub Veteri Testamento, per Novum abolendæ. IV. Ex verbis Pauli Hebr. 9: 15. *Per sanguinem Christi expiata sunt peccata sub priori testamento*, non sequitur: *Ergo fideles ante Mosen etiam fuerunt sub veteri testamento, quia & eorum peccata per Christum expiata sunt, aut dicendum erit, peccata fidelium sub Promissione non esse expiata.* Sane Paulum ibi loqui de Veteri Testamento post Mosen, patet, quod dicat: *Vetus testamentum fuisse per sanguinem initiatum.* Hoc autem factum est per Mosen. Exod. 24. quo Paulus respicit. Nam in isto loco, Hebr. 9: 15. maxime opponit sanguinem *Veteris* & *Novi testamenti.* In Testamento post initiationem per Mosen factum, Exod. 24. erat etiam *sanguis testamenti:* sed iste sanguis non poterat fideles expiare, ut, si expiati sunt, factum sit per sanguinem Jesu Christi. Apostolus igitur opponit *sanguinem Novi Testamenti*, sanguini Testamenti Veteris, post institutum cultum, ostenditque veram expiationem factam esse sub Testamento Novo. Et quamvis loquatur de fidelibus post tempora Mosis, sub Testamento Veteri, inde tamen non sequitur: ergo fideles sub promissione non sunt expiati per Christum; nam positio unius non est exclusio alterius. Imprimis: notari debet; *Exceptio.*

quid intelligendum sit per *peccata Veteris Testamenti*, deinde quomodo Christus ea expiaverit suo sanguine? Per *peccata veteris testamenti* intelligit Paulus peccata contra legem *cærimonialem*, veluti si quis comedisset *suillam*, *noctuam*, *anguillam*, si *mortuum tetigisset*, si *vestem duplicis materiæ* gestasset, aut si aliud quid commisisset contra legem cærimonialem, cujusmodi peccata erant numero infinita, quæ debebant expiari sanguine alicujus victimæ typice. Revera non expiabantur sanguine victimarum, ideo quotidie victimæ istæ repetendæ erant, quia quotidie ejusmodi peccata committebantur. Nunc autem sub Novo Test. Christus suo sanguine à jugo servitutis, adeoque ab istis *peccatis veteris testamenti*, nos liberavit.

*Peccata veteris T. quæ?*

V. Absurdum est quod dicatur: *In libris Mosis continetur vetus testamentum, immo vetus testamentum ejus libri vocantur*, 2. Cor. 3: 14. *Ergo vetus testamentum fuit ante Mosen, quia libri isti continent statum Ecclesiæ ante Mosen.* Nam & *fœdus operum* continetur in iisdem libris, tamen *fœdus operum* ad Vetus Test. non pertinet. Ita etsi OEconomia sub Promissione, immo & Novum Testamentum, contineantur in libris Mosis, tamen non pertinent ad Vetus Testamentum.

X. *Vetus Testamentum* plane fuit *typicum*: adeoque omnia, quæ ad Testamentum. istud referebantur, *typica* fuerunt; veluti *mors* & *sanguis Testatoris*, & ipse *Mediator* istius Tastamenti: immo & *hæreditas*. I. *Mediatorem* Veteris Testamenti mere *typicum* fuisse, clarum est; is enim fuit *Moses*, intercedebat enim inter Deum & populum. Deut: 5: 5. Exod. 19. Populus stabat è longinquo, & orabat Mosen, ut ad Deum pro se loqueretur. Ideo *Mediator* dicitur. Gal. 3: 19. *Lex data est per Angelos in manus Mediatoris*, id est in manus *Mosis*. Ibi intelligi Mosen, colligi debet: quod is, qui legem ab Angelis accipit, debeat esse infra Angelos; ergo *Moses*, non *Christus*, intelligitur. Deinde ille *Mediator* ibi dicitur οὐκ ἑνὸς *non unius*, talis qui unit, sed potius qui dividit Populos. Hoc fecit Moses: cum enim legem accepisset, dedit cæteris gentibus libellum divortii, eosque à Deo atque populo suo separavit: sed Christus verus *Deus*, & *Mediator melioris*, scil. *Novi Testamenti*, est *unus* adeoque omnes populos cum Deo reconciliavit, & ex duobus, *Judæis* & *gentibus*, *unum fecit*. Ephes. 2: 14. Tandem *Moses* revera fuit *Mediator*, quum ab Angelis lex ipsa tradita esset: *stabat* enim *inter Deum & populum medius*, ut pro populo intercederet. Deut. 5: 5.

*Vetus Test. erat typicum*

*Mediator Vet. Testamenti Moses.*

*Mors Testatoris.*

5: 5. Exod. 19. II. *Mors* Testatoris & *sanguis* ejus erat *typicus*. Nondum enim Christus ipse Testator mortuus erat, nec ejus sanguis effusus: sed *victima* immolata & sanguis ejus effusus est in deserto, per Mosen. Exod. 24: 8. Hebr. 9: 18. Hæc autem mors victimæ, erat typica mors testatoris, & sanguis typicus Testamenti. III. *Hæreditas* quoque typica erat. Erat enim hæreditas Veteris Testamenti *terra Canaan:* hæc enim fuit promissa Abrahamo. Genes. 12. & 15. & 17. quare & primo præcepto secundæ tabulæ *terra Canaan* promittitur Israelitis, tanquam bonum isti populo peculiare, Exod. 20: 12. Hinc & *Hæreditas Israelis*, ac *terra Jehovæ* vocatur. Hos. 9: 3. Erat autem hæc *terra* atque *hæreditas* typus & pignus Chanaan cœlestis & hæreditatis æternæ. *Nostrum* enim *πολίτευμα est in cœlis.* Phil. 3: 30. Vide Gal. 4: 25, 26. Heb. 12: 22.

*Hæreditas.*

XI. Quum autem terra *Chanaan* pignus fuerit rei tam charæ, qualis est vita cœlestis, fieri non potest, ut homo sanctus non amet pignus tanti boni, & ut non animitus contristetur, si illud amittat. Quia autem plerumque morte amittebatur, ideo sancti Israëlitæ mortem tantopere reformidabant. Nam etsi mors, sua natura, semper sit horrenda omnibus hominibus, præsertim cum infligatur propter peccatum, nihilominus tamen, præter istum horrorem naturalem, fideles Veteris Testamenti peculiarem habebant causam eam reformidandi, cum per eam etiam privarentur pignore vitæ cœlestis. Hoc maxime locum habebat, si in flore ætatis, si immatura & subità morte abriperentur, aut etiam propter violatam legem. Ideo Deus obedientibus promisit, non tantum vitam in terra *Canaan*, sed & vitam longævam, tanquam signum gratiæ & benevolentiæ suæ. Hinc tot exempla fidelium, qui mortem horrebant, veluti *Davidis*. Ps. 6: 6. & 30: 10. & 115: 17, 18. *Ezechiæ* Regis. Es. 38: 2, 10, 11. Eo etiam respexit Paulus Hebr. 2: 15. ubi dicit: Judæos *per totam vitam timore mortis obnoxios fuisse servituti.*

*Veteres mortem reformidabant.*

XII. Magna igitur, est differentia inter *Testamentum Novum* & *Vetus*; I. *Vetus* Testamentum erat typicum tantum; *Novum* autem nullam habet picturam, sed continet ipsam veritatem. II. In *Veteri* Testamento erat hæreditas typica; at in novo est sola hæreditas vera & *cœlestis*, ac bona spiritualia tantum. III. In *Veteri* Testamento Ecclesia continebatur in sola terra *Chanaan*, at in *Novo* dispersa erat per totum mundum, ut ipsæ gentes Christo datæ sint

*In quibus differant Vetus & Nov. T.*

 in

in hæreditatem. Pſ. 2: 8. IV. In *Veteri* Teſtamento plures habebant *Mediatores*, nempe *Moſen*. Gal. 3: 19. & *Sacerdotes*. Hebr. 5: 1. In *Novo* autem, unicum tantum, nempe Jeſum Chriſtum. 1. Timoth. 2: 5. Hebr. 9: 15. & 12: 24. V. *Veteris* Teſtamenti *Mediator*, *victima*, *mors* & *ſanguis* erant typica, ſcilicet *mors* & *ſanguis* animalium. Sed ſub *Novo* Teſtamento nulla alia eſt *victima*, *mors*, nec *ſanguis* quam filii Dei. Hinc ſanguis Jeſu Chriſti dicitur *ſanguis Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. Matth. 26: 28. Et *ſanguis aſperſionis*, *loquens præſtantiora*, *quam ſanguis Abelis*. Hebr. 12: 24. *Sanguis J. Chriſti nos purificat ab omni peccato*. 1. Joh. 2: 2. Ideo & *meliores hoſtiæ* dicuntur ſub Novo Teſtamento. Hebr. 9: 23. VI. In *Veteri* Teſtamento ſanguis non poterat *purificare conſcientias*, *ab operibus mortuis*, nec poterat dare homini tranquillitatem, per firmam perſuaſionem expiati peccati. Hoc autem præſtat ſanguis *Novi* Teſtamenti. Hebr. 9: 14. VII. In *Veteri* Teſtamento quotidie offerenda erant ſacrificia; erat *commemoratio* & *exprobratio peccati*, *Chirographum*, adeoque πάρεσις tantum. Rom. 3: 25. At ſub *Novo Teſtamento* nulla ſunt *ſacrificia*, nulla *commemoratio* nec *exprobratio peccati*: ſed Chirographum in cruce eſt deletum, & pleniſſima obtinet peccatorum ἄφεσις in emphaſi. Hebr. 10: 18. VIII. *Vetus* Teſtamentum habebat σχέσιν fœderis & pacti operum, & adjunctam duram *ſervitutem*: at Novum Teſtamentum nihil habet, niſi *libertatem* & meram *gratiam*; *quare* etiam vocatur κρείτων διαθήκη Hebr. 8: 6. Hinc & κρείττονας habet ἐπαγγελίας, *meliores promiſſiones*; ibidem & κρείττονας θυσίας, *meliores hoſtias*. Hebr. 9: 23. IX. *Vetus* Teſtamentum debebat *aboleri*; ſed *Novum* eſt permanens.

*Vetus & N. Teſt. non ſiunt unum.*

XIII. Igitur *Vetus* & *Novum* Teſtamentum non ſunt unum idemque, ne quoad ſubſtantiam quidem, quæ facit Teſtamentum, ſic proprie dictum. Cum in Novo Teſtamento plane ſit alia *hæreditas*, alius *Mediator*, alia *Mors* Teſtatoris, alius *ſanguis*, alia *ſacrificia*, alia *expiatio*, aliaque *conditio*, ut ex dictis patet. Nihilominus tamen, ſi reſpiciamus ad *meritum* veri Mediatoris, ad *fidem*, *æternam hæreditatem*, ac reliqua *bona* per Chriſtum parta, & quæ omnibus fidelibus ſunt communia, cum fideles Veteris Teſtamenti habuerint eandem fidem nobiſcum, eandemque ſalutem æternam, eatenus, inquam, Vetus & Novum Teſtamentum non differunt. Nihilominus tamen omnia iſta bona *ſpiritualia*, *fidem* in Chriſtum,

*juſti-*

*jujstificationem*, *sanctificationem*, *Perseverantiam* in fide, & *vitam æternam* fideles Veteris Testamenti obtinuerunt, non virtute *Veteris Testamenti*, sed vi *æterni Testamenti*, & beneficio *fœderis gratiæ*, in quo fuerunt, æque ac fideles Testamenti Novi.

XIV. Ex dictis patet, *Testamentum* cum *fœdere gratiæ* non debere confundi: cum in *fœdere gratiæ* contineantur *duo Testamenta*, *Vetus* & *Novum*, ac triplex œconomia. I. Sub *Promissione*. II. Sub *Testamento veteri*. & III. Sub *Testamento Novo*. Deinde clarum est, distingui debere *Vetus Testamentum* ab ejus *OEconomia*. Nam *Vetus Testamentum* est ipsa *voluntas Dei, de danda hæreditate terrestri*. At vero *OEconomia* istius Testamenti *Administratio*, & ratio, qua salus, sub Veteri Testamento, procurata est.

*Testamentum non est confundendum cum ipsa œconomia.*

## CAPUT III.

### De Lege Dei Morali in genere.

I. QUamvis nullum detur fœdus sine *lege*, ut omnis OEconomia fœderis gratiæ suam habuerit legem: nihilominus tamen sub Veteri Testamento *Lex* consideranda venit modo peculiari. Non tantum quod tunc plures fuerint leges, quam sub *Promissione*, & sub *Novo Testamento*; sed etiam quod ipsa lex moralis sub *Veteri Testamento* scriptis fuerit consignata, & quod peculiarem tunc habuerit σχέσιν, & aliquam rationem legalem, quam sub Promissione & sub Novo Test. non habet, ut suo loco patebit.

II. Lex Græce dicitur νόμος à νέμειν *distribuere* & *regere*, quia cuilibet suum distribuit, & quia ad *regendos* homines data est. Hebræis dicitur תורה *Doctrina*, à ירה in hiphil הורה *docuit*, quia per eam Deus voluntatem exponit, hominesque viam ad salutem docet. Ideo & ipsa *doctrina fidei*, dicitur *Lex fidei*. Rom. 3: 27.

*Lex, νόμος, תורה.*

III. Lex alia dicitur *naturalis*, alia *positiva*. *Positiva* respicit vel cultum Dei, & dicitur *Cærimonialis*; vel statum Civilem, & dicitur *Forensis*. Triplex igitur fuit lex sub Veteri Testamento. I. *Naturalis* sive *Moralis*. II. *Cærimonialis*. III. *Forensis*. Triplex ista lex videtur exprimi. Malach. 4: 4. per תורה חקים ומשפטים. Per תורה solent exprimere *legem moralem*. Per חקים *cærimonialem*; & per משפטים *Forensem*. Juncta etiam occurrunt מצות חקים ומשפטים Deut. 5: 31. Sæpe tamen sunt synonyma idemque significant.

Veluti Ezech. 20: 11, 13, 16, 19. & alibi, ubi vox משפטים notat *legem moralem*, per quam homo vivit, si eam observet.

IV. *Moralis* sic dicitur, quia *mores* respicit, virtutesque ac vitia homines docet naturaliter, & quare nemo est qui non habeat conscientiam boni & mali, justi & injusti, æqui ac iniqui, etiam post peccatum, quin saltem habeat rudera quædam boni & mali cordi impressa: fluit enim ex ipsa imagine Dei. *Gentes quæ legem* (scriptam) *non habent, faciunt ea, quæ legis sunt.* Rom. 2: 14. Vocatur etiam lex *naturalis*: quia cum ipsa *natura* hominis initium habuit, & cum imagine Dei perfecte congenita est. Est igitur lex moralis *generalis* omnibus hominibus data, omni tempore; adeoque *æterna* dicitur. Ut intolleranda sit impietas *Atheorum*, qui talem legem negant: quasi homo nasceretur ut *tabula rasa*, cui nihil boni, nec mali congenitum est. Patet etiam putidas esse fabulas *Judæorum*, qui hanc legem initium habuisse putant, à septem præceptis Noachi, qualia sunt I. *Non esse admittendum cultum extraneum.* II. Non esse *maledicendum numini.* III. Non esse *committendum homicidium.* IV. Non esse *revelandam turpitudinem.* V. Non esse *committendam rapinam.* VI. *Judicia esse exercenda.* VII. Non esse *comedendum de membro vivi animalis.* Cum præcepta ista, præter ultimum, sint ipsa præcepta legis *Moralis.*

*Lex Moralis.*

V. Inde etiam sequitur hanc legem esse *immutabilem*, ac *indispensabilem*. *Immutabilis* est. (1. quia fundatur in *sana ratione.* At sana ratio semper eadem est. (2. Ideæ istius juris nobis semper insunt. (3. Lata est ab ipso Deo sanctissimo, qui naturas rerum non mutat. (4. Est *perfecta*; sed perfecto nihil addi nec detrahi potest: adeoque est etiam *æterna* & *immutabilis.* Est quoque *indispensabilis*: ut Deus non jubeat res contra legis moralis præcepta. Ita fieri non potest, ut Deus jubeat *adorationem creaturæ*, & ut novum proponat Deum adorandum, sub Novo Testamento, qui patribus olim non fuerit notus, qualem Deum sibi fingunt *Sociniani* Jesum Christum, qui sit merus homo & tamen adorandus. Blasphemum igitur est dogma eorum, qui statuunt: *Deum posse legi contrarium mandare*; posse jubere ut ipsum Deum blasphememus & odio habeamus, ac per nomen ejus pejeremus. Sic enim Deus se odio habendum nobis proponeret, quod esset impossibile, quia se proponeret tanquam odio dignum, cum sit impossibile ut voluntas oderit, quod non est odio dignum, adeoque sub alia idea, quam habemus de numine summe perfecto, quæ mani-


*Est immutabilis.*

*Indispensabilis.*


*Deum non posse jubere legi contraria.*

# A






ἀνὰ πεντήκοντα.




VIII. Cum igitur homo in hoc ſtatu ſit peccator, Deus autem

ſit

manifestam involvunt contradictionem. Vellet enim ut conciperemus summum bonum tanquam summum malum, summam perfectionem, tanquam summam imperfectionem: uno verbo Deum, tanquam non Deum: adeoque seipsum abnegaret, quod est impossibile. 2. Tim. 2: 13. Impium quoque est dogma *Pontificiorum*, qui attribuunt *Papæ* potestatem laxandi leges, & dispensandi contra præcepta ejus, ac populum in variis occasionibus liberandi à vinculis legis. Non sufficit, ut ejus gnatones hanc impietatem incrustent, dicendo *Papam* non *mutare*, sed *explicare* leges: cum impia ejus explicatio sit vera mutatio legis, contra legis vim & naturam. Deinde oppositas dant explicationes; nam quod *Papa* huic permittit, id illi vetat. Est etiam lex Moralis *spiritualis*. Rom. 7: 14. id est, non tantum ori, oculis, manibus, pedibus, totique corpori ejusque motibus imperat, sed & cogitationibus ac voluntati totique menti nostræ. Potest enim ex. gr. *adulterium*, *furtum* &c. committi, non tantum corpore, sed & voluntate ac cogitatione. Matth. 5: 28.

*Papa non potest laxare leges.*

*Exceptio.*

*Lex est spiritualis.*

VI. Quædam præcepta legis *Moralis* fluunt immediate ex ipsa *natura Dei*. Et hæc sunt absolute *indispensabilia* & *immutabilia*: cum Deus seipsum abnegare non possit, & cum sit *immutabilis*. Talia sunt præcepta primæ tabulæ. Sic nullus potest dari casus, quo Deus possit jubere; se non amari, non coli, aut ut odio habeatur, ut nomen suum blasphemetur, & ut per nomen suum falso juretur. Alia dantur præcepta; quæ fluunt ex *constitutione rerum jam creatarum*: cum dependeant à voluntate Dei, & mutari possint, non sunt *simpliciter immutabilia*, sed ex *hypothesi*, quatenus Deus res tales talemque ordinem rerum voluit & producere & conservare.

*Quædam præcepta moralia fluunt ex ipsa natura Dei.*

*Sunt indispensabilia.*

VII. Res autem, cum sæpe conditione mutentur, fit ut multi *jus* suum non raro amittant, quamvis ipsa *lex* aut *jus* ipsum non mutetur. Sic propter peccatum, inertiam, pigritiam, negligentiam, morbum, vel per contractum multi amittunt *dominium rerum*, bonorum possessionem, libertatem & vitam ipsam. Ideo cadunt in servitutem & paupertatem; cum alias jure naturali æque simus rerum Domini, liberi & divites. Sic *prodigus* amittit usum bonorum, cum ejus sit incapax. *Furiosus* non amplius habet *jus gladii*, ad tutelam corporis sui: cum eo abuteretur in sui & proximi perniciem. Homo *piger* & *negligens*, quod præscriptionem admittat, etiam juste amittit possessionem.

*Jus non mutatur, sed ab homine sæpe amittitur.*

VIII. Cum igitur homo in hoc statu sit peccator, Deus autem

sit

*Deus non jubet homicidium nec furtum.*

sit summus arbiter vitæ & bonorum nostrorum, si jubeat ut aliquis hominem occidat, aut alterius bona aufferat, non tamen ideo judicari debet, Deum jussisse *homicidium* aut *furtum*: hoc enim ab eo fit justo judicio, quod in peccatorem exercere quovis modo potest, etsi causæ nos lateant. Nec quisquam potest dici *homicidium* aut *furtum* commisisse, qui mandata Dei exequitur; sed si quis hominem occidat odio & privata vindicta, sine ulla necessitate, aut si bona aufferat, per avaritiam, nullo justo titulo. Unde facile colligi potest, nec *Abrahamum* homicidii, quum paratus esset, ut filium suum Isacum immolaret, nec *Israëlitas*, cum aufferrent vasa Ægyptiorum, furti accusandos esse: cum & *Abrahamus* & *Israelitæ* ista fecerint jussu Dei. Præterquam quod Abraham hoc modo tantum probaretur, nullamque libertatem à Deo acceperit quemlibet hominem occidendi, pro lubitu, ex odio privato & ob proprium commodum, sine expresso & restricto Dei mandato. Ita quoque quando Israëlitæ abstulerunt vasa Ægyptiorum, Exod. 12. non commiserunt *furtum*; sed erat justissima petitio premii laborum & servitutis. Exod. 3: 21, 22. Adde quod Israëlitis à Deo non fuerit data potestas omnium hominum bona aufferendi, sed tantum Ægyptiorum, quos Deus justo judicio voluit punire. Deus igitur in isto negotio egit tanquam justissimus Rex, cujus officium est ut Civibus quovis modo justitiam administraret, & debitam mercedem, etiam vi & aperto bello, & occulta arte, eis obtineret. Nam si Rex in suo imperio potest dare civibus suis potestatem petendi ab hostibus, etiam vi, justam mercedem debitam, multo justius istam potestatem Deus, Rex Regum, poterat concedere Israëlitis. Nec *Polygamiam*, nec divortia jussit Deus sub Veteri Testamento; sed tantum tolleravit ista, & quidem ob duritiem Judæorum, in *pœnam* magis, quam in beneficium. *Odit* enim *Deus dimissionem* uxoris. Malach. 2: 16.

IX. Cum lex moralis sit *generalis*, obligat hominem, non tantum erga *proximos*, sed & erga *seipsum*: id est quilibet justitiam debet exercere erga seipsum, non minus quam erga alios. Potest enim homo crudelitate, prodigalitate, & alio modo committere homicidium, furtum & alia peccata contra seipsum.

*Lex obligat hominem erga seipsum.*

X. Cum eadem lex sit *immutabilis*, sequitur eam obligare hominem ad *obedientiam* & ad *pœnam* simul, Nam etsi peccator puniatur propter delictum, tamen non amittit conditionem creaturæ; adeoque

que tanquam creatura semper obedire debet legi. Quod de ipsis etiam damnatis in inferno intelligendum est; cum enim semper maneant creaturæ in medio cruciatuum, legi Dei quoque manent subjectæ. Tamen justitiæ *Dei non bis satisfieri dicendum* est: cum tanquam *peccator* dignus sit pœna: & tanquam *creatura* debeat Deum suum semper colere. *Credentes* in Christum non obligantur nec ad *pœnam*, nec ad *obedientiam* legis, tanquam ad conditionem necessariam obtinendæ saluti. Obligantur tamen semper ad *obedientiam*, tanquam ad *normam resipiscentiæ*, & ut testarentur Deo gratum animum, quod eos à legis maledictione atque morte liberaverit, per filium suum Jesum Christum.

*Objectio.*

XI. Cum lex *moralis* sit *perfecta*, *æterna*, & *immutabilis*, sequitur eam esse regulam perfectæ sanctitatis, adeoque eam per Christum nec auctiorem, nec sanctiorem esse factam, nec fieri posse. Nulla igitur data sunt *consilia Euangelica*, aut præcepta quæ hominem possent reddere sanctiorem ac perfectiorem, quam ipsa lex postulat, aut dignum majori gloria, quam lex promittit, quemadmodum nugantur *Pontificii*, *Sociniani*, *Remonstrantes* & alii, Christum jussisse I. *Abnegationem sui*. II. *Tollerantiam crucis*. & III. *Imitationem Christi*, hisce verbis Matth. 16: 24. *Si quis vult venire post me, seipsum abneget, sumat crucem suam meque sequatur.* Certissimum enim est, eadem præcepta jam obtinuisse, sub Veteri Testamento; continentur enim in perfecto amore Dei & proximi, qui in prima & secunda tabula mandatur. Animadvertimus etiam exempla eadem observata fuisse à Patribus. Nam *Abrahamus* abnegavit seipsum, & crucem Christi tulit, cum ad vocationem Dei patriam deseruisset. Sic & *Moses* maluit ferre opprobria Christi, quam possidere omnes divitias Ægypti. Hebr. 11: 24, 25, 26. Omnes fatentur Christum exhibuisse summam perfectæ legis, hisce verbis: *Amabis Deum tuum ex toto corde* &c. *& proximum tuum, ut te ipsum.* Matth. 22. Sed eadem Deus jam jusserat in Veteri Testamento. Deut. 6: 5. Levit. 19: 18.

*Lex est regula perfectæ sanctitatis.*

*Consilia Euangelica nulla.*

XII. Ex eadem perfectione legis sequitur, quidquid fit contra legem, id esse *peccatum*. Nam ἁμαρτία est ἀνομία. 1. Joh. 3: 4. Quidquid autem lex non prohibuit, illud non potest esse peccatum, sed est res ἀδιάφορος *indifferens:* cum, præter solum Deum, nemo conscientiam obligare possit. Est enim Deus solus *Legislator* supremus, *qui potest servare & perdere.* Jac. 4: 12. Non possunt igitur leges

*Quod lege non est prohibitum, non est peccatum, sed ἀδιάφορον.*

leges humanæ, etiam potentissimorum Principum, conscientiam obligare, nisi quatenus leges istæ fundatæ sunt in lege Dei, quæ jubet ut *omnis anima subjecta sit supremis potestatibus.* Rom. 13: 1, 5. 1. Petr. 2: 13, 17.

*Conscientia oneranda mandatis humanis non est.*

XIII. Quisquis conscientiam igitur vellet obligare, ad observandas res in lege Dei non mandatas, quales sunt *cærimoniæ* in Ecclesia Romana; vel si quis ex. gr. vellet prohibere, ne quis die dominica panem emat, lectum sternat, ignem struat, cibum coquat, ne medicus ægrotum sanet, aut ne obstetrix parturienti inserviat, nisi forte salarium, quod inde accipit, pauperibus tradat; aut si quis vellet vetare, quæ Deus in lege sua non prohibuit, qualia sunt ex. gr. hoc vel illud genus vestimenti, hos vel illos cibos, corporis & mentis honesta oblectamenta, & id genus alia, is in Ecclesiam Dei inducit intollerandam ἐθελοθρησκείαν, ac superstitionem, injurius est in libertatem Christianam, & charitatem proximi, cum ei injiciat vincula, à quibus Deus eum liberum voluit, imponat novum jugum servitutis, conculcet sanguinem Christi, per quem in libertatem vindicati sumus, adeoque *Deum vane colet, per mandata hominis.* Matth. 15: 9. Col. 2: 22, 23.

*Lex Scriptis data in Sinai.*

XIV. Quamvis lex *moralis* omnium hominum cordibus ab initio inscripta fuerit, placuit tamen Deo eam eandem scriptis tradere, & duabus quidem tabulis in monte Sinai. Exod. 20: 1. *Legislator* ejus fuit ipse *filius Dei*, fuit enim Deus ille, qui Mosi apparuit in rubo, Exod. 3: 2. & 12. Nam ab eodem Moses accepit legem in monte. Act. 7: 38. Fuit is, *qui ascendit in altum.* Ps. 68: 9, 19. Hebr. 12: 18.

*Legislator filius Dei.*

*Ministri legislatoris. Angeli.*

XV. Ministri Christi legislatoris fuerunt I. *Angeli.* Nam lex data est εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων. Act. 7: 53. Data *est per Angelos in manus Mediatoris.* Gal. 3: 19. Et *per Angelos dictus est sermo.* Hebr. 2: 2. Ideo Angeli dicuntur *Myriades sancti.* Deut. 33: 2. πολλοὶ μάρτυρες. *Multi testes.* 2. Timoth. 2: 2. Hinc Euangelium datum dicitur per *Christum*; at vero *lex per Angelos*; quare & *Ministerium Euangelii excellentius vocatur.* Hebr. 2: 2, 3. Fuerunt autem Angeli non tantum *Ministri*, per quos lex populo traderetur, ac legislationis *testes*, sed & *exequutores* & *vindices* legis. Hinc etiam populus Veteris Testamenti dicitur *subjectus Angelis.* Hebr. 2: 5. (1. quia legem ab *Angelis* acceperat. (2. quia Angeli eos graviter puniebant ob violatas leges. Exemplum habemus 2. Sam. 24: 16, 17. ubi Angelus horrendam infert stragem, ob pec-

*Populus Veteris Test. subjectus.*

catum

catum Davidis, quod populum numerasset. Hinc & Angeli *Dii* dicti sunt. Psal. 8: 6. & 97: 7. Unde Christus ipse dicitur *minor factus Angelis.* Ps. 8: 6. quia legi Veteris Testamenti *subjectus fuit.* Gal. 4: 3. Ab hac autem subjectione libera est Ecclesia Novi Testamenti. Non enim *Angelis* Deus *subjecit habitabilem futurum,* id est Ecclesiam Novi Testamenti. Hebr. 2: 5. sed filio *homines visitanti.* Ps. 8: 5. De quibus plura, ubi de *bonis Novi Testamenti.* II. Legislationis Minister fuit *Moses.* Nam *lex per Mosen data est.* Joh. 1: 17. *Per Angelos data est lex in manum Mediatoris.* Gal. 3: 19. Steterat scilicet Moses medius inter Deum & populum, tanquam *Mediator typicus*, qui Christum Legislatorem suum repræsentaret, & simul Christi Minister esset, ut Deus per Mosen tanquam per internuncium ad populum loqueretur. Deuter. 5: 5. & 33: 3, 4.

*Moses Legislationis minister.*

XVI. Data autem fuit *lex* post exitum ex Ægypto, die Pentecostes, in *monte Sinai.* Exod 19. Cum *Euangelium* prodiret ex *monte Sione.* Es. 2: 3. Heb. 12: 18, 22. quod etiam adimpletum est, maxime in missione Spiritus Sancti, die *Pentecostes.* Actor. 2. Data quoque est signis terribilibus. Exod. 19: 16, 18. Hebr. 12: 18. Exod. 20: 18, 19. Non tantum ad indicandam Majestatem Dei, sed & ut significaretur, legem esse *ministerium mortis & condemnationis.* 2. Cor. 3: 7. Cum *Euangelium* sit datum cum omni *lenitate Spiritus*, ad indicandum, esse datam meram gratiam per Jesum Christum. Act. 2: 3. Joh. 1: 17.

*Quando lex data.*

XVII. Legem autem hanc *moralem* Deus ipse scripsit *digito*, Exod. 31: 18. id est *virtute sua*, prout *digitus* Dei ejus *vim* & *virtutem* significat. Exod. 8: 19. Psal. 8: 4. In *duas tabulas* albicantes vel *Zaphirinas*, longas latasque cubitum, crassas dimidium cubitum. Scriptura autem erat in utraque pagina tabulæ, vel ab utraque parte, (ut narrant Judæi) ne quid demi vel addi posset, cum fuerit perfecta. Hinc divisio legis in *duas tabulas*, quarum prior continet quatuor præcepta, de perfecto amore & cultu Dei. Posterior sex, de dilectione & officio erga *proximum.* Quare tota lex consistit in amore, ut qui Deum & proximum perfecte amat, *totam legem implevisse* dicatur. Rom. 13: 8. Ideo *amor* vocatur *vinculum perfectionis.* Col. 3: 14. Et Christus totam summam legis redegit, ad *amorem* erga Deum & *proximum.* Matth. 22: 37, 38, 39. quæ repetita sunt ex lege Mosis. Lev. 19: 18. Deut. 6: 5. Per *proximum* autem intelligi debent, non tantum ii, qui sunt in eodem fœdere, ejusdem

*Deus legem scripsit digito suo.*

*In duas tabulas.*

*Proximus quis?*

religionis, aut inter quos intercedit commercium aliquod peculiare, quemadmodum Judæi & Sociniani falſo docent; ſub Veteri Teſtamento ſatisfeciſſe Judæos, modo tales amaſſent, non autem petiiſſe legem, ut omnes homines, etiam gentiles & ignotos, amarent. Sane ipſi *Ægyptii* dicuntur *proximi* Judæorum. Exod. 11:2. & *Philiſtæi proximi* Samſonis. Jud. 14: 12. & *Samaritani*. Luc. 10: 36. Hinc & inimicum amare debebant Judæi, non minus quam Chriſtiani, ejusque bona conſervare. Exod. 23: 4.

*Decalogus à decem verbis.*

*Præcepta affirmantia.*

XVIII. Dici ſolent duæ iſtæ tabulæ, quæ legem *moralem* continent, *decem verba*, propter decem præcepta, prout præceptum vocari ſolet verbum. Exod. 34: 28. Deut. 4: 13. Hinc etiam dici ſolet ΔΕΚΑΛΟΓΟΣ. Præcepta Decalogi quædam ſunt *Affirmantia*, quædam ſunt *Negantia*. Illa *affirmativis*, hæc *negativis* verbis efferuntur. Quæ negativis verbis efferuntur, ut *negativa*, illa quoque debent *affirmative* intelligi. Id eſt, ſi vitium aliquod prohibeatur, virtus contraria ſimul jubetur. Ex. gr. *Non ſumes nomen Dei in vanum*, intelligi debet: *ſanctificabis nomen Dei omnibus viribus tuis.* Ita *non furabere*, denotat etiam: *Proximi tui bona conſervabis* & *augebis.* Nam non tantum *recedendum eſt à malo*, ſed & *faciendum eſt bonum.* Eſ. 1: 16, 17. Pſ. 34: 15. *Exuendus* eſt *vetus homo*, ſed & induendus eſt *novus.* Epheſ. 4: 22. &c. Ita quoque illa, quæ affirmative efferuntur, non tantum jubent virtutem; ſed & vitium contrarium prohibent. Ex. gr. *Honora patrem & matrem*, ſignificat: *eos nullo modo lædes.*

*Præcepta Negantia.*

XIX. Præcepta negantia obligant *ſemper* & ad *ſemper*, quia malum nunquam non eſt fugiendum. Nunquam enim Deus eſt blaſphemandus, nunquam homo occidendus, nunquam furtum committendum &c. Præcepta *affirmantia* ſive *affirmativa* obligant quidem *ſemper:* quia nunquam faciendum eſt id, quod virtuti eſt contrarium, ſed non obligant *ad ſemper:* cum ſit impoſſibile. Ex. gr. non ſemper omnibus momentis orandum eſt, aut eleemoſynæ dandæ ſunt; cum hæc & ejuſmodi alia excedant vires naturæ noſtræ.

CA-

# CAPUT IV.

## *De Tribus Prioribus Præceptis.*

I. PRimum præceptum prohibet, *Atheismum*, *Polytheismum*, *Idololatriam*, & *superstitionem*, ac simul jubet ut credamus unum solum Deum, eumque colamus solum. Peccant igitur contra hoc præceptum I. *Athei*, qui nullum Deum nec credunt, nec colunt, II. *Gentiles*, qui plures Deos docent eosque colunt. III. *Sociniani*, qui docent sub Novo Testamento Christum, quem nudam dicunt creaturam, factum esse Deum, eique verum cultum æterni Dei competere. IV. *Pontificii*, qui, præter solum verum Deum, adorant Angelos, Sanctos atque Sanctas hominum.

*I. Præceptum.*

II. Insulsa est distinctio Pontificiorum, inter δυλείαν, *hyperduliam*, & *Latriam*, quasi posterius soli Deo competeret; secundum beatæ *Virgini*, & primum sanctis: cum tamen certum sit δυλεύειν & עבר *servire* soli Deo competere æque ac λατρεύειν. Gal. 4: 8. Nemo ignorare potest, quod ministerium Templi vocetur עבודה *ministerium*, & servitus. Vide Exod. 35: 21. Hinc עבודה sive δυλεία significat Religionem, sive *cultum divinum*. Exod. 35: 21. Non debemus δυλεύειν *servire iis qui non sunt Dii*, ergo *vero Deo*. Gal. 4: 8. vide Rom. 1: 9. & 15: 8. & 14: 18. & 16: 18. 1. Thess. 1: 9.

*Distinctio inter δυλείαν, hyperduliam & Latriam.*

III. *Secundum* Præceptum non est idem ac primum, ut male docent Pontificii, sed ab eo distinguitur. (1. quia *primum* docet cultum Dei ipsum, sed *secundum* modum ostendit quo Deus coli debet & vult. Scilicet non per *imagines*, sed modo *spirituali*, cum ipse sit Spiritus. Joh. 4: 24. (2. Potest aliquis peccare contra primum præceptum, quamvis non peccet contra secundum. Sic Romani, olim vetustissimis temporibus, nullas habebant *imagines*; ergo contra *secundum* præceptum non peccarunt: habebant tamen plures Deos, quos adorabant; ergo contra *primum* præceptum tantum peccarunt. Contrarium factum est in deserto à Judæis: illi enim solum verum Deum adorabant in vitulo; ergo peccarunt contra secundum præceptum tantum; quare hoc præceptum à Pontificiis impie ex Decalogo traditur, sub falso prætextu, quod sit idem cum primo præcepto.

*Secundum præceptum differt à primo.*

*Voces* תמונה *&* פסל.

IV. In Hebræo reperiuntur vocabula תמונה & פסל. Prius significat imaginem *sculptam*, quemadmodum lapides sculpuntur, ita dicitur de tabulis legis sculptis. Exod. 34. 1. Alterum notat quamlibet *imaginem* ac *similitudinem*. Sic Moses dicitur, Deum vidisse, non per תמונה *similitudinem*. Cum igitur in hoc præcepto prohibeatur quodlibet *Pesel* & *Themuna*, sequitur nullum genus imaginum ad cultum Dei adhiberi posse, quacunque arte id factum sit, sive factæ, sive fictæ sint imagines.

*Non omnes imagines prohibentur.*

V. Non quod prohibeantur absolute omnes *imagines*, *picturæ* atque *statuæ*, etiam illæ quæ fiunt tantum ad *ornatum* vestium, tapetum, ædificiorum, navium, & ad memoriam defunctorum, aut in rebus politicis, ad distinguenda Regna, urbes, principes, extra negotium Religionis, ut stolide docent *Mahometani*, & nonnulli ex Veteribus Christianis, qui eousque imagines quaslibet execrabantur, propter Idolomaniam, ut dicerent picturam esse artem Diabolicam. Prohibentur igitur istæ tantum imagines, quibus homines solent abuti in negotio Religionis; sive quis putet ipsas imagines esse Deos, (ad quam dementiam ullum unquam sanæ mentis delapsum fuisse, vix est credibile) sive putet per eas se posse colere verum Deum.

*Contra secundum præceptum peccant. I. Ethnici. II. Pontificii.*

VI. Peccarunt igitur contra hoc præceptum Ethnici olim, qui Deum, Deos, Deasque, uti loquebantur, colebant per imagines sculptas, pictas & fictas vario modo, & sub variis figuris, puta Solis, Lunæ, aliarumque Stellarum, sub forma avium, hominum, brutorum, reptilium, arborum, herbarum, florum, piscium; nempe rerum quæ sunt *in cœlo*, *in terra*, *& in aqua infra terram*, uti Deus in hoc præcepto loquitur. Peccant contra idem præceptum Pontificii, qui infinitum numerum imaginum, omnium generum rerum *cœlestium*, *terrestrium* & *aquatilium*, nunc ipsum Deum, nunc Trinitatem, nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum Sanctum, nunc Angelos, nunc Sanctos & Sanctas, tanquam tot Deos Deasque, sibi fingunt atque pingunt], eas in Templis collocant, per plateas, per vias, & in privatis ædibus, coram eis se prosternunt, eas colunt, invocant, honorant, precibus, laudibus, oblationibus, altaribus, preciosis vestibus, floribus, auro, argento, thymiamate & id genus infinita alia.

*Error Pontificiorum.*

VII. Frustra contendunt Pontificii, Deum hic prohibere tantum imagines falsorum Deorum gentilium, quales erant, Jovis, Sa-

Saturni, Mercurii, Veneris, Solis, Lunæ, Draconis, Bovis &c. non autem imagines veri Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti; aut Sanctorum, Virginis, Petri, Pauli &c. Prohibentur enim omnes imagines, quæcunque illæ sint, coram quibus homo se prosternit. Ergo & *Pontificiorum*; cum coram imaginibus suis sese prosternant. Deinde Deus prohibet seipsum depingi. *Franges imagines Deorum eorum, ita non facies Deo tuo*, Deut. 12: 3, 4. id est non facies ei imagines, ut gentiles Diis suis. Addit etiam Deus rationem quare non vult depingi, scilicet quia *nulli unquam visus est.* Deut. 4: 15, 16. & Es. 40: 18. Inepte Pontificii dicunt: *Septuaginta vertisse vocem* פסל *per* idolum, *at vero* idolum *non repræsentare rem veram, sed fictam tantum, ut chimæram, centaurum* &c. *ideo quia Paulus dicit idolum nihil est.* 1. Cor. 8: 4. Nam. 1. Septuaginta non sunt textus autenticus. 2. Non semper vertunt פסל per *idolum*, sed & per *similitudinem.* Deuteron. 4: 16. Es. 40: 18, 20. & sane *idolum* significare rem quæ habet veram existentiam, manifestum est: nemo enim dubitat, quin olim exstiterit *Hercules*, *Draco*; quid? ipsi cæci fatentur dari *solem* & alia *astra*, tamen si videamus istarum rerum imagines, optimo jure eas vocamus *idola.* Quod autem attinet locum 1. Cor. 8: 4. ibi Paulus non negat *idolum* esse aliquid, sed tantum habere ullam virtutem; Veluti 1. Corinth. 3: 7. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est*, id est nullam habet virtutem ad servandum hominem.

VIII. Inepte etiam dicunt iidem Pontificii: *hoc mandatum respicere solos Ethnicos, non autem se, ideo quod Ethnici crediderint ipsas imagines esse Deos, ut ipsas imagines adoraverint tanquam Deos: se autem tam stolidos non esse, ut credant illis ullum inesse divinitatem, easque ipsas esse adorandas; sed se tantum eas habere ut libros Laicorum, ut populus Deum atque Sanctos coleret per imagines.* Nulla enim prorsus est differentia inter imagines *Pontificiorum* & *Ethnicorum.* Nam 1. Deus prohibet omnes *imagines*, non tantum quæ repræsentant falsos Deos, & figmenta cerebri humani, sed etiam eas, quæ repræsentant ipsum Deum, uti jam modo probavimus thes. XXVII. 2. *Ethnici*, non magis quam *Pontificii*, nunquam tam stolidi fuerunt, ut crediderint, ipsas imagines habere aliquam divinitatem, & ut adoraverint ipsas imagines; sed tantum quod sint repræsentationes veri Dei, & Heroum tanquam tot Sanctorum. Ita sane *Chaldæi*, ut ut adoraverint *Draconem* & statuam *Beli*, tamen illis nullam

lam adſcripſerunt divinitatem; cum crederent *Deos habitare in cœlis*, & nullam habere *communicationem cum carne.* Vide Dan. 2: 11. *Lyſtrenſes* habebant imagines *Jovis* & *Mercurii*, ſed ipſos *Jovem* & *Mercurium* credebant eſſe in cœlis, putabant enim eos fuiſſe *Paulum* & *Barnabam*, & de cœlo deſcendiſſe. Act. 14: 12. Lucianus ridet eos qui putant ullum Deum poſſe videri. Dialog. de Sacrif. *Caliſtenes*, quum videret adulatores velle ponere inter Deos Alexandrum Magnum, eos ridet: quod *nemo poſſet dare Regnum, multo minus divinitatem.* Ita Jerem. 16: 20. *An homo ſibi faciet Deos, cum ipſe non ſit Deus?* Sic Auguſtinus in Pſ. 112. mentionem facit de Idololatra, qui dicebat: *non adoro imaginem nec dæmonem: ſed in imagine corporali video ſignum rei, quam adoro.* Idem de Ethnicis teſtatur Lactantius. Sic & Athanaſius in Orat. contra gentiles narrat quod ſe excuſaverint dicendo: *imagines hominibus eſſe tanquam Scripturam, per quam poſſint habere aliquam cognitionem Dei.* Idem dixit Porphyrius Philoſophus & alii. 3. *Pontificii*, ſaltem mulierculæ ac ſimpliciores, non tantum Deum & Sanctos repræſentatos per imagines, ſed & ipſas imagines adorant: quod faſſus eſt ipſe *Ludovicus Vives* in *Aug. de Civit. Dei libr.* 27. Tandem ipſi Doctores *Pontificii*, ut *Thomas*, *Bellarminus*, *Gabriel Biel* aliique exſertis verbis docent: *adorationem externam imaginum per ſe & propriam eſſe*, immo *eodem cultu, quo adorantur ii, qui per imagines repræſentantur, etiam adorari debere eorum imagines.* Colligimus igitur eandem *idolomaniam* hic prohiberi, qualem committunt hodie *Pontificii.*

*Pontificiorum argumenta.*

IX. Pudet referre eorum ineptias, quibus idolomaniam ſuam probare conantur, veluti: 1. *Deus creavit hominem ad imaginem ſuam.* 2. *Monſtra mihi faciem tuam.* 3. *Quidquid ſcriptum eſt, ſcriptum eſt ad noſtram doctrinam.* 4. *Ut audivimus, ita & vidimus.* 5. *Nemo accendit candelam, & eam ponit ſub modio*, & quæ ſunt ejuſdem generis quiſquiliæ, quas recitaſſe, eſt refutaſſe. II. Seipſos confodiunt, quando *imaginum cultum* probare conantur per *ſerpentem æneum*, quem fecerat Moſes: cum non tantum factus ſit, ut non adoraretur, ſed ut conſpiceretur, ſed etiam cum Ezechias eum confringi juſſiſſet, quam primum Judæi eum volebant adorare. 2. Reg. 18: III. Ita ſane nec *Cherubimi* erant *imagines adorandæ;* cum eſſent in Sancto Sanctorum, ubi à nemine conſpici poterant. Erant igitur picturæ Eccleſiæ Dei, præſertim triumphantis, & Novi Teſtamenti fidelium qui habituri eſſent acceſſum, & libertatem in-

intrandi in Sancta Sanctorum. IV. Psal. 99: 5. non dicitur in Hebræo: *adorato scabellum pedum ipsius:* sed adorate *versus scabellum*, quale erat templum Dei, quo respicere solebant fideles inter adorandum. V. Tandem Paulus Heb. 11: 21. non dicit Jacobum *adorasse baculum:* sed tantum adorasse Deum, dum baculo inniteretur. Deinde nonne insulsum esset adorare baculum? Lepida est fabula, quam nonnulli *Pontificiorum* fingunt, Jacobum, nescio quam, imagunculam in extremitate baculi sculptam habuisse eamque adorasse.

X. *Tertium* præceptum prohibet, *sumi nomen Dei in vanum.* Sumitur autem nomen Dei in vanum 1. *cogitatione*, quando aliquis de Deo habet cogitationes; quæ non conveniunt cum ejus natura, attributis, proprietatibus, operibus, providentia & cura, quibusque essentiam Dei magis evertit, quam ponit. 2. *Ore*, quando vana & impia proloquimur de Deo, ut si quis doceat *falsam doctrinam*, si proferat *blasphemiam*, uti peccavit Pharao dicens, *quis est ille Deus, ut obsequar?* Exod. 5: 2. Si *nomen Dei* quis *proferat per levitatem;* consuetudinem in re nihili: veluti si quis vitrum frangat, aut in ejusmodi occasione alia, statim exclamet: *bone Deus quam es stultus! Bone Deus quanta lætitia perfusi fuimus in convivio!* & id genus alia. Ita nomen Dei in vanum sumunt *Magi*, *Comœdi* aliique, qui eo utuntur in carminibus, & aliis artibus magicis, dum nomen *Dei*, *Jesu*, aut *Spiritus Sancti* inscribunt *schedulis*, *amuletis*, *nummis*, aut dum *precationes*, *Decalogum; Symbolum Apostolorum*, *Orationem Dominicam*, aliaque verba Scripturæ Sacræ recitant in artibus magicis. Eo referri possunt *exorcismi Pontificiorum*, aliorumque qui conantur ejicere Diabolum ex energumenis, aut etiam ex infantibus per baptisma. *Nomen Dei* quoque *in vanum sumunt*, qui proferunt *jurejuranda* levia, in rebus nullius *momenti*, ut si quis juraret se *stando vel sedendo comedisse*, sine *necessitate;* qui jurat in re *turpi* & *impia*, ut se *velle occidere hominem*, *committere stuprum*, *furtum* & alia contra mandata Dei. Etiam quando jurat in re *impossibili*, se *facturum* quod vires suas superat, aut *temerarie* in re ignota. Tandem si juret *privata auctoritate*, si *falso*, *perfide* & *perjurie* in jurejurando agat, cum intentione fallendi.

*Præceptum III.*

XI. Si quis impie juraverit, aut vota voverit, *jusjurandum* & *votum* non tantum rescindere potest, sed & illud revocare debet: alias duplex committeret peccatum. 1. Male jurando aut vovendo. 2. in

*Juramentum & votum impium rescindi debet.*

2. in malo agnito perſeverando. Ut ſi quis juraverit, ſe occiſurum hominem; non tantum poteſt, ſed debet illud reſcindere. Ita & Monachi qui contra mandatum Dei ac temerárie vovent, ſalva conſcientia votà ſüa reſcindere poſſunt.

*Non prohibentur juramenta juſta.* XII. Tamen nec hoc præcepto, nec uſquam alibi in Scriptura Sacra prohibentur jurejuranda jûſta, in rebus gravibus, ſi id poſtulet ædificatio Eccleſiæ, honor, vita, conſervatio bonorum noſtrorum aut proximi. Adeoque licita ſunt juramenta, non tantum ſub Teſtamento Veteri, ut *Anabaptiſtæ* & *Sociniani* inepte docent, ſed etiam ſub *Teſtamento Novo.* (1. quià nulla dari poteſt ratio quare magis prohibitum ſit ſub Novo, quam ſub Veteri Teſtamento. (2. quia Deus ipſe juravit. *Juravi per me ipſum.* Gen. 13: 16. Hebr. 6: 13. *Deus promiſit Davidi juramento.* Act. 2: 30. Sed omnis actio Dei ſemper eſt ſanctiſſima. (3. Quicquid *juſtum* & *ſanctum* fuit ſub Veteri Teſtamento, id etiam *ſanctum* eſt ſub Novo, quia unica tantum datur *ſanctitas.* Ergo juramenta aut non fuerunt *ſancta* ſub Veteri Teſtamento, adeoque Deus juſſiſſet rem impiam, aut dicendum eſt, ea ſancta etiam eſſe ſub Teſtamento Novo, adeoque licita; quia *ſanctum* ſemper debet fieri. (4. Deus juſſit ut legitime juraretur. *Qui jurat, jurabit per Deum veritatis:* Eſ. 65. alias dixiſſet, *prorſus non jurabit.* (5. Paulus approbat juramenta, nulla habita ratione, utrum ſub *Veteri*, an ſub *Novo Teſtamento; Homines* (ſine diſcrimine temporum) *jurant per majorem ſe.* Hebr. 6: 16. (6. *Angelus* ſub Novo T. juravit *per Deum ſæculorum.* Apoc. 10: 6. (7. Deus exſertis verbis dicit, fideles ſub Novo Teſtamento jurare. *Quinque erunt civitates in Ægypto, quæ loquentur linguam Canaan, & jurabunt per nomen Domini.* Eſ. 19. *Omnis lingua jurabit in nomine ejus.* Eſ. 45: 23. In iſtis autem locis agitur de *Teſtamento Novo.*

*Mandatur nominis Dei ſanctificatio.* XIII. Jubetur hoc præcepto *ſanctificatio nominis Dei:* ut de ejus natura, perfectionibus, attributis, atque operibus nihil cogitemus, nec dicamus, quod non tendat ad ejus gloriam. Eadem ſanctificatio nominis Dei à nobis promovenda eſt in omnibus hominibus, adeoque ſi eos prophanare audiamus, ſtatim prophani ſunt corripiendi, & ad ſanctificandum nomen Dei monendi ac inducendi.

CA-

## CAPUT V.

### *De Quarto Præcepto, sive de Sabbatho.*

I. *Quartum* Præceptum mandat certum aliquem diem constitutum singulis hebdomadibus, ad colendum Deum. Hic autem dies vocatur שבת *Sabbathum.* Ita dicitur, non voce Ægyptiaca, quæ significet morbum inguinum, quem dicunt *Sabbathosin*, ut inepta voluit *Apio* apud Josephum contra Apion. l. 2. quo respexisse videntur Tacitus Histor. libr. 5. & Justinus Histor. libr. 36. *Judæis ex Ægypto pulsis, & septem dierum jejunio per Arabiæ deserta fatigatis, Mosen septimam diem, quæ famem illis finierat, jejunio consecrasse, illamque vocavisse Sabbathum.* Erravit & Lactantius libr. 7. cap. 14. ubi docet ita istum diem dictum esse à *septenario numero*, quasi deductum esset à שבע *septem*: cum fluat à שבת *quievit*, & significet *quietem.* Hinc etiam Germanicum & Belgicum **schoften/** *quiescere*, & **een schofte/** *quies*, sive pars diei, qua operarii à laboribus quiescunt.

*Schabbath unde dictum.*

II. Hoc præcepto Deus non tantum *permittit*, ut homo det sex dies operibus suis, ad sustentandam vitam, sed & aliquo modo *jubet*, ut se dedat honestis laboribus, ne vitam transigat in otio. Non tamen ita, ut non possit se aliquando honeste oblectare, aut quin possit aliquid temporis sex reliquarum dierum impendere operibus piis & sanctificationis, si status & conditio id tulerit. Adeoque peccant contra hoc præceptum *Pontificii*, qui populum onerant multis diebus festis, sive Deo, sive Angelis & Sanctis consecrati sint, quod in verbo Dei non est mandatum. Sic enim imponitur jugum, & *Judaismus* post liminio revocatur. Col. 2: 16.

*Sensus IV. præcepti.*

III. *Opera pietatis* hoc præcepto non erant prohibita, Deus enim semper est colendus: immo pietatis opera semper jubentur. Hinc sacrificia isto die fiebant. Matth. 12: 5. Nec prohibita fuerunt *opera charitatis* erga proximum, qui pauperie, morbo aut alio malo premebatur. *Sabbathum enim factum est propter hominem, non autem homo propter Sabbathum.* Marc. 2: 27. Nec *opera necessitatis*, quæcunque illa sint, si ad alium diem differri non poterant. Ita licitum fuit aquam afferri, aliaque fieri, ad extinguendum incendium; arma moveri, ad repellendum hostem, hominem, immo & bovem

*Non erant prohibita. I. Opera pietatis. II. Nec Charitatis.*

*Quænam opera vetita.* trahi ex fovea. Prohibita igitur fuerunt *opera servilia*, quæ ad alium diem differri poterant. Ex. gr. solum vertere, serere, metere, construere ignem, ligna legere, exercere artes mechanicas, & id genus alia. Vide Exod. 16: 23, 24. & 35: 3.

*Initium IV. præcepti.* IV. Hoc præceptum de *Sabbatho* non habuit initium statim post creationem, nec Adamo datum fuit in statu integritatis: sed tantum in deserto, post exitum ex Ægypto, à Mose institutum est: adeoque ab Adamo & à Patribus ante tempora Mosis, non fuit observatum. (1. quia *Judæi*, maximam saltem partem, testantur & gloriantur; *Deum dedisse Sabbathum Israëlitis, ex singulari bonitate sua, non autem reliquis populis.* Deinde mentionem etiam faciunt de *septem præceptis Noachi*, sed de *Sabbatho* altum est silentium. 2 *Gentiles* quoque, ut Strabo, Apio, Tacitus, Justinus aliique testantur: *Sabbathum institutum fuisse per Mosen in deserto.* Idem testantur *Patres*, Justin. Martyr Dial. cum Tryphon, Tertull. contra Judæos. cap. 2. & 3. Origines Homil. 23. in Num. 28. Eusebius de Præpar. Euang. lib. 3. cap. 6. alii. Vide infra thes. IX. (3. Si observatum fuisset ab ipso Adamo, Noacho, Abrahamo, &c. usque ad Mosen, mirum esset, quod nusquam legatur, ullum unquam vel *vituperari ob neglectum*, vel *laudari ob rite observatum Sabbathum*, quemadmodum postea Deus toties conquestus est de *neglecto Sabbatho*, & statim notatum est exemplum hominis occisi ob violatum Sabbathum, quod isto die ligna collegerit. Num. 15: 35. (4. Sabbathum erat *signum* inter Deum & populum; adeoque ut esset discrimen inter Judæos & reliquos populos. Exod. 31: 13. Ez. ch. 20: 12. Hoc autem *signum* non poterat habere locum ante tempora Mosis, tunc enim demum Judæi à reliquis populis distinguebantur, & populus Dei dicebantur. (5. Sabbathum notat *peccatum* hominis: debebat enim isto die populus se *sanctificare*: nam quando monentur ut *diem sanctificent*, monentur maxime ut *seipsos sanctificent.* Hinc Deus ipse dicit: Ezech. 20: 15. *ad sciendum me Jehovam sanctificare ipsos.* Sed in Adamo nulla *sanctificatione* opus erat. (6. Sabbathum notat quoque *imperfectionem hominis*, quod non posset omnibus momentis æque exacte & perfecte Deum colere; ergo certum *tempus* & *horæ* ei observandæ sunt. At Adamus omnibus momentis Deum perfecte sanctificare poterat; ergo nec Sabbatho, nec ullo speciali tempore opus habebat. (7. Sabbathum notat *pœnam peccati*, arcebatur enim homo isto die ab operibus quæ sua natura non erant ma-

mala; Non poterat autem ab operibus, sua natura bonis, arceri, nisi privetur pleno dominio: sed non poterat dominio privari, nec ab operibus arceri, nisi ob *peccatum:* sed in statu integritatis nullum fuit peccatum, ergo nec Sabbathum. (8. Sabbatho *populus debebat quiescere ab operibus servilibus*, ut *servi, ancillæ & peregrini quiescerent & refocillarentur.* Deut. 5: 20, 21. Sed in statu integritatis nulla fuit *servitus*; nulli fuerunt *servi*, nulli *peregrini*, nulla *defatigatio*, ut *refocillatione* & quiete non opus haberent; cum hæc omnia sint pœna peccati. Ergo in statu integritatis locum non habebant. (9. Sabbathum institutum fuit in *memoriam liberationis populi ex servitute Ægyptiaca*, Deut. 5: 15. Ergo post exitum ex Ægypto, & in deserto tantum. (10. *Nusquam legimus Sabbathum datum fuisse Adamo*, quemadmodum præceptum de non comedendo fructu arboris vetitæ: cum enim Sabbathum sit *juris positivi* tantum, non *naturalis*, debuisset institui per expressam legem Dei, quod tamen nusquam legitur. Ita nusquam occurrit, datum fuisse ulli Patriarcharum, ante tempora Mosis. (11. Sabbathum *institutum fuisse à Mose*, post exitum ex Ægypto, in deserto, patet Exod. 16: 29. Ezech. 20: 12. Expertis verbis idem docet Nehemias cap. 9: 14. *Sabbathum*, inquit, *quoque sanctum notum fecisti eis, quum præcepta statutaque & leges præciperes eis, per* MOSEN *servum tuum.* Sine ratione à quibusdam excipitur: *dare* in istis locis significare *repetere*, quasi Deus dixisset: se *tantum repetiisse Sabbathum* tempore Mosis. Nam 1. nulla potest intelligi *repetitio*, ubi *nullum mandatum præcessit:* sed de *mandato* nihil exstat. 2. Ista *repetitione* non opus fuisset, si Sabbathum ab ipsa creatione à Patribus observatum fuisset. 3. Sabbathum dicitur *datum*, quum Deus dedisset reliqua *præcepta, statuta, legesque* & quidem per *Mosen*. Sed illa data sunt in *deserto*, non in *statu integritatis.* (2. Sabbathum non est *morale*, sed *cærimoniale* & leges *positivæ* tantum: Ergo in statu integritatis non habebat locum. Nulla enim ei data fuerunt præcepta, nisi *moralia* tantum, præter unicum, de non comedendo fructu vetito.

*Exceptio.*

V. Ut autem clarius constaret *quartum præceptum* non esse *morale*, consideranda erunt. I. *Determinatio* ad certum aliquem diem. II. *Quies.* III. *Sanctificatio.* Sed hæc omnia moralia dici non possunt. Et primo quidem *determinatio* ad certum aliquem diem non est *moralis.* (1. quia *naturale* vel *morale* est, (quod & sana ratio dictat) ut Deus omnibus momentis perfecte colatur, etiam in

*Determinatio cultus Dei ad certum aliquem diem non est moralis.*

omnibus nostris operibus, actionibus & cogitationibus. Deus enim *amandus est*, ex *toto animo*, *ex toto corde & ex omnibus viribus*. Matth. 22. Ergo omnibus momentis & locis. Vide 1. Cor. 10: 31. Ergo certum aliquod *tempus determinatum* non est morale, nec id dictat sana ratio. (2. Adamus integer Deum perfecte poterat colere omnibus momentis, in omnibus cogitationibus & actionibus suis, & ita Deum revera coluit. Ergo certo *tempore determinato* non opus habuit. (3. Sana ratio non dictat, nec per eam capi potest, quare Deus hunc diem potius instituerit quam alium; Ergo *diem aliquem determinare* fuit *positivum*, non *morale*, & à libera Dei voluntate pendebat. (4. Si *determinatio* certi diei fuisset *legis naturalis*, tunc nunquam *mutari* aut aboleri potuisset: est enim lex moralis *immutabilis*: sed diem istum sub Novo Testamento *mutatum* volunt.

*Nec quies.* VI. Secundo *quies* non est *moralis*. (1. quia sua natura est res *indifferens*, per quam homo non fit sanctior. (2. Adamus integer poterat Deum perfecte colere, etiam inter laborandum, & dum terram colebat, non minus quam inter sedendum & dormiendum; Ergo *quiete* non opus habebat, ad amandum & ad colendum Deum. (3. *Quies* est communis *bestiis*, *bobus*, *asinis* &c. qui jubentur quiescere æque ac homines; Ergo non potest esse lex *moralis*: cum bestiæ non habeant legem, multo minus *moralem*. *Exceptio.* Absurdum esset, si quis diceret: *quietem* per se esse *indifferentem*, sed *moralem* factam esse propter præceptum. Nam id quod per expressam legem jubetur, eo ipso quod jubeatur, non est *morale*, sed *positivum* tantum. Nihil ineptius est, quam si quis dicat, dari præcepta *moralia positiva*, est enim manifesta contradictio: nam eadem ratione possum dicere *albor niger*, *calor frigidus*. *Non dantur præcepta moralia quæ sint positiva.* Adde quod, si mandatum redderet rem aliquam, ex *indifferenti*, *moralem*, tunc omnes leges *cærimoniales* & *forenses* fierent *morales*. Ita lex *moralis* præceptis posset augeri, & perfectior fieri, quod ipsa absurditate esset absurdius, & impietatem *Socinianorum* redoleret. Nec ideo *quies* dici debet *moralis*, quia in hoc statu peccati destinatur ad *usum moralem*. Nam omnes leges, quæ sunt, & quæ unquam fuerunt, etiam *cærimoniales*, dicendæ essent *morales*, immo omnes nostræ actiones; quicquid enim lege jubetur, & quicquid facimus, ista omnia fiunt propter gloriam Dei; ergo destinantur ad *usum moralem*, & tamen non fiunt ex lege *morali*.

VII. Ter-

VII. Tertio *Sanctificatio* non est *moralis*, modo recte attendamus, quid hic per eam intelligatur. *Sanctificatur* enim Sabbathum, quando homo seipsum *sanctificat:* quando recedit ab operibus malis, & se tradit operibus pietatis. Hoc sensu Adamus in statu integritatis *sanctificatione* non opus habuit; quia operibus divinis & pietatis semper fuit intentus, etiam in medio laborum. Ergo eatenus *sanctificatio* non differt à *resipiscentia*, quæ ad virtutem *moralem* non refertur: illud enim quo perfecta sanctitas (qualis fuit in Adamo) non indiget, illud, inquam, non potest dici *morale*,

*Nec Sanctificatio moralis est.*

VIII. Et sane quartum præceptum de *Sabbatho*, non esse *morale*, porro hisce argumentis, præter ea quæ dicta sunt, probatur. (1. *Morale* est, quod fluit ex ipsa imagine Dei, quod omnibus hominibus congenitum est, & quod sana ratio omnes homines naturaliter docet. Sed sana ratio omnes homines non docet, dari certum aliquod *tempus determinatum*, quo Deus debeat coli, quemadmodum non docet, dari certum aliquem locum: immo potius sana ratio docet, Deum omnibus horis omnibusque locis esse adorandum. Quemadmodum igitur non fluxit ex imagine Dei, ut Deus coleretur in Templo *Hierosolymis*, ita non fluxit ex ejus imagine, & perfecta sanctitate, ut coleretur die *Saturni*, aut quovis alio *tempore determinato.* (2. Quod propter certam aliquam circumstantiam negligi potest, illud non est *morale;* sed observatio Sabbathi aliquando, ob certas circumstantias, negligi potest. Ex. gr. poterant isto die fieri opera servilia, ad repellendum hostem, ad extinguendum incendium. Sacerdotes die Sabbathi animalia mactabant, dissecabant, ignem struebant, & id genus alia multa faciebant; ut etiam *Sabbathum prophanasse* dicti sint, & tamen *ἀναίτιοι innocentes* fuerint. Matth. 12: 5. Ita quoque *bos* & *asinus* ex fovea trahendi erant die Sabbathi. Luc. 14: 5. Ideo *Sabbathum datum est propter hominem, homo autem non propter Sabbathum.* Marc. 2: 27. Sane si Sabbathum esset *morale*, hæc omnia isto die fieri non potuissent: cum nulla detur circumstantia, per quam lex moralis possit violari. Adde quod *nunquam sit faciendum malum, ut inde eveniat bonum.* Rom. 3: 8. (3. *Sabbatha* sunt ejusdem naturæ ac *novilunia*, reliqui *dies festi* & *lex cibaria.* Sed hæc omnia sunt legis *positivæ* tantum, sunt enim *δόγματα*, sive *placita*, quia non fluunt ex imagine Dei, & ex natura sanctitatis, sed ex solo Dei beneplacito, qui ea poterat instituere, vel non instituere. Notandum

*Sabbathum non esse morale aliis argumentis probatur.*

sane

sane quod eadem *festa*, *novilunia*, *dies* & *Sabbatha*, & fere, eodem ordine, quo Deus ea jussit Levit. 23. à Paulo abolita dicantur sub Novo Test. Col. 2: 16. (4. Deus ipse distinguit inter præcepta *moralia*, & inter *Sabbathum*. Ezech. 20: 10, 11, 12. ubi fit mentio 1. de *Sabbatho*. 2. de *præceptis*, *per quæ homo vivit*, *si ea fecerit*, quæ sunt præcepta *moralia*. Ergo *Sabbathum* distinguitur à præceptis *moralibus*. In eodem loco fit mentio. 3. de *præceptis non bonis*, quæ sunt *Cærimonialia*. (5. Quod sua natura est *impossibile*, illud non est *morale*. Sed ut quartum præceptum, sive idem dies septimus hebdomadæ, ab omnibus populis per totum mundum observaretur, sua natura est *impossibile*, vel quod ab omnibus hominibus per totum terrarum orbem fieri non potest, illud non est *morale*. Sed ut dies Sabbathi ab omnibus hominibus & populis observetur, eodem die, illud fieri non potest. Ergo non est *morale*. Cum enim sol non semper ubique luceat, omnes populi non possunt observare eundem diem. Ex. gr. dies *Sabbathi* fere finitur in *Judæa*, antequam incipiat in *America*. Tales sunt & antipodes, qui non poterant observare nisi diem, qui Judæis erat *Veneris*, aut *Solis*, ergo non eundem, qui Judæis erat *Saturni*. In libro *Cosri* parte. 2. Sect. 20. legimus: *Sabbathum alibi dici octodecim demum horis post terram Israëlis.* At *morale* est, quod eodem *modo*, omni *tempore* & *loco* apud omnes obtinet. Non sufficit, ut dicas, posse omnes populos observare aliquem diem septimum; deberent enim observare præcise eundem diem, qui præscriptus fuit Judæis, in quarto præcepto, si istud præceptum, adeoque iste dies, esset sua natura moralis.

*Solvuntur argumenta contraria.*

IX. Non sequitur, 1. *si Moses mentionem facit de Sabbatho statim post descriptionem creationis; Ergo Sabbathum statim post creationem est institutum, adeoque morale & ab Adamo observatum est.* Nam 1. potest intelligi *Sabbathum*, sive *quies æterna*: ut quemadmodum Deus, post absolutum opus, in *æternum quiescit*, opera sua quasi contemplatur sibique in iis complacet atque acquiescit, ita quoque hominem debere perpetuum celebrare Sabbathismum, meditando opera Dei, ejus sapientiam, bonitatem, potentiam, adeoque eum in æternum perfecte debet colere, quale Sabbathum etiam Angeli & beati in cœlis celebrant. Sane ad tale Sabbathum homo creatus fuit, taleque celebravit Adamus in statu integritatis. 2. Dici potest, Mosen ibi loqui per πρόληψιν; ut tunc statim narret id quod factum

factum est suo tempore in deserto. Nec mirum ulli videri debet, cum ejusmodi *prolepses* sint usitatæ in eodem capite secundo Genes. vers. 8, 10..... 14. statim enim fit mentio de *auro*, de gemmis *Schoham*, *Bdola*, de fluviis *Pischon*, *Gichon*, *Chiddakel* & *Euphrate*? de regionibus *Chavila*, vel *Arabia*, *Assyria* & *Æthiopia*, quæ omnia, statim post creationem, fuisse nota sub ejusmodi nominibus, non est credibile, eo minus cum nomina fluviis & regionibus imposita sint multa sæcula post creationem, ab incolis, à Principibus, & ob varias causas alias. II. Et quamvis Moses expresse dicat Gen. 2: 3. *Deum creasse cœlum & terram sex diebus, & quievisse septimo die, ideo Deum sanctificasse diem septimum.* Tamen istis verbis non dicitur Deus instituisse Sabbathum statim post creationem: sed redditur tantum ratio per prolepsin, quare Deus septimum diem potius quam alium, postea observari voluerit, scilicet quia ipse eodem die quievit, ut populus suo exemplo efficacius permoveretur, ad observandum diem quem Deus observari voluit. III. Verum est quarto præcepto dici, *Memento diei Sabbathi;* non sequitur tamen, *istum diem institutum fuisse jam ante legislationem, & in ipsa quasi creatione, cujus debeamus meminisci: ut vetus tantum observantia in memoriam revocata sit populo.* Verbo enim *memento* non semper revocat in memoriam vetus institutum, cum tale institutum nusquam legatur; sed fortius inculcat mandatum Dei, quæ loquutio *memento* hoc sensu non est insolens. Veluti Job. 7: 7. זכר כי רוח חיי *memento quod vita mea sit ventus.* & cap. 36: 24. זכר כי תשגיא פעלו. *memento ut amplifices opus ejus.* Deinde si vel maxime respiceretur ad institutionem aliquam præcedentem, tamen non intelligeretur institutio ante peccatum, sed potius ea quæ non diu antea per Mosen facta fuit in deserto. Exod. cap. 16. IV. Quamvis de *Sabbatho fiat mentio* Exod. cap. 16. *at de lege postea demum* cap. 20. *ut ante legislationem institutum fuerit*, non sequitur tamen, *fuisse institutum statim à creatione:* Certum tamen est, institutum fuisse non diu ante legislationem, & in deserto, per Mosen. V. Fatemur etiam *per Sabbathum depictam fuisse æternam quietem, & quidem à jacto mundi fundamento.* Hebr. 4: 3, 4, 5. Non sequitur tamen, *Sabbathum statim à creatione Adamo datum fuisse.* Nam in isto loco ne γρῦ quidem legitur de Sabbatho *hebdomadali;* sed quod Deus à jacto mundi fundamento, id est statim post creationem, *quieverit.* At ista *quies* non est quies *septimi* tantum diei; sed *æterna quies*, quatenus Deus

ab operibus ſuis ceſſat, iiſque acquieſcit in æternum. VI. Fruſtra dicunt: *Patriarchæ habuerunt ſolennem aliquem diem, iſti cultui conſecratum; ergo & ſeptimum.* Nam 1. Nemo unquam probabit, quod certum aliquem diem obſervaverint, multo minus utrum *ſeptimum*, an alium? Iſtis enim temporibus fuit plena libertas, liberæ cærimoniæ, libera ſacrificia, ſic & libera dies. Forte ſingulis diebus certas horas cultui publico deſtinabant. Forte obſervarunt *ſecundum diem*, non *ſeptimum*. Forte *tertium*, *quartum*, *octavum*, *nonum*: quis hoc demonſtrabit. Juſtinus Martyr Dial. cum Tryph. exſertis verbis docet, *nec Patriarchas, nec Abrahamum obſervaſſe Sabbathum ante Moſen.* Tertullianus adverſus Judæos cap. 2. & 3. dicit: *Adamum, Abelem, Noë, Enochum, Melchizedecum, nec circumciſos fuiſſe, nec Sabbathizaſſe.* Sic & *Abrahamum non Sabbatizaſſe.* 2. Si vel maxime à Patriarchis obſervatus fuiſſet dies *ſeptimus*, tamen non fuiſſet legis *moralis*, ſed *poſitivæ* tantum, ut lex de ſacrificiis. VII. Non eſt verum: quod *apud omnes populos ſeptimus dies obſervatus fuerit:* multi enim populi plane nullum diem obſervarunt. Quidam obſervarunt *octavum*, aut *nonum*. Si quidam *ſeptimum*, id non fecerunt ante tempora Moſis; ſaltem hoc probari non poteſt. Nec ex lege *morali* hoc fecerunt, ſed ex lege *poſitiva*, & quidem poſt tempora Moſis. VIII. Et quamvis *reliqua omnia præcepta Decalogi ſint moralia*, non ſequitur tamen: *ergo & quartum de Sabbatho eſt morale.* Nec quicquam abſurdi inde ſequitur, ſi dicamus: *Novem præcepta* decalogi eſſe *moralia* & hoc unum de Sabbatho eſſe *cærimoniale* & *poſitivum.* Sane eodem jure, quo alii dicunt, quartum præceptum eſſe *mixtum*, partim *morale*, partim *cærimoniale*, eodem jure, inquam, & nos dicere poſſumus, illud eſſe *mere cærimoniale.* Deinde fuerunt, qui novem præcepta tantum ſtatuebant. Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus, uti ab aliis animadverſum, docuit: quartum præceptum ſub Novo Teſtamento ex Decalogo eſſe delendum. Ita & Auguſtinus Quæſt. ſuper Exod. l. 2. cap. 172. ita & alibi loquitur. IX. Male argumentantur. *Decalogus igitur non continet omnia præcepta moralia, quia non contineret præceptum, Deum eſſe colendum.* Nam Deum eſſe colendum, continetur præcepto primo, ſecundo & tertio. X. Et quamvis *ſit morale, ut Deus colatur;* tamen non eſt morale, ut certo conſtituto die colatur: ſed ut colatur ſingulis horis & momentis perfecte & ſancte, quemadmodum colebatur ab Adamo in ſtatu inte-

integritatis, & ut eum colunt Angeli ac beati in cœlis. Non minus esset *morale* ut certo aliquo *loco*, veluti *Hierosolymis* coleretur; eadem enim est ratio *loci* ac *temporis*. XI. Non sequitur; *si in statu peccati necessario tempus aliquod definiendum est*, *ergo istud praeceptum est definitum lege morali.* Nam in Veteri Testamento definitum fuit tantum lege *positiva* & quidem *divina*, sed in Novo Testamento non est definitum, nisi *positiva humana.* At lege *morali* nunquam fuit definitum. XII. Nec procedit hæc argumento : *Fundamentum observantiæ certi temporis est morale*, *nempe cultus divinus ; ergo & ipsa observantia temporis.* Negatur enim ista consequentia. 1. *Fundamentum* est *cultus* Dei; sed *cultus Dei* postulat omnia momenta, non certas horas aut dies tantum. 2. *Fundamentum* legum *cærimonialium* & forensium etiam est *morale*, nempe *cultus Dei*, ipsæ tamen leges non minus sunt *cærimoniales.* Tempus autem cultus Dei, sub Veteri Testamento, à Deo definitum fuit, at sub Novo Testamento dependet à libertate Christiana : sive id fiat singulis diebus, sive secundo, sive tertio &c. quemadmodum & reliqui dies festi. *Pascha*, *Pentecoste*, dies *Ascensionis*, *Nativitatis*, & *initii anni.* Qualescunque hodie observentur dies, omnes sunt legis *positivæ.*

*Quartum præceptum sub Novo Test. est abolitum.*

X. Quemadmodum quartum hoc præceptum non fuit *morale*, sed *cærimoniale* & *umbra* Jesu Christi. Col. 2: 16. ita necessario debebat aboleri sub Novo Testamento. Abolitum revera etiam nunc est : non tantum quoad diem *Saturni*, sive ultimum hebdomadæ; sed & ita ut nullus dies determinatus, vi hujus præcepti, hodie locum habeat, adeoque totum Sabbathum abolitum est. (1. quia hoc præceptum non est *morale*, sed *positivum.* Si autem reliqua præcepta positiva omnia abolita sunt, nulla est ratio quare hoc solum remanserit sub Novo Testamento; aut dicendum erit, reliqua præcepta omnia cærimonialia & forensia esse retinenda. (2. Quia Paulus exsertis verbis nos monet, *Sabbathum*, non minus quam *novilunia*, reliquos dies & legem cibariam, in Ecclesia Christiana diutius observari non posse, nisi libertatem, quam Christus suo sanguine nobis peperit, conculcemus. Coloss. 2: 16.

*Nulla distinctio inter Sabbathum Veteris Test. & Sabbathum*

XI. Nullius momenti est distinctio inter *Sabbathum Veteris Testamenti*, & Sabbathum *hebdomadale*: quasi Sabbathum Veteris Testamenti esset determinatus dies, scilicet ultimus hebdomadæ, vel dies Saturni, quod observare solent Judæi, de quo putant loqui Apostolum. Col. 2: 16. Hoc sensu fatentur, Sabbathum in Ec-

*hebdomadale.*

cleſia Chriſtiana eſſe abolitum. Sed per Sabbathum *hebdomadale* intelligunt certum aliquem diem ſingulis hebdomadibus recurrentem, ſive ſit primus, ſive ſecundus, ſive tertius, quartus, aut alius, modo ex ſeptem diebus unus obſervetur. Et hoc ſenſu docent Sabbathum eſſe *morale*, nec aboleri poſſe, adeoque ſub Novo Teſtamento debere obſervari, nec de hoc Sabbatho volunt loqui Apoſtolum. Sed Apoſtolus nuſquam ita diſtinxit. Certiſſimum etiam eſt, Sabbathum *hebdomadale* & ſabbathum *Veteris Teſtamenti* eſſe unum idemque. Illud proculdubio eſt Sabbathum *Veteris Teſtamenti*, quod in Veteri Teſtamento fuit inſtitutum & obſervatum: ſed in Veteri Teſtamento fuit inſtitutum & obſervatum Sabbathum *hebdomadale*. Ergo Sabbathum *hebdomadale* eſt ipſiſſimum Sabbathum *Veteris Teſtamenti.*

XII. Nec ſequitur Sabbathum in Eccleſia Chriſtiana, non eſſe plane abolitum, ex verbis iſtis Apo oli, quia loquitur de *Sabbathis* in *plurali*, non autem in *ſingulari* quaſi Apoſtolus vellet abolitum eſſe tantum *annum Sabbathicum*, I rt etiam diem *magnæ expiatonis*, decimum ſcilicet Tiſri, qui etiam vocatur שבת שבתון *Sabbathum quietis*, Lev. 16. alioſque dies feſtos, non autem Sabbathum *hebdomale*, quod ſingulis hebdomadibus recurrit. Ad hæc notandum eſt; quod, quando *Sabbatha* à diebus *feſtis* diſtinguuntur, tunc ſignificentur *Sabbatha hebdomadalia.* Vide Lev. 23. ubi non tantum *feſta*, ſed & *Sabbatha* jubentur. Sane quod attinet numerum pluralem *Sabbatha* & non *Sabbathum*, nullius eſt momenti. Nam 1. ſunt quidam Codices, qui habent *Sabbathum*, non *Sabbatha.* 2. Ipſum *hebdomadale* dicitur *Sabbatha* in plurali; veluti Exod. 31: 13. *Sabbatha mea obſervatore, ſignum enim eſt inter me & vos me Jehovam eſſe, qui ſanctifico vos.* Et verſu 14. ſtatim addit in *ſingulari*, (quia perinde eſt; ſive in *ſingulari*, ſive in *plurali* efferatur) *Obſervabitis ergo Sabbathum, quia eſt res ſancta vobis.* Ibi neceſſario intelligendum eſt Sabbathum *hebdomadale*, cum *annus Sabbathicus*, & *decimus dies Tiſri*, qui *Sabbathum quietis* vocatur, tunc temporis nondum fuerit inſtitutum. Eodem ſenſu *Sabbathum*, in plurali, ſumitur pro *hebdomadali.* Ezech. 20: 12. 3. Si Apoſtolus loquitur in *plurali*, tunc intelligit omne *Sabbathum*, omnes dies feſtos; Ergo & Sabbathum *hebdomadale.* 4. Vocatur in plurali *Sabbatha* potius quam *Sabbathum*, quia ſingulis hebdomadibus recurrit, & quia ſingulis annis tot Sabbatha obſervanda ſunt. Hinc & ipſi gen-

tiles

tiles ponunt *Sabbatha* pro *Sabbathum. Observant ubi festa mero pede Sabbatha Reges.* Juven. Sat. VI. 5. Notandum etiam est, in isto loco per *Sabbathum*, à Paulo non intelligi reliquos dies festos; ergo nec *annum Sabbathicum*, nec diem expiationis, nec ullum alium, quia exsertis verbis Sabbathum distinguitur à *diebus festis* & *noviluniis.* 6. Quomodo intelligi possent reliqui dies festi; cum apud Collossenses nec *annus Sabbathicus*, nec *dies expiationis* observaretur, non enim poterant observari extra terram sanctam. 7. Tandem *Sabbathum hebdomadale* intelligi à Paulo, patet ex ratione, quam addit: *quia sunt umbræ futurorum, quorum corpus est Christus.* Cur igitur Sabbathum quarti præcepti hodie non observatur, si non tanquam *umbra* est abolitum.

*Distinctio Sabbathi in hebdomadale decalogicum, & Sabbathum V. T. nulla.*

XIII. Verum quidem est, quosdam hic distinguere inter *Sabbathum hebdomadale decalogicum*, & *Sabbathum Veteris Testamenti.* Ita ex una distinctione ad aliam delabuntur. Miseret sane videre, quod viri docti ita sese torqueant. Vana enim est hæc distinctio: cum nullum sit Sabbathum *Decalogicum*, quod etiam non sit Sabbathum *Veteris Testamenti.* Nonne Sabbathum *Veteris Testamenti* mandatum fuit in *Decalogo?* Nonne igitur est idem cum *Decalogico?* Dices, accesserunt quædam *circumstantiæ*, quæ in Decalogo non continentur, veluti *sacrificia* de quibus vide Num. 28: 4. Hoc autem est Sabbathum *Veteris Testamenti*, quod est abolitum, at Sabbathum *hebdomadale Decalogicum* non est abolitum. Sed si hoc verum est; sequitur sub Novo Testamento abstinendum esse tantum ab istis sacrificiis, at vero omne id, quod in Decalogo mandatur, debebit observari; veluti rigida illa *quies*, & singulis quidem diebus *Saturni*, sive *septimis diebus* hebdomadis: ista enim in *Decalogo* mandantur. Manifesta detorsio Scripturæ Sacræ est, si quis dicat: *verba quarti præcepti non determinare diem Cyclo hebdomadali;* cum Deus jusserit in Decalogo: ut Judæi observarent eundem diem, quo ipse quievit ab opere suo: at Deus quievit ultimo die hebdomadis, sive die septimo. An hic non est *dies certus cyclo hebdomadali determinatus?*

XIV. Vanissimæ igitur sunt distinctiones, inter *Sabbathum Veteris Testamenti* & *Sabbathum hebdomadale*, ut & inter *Sabbathum hebdomadale Decalogicum.* Cum enim *Sabbathum* sit mandatum in Decalogo, & quidem in Veteri Testamento, & cum singulis hebdomadibus recurrat, sane omne Sabbathum dici debet, *Sabbathum*

*hebdomadale decalogicum Veteris Testamenti.* Hoc autem *Sabbathum* ſub Novo Téſtamento hodie eſt abolitum, non minus quam *dies feſti*, *novilunia* & *lex cibaria*, & ipſa loca, templum, civitas & id genus alia, quia ſunt umbræ Jeſu Chriſti.

*Sub Novo Teſtamento nullus dies obſervandus vi quarti præcepti.*

XV. Ergo ſub Novo Teſtamento nullus dies, nullaque tempora obſervanda ſunt vi quarti præcepti, niſi obſervare velimus ultimum diem hebdomadæ, eo ſenſu quo obſervatus fuit ſub Veteri Teſtamento, quod eſſet Judaiſmum introducere in Eccleſiam Chriſtianam, eique imponere jugum, à quo per ſanguinem Chriſti liberati ſumus.

*Tempora tamen obſervanda, & quare?*

XVI. Nihilominus tamen tempora quædam hodie obſervanda ſunt, vi præceptorum primi & ſecundi, quibus cultus divinus præſcribitur. *Morale* enim eſt, ut *Deus colatur*, & hæc *moralitas* eſt *fundamentum* obſervationis alicujus temporis.

*Qualis dies obſervandus ſit ſub Novo Teſt. Vera moralitas circa tempora.*

XVII. Quoto autem die, & quo die, utrum *ſecundo*, *tertio* aut *quarto*, an ſingulis hebdomalibus uno die, & quidem utrum primo, an ultimo die hebdomadis, hæc, inquam, non probantur ex quarto præcepto. Nec dici poteſt *morale*, ut ſingulis *hebdomadibus* unus dies obſervetur; nam *morale* potius eſſet, ut ſingulis *diebus*, immo ſingulis momentis Deus perfecte ſancte coleretur, ut ab Adamo in ſtatu integritatis, & ab Angelis ac beatis in cœlis. Non igitur hodie peccaremus, ſi obſervaremus *ſecundum*, *tertium* aut *quartum*, aliumve diem, quamvis reliquos, ipſum etiam primum & ultimum hebdomadæ, deſtinaremus ordinariis operibus ſervilibus. Si *morale* eſſet, ut ſingulis hebdomadibus unus dies obſervaretur, tunc peccaremus in *legem moralem*, ſi tertium vel quartum obſervaremus, quod tamen nemo dicet: cum proculdubio morale ſit, ut Deum perfecte amemus, adeoque colamus (nam Deum *perfecte colere* & *perfecte amare* idem eſt) omnibus momentis vitæ noſtræ. Non enim ſanctitas hoc momento remiſſior, iſto ſtrictior eſſe poteſt; ſed omnibus momentis æqualis & perfecta requiritur.

*Cur hodie certus dies obſervandus?*

XVIII. Cum tamen homines corrupti omnibus horis omnibuſque diebus vacare non poſſint, ut conveniant ad cultum publicum, ut docerentur, monerentur, redarguerentur & conſolationem acciperent, Deum colerent, operibus pietatis unice intenti eſſent, ſepoſitis curis & operibus humanis, (quandoquidem agricultùra, ſatio agrorum, meſſis, artes mechanicæ, mercimonia, com-

commercia, variique contractus & negotia inter homines, propter infirmitatem, variasque necessitates, quæ per peccatum inductæ sunt, id in hoc statu corrupto non permittant) ideo certus aliquis dies integer potius institutus est, ut omnes, & servi & liberi, divites & pauperes, domini & subditi conveniant, ut edoceantur, Deumque uno animo ac spiritu colant.

*Cur unus ex septem diebus observetur sub Novo Test.*

XIX. Observatur autem in Ecclesia Christiana, non quidem ex duobus, ex tribus, quatuor aut quinque diebus unus: cum necessitas humana, post peccatum, id non ferat, & cum plus temporis requiratur ad sustentandam miseram hanc vitam, uti experientia docuit. Ideo unus tantum observari solet ex septem, sive singulis hebdomadibus unus. Quare dies *dominica*, uti hodie vocari solet, non observatur sub Novo Testamento vi *quarti præcepti*, & quod sit *legis moralis:* sed tantum quod sit legis *positivæ*. Sub Veteri quidem Testamento observabatur *ultimus* dies hebdomadæ, quia tunc erat legis *positivæ divinæ*. At sub Novo Testamento observatur hebdomadæ dies primus, quia est legis *positivæ humanæ*. Cum enim nulla lex exstet in tota Scriptura Sacra, quæ jubeat observationem primi diei, sequitur istam observationem non esse *juris divini*, sed *juris & institutionis humanæ* tantum.

*Primus dies hebdomadæ non est institutus à Christo nec ab Apostolis.*

XX. Nemo unquam probabit primum diem hebdomadæ, loco septimi, esse institutum, ab ipso Christo, aut ab ejus Apostolis, 1. ex verbis Pauli, 1. Cor. 16: 2. *Primo die hebdomadis unusquisque apud se reponat, quod pro Dei benignitate licuerit.* Nam. 1. Non dicitur quod collecta fieri debeat *primo*, sed *uno* die hebdomadis. Et quamvis *μία* æque ac Hebraicum אחד etiam significet *primum*, tamen & *unum* quoque significat. Ergo æque potest verti *uno die*, ac *primo* die. 2. Sunt igitur qui hic intelligi volunt diem *Saturni*, sive *Sabbathum Judæorum*, vel ultimum hebdomadæ: cum eodem die ipsi Christiani sæpe solerent convenire, ut postea patebit. 3. Si vel maxime *primus* dies esset intelligendus, tamen non sequeretur, istum diem ab Apostolis fuisse institutum, ut in perpetuum observaretur in Ecclesia Christiana. (1. quia Paulus non dicit *fideles convenisse*, multo minus *in perpetuum debere convenire primo die:* sed tantum quemlibet isto die *debere seponere* aliquid, in necessitatem pauperum, & quidem istius temporis. (2. Ista collecta non fiebat *publice* in *Ecclesia*, sed quilibet seponebat aliquid *apud se*. (3. Illa collecta non fuit *generalis*, nec omnibus fuit mandata; sed Eccle-

siæ

siæ Corinthiacæ tantum : non in *perpetuum*, sed ad certum tempus. (4. Hodie collecta apud quosdam fit die *Lunæ*, alibi die *Veneris*; tamen non sequitur: istos dies esse observandos, in perpetuum ad cultum Dei. II. Nec eos juvat locus, Matth. 24: 20. *Orate ne fuga vestra fiat hyeme, vel Sabbatho.* Inde enim non sequitur: *Christianos debere observare aliquod Sabbathum.* 1. Intelligitur enim ibi *Sabbathum Judaicum*; cum tunc temporis Sabbathum Christianum nondum fuerit notum. Et quamvis abolitum fuerit de *jure*, tamen nondum fuit de facto, ante destructam urbem & Templum. Tandem dies *dominica*, sive *prima* hebdomadis, in Scriptura Sacra, nusquam vocatur *Sabbathum*. 2. Christus in hoc loco notat superstitionem Judæorum, qui mortem potius obiissent, quam vel passum ultra *iter Sabbathicum* fugissent, die *Sabbathi*. Hinc & ruina urbis per Titum Vespasianum, quod die Sabbathi nollent pugnare. 3. Fideles debebant orare, ut maturius liberarentur, ne aufugiendum forte esset die Sabbathi: cum neminem nacti essent ex Judæis, qui eos in fuga juvare voluisset isto die, ad transferendas uxores, liberos & supellectilem. Nec passi fuissent, ut quisquam curru vel equo veheretur per terram suam, die Sabbathi, etiamsi in extremo versaretur periculo, unde miseria gravior, si fuga in istum diem incideret. Taceo quod nonnulli referant, urbem & Templum dirutum fuisse die Sabbathi, qui verus fuit dies fugæ. III. Nec eis favet locus, Act. 20: 7. *Primo die hebdomadis congregati fuerunt discipuli ad frangendum panem.* Nam 1. in Græco habetur *μία uno* die. Quid si diceremus, id istis temporibus factum fuisse die *Saturni*? isto enim die sæpe conveniebant. Vide Act. 13: 13, 14, 42, 44. & 16: 12, 13. & 17: 1, 2. Mos enim fuit Paulo, ut intraret in Synagogam die Sabbathi, ibique dissereret de Sacra Scriptura; quia tunc Euangelium pluribus annunciari poterat. 2. Hoc ob specialem causam tunc factum est, quia Paulus postridie discessurus erat. 3. *Quotidie verbum prædicabant.* Act. 19: 9. & 20: 31. & in Ecclesia Hierosolymitana *quotidie panem frangebant.* Act. 2: 42, 46. Non tamen sequitur: omnes dies instituti sunt ab Apostolis ad cultum Dei, IV. Idem dicendum est de loco, Apoc. 1: 10. *Eram raptus in spiritu die dominica.* 1. Nam per *diem domini* potest intelligi dies *Nativitatis* domini: sic enim adventus Christi dicitur *dies domini.* Amos. 5: 18. Malach. 3: 4. Hunc *diem domini* Abrahamus desideravit videre. Joh. 8: 56. Si instes: *dies Resurrectionis est dies domini, jam vero Domi-*

*Instantia.*

*nus*

*nus resurrexit primo die hebdomadis ;* tunc & ego rogabo: cur ergo non potius intelligemus *diem Paschatis*, qui singulis annis semel recurrit, quo die Christus revera resurrexit? Si autem ita sumatur, quemadmodum revera sumi potest, sensus erit: *Raptus fuit die Paschatis.* 2. Si vel maxime Johannes intellexisset *primum* diem hebdomadis, inde tamen nihil aliud sequeretur, nisi quod *raptus sit in spiritu primo die.* Quid hoc ad observantiam diei primi hebdomadis? An ista historia de raptu Johannis erit *lex*, aut etiam indicium legis de observanda prima die? Nullam video connexionem. Sed credibile est, istum diem in Ecclesia Christiana diu dictum fuisse, non *diem dominicam*, sed *diem Solis*, cum Justinus Martyr, qui vixit post Johannem, vocet diem primum hebdomadis *diem solis.* Vide Apolog. pro Christianis II. ad Anton. Pium, ubi ter occurit ἡλίȣ, sed nunquam ȣ κυρίȣ.

*Probatur primum diem à Chr. & Apostolis non esse institutum.*

XXI. Observantiam primi diei hebdomadis non esse institutam à Christo, nec ab Apostolis, hisce porro rationibus probatur. (1. quia ejus nulla exstat expressa lex, nec κατὰ ῥητὸν, nec per necessariam consequentiam, in toto Novo Testamento. (2. Paulus exsertis verbis docet, jam Sabbatha, non minus quam dies festos, & novilunia, cum lege Cibaria esse abolita. Col. 2: 16. (3. Primi Christiani primum diem hebdomadæ non servarunt, aut si à quibusdam observatus est, illi simul & alios dies observare solebant. Testatur enim *Sozomenus* libr. 7. cap. 19. *quosdam congregatos fuisse die Sabbathi, & simul die primo hebdomadis*, *quemadmodum*, inquit, *Constantinopoli, & reliquos fere omnes, aliter tamen fieri Romæ & Alexandriæ.* Docet etiam *Anastasius Nicanus: Sabbathum & diem domini esse sanctum, istis diebus feriandum esse, nec tunc esse jejunandum.* Ita *Socrat.* Hist. libr. 5. cap. 22. & libr. 6. cap. 8. *Ecclesiam solitam fuisse congregari die Sabbathi, & die Dominica. Clemens Romanus* Constit. Apostol. lib. 7. cap. 23. *Observate Sabbathum & diem Dominicam, quia primus dies est memoriale creationis, alter vero resurrectionis.* Docet etiam *Daillæus*, de Scriptis Dionysii Areopagitæ, libr. 2. cap. 15. Christianos nullos habuisse dies festos, duobus prioribus sæculis. Ideo *Celsus*, testante Origine, temporibus Imperatoris *Hadriani* exprobrasse dicitur Christianis, quod *nullos observassent dies festos.* Sic & *Tryphonius* exprobravit Christianis: quod *nec festa, nec Sabbatha ulla observarent.* Hinc & *Clemens* docet *Christianos non opus habere festis ; cum Deus omnibus momentis à nobis coli debeat.* Tandem notari debet: *Sabbathum*

*Judæorum* à multis Christianis observatum fuisse, usque ad quartum sæculum: quare & Concilium Laodicenum Canone 29. prohibuit, *ne Christiani quiescerent die Sabbathi, quemadmodum Judæi.* Si primus dies hebdomadis institutus fuisset ab ipso Christo, vel ab Apostolis, an credibile est, omnes Christianos eundem diem non observasse? Cur igitur alios dies observarunt?

XXII. Si vel maxime primus dies hebdomadæ observatus fuisset, ab Apostolis & prima Ecclesia, tamen non sequeretur, illud fuisse mandatum, ut in perpetuum observaretur in Ecclesia Christiana. Multa enim tempore Apostolorum observata fuerunt, quæ totam Ecclesiam non obligant. Veluti *Agapæ.* 1. Cor. 11: 21, 22. & Jud. vers 12. *Communio bonorum.* Actor. 4: 32, 34, 35. *Abstinentia à sanguine & suffocato.* Act. 15: 29. *Ministerium Diaconissarum.* 1. Tim. 5: 9. quæ omnia tempore Apostolorum obtinebant, hodie tamen non observantur. Idem dici debet de die Dominica, ut, si vel maxime in quibusdam locis, & certo quodam tempore observatus fuisset, tamen non sequatur, eundem hodie observari debere, tanquam divinitus institutum.

*Multa à Christo & Apostolis observata hodie non observantur.*

XXIII. Pendebat igitur unice de libertate Ecclesiæ Christianæ, & à voluntate Magistratuum Christianorum, ut instituerent talem diem, qualem maxime commodum crediderunt, ut si ipsis consultius visum fuisset, potuissent instituere tertium, quartum, quintum, aut alium diem hebdomadæ. Si hoc fecissent non peccassent contra ullum præceptum, multò minus contra quartum; nec ideo Deus minus sancte cultus fuisset. Si igitur Magistratus Christiani, qui noverunt, quibus debus cives à laboribus quotidianis, aptissime vacare possunt, propter commercia, cum inter sese in eadem Republica, tum inter vicinos aliosque populos, alios dies instituere voluissent, aut etiam, si propter easdem rationes, si, inquam, salus Reipublicæ, & major ædificatio Ecclesiæ id postularet, in eorum potestate esset, ut diem receptum, & hactenus observatum, cum alio aliquo die mutarent: quemadmodum nemo negat, eos posse, si vellent, mutare cæteros *dies festos* cultui divino destinatos, non minus quam primum hebdomadis, quales sunt dies *Paschatis*, *Pentecostes*, *Ascensionis*, *Nativitatis*, *Circumcisionis*, & alios. Eodem enim jure hi dies festi observantur, quo & primus hebdomadis: nempe ex longa consuetudine, vel ex institutione hu-

*In libertate Ecclesiæ Christianæ est instituere talem diem, qualem aptissimum judicavit,*

humana: quia piis Magiſtratibus ita viſum fuit, ad majorem ædificationem Eccleſiæ.

XXIV. Cum tamen nulla neceſſitas hactenus poſtulaverit, ut primus dies hebdomadis mutaretur, & ut in ejus locum alius ſubſtitueretur, prudenter & pie agunt Chriſtiani Magiſtratus, quod primum retineant. Ritus enim externi in Ecclesia, longo uſu recepti, & per multa ſæcula ſtabiliti ac probati, non facile mutandi ſunt; ſed tunc tantum, ubi extrema neceſſitas, ſalus Reipublicæ, & major ædificatio Eccleſiæ id manifeſto poſtulat. Ut neceſſario inter turbones pacis ac tranquillitatis publicæ perturbatores recenſendi eſſent, quicunque diem primum hebdomadis, ſine urgente neceſſitate, mutare & in alium transferre vellent.

*Primus dies quare retinendus?*

XXV. Et quamvis Eccleſia retinere potuerit *Sabbathum Judæorum*, ſive diem Saturni, quemadmodum in prima Eccleſia à pluribus fieri ſolebat, tamen prudenter factum eſt, quod dies iſte abrogatus fuerit. Non tantum quod Apoſtolus Col. 2: 16. dixerit: *Cavete ne quiſquam vos judicet propter Sabbatha* &c. ſed etiam ut Chriſtianis adimeretur occaſio Judaizandi, & ut eo facilius reliquæ cærimoniæ Judaicæ in Eccleſia Chriſtiana ceſſarent. Ut ut etiam potuiſſent inſtituere diem *Martis*, *Mercurii*, aut alium, nihilominus *primum* reliquis præferre voluerunt, ob memoriam *reſurrectionis*, quia iſto die reſurrexit Jeſus Chriſtus. Adde, quod etiamſi potuiſſent inſtituere tertium aut quartum diem, aut unum ex tribus, aut ex quatuor diebus, id tamen prudenter non fecerunt, quoniam experientia docuit, neceſſitatem humanam non permittere, ut tot diebus à laboribus, ad ſuſtentandam familiam neceſſariis, vacaremus. Tandem etiamſi inſtituere potuiſſent *octavum* vel *nonum*, pro *ſeptimo* die, tamen pie factum eſt, quod inſtituerint unum ex ſeptem, quia tantum temporis cultui divino conſecrandum eſt, quantum fieri poteſt, & quantum humana conditio permittit; ſed experientia quoque docuit, ſingulis hebdomadibus laborem ſex dierum ordinarie ſufficere, ad miſeram hanc vitam ſuſtentandam.

*Prudenter ultimus dies hebdomadæ eſt abrogatus.*

*Recte primus potius quam alius dies eſt inſtitutus.*

XXVI. Nihilominus tamen ſi ob tempeſtatum injurias, ob diuturnas pluvias, aut nimios æſtatis colores & ſiccitates, certum periculum immineret frugibus, ut in campo neceſſario perirent, niſi colligerentur & domum deferrentur *die Solis*, non tantum licitum eſſet, ut iſto die fieret: ſed contra omnem charitatem, contra

*Die ſolis quo uſque quieſcendum?*

tra bonum publicum contraque officia amoris erga proximum ageret, si quis illud isto die fieri prohiberet. Certe si *bos & asinus ex fovea trahendus fuit die Sabbathi*, etiam sub Veteri Testamento, quum adhuc obtineret rigida illa quies Judaica, multo magis servari debent fruges terræ majoris pretii, ac necessitatis, quam boves: inde enim & homines & boves vivunt.

*Dies solis tam rigidam quietem ut Sabbathum non postulat.*

XXVII. Cum à Christo & ab Apostolis nulla data sit lex, de certo aliquo die observando, & cum ista observatio non sit *moralis*, sed *juris humani* tantum, certum est, diem *Solis* hodie tam *rigida quiete* non esse observandum, ac olim sub Veteri Testamento. Grande erat peccatum apud Judæos, si quis vel ligna collegisset, vel ignem struxisset, vel cibum coxisset, quæ *rigida quies* cum reliquis cerimoniis jugum imponebat. Hodie proculdubio nullum dicendum esset peccatum, si quis talia faceret die Dominica.

*Quo casu die solis quis possit opus conficere.*

XXVIII. Ponamus etiam hominem aliquem pauperrimum magna familia onustum, ita ut panem uxori & liberis acquirere non possit, nisi etiam die *Solis* sese dedat laboribus quotidianis; Non puto ejusmodi hominem grande committere peccatum, si isto die mane opus suum conficeret ad horam nonam forte matutinam, inde se conferret ad sacros cœtus, & si iterum circa vesperam, peracto cultu publico, ad labores suos rediret. Præstat proculdubio ut familiam curet, seque cum ea honesto labore alat, quam ut, mendicando eleemosynas, ærarium sacrum, nonnisi pauperrimis miserisque, qui sese alere nulla ratione possunt, destinatum, exhauriat. Si alias esset vir pius, minus accusandus esset violati Sabbathi, quam si in otio horas istas transegisset, sedendo, deambulando, confabulando de rebus nullius momenti & vanis, immo etiam de nugis, ludendo, & id genus oblectamentis aliis, uti fieri solet? Otium sane nulla virtus est. Deus utique colendus est non tam *otiando*, quam *orando* & à *peccatis abstinendo*, ut Spiritus S. opus suum in nobis conficere possit. Quare errant, qui diem solis vocant *diem quietis*; cum hodie non tam *quiescendo*, quam *orando* Deum colimus. Deinde præstat ut aliquis curam habeat familiæ suæ, quam eam sinat premi paupertate & inedia, aut turpi mendicitate se sustentet. Et sane si *asinus* aut *bos* juvandus est die Sabbathi, multo magis succurrendum est uxori, liberis ac propriæ vitæ.

*Dies solis non tam dies quietis, quam orationis.*

XXIX. Iniquissime itaque hodie agunt ii, qui peccatum esse clamant, si quis die Dominica lectum sternat, ignem struat, cibos

bos coquat, panem emat atque domum deferat, si cum amico ambulet ac confabuletur de rebus indifferentibus: si Obstetrix, Medicus, aut Chirurgus miseris succurrat die Solis, nisi salarium, quod inde accipit, pauperibus tradat, & quæ sunt id genus sexcenta alia.

*Superstitio circa diem solis.*

XXX. Vehementer igitur errant omnes, quotquot diem Solis urgent, tanquam sua natura *moralem* & ab ipso Christo & Apostolis institutum, vi quarti hujus præcepti. Hinc enim necessario sequeretur, tam *rigida quiete* observandum esse *Sabbathum*, vel *ultimum* diem hebdomadæ, ac olim sub Veteri Testamento; Primos Christianos vehementer peccasse, qui diem *Saturni* observarunt; immo totam Ecclesiam Christianam peccare hactenus, quod istud præceptum non observet, prout à Deo datum fuit in Decalogo.

## CAPUT VI.

### *De Præceptis secundæ Tabulæ.*

I. QUintum præceptum jubet ut honorentur parentes. Et *mater* quidem non minus quam *pater* honoranda est. Per *patrem* intelligi debet omnis qui in aliqua dignitate supra reliquos constitutus est, ut Rex, Princeps, Magistratus, qui ideo *Patres Patriæ* dicuntur. Ita Josephus *Pater Ægypti* vocatur. Gen. 45: 8. Apud Judæos Præses, post הנשיא id est Principem, supremi Senatus, sive Synedrii, dicebatur אב בית דין *Pater domus judicii.* Hinc & omnes *judices* Veteris Testamenti, modo speciali, *Patres* dicebantur. Matth. 23: 9. & *Patres Carnis.* Hebr. 12: 9. Apud Romanos *Patres Conscripti.* Hinc & *Patricii,* 2. *Domini* dicuntur *Patres* servorum, ut Naaman. 2. Reg. 5: 13. 3. *Seniores* & ætate provectiores Paulus vocat *Patres.* Act. 22: 1. 4. *Sacerdotes* & *Levitæ* in Veteri Testamento erant *Patres.* Jud. 17: 10. & 5. *Apostoli* sunt *Patres* spirituales fidelium Novi Testamenti. Ita Paulus se vocat *Patrem Corinthiorum.* 1. Cor. 4: 15. 6. *Pastores* & *Præceptores* omnesque, quibus alii aliqua ratione subsunt, Patres dicuntur.

*Quintum præceptum.*

*Pater quis ?*

II. *Honorare* Parentes significat. I. eos *amare.* II. omnem *venerationem* verbis & gestis eis exhibere. III. In omni re licita & justa eis *obedire.* IV. Eos *alere*, si necessitas id postulet.

*Quid sit honorare parentes ?*

*Parentes etiam à spuriis honorandi. Liberi, invitis parentibus, non possunt vota facere, nec matrimonium inire. Promissio V. præcepto addita.*

III. Parentes *honorandi* sunt ab omnibus *infantibus:* non tantum legitimis, sed & *à Spuriis*: cum beneficium, quod acceperunt à Parentibus majus sit quam injuria illata: Cum liberi sint sub potestate parentum illisque debeant obedire, in omni re justa & licita; sequitur eos non posse reddere *vota monastica:* nec *matrimonium* posse contrahere, invitis parentibus, ante justam ætatem. Impie igitur docent *Pontificii*, posse filium *patrem suum accusare hæreseos;* aut posse, si pater sit tenuioris fortunæ, negare se esse ejus filium. Plane aliter egit *Josephus*, qui, ut ut ad summos honores evectus in Ægypto, Jacobum Patrem suum agnovit. Gen. 46.

*Quid significet terra.*

IV. Huic præcepto addita est specialis promissio de vita longa; quia parentes, post Deum; sunt auctores vitæ. Per terram omnis quidem *terra*, & cujuslibet patria intelligi debet; nihilominus tamen specialiter intelligitur terra Canaan sub Veteri Testamento, cum fuerit typus & pignus vitæ cœlestis.

*Sextum Præceptum. Αὐτοχειρία & duella prohibita.*

V. *Sexto* Præcepto prohibetur quodlibet *homicidium.* Ideo & *ἀυτοχειρία*, & *duella*: (1. quia fiunt privata auctoritate, ex odio & vindicta. (2. In propria causa volunt esse judices, testes & vindices, immo & carnifices. Peccant etiam contra hoc præceptum, qui corpora, sive propria, sive aliorum mutilant, *castrando*, aut alia ratione; quæ impietas & olim & hodie viget apud *Orientales*; immo & *Pontificios*, ut amœniores habeant cantores. Illis accensendi sunt, qui se vel alios vexant, ut *Brachmanes* apud Indos; ut Veteres *Circumcelliones*, & Pontificiorum *flagellantes.* Qui carceri, inedia, insomnio, clamoribus, stupris, fustibus & carnificinæ mille modis Martyriis & Hispanica inquisitione gravioribus, extorquent pecuniam, aut externam Confessionem fidei. Qui docent licere *hæreticum occidere:* qua ratione foventur odia privata.

*Varia peccata VI. Præcepti.*

*Quomodo homo innocenter occidatur.*

VI. *Homicidii* non potest accusari, qui *casu* & *forte fortuito* hominem occidit, sine odio & sine deliberato consilio. Quare Deus hisce refugium concessit. Deut. 19: 5. Nec contra hoc præceptum peccat, qui, *sub moderamine inculpatæ tutelæ*, alium occiderit, ut corpus & propriam vitam defenderet. Nec Magistratus, qui reos, post justam sententiam, per ministros suos morte plectunt: cum gerant gladium nomine Dei. Rom 13: 4. Nec si gerant justa bella, ad defendendam Religionem, jura, privilegia, bona, uxores, liberos, vitam, Patriam &c. Ita & Samson non est censendus commisisse *ἀυτοχειρίαν:* cum ejus finis non fuerit, ut sibi mortem con-

sciret,

sciret, nec id fecerit ex despiratione, sed potius ut judex Israelis & instinctu Spiritus Sancti, qui ei ad id vires largitus est. Jud. 16. Hinc & ejus virtus laudatur. Hebr. 11: 32. Nec αὐτοχειρίας accusandi erant olim *Hollandi*, qui in bello Hispanico, ignem injecerunt pulveri pyrio, ne in manus hostium inciderent. (1. quia non intendebant propriam perniciem, sed libertatem Patriæ, & hostium eorumque navium bellicarum interitum. (2. semper habebant spem, se triremi aut natando evasuros, quod & sæpe factum est. (3. Hispani omnes Hollandos captos suspendebant: quare, cum necessario moriendum esset, submersionem præferebant suspendio.

*Samson non commisit αὐτοχειρίαν. Nec Hollandi.*

VII. Homicidium morte plectendum est. (1. quia exsertis verbis id docet Scriptura. *Qui sanguinem hominis effuderit, ejus sanguis effundetur.* (2. Justitia postulat, ut inter delictum & pœnam detur proportio: sed justa est proportio inter vitam & vitam: quare, qui vitam alterius ademit, dignus est ut suam amittat.

*Homicidium puniendum*

VIII. Hoc præcepto prohibentur etiam omnia semina *homicidii*, ut *odium*, *ira*, *crudelitas* in animo, *excandescentia*, *invidia*, *livor*. &c. Matth. 5: 21, 22. 1. Joh. 3: 15. Sub hoc præcepto *Negativo*, continetur etiam hoc *affirmativum*. Conservabis vitam, sanitatem, & quietem proximi tuamque, adeoque *proximum tuum amabis sicut te ipsum.*

*Prohibentur semina Homicidii. Affirmativum hujus præcepti.*

IX. *Septimum* præceptum prohibet, non tantum omne *adulterium*, sed omnem *fornicationem* ac *impuritatem*. Nam *scortatores* æque ac *adulteros Deus damnabit.* Hebr. 13:4. ut & *concubinatus, conjugia clandestina*, quæ fiunt insciis parentibus, aut tutoribus. Prohibentur quoque *Raptus*, *stupra*, *incestus*, *concubitus contra naturam*, & quæ *peccata muta* dicuntur. Huc referri possunt *impuri sermones*, *gestus lascivus*, *luxus*, *ebrietas*, & id genus alia irritamenta malorum. Prohibetur non tantum actus externus, sed & *impura cogitatio*, & lascivus aspectus mulieris. Matth. 5: 21. Job. 3: 9, 10. Mandatur igitur hoc præcepto *castitas*, *modestia*, *temperantia*, & ad evitandos impuros ignes, *honestum matrimonium.* Vide Hebr. 13: 4. 1. Thess. 4: 3, 4, 5. Quare doctrina *Pontificiorum*, qui sacrificulis prohibent matrimonium, sed concubinatum permittunt, est plane diabolica. 1. Tim. 4: 1, 3.

*Septimum Præceptum quid prohibeat.*

*Quid hic jubeatur.*

X. *Octavum* præceptum prohibet *furtum*, sive id fiat occulta fraude, sive aperta vi, sive à privatis, sive à Magistratibus supre-

mis,

*Octavum Præceptum.* mis, per injusta bella, per ambitionem, avaritiam, & inanem gloriam. Omne igitur id, per quod quis bona alterius alienat, aut diminuit, quacunque id fiat arte, furtum est dicendum. Ita & furtum dici debet, si quis, quando potest, debitum non solvat. Fures quoque dicendi sunt *Mendici*, *otiosi*, *Monachi* & *moniales*, *Cingari Circumforanei*, & id genus alia *inutilia pondera terræ*.

*Fures qui?*

*Principes.* XI. Nec furti excusari possunt *Principes*, qui sola libidine dominandi, aut ut ambitioni, luxui, & avaritiæ adulatorum satis fiat, sine ulla læsione, sine justa causa, invadunt Regna & Provincias vicinas, legitimisque possessoribus atque Dominis eas eripiunt. Quibus accenseri potest *Papa*, qui se dicit supremum Principem, & Regnorum distribrutorem, eaque mille artibus sibi reddit tributaria, subditis à sacramento, quod legitimo Principi debent, liberatis, distribuit cui voluerit.

*Papa.*

*Magistratus.* XII. Furtum quoque committunt Principes & Magistratus in cives suos, si eorum facultates exhauriant injustis bellis, tributis non necessariis, ob ambitionem, luxuriam, gulam & vanam gloriam suam, vel adulatorum, gnathonum, & nequitiæ ministrorum. Aut si debita stipendia non solvant eis, quos ministeriis publicis, sive in Ecclesia, sive in politia, præferunt; qui sua tantum curant commoda, reliqua negligunt, quasi Respublica sibi prædæ data esset. Si non habeant curam ærarii publici, illudque spoliari permittant, ubi id animadverterint. Sic & cives, si justa tributa non solvant, ad conservandam Rempublicam: si ministeria & officia, quæ in se susceperunt, non curent, Spartam suam non ornent: qui stipendia publica accipiunt, ut in otio & desidia lautius vivant. *Parentes* erga uxores & liberos, si patrimonia facultatesque familiæ dilapident, aut etiam pigritia rem familiarem negligant. *Liberi* erga Parentes, si sint immorigeri, si parentibus sint oneri, cum eos sublevare possint: aut si facultates fratrum & sororum gula, potationibus, alea levitatibusque aliis pessundent. *Domini* erga servos & operarios, si eis alimonia aut justa salaria subtrahant. Ipsi quoque *servi* & *operarii*, si tempus, otiando, stertendo transigant, operaque sua negligenter tractent.

*Subditi.*

*Parentes.*

*Liberi,*

*Domini. Servi & operarii.*

*Alia mala hoc præcepto prohibita. Usura.* XIII. Prohibetur hoc præcepto *Pigritia*, *Inertia*, *Neglectus* rei familiaris, *Gula*, *Prodigalitas*, & omne id, per quod facultates dilapidantur. Ita & *Usura mordax*, si quis ultra modum, lege publica constitutum, sumpserit usuram. Usura vero quæ publicis legibus

bus constituta est, cui etiam accenseri debet *fœnus trapeziticum*, puplica auctoritate moderatum ac constitutum, & id genus quædam alia, inter furta numeranda non sunt, non magis quam reditus ex agro, mercimoniis, aut quavis re alia. Mandatur hoc præcepto *labor* honestus, *parsimonia*, *frugalitas*. Ita quoque ut quilibet sua sorte sit contentus, nec quidquam desideret, quod via legitima obtinere non potest. Uno verbo, jubetur hic, ut quilibet, quantum potest, conservet, atque honesta via augeat bona sua aut proximi.

*Fœnus trapeziticum permissum.*

XIV. *Nonum* Præceptum prohibet omnia genera *mendaciorum*, ac *falsa testimonia*, sive publice ac in judicio fiant, sive privatim. *Juramenta inutilia*, sine necessitate urgente, *privata*, *levia*, *impia* in rebus illicitis, etiam de rebus impossibilibus, & quæ non sunt in nostra potestate. Maxime etiam *perjuria*. Prohibitæ quoque sunt hoc præcepto *calumniæ*, *obtrectationes*, omnia *mendacia*, *piæ fraudes*, *reservationes mentales* & *verbales*, tandem quidquid ad fallendum ac decipiendum est compositum, in Schola *Jesuitarum*, & quorundam *Anabaptistarum*. *Juramenta* vero *legitima & justa*, quæ fiunt publica auctoritate, ut & testimonia inter privatos, si necessitas id postulet, sub Novo non minus ac sub Veteri Testamento sunt permissa: ut ut hoc negent *Anabaptistæ* & *Sociniani*. Sed de his vide ad Præceptum *tertium*. Intolerandi quoque sunt *Monachi*, qui nulla juramenta præstare volunt, etiamsi Magistratibus, in rebus magni momenti, ad id requirantur.

*Nonum præceptum quid prohibeat? Juramenta illegitima.*

*Legitima sunt permissa sub Test. Nov.*

*Error Monachorum.*

XV. Quamvis nemo unquam dicere possit *mendacium*, sæpe tamen *veritas taceri potest*. Ut ad veritatem dicendam homo quidem obligetur *semper*; sed *non ad semper*. Quia nemo obligatur ad divulgandum quidquid novit; sed tuto multa tacere potest, & sæpe debet ex charitate Christiana.

*Veritas potest taceri.*

XVI. *Decimum* Præceptum prohibet non tantum actum externum, & voluntatem fixam ac constantem, sed & minimam etiam cogitationem malam, qualis est concupiscentia & desiderium irritans ad malum. Lex enim est perfectissima, *spiritualis*, *sancta*, *justa & bona*. Rom. 7: 12. In reliquis omnibus præceptis prohibetur, non tantum actio *externa*, homicidii, adulterii, furti &c. sed & actio *interna* mentis, scilicet desiderium, & voluntas deliberata, fixa & constans, qua homo ferebatur ad malum; sed in hoc præcepto prohibentur omnes cogitationes malæ, & levissimæ titilationes,

*Decimum Præceptum.*

tiones, & cupiditates ad malum, sive *primo primi motus* concupiscentiæ, uti loquuntur, quamvis homo in iis non hæreat, sed eas reprimat, & nullam retineat constantem voluntatem, aut cupiditatem ad malum. (1. quia lex est perfecte sancta, perfectamque sanctitatem ab homine postulat, adeoque talem amorem Dei, ut ne minimam habeat cogitationem, quæ mentem, vel ad momentum, ad malum alliciat: amor enim Dei, ne ad momentum quidem in mente deficere debet. Sed ubi vel minima est cupiditas mali, ibi deficit amor Dei. (2. Ejusmodi titilationes & cupiditates ad malum, non procedunt ex natura perfecta, sed corrupta: ergo peccata sunt, & hoc præcepto prohibentur. De his plura vide, ubi egimus de *Peccato*, Vol. I. Pars III. Cap. III. thes. 22.

*Error Pontificiorum circa hoc Præceptum.*

XVII. *Pontificii* hoc præceptum pessime dividunt in *duo*, ut replerent hiatum, quem fecerunt in Decalogo, eradendo secundum Præceptum, de non committenda Idolomania. Est enim *unicum* præceptum tantum. (1. quia per totum Decalogum, in secunda tabula, quodlibet Præceptum comprehenditur integro commate. Idem observatur hoc præcepto ultimo, unicum datur comma; ergo & unicum Præceptum. (2. *Unica* tantum prohibetur res, nempe *Concupiscentia.* (3. Paulus de *unico* tantum *præcepto* loquitur, (non de duobus) quod vetet concupiscentiam. Rom. 7: 7. *Non novissem*, inquit, *concupiscentiam* (non *concupiscentias*) *esse peccatum*, (4. *Ordo rerum*, quæ concupisci possunt, aliter ponitur. Exod. 20: 17. aliter Deut. 5: 21. Vana est eorum argumentatio: *Prohibentur duo genera rerum, quæ non debent concupisci.* 1. *Domus proximi.* 2. *Uxores ejus. Ergo dantur duo præcepta.* Non enim prohibentur tantum *res duæ*, sed *sex.* 1. *Domus.* 2. *Uxor.* 3. *Servus.* 4. *Serva.* 5. *Bos.* 6. *Asinus.* Ergo sex darentur Præcepta: immo tot, quot res possidet proximus, quæ concupisci possunt.

*Objectio.*

## CAPUT VII.

### *De Perfectione Legis Moralis.*

I. Ex iis, quæ hactenus de *Lege & Decalogo* dicta sunt, satis manifesto constat, *Decalogum*, sive *Legem Moralem* esse perfectam, ut perfectior nulla dari possit. Tamen hoc nunc fusius & clarius probabimus hisce argumentis. (1. quia Lex est *justa* ac *bona.* Rom. 7: 12. *Justa* autem dici non posset, si aliquid deess-

deesset, ac si justior dari possit. Nec *Bona*; si homini majus *bonum*, majorque perfectio præscribi posset. (2. Per ejus præcepta homo vitam obtinet, si ea faciat: *qui fecerit ea vivet in illis*, Lev. 18: 5. Ezech. 20: 11. *Lex data est ad vitam*. Rom. 7: 10. *Si vis intrare in vitam, fac mandata*. Matth. 19: 16, 17. Si dari possit perfectior lex, tunc homo potuisset vivere per justitiam & sanctitatem imperfectam, quod cogitatu esset impium: sic enim Deus blasphemaretur, quasi non postulasset perfectam sanctitatem. (3. Deus Israëlitas hortatus est, ut essent *sancti*, quemadmodum ipse sanctus est. Levit. 11: 44. & 19: 2. Et Christus: *Estote perfecti, ut pater vester in Cœlis perfectus est*. Matth. 5: 48. Debet igitur homo habere regulam istius *sanctitatis & perfectionis Dei*. At regula perfectæ istius sanctitatis est lex. Igitur aut lex sanctissima fuit, aut dicendum erit, Deum ipsum non esse sanctum, sed *homini peccatori esse similem*. Ps. 50: 21. (4. Christus adimplendo legem perfecte satisfecit justitiæ divinæ. Lex igitur fuit perfecta aut statui debet, eum satisfecisse per imperfectam justitiam, quod esset blasphemum. (5. Eadem Lex data fuit Adamo perfecte sancto. Ergo & ipsa fuit perfecta, summamque sanctitatem præscripsit: aut dicendum est, Adamum non fuisse creatum perfecte sanctum: unde sequeretur, Deum perfectam sanctitatem ab eo non postulasse, aut postulasse quod homo non habuit, & quod præstare non potuit, quod fuisset injustum. (6. Lex *Moralis* fluit ex imagine Dei, ergo perfecta fuit in homine integro, aut imago Dei non fuit perfecta. (7. Nulla potest excogitari vero *virtus*, quam lex non jubeat, nec *vitium*, quod non vetet: quia damnat minimam etiam *concupiscentiam*, & cogitationem, quæ irritat ad malum, quamvis voluntas non præbeat assensum fixum, eamque damnet. (8. Lex postulat totum hominem; *totum ejus cor, totam animam & omnes ejus cogitationes*, Matth. 22: 37. *Omnesque vires*. Marc. 12: 33.

*Lex Dei perfecta est.*

II. Patet itaque, præter *legem Moralem*, homini nihil imponi posse: non tantum, quia præter eam nihil est *sanctum*, nihil *justum*, nihilque *bonum*, sed quia homo obligaretur ad impossibile: cum sola lex exigat hominem perfectum, & quidquid homo perfectus præstare potest. Ut Pontificii impie doceant, *congruum quidem esse, ut Deus diligatur summe intensive, summo fervore, summoque amoris gradu: sed non esse necessarium*. Pessime quoque dixit Bellarminus: *Nos ita Deum deligere debere, quando id postulat necessitas*

*Præter legem Moralem homini nullum aliud onus imponi debet.*

*divina gloria, non vero omni alio tempore.* Pessime & Bannes, *quemlibet actum charitatis, quantumlibet remissum, sufficere ad implenda omnia pracepta legis:* cum certum sit, Deum velle à nobis diligi *intensive*, & *summo amoris gradu, omni tempore*, uti jam modo ostendimus: ita ut major amor à nobis concipi non possit, quam is, quem lex à nobis postulat: Nempe ex *toto corde, tota cogitatione*, & *omnibus viribus.*

*Consilia Euangelica nulla.*

III. Sine fundamento igitur docent, dari *Consilia* quædam *Euangelica*, quæ exactiorem sanctitatem præscribant, quam per legem Moralem præscripta fuerit; quare ea vocant, *Consilia perfectionis:* qualia præcipue sunt: *Cœlibatus, Paupertas, Cœca obedientia*, & *Eleemosyna extraordinaria: qua his κριτηρίοις* cognoscantur, & à præceptis legis discernantur. 1. quod *pracepta legis* viribus naturæ adimpleri possint: sed *consilia Euangelica* sint difficiliora præceptis legis, naturam superare videantur, opus habeant speciali gratia, & majorem requirant sanctitatem. II. quod *pracepta legis* omnibus data sint; sed *consilia Euangelica*, quibusdam tantum. III. quod *Pracepta legis* sua natura obligent; sed *Consilia Euangelica* non nisi voluntate hominis, quia ea in se suscipit. IV. Quod *pracepta legis* pœnam proponant inobedientibus: *Consilia Euangelica* nullam proponant pœnam, majus tamen promittant præmium.

*Nova Mandata Euangelica nulla per Christum instituta.*

IV. Impie quoque docent *Sociniani* & *Remonstrantes:* Christum correxisse legem moralem per Mosen traditam; adeoque præter *Decalogum* alia quædam dedisse præcepta, quæ vocant *Nova mandata Euangelica*, qualia sunt. I. *Abnegatio sui.* II. *Crucis tollerantia.* III. *Vita futura meditatio.* IV. *Moderatus usus bonorum hujus vita.* V. *Immitatio & sequela Christi*, quod conantur probare ex Matth. 16: 24. Sed falsa sunt omnia; cum hæc non tantum per Christum, sub Novo Testamento, sed & per legem Dei mandata, & omni tempore observata fuerint à viris sanctis. Sic *Abraham* seipsum abnegavit, quum desereret patriam, & paratus esset offerre filium Isaacum. Gen. 22. *Moses*, quum præferret Christi opprobrium gloriæ Ægypti. Hebr. 11: 25. *Sadrach, Mesech* & *Abednego* in fornace Babylonica. Dan. 3. Septem *fratres Machabai.* 2. Machab. 6. & 7. Observa etiam, neminem minus se abnegare, quam *Socinianos* & *Remonstrantes*, omnesque fautores liberi arbitrii, quum omnia attribuant libero arbitrio, adeoque propriis viribus, & doceant justificationem per opera; ut *vim suam habeant pro Deo.* Habac. 1: 11.

Iidem

Iidem fideles crucem Christi etiam tulerunt: est enim, maxima *crux*, *filium offerre*, *ferre opprobrium Christi*, *ignem fornacis*, *famem* & *mortem pati*. Ita quoque *meditati sunt vitam cœlestem*. Non poterant enim crucem Christi ferre, nec seipsos abnegare, quin haberent spem vitæ æternæ. Ita Moses *respexit ad remunerationem*. Hebr. 11: 26. quæ non poterat esse alia quam *vita æterna*: cum spreverit Ægypti gloriam, qua non poterat exspectare majorem remunerationem in hac vita: *Moderatus* quoque erat apud eos *usus bonorum* hujus *vitæ*: cum *virtutem* coluerint, nempe *sobrietatem*, *castitatem*, *temperantiam* &c. Nonne & bona hujus vitæ, immo vitam ipsam spreverunt, ut obtinerent vitam æternam? Nonne Prophetæ Veteris Testamenti omnes virtutes, adeoque moderatum usum bonorum hujus vitæ, hominibus ubique inculcarunt? Legantur præsertim libri Jobi, Psalmorum, Proverbiorum, & reliqui omnes. Tandem & *Christum sequebantur*, cum ipsius *crucem* & *opprobrium* tulerunt, & cum moniti sint, *ut essent sancti*, *quemadmodum ipse sanctus est*. Levit. 11: 45. Sed hæc omnia jubentur per omnia præcepta Decalogi.

*Refutantur argumenta adversariorum.*

V. Nunquam probabunt *Pontificii*, *Sociniani*, & qui eorum vestigia sequuntur: Christum sanctiorem legem attulisse, aut unquam correxisse legem Mosaicam, I. ex Matth. 5: 21, 27, 31, 32, 33, 34, 38. *quod Christus dixerit: audivistis dictum esse veteribus, ego vero dico vobis.* Christus enim 1. non corrigit *legem Mosaicam*, sed *falsam Catechesin Scribarum & Pharizæorum*, qui talia docebant, quemadmodum Christus id eis exprobravit. Pharisæi quidem docebant, hæc ita dicta fuisse, ab ipso *Mose* & *Prophetis*, adeoque dicere solebant ἐῤῥήθη τοῖς ἀρχαίοις. Hoc autem non docet Christus, talia *dicta esse veteribus*; sed tantum *populum audivisse*, *hæc dicta esse veteribus*. *Audiebant* scilicet hæc à *Pharizæis*, ideo Christus addidit: ἠκούσατε *audivistis* ὅτι ἐῤῥήθη τοῖς ἀρχαίοις. Cum autem hæc, qualia docebantur à Pharizæis, non fuerint dicta à patribus, ideo Christus addit: *ego vero dico vobis*, quasi dixisset; *Ego contradico* non *Mosi & Prophetis*, sed *Scribis & Pharizæis*. II. Falsum est *Christum correxisse sextum præceptum*, hisce verbis: *Audivistis dictum esse non occides. Ego vero dico vobis, omnis, qui irascitur fratri suo frustra, reus est judicii. Si quis dixerit fratri suo Raka, reus est Synedrii*; &c. vers. 4. Christus enim non correxit *sextum præceptum*; sed tantum falsam interpretationem & Catechesin Pharizæorum, qui docebant *iram*, *odium*,

aliasque *injurias ore prolatas*, non esse contra hoc præceptum, quod falsum est. Christus igitur dat verum sensum hujus præcepti: scilicet istud postulare perfectum amorem erga proximum, adeoque prohibere *iram*, *odium*, *invidiam*, & quaslibet *injurias*, quæ fiunt *verbis*, cum & ipsa *irrisio* sit *homicidium*. Gal. 4: 29. III. Nec *septimum præceptum Christus correxit vers. 27. hisce verbis: Non mœchaberis, Ego vero dico vobis, si quis aspexerit uxorem proximi sui, ut eam concupiscat, mœchatus est cum ea, in corde suo.* Nam 1. Christus non corrigit *legem*, sed falsam expositionem Pharizæorum, qui docebant cogitationem non esse peccatum. 2. Sub Veteri Testamento lascivos aspectus reputatos fuisse peccata patet ex eo, quod Jobus nollet virginem aspicere, quod non fecisset, nisi credisset talem aspectum esse peccatum. Job. 31: 1, 2, 3. IV. Quamquam *Moses permisit libellum divortii. vers. 31. & Christus divortium prohibuit*: tamen legem Mosis non correxit. 1. Cum Deus sub Veteri Testamento libellum divortii non jusserit, sed tantum toleraverit *propter duritiem cordis*. Alias enim Deus *odio habebat demissionem*. Malach. 2: 16. Ideo libellus divortii ipsis erat opprobrio: quare etiam Deus voluit ut publice fieret, ad majorem ignominiam demittentis; ut demittens *tegeretur injuria, tanquam vestimento.* Malach. 2: 16. 2. Christus permittit ut divortium fieret propter *adulterium*. Matth. 19: 9 Idem quoque lex intelligebat. Deut. 24: 1. Volebat enim ut maritus uxorem demitteret si מצא בה ערות דבר *in ea invenerit rem pudendam*, id est πορνείαν, uti loquitur Christus. V. Non aliter *juramenta fuerunt permissa sub Veteri, quam sub Novo Testamento. vers. 33. &c.* Nam 1. Christus non corrigit *legem*, sed Catechesin Pharizæorum, qui docebant *jurari* posse per *cœlum*, per *terram*, per *Hierusalem* &c. uti patet ex *Misna Cod. Schebuot. Cap.* 4 Christus igitur non dicit: *Non jurabis per Verum Deum*, sed non jurabis *per creaturas*, *sed si quis jurat, jurabit per Deum veritatis.* Es. 65: 16. 2. Docebant etiam Pharizæi jurandum esse in rebus *levibus*. Deinde hominem non teneri, si juret per *creaturas*, sed tantum si juret per *verum Deum*. Tandem Christus etiam docet: plane abstinendum esse ab omni jurejurando, si ulla ratione fieri posset; quia omne jusjurandum est *de malo*; notat enim hominis peccatum, nisi enim peccatum, infidelitas & omnis nequitia occupasset homines, nullo jurejurando opus esset. Ergo omne id quod est supra *ita*, *ita*, *non*, *non*, est ex *peccato* sive *malo*. VI. *Jus Talionis fuit mandatum per Mo-*

*sen*

*seu* Exodi 21: 24. *ubi dicitur: oculus pro oculo, dens pro dente:* tamen ei non *contradicit Christus* versu 38. Moses enim loquitur de *vindicta publica;* at Pharizæi hoc interpretabantur de *vindicta privata*, quasi cuilibet fuisset permissum sumere vindictam. Hanc *privatam vindictam* Christus prohibet, non *publicam.* Et hæc *privata*, vetita fuit sub Veteri Testamento. Proverb. 24: 29. *Ne dicas faciam ei, sicuti mihi fecit.* Hinc David noluit vindictam sumere de Rege, 1. Sam. 24: 13. VII. *Christum jussisse arctiorem amorem erga proximum, quam sub Veteri Testamento,* non colligitur ex his verbis: *audivistis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Ego vero dico vobis, diliges inimicum. &c. vers.* 43, 44. Nam sub Veteri Testamento, Deus perfectum amorem erga proximum postulabat: cum verba Christi Matth. 22: 39. Jam à Mose prolata fuerint. Lev. 19: 18. *amabis proximum tuum sicut teipsum.* Pharizæi autem perverse explicabant legem de *amore proximi;* scilicet amandos esse tantum consanguineos, & qui sunt ejusdem nationis aut Religionis, reliquos autem posse odio haberi. Dictum fuit Deut. 23: 4, 5, 6, 7. *Non coles pacem cum septem gentibus, & cum Moabitis & Amonitis. Et usuram capies à peregrinis*, id est à *gentibus.* Hoc Judæi de omnibus gentibus intelligebant, ideo eos omnes odio habebant, adeo etiam ut, docente *Maimon. Halacha* רוצח Cap. 4. *Si Judæus videat gentilem delapsum in mare, aut alio modo morte periclitantem, non debeat eum inde extrahere.* Hinc *Juvenalis* iniquitatem Judæorum perstringit: quod *nollent Ethnico viam monstrare, nec eum ad fontem deducere.* Tacitus: *Judæi sunt misericordes erga suos, erga alios hostile odium habent.* Impie igitur docebant Pharizæi μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. Christus autem impiam hanc Catechesin corrigit. Debebant enim odio habere *septem populos* tantum, cum *Moabitis* & *Amonitis*, non autem reliquos. Alias *proximum* quemlibet debebant *amare, ut seipsos*, Lev. 19: 18. Notari etiam debet רעה *proximum* significare, non tantum *Judæos*, sed & reliquos, ipsos quoque *Ægyptios.* Exod. 11, 2. quare etiam Deus jusserat, jam sub Veteri Testamento, ut amarent *peregrinos*, quia ipsi fuerant *peregrini in Ægypto.* Deut. 10: 19. *Proximi* vocantur etiam *Philistæi.* Judic. 14: 12. & *Samaritani.* Luc. 10: 36. Vide supra cap. 3. §. 17. Deinde *septem populi*, cum *Moabitis* & *Amonitis*, non semper odio habendi erant: sed tantum usque ad adventum Messiæ, qui ablaturus esset *murum intermedium, abolendo inimicitiam*, ut *ex duobus populis unum tantum faceret.* Ephes. 2. ut Deus esset *Deus Judæ-*

*rum*

*rum & Gentilium.* Rom. 3: 28, 29. Optime itaque, & ſecundum ipſam legem Moſaicam, Chriſtus dixit: *Amabis inimicum tuum.* &c. Docet enim Chriſtus: officia externa non ſufficere; ſed legem exigere pietatem internam, ſummum amorem erga Deum & proximum, veramque juſtitiam carere fraude; quare dicit Verſ. 20. *Niſi juſtitia veſtra ſit major juſtitia Scribarum & Pharizæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Veros Iſraelitas eſſe *ſine dolo*, qualis fuit *Nathanael.* Joh. 1: 48. VIII. Falſum eſt: *Chriſtum ſub Novo Teſtamento inſtituiſſe Sacram Cœnam, tanquam Novum jugum, ad perfectiorem legem & ſanctitatem.* Non enim Sacra Cœna eſt *jugum* Novi Teſtamenti; eſt potius *fulcrum*, quo peccatores infirmi ad Chriſtum accedunt, & magnam adfert conſolationem. Aut, ſi eſt *jugum*, eſt jugum *leviſſimum*, jucundum & *ſuave*, de quo Chriſtus Matth. 11. adeoque vix *jugum* eſt dicendum. IX. Falſum eſt *ſub Novo Teſtamento Chriſtum promiſiſſe majora bona, quam ſub Veteri, nempe vitam æternam; & ſub Veteri promiſſa fuiſſe tantum vitam & bona terreſtria:* cum ſub Veteri Teſtamento vita æterna æque promiſſa fuerit, per legem Moſaicam. *Lex* enim *data fuit ad vitam.* Rom. 7: 10. *Si vis intrare in vitam, ſerva mandata.* Matth. 19: 16, 17. Ibi intelligitur *vita æterna*, de qua erat quæſtio. *Qui fecerit ea, vivet in illis.* Levit. 18: 5. Ezech. 20: 11. Gal. 3: 12. X. Novum Teſtamentum *habet meliores promiſſiones.* Hebr. 8: 7. quia ſine umbra, ſine cærimoniis, ſine jugo, ſine exprobratione peccati, ſine ſervitute, tandem ſine timore mortis, in pleniſſima libertate, & in mera gratia proponuntur hodie.

*Promiſſiones non fuerunt legis appendices.*

VI. Ex his manifeſto patet, *Promiſſiones vitæ cœleſtis* ac juſtitiæ non fuiſſe *legis appendices*, & *partem minus principalem*, ut loquuntur *Sociniani;* ſed plane contrarium potius dicendum eſſe. *Lex* enim eſt *appendix promiſſionis:* cum per ſolam *promiſſionem* homo ſervetur: non autem per *legem.* Hinc etiam lex *ſubintroducta* dicitur, poſt factam promiſſionem. Gal. 3: 17, 18, 19, 21. adeoque *lex non eſt contraria Promiſſioni;* cum *ex lege nulla ſit juſtificatio.* (ut ut contendant contrarium *Pharizæi*, *Sociniani* & omnes *juſtitiarii*) ſed ex ſola *promiſſione.* Gal. 3: 21.

*Lex eſt appendix promiſſionis.*

# CAPUT VIII.

## *De Usu Legis Moralis.*

I. USus *Legis Moralis*, secundum diversa *Fœdera* & *OEconomias*, diversus fuit. Alium enim usum habuit sub *fœdere operum*, quam sub *Fœdere gratiæ*. Alium iterum sub *OEconomia Veteris Testamenti*, alium sub *OEconomia Testamenti Novi*. Sub *Fœdere operum* erat *mera Lex*, habebatque *genuinum* & *naturalem usum Legis*. Verus autem genuinus & *naturalis* usus legis est, ut per ejus observantiam homo acquirat aliquod novum jus petendi præmium, aut ut luat pœnas, si præscripta legis non observat. Hunc igitur usum legis vocamus proprie *usum legalem*. Talem usum habebat lex erga *Adamum* in *fœdere operum*, sive in statu integro. Poterat enim per observantiam legis sibi acquirere justitiam, jus & δικαίωμα petendi vitam æternam; quemadmodum per inobedientiam incurrebat pœnam. (1. quia si obedivisset, *habuisset quo gloriatus fuisset*. Rom. 4: 4. fuit enim ei lex *ad vitam*. Rom. 7: 10. id est vitam per ejus observantiam meritus fuisset. Matth. 19: 16, 17. Sed (2. per peccatum *lex ei facta est ad mortem*. Rom. 7: 10. secundum duas has sententias: *Fac & vives, qui fecerit ea homo vivet in illis*. Levit. 18: 5. Ezech. 20: 11. *Maledictus quicunque non remanserit in omnibus iis quæ scripta sunt in libro legis*. Deut. 27: 26. Gal. 3: 12. Eundem usum *legalem* & *naturalem* lex etiam habuit erga Christum, tanquam sponsorem nostrum. Nam observando omnia præcepta legis pro nobis perfectissime, meritus est nobis vitam æternam; cum per ejus ὑπακοὴν *obedientiam multi*, id est *omnes* electi, *justi declarentur*, adeoque obtineant *jus* & δικαίωμα petendi vitam æternam. Rom. 5: 16. Es. 53: 11.

*Genuinus usus legis qualis?*

*Erga Adamum.*

*Erga Christum.*

II. Post peccatum Lex *genuinum* & *naturalem* suum *usum* amisit: quia peccatori non data est, ut per ejus observantiam acquireret justitiam & prœmium: cum homini peccatori sit impossibile, ut eam observaret; præterquam quod se per legem, etiamsi eam observaret, non posset exsolvere reatu. Habet igitur Lex alium usum in statu *peccati*, alium iterum in statu *Regenerationis*. In statu *peccati* & irregenerationis. I. *Dat cognitionem peccati*. Rom. 3: 20. II. *Auget peccatum*. Rom. 7: 5, 8. Ideo *vis peccati* dicitur *Lex*. 1. Cor. 15: 56.

*Hunc usum lex amisit.*

*Ejus usus in statu peccati.*

III. *Officium ab homine postulat;* id est *perfectam sanctitatem* & *obedientiam* petit; cum Deus jure suo nunquam excidere possit. IV. *Facta est Domina peccatoris, & Regnum in eum exercet, ac peccato eum subjicit;* cum in statu integritatis fuerit hominis *socia* ac *Ministra*, ad obtinendam amicitiam Dei. V. *Peccatorem damnat & morti adjudicat.* Rom. 3: 19. & 7: 10. Hactenus Lex *usum legalem* erga peccatorem retinuit. Non integrum quidem usum, sed ex parte tantum: Est enim peccatori tantum lex *damnans*, non *justificans* & *vivificans*, ut in statu integritatis erga Adamum, quem poterat non tantum *damnare*, sed & *vivificare:* facta enim est peccatori *ad mortem.* Rom. 7: 10. *litera occidens.* Rom. 8: 2. 2. Cor. 3: 6. &c. immo *ministerium mortis & condemnationis.* 2. Cor. 3: 7.

*In statu regenerationis, alium habet usum.*

III. Erga hominem *Regenitum* iterum varios habet *usus.* Alium enim sub *OEconomia Veteris Testamenti.* Alium sub *Testamento Novo.* Sub *Veteri Testamento* I. *docebat officium.* II. *Intendebat & urgebat ipsam legem cærimonialem.* III. *Denunciabat maledictionem omnibus iis, qui quærebant propriam justitiam:* quare ad veram submissionem homines fingit. Phil. 3: 8, 9. IV. *Peccatum nondum expiatum quotidie accusabat;* tanquam *pædagogus* homines ad Christum remittebat. Gal. 3: 24. Erat enim *Christus finis legis omni credenti.* Rom. 10: 4.

*I. Sub Test. Vet.*

*II. Sub Test. Novo duplicem habet usum.*

*I. Ante Conversionem.*

IV. Sub *Novo Testamento* duplicem habet usum, secundum duplicem statum hominis: Homo enim est vel *convertendus* ad fidem & Resipiscentiam; vel jam *conversus.* Ante fidem & conversionem sub Novo Testamento. I. *Docet officium, & naturam perfectæ justitiæ ac sanctitatis.* II. *Justitiam exigit, vel à peccatore, vel à sponsore.* III. *Adigit hominem, ut ad sponsorem confugiat.* IV. *Ejus obedientiam justitiæ divinæ conformem approbat.* Hi usus obtinebant in omni OEconomia fœderis gratiæ, & sub *Promissione*, & sub *Veteri Testamento*, æque ac sub *Testamento Novo.* Post fidem & conversionem. I. *Ostendit Regulam sanctitatis, formulam μετανοίας & gratiarum actionis.* Hunc usum quidem habuit sub *Veteri Testamento*, tamen tunc simul habebat σχέσιν legalem: quia urgebat cærimonias & servitutem, peccataque nondum expiata exprobrabat. Sed sub *Novo Testamento* modo speciali dicitur, *Regula sanctitatis, & formula μετανοίας & gratiarum actionis:* quia Reatum non amplius potest exprobrare, nec servitutem nunc urget, nec maledictionem & mortem denunciat: sed solummodo *Normam veræ sanctitatis & gratiarum actionis præscribit*, & eo magis, quod majores gratias accepcrimus. Ergo II. Lex non

*II. Post fidem & conversionem est regula sanctitatis & grati animi.*

non amplius eſt *Domina*, ſed *Miniſtra* fidelium. Eorum opera, ut ut imperfecta, procedentia tamen ex vera fide & charitate, laudat, nec amplius peccatum accuſare poteſt: cum ſit expiatum.

V. Optime igitur Paulus Rom. 7: 2, 3, 4. conſiderat hominem tanquam *Sponſam Legis*, in triplici ſtatu. I. Ut à *marito amatam.* Talis quidem fuit *Adam* in ſtatu Integro, ſub *Fœdere Operum:* tunc enim Legi junctus fuit, ut *Sponſa Sponſo*, à quo omnia bona ſperat, juſtificationem, & vitam æternam. II. Ut *Adulteram*, quæ ὑπανδρὸς *Marito ſubjecta* manet, ſub perpetuo mortis metu, & quæ ſubjecta Mariti ſeveritati, & rudi imperio, à communione omnium bonorum rejecta eſt. Talis fuit homo poſt lapſum. Poſt erectum novum *Fœdus Gratiæ*, homo peccator aliquo modo à Lege liberatus fuit: cum eum non amplius potuerit damnare, quia in gratiam receptus fuit. Poſtea tamen Lex iterum aliquam χέσιν legalem ſumpſit ſub *Veteri Teſtamento*, præſertim cum homo committeret horrendum illud peccatum in *vitulo aureo.* Exod. 32. ſtatim poſt tam inſignem liberationem, & eo ipſo momento, cum Deus proprio ſuo digito ſcriberet Legem ſanctiſſimam, ut eis traderet ſcriptis veram. Normam ſanctitatis, & Regulam gratiarum actionum pro inſigni iſta liberatione totque aliis beneficiis. Tunc ſane Lex armata eſt duabus iſtis ſententiis: *Fac & vives.* Lev. 18: 5. *Maledictus quicunque non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis.* Deut. 27: 26. Gal. 3: 10. quod erat horrendum carmen, in auribus Iſraelitarum antea in fœdere gratiæ nunquam auditum. Ut tota iſta tempora ſub Veteri Teſtamento fuerint tempora זעם *iræ.* Dan. 8: 18. Rom. 4: 15. Non autem שנת רצון *annus acceptationis.* Eſ. 61: 2. Dan. 9: 24. Lex igitur ſub *Veteri Teſtamento* aliquem *uſum* & χέσιν *legalem* de novo induerat, homini peccatum per fœdus operum ruptum, & per idololatriam in vitulo aureo, tanquam iratus maritus ſponſæ exprobrando, immo peccatorem condemnando, & Dei iram demonſtrando.

*Homo eſt tanquam ſponſa legis. aliter I. In ſtatu integro. II. Poſt lapſum.*

*In Veteri Teſt lex iterum ſumpſit χέσιν legalem.*

VI. III. Hominem conſiderat tanquam ſponſam *liberam*, à priori marito & *alteri junctam.* In tali ſtatu ſumus per fœdus gratiæ ſub *Novo Teſtamento*, ubi non amplius *Legis*, ſed Chriſti *ſponſa dicimur.* 2. Corinth. 11: 2. *Lex* enim per Chriſtum *mortua eſt*, ratione *ſervitutis, ſeveritatis* & *metus mortis;* ut non amplius ſit noſtra *domina*, quæ imperitet, peccata exprobret, & mortem minetur; ſed *miniſtra*, quæ officium doceat, & opera noſtra ex fide procedentia lau-

*Lex ſub Novo Teſt. non amplius eſt noſtra domina.*

*Ideo sub N. Test. genuinum usum legalem non habet.*

laudet. Eodem modo Lex *naturalem* & Genuinum *usum legalem* non habet, sub OEconomia *Novi Testamenti.* (1. quia credenti non præscribit observantiam legis, tanquam conditionem, per quam liberetur à peccato & obtineat jus ad vitam æternam: cum eam observare non possit, & cum Sponsor reatum expunxerit, jus & δικαίωμα ad petendum prœmium nobis acquisiverit. (2. Non potest peccatorem damnare: cum per Christum ab omni damnatione liberatus sit. (3. Ei non potest exprobrare peccatum & reatum; cum Christus omne peccatum expiaverit, & reatum expunxerit. Adeoque (4. nunc revera dicere possumus: *Non amplius sumus sub lege.* Rom. 6: 14. *Lex nobis mortua est.* Rom. 7: 6. Rudis iste *maritus* (nempe Lex) qui vixit sub *Veteri Testamento*, obiit, adeoque *non sumus sub lege*, nec *justificante*, aut *præscribente* conditionem justitiæ per bona opera, nec *condemnante*, nec *exprobrante*, sed sub *gratia* tantum, per quam justificamur, sanctificamur & glorificamur.

*Decalogum pertinere ad fœdus gratiæ.*

VII. Hinc facile responderi potest, ad quæstionem πολυθρύλητον & tantopere vexatam: *Utrum Decalogus pertineat ad Fœdus Gratiæ?* Aut potius: *Utrum Fœdus Gratiæ in Decalogo contineatur?* Ad hanc quæstionem respondemus I. Si quæras: *utrum omnia, quæ sunt scitu necessaria, ad intelligendam totam doctrinam & naturam fœderis Gratiæ, in Decalogo contineantur?* Tunc certum est, fœdus gratiæ in solo Decalogo non contineri. II. Si quæras: *Utrum fœdus Gratiæ contineatur in solo Decalogo & non alibi?* Tunc absurdiorem proponis quæstionem: cum sequeretur *Adamum* reliquosque fideles, ante tempora Mosis non habuisse fœdus Gratiæ. Deinde fœdus gratiæ continetur ac revelatum est, in tota Scriptura Sacra Veteris & Novi Testamenti, immo in ipsa prima promissione Adamo facta post peccatum: cum omnes *promissiones* peccatori factæ referri debeant ad *fœdus gratiæ.* Nemo igitur sanæ mentis dixerit: *Fœdus gratiæ non potest esse initum cum Israele, nisi id in Decalogo exponatur;* sane hæc sententia gratis affingitur *Recentioribus*, quemadmodum inepte vocantur. III. Si quæras: *utrum Lex, secundum suum usum legalem, sit fœdus gratiæ, ita ut homo per legem debeat quærere justificationem; quasi hæc esset gratia Dei: quod Deus voluerit legem promulgare homini; ut eam observaret, eamque observando acquireret justitiam & vitam æternam?* Tunc respondeo: Neminem hoc adfirmare, præter *Judæos* & *Socinianos.* IV. Si quæras: *Utrum Deus in Decalogo aperuerit*

viam

*viam sufficientem ad salutem, quæ sit gratia quædam Universalis objectiva, per quam homo possit servari, & utrum hoc sensu Decalogus contineat fœdus gratiæ?* Respondeo iterum: Hoc neminem præter *Socinianos, Remonstrantes* aliosque gratiæ universalis fautores, adfirmare. V. At vero si quæras: *Utrum fœdus gratiæ in substantia contineatur in Decalogo, tali, qualis à Mose traditus est, non tantum ratione præceptorum, sed & ratione promissionum ac comminationum?* Tunc respondeo: hoc sensu certum esse, *Decalogum* pertinere ad *fœdus gratiæ*, non autem ad *fœdus operum.*

*Decalogus, quoad præcepta etiam pertinuit ad fœdus operum.*

VIII. Nam etsi *Decalogus*, quoad *præcepta Moralia*, etiam pertinuerit ad *fœdus operum* in statu integritatis; 2. quamvis respectu Christi ad *fœdus operum* quoque referri debeat; 3. quamvis erga reprobos habeat aliquem usum legalem, condemnando reos ob violatum *fœdus operum*; Tandem 4. quamvis sub *Veteri Testamento* iterum habuerit aliquam σχέσιν & usum legalem, peccata exprobrando, maledicendo, & mortem minando: nihilominus tamen *Decalogus* ipse, cum omnibus suis circumstantiis, prout per Mosen Israelitis traditus est, ad *fœdus operum* neutiquam referri potest.

*Decalogum pertinere ad fœdus gratiæ probatur.*

*I. Ex Nominibus.*

IX. Ergo *Decalogum* pertinere ad *fœdus Gratiæ* hisce porro rationibus probamus. (1. patet ex ipsis *nominibus*, quibus *Decalogus* in Scriptura Sacra exprimitur. Dicuntur enim *Tabulæ*, quibus continetur, לוחות הברית *Tabulæ fœderis.* Deut. 9: 9, 11, 12, 15. & *fœdus* dicitur scriptum in *duas tabulas.* Deut. 4: 13. & 5: 28. Exod. 34: 28. Et *Arca*, cui istæ *tabulæ* erant impositæ, vocatur ארון הברית *Arca fœderis.* Jos. 3: 14. 2. Chron. 6: 11. Sequitur igitur *Arcam*, aut potius *Decalogum*, qui in ea occludebatur, *fœdus* aliquod comprehendere. At quale erit illud *fœdus*? Non *fœdus operum*: cum Deus nullum *fœdus operum* cum peccatore pepigerit, nec pangere possit. Tale *fœdus* igitur intelligendum est *fœdus gratiæ.* Ergo ad *fœdus gratiæ* Decalogus necessario referri debet.

*II. Ab auctore.*

(2. Auctor hujus fœderis dicitur יהוה Deut. 9: 10. is autem fuit *Christus*, teste Stephano Act. 7: 38. quare & מלאך הברית *Angelus fœderis* dicitur. Mal. 3: 1. At Christus est auctor *fœderis gratiæ*: cum ejus sit Sponsor & Mediator. Ergo per *Legislationem*, quando Decalogus datus est, *fœdus gratiæ* repetiit & promulgavit. Igitur si *Christus legem prædicavit*, ut excipitur, eam non prædicavit tanquam *conditionem justificationis*; sed potius tanquam normam sanctitatis & gratiarum actionis: quæ ad *fœdus gratiæ* pertinerent.

*III. A fœderatis.*

(3. Illi cum quibus hoc fœ-

fœdus fuit erectum, sunt *peccatores*, at cum *peccatore* Deus fœdus operum pangere non potest. Ergo erat *fœdus gratiæ*. Nec dicendum est, *peccatori proponi violati fœderis summam*. Nam in Decalogo proponuntur peccatori *Promissiones* de *Deo fœderato*, ejusque *misericordia*, quæ nihil faciunt ad fœderis violati summam. (4. In Decalogo ipso considerari debent. I. *Præfatio* cum *Promissionibus*. II. *Præcepta* ipsa. *Præfatio* notat meram *gratiam*, iisdem enim verbis concepta est, ac *fœdus gratiæ* ubique solet: *Ego sum Jehova Deus tuus*. Exod. 20: 2. Deus autem non dicitur *Deus Israelis*, nisi vi *fœderis*: illud autem *fœdus* non potest esse aliud, quam *fœdus gratiæ*. Quicunque sunt extra hoc *fœdus*, illi *Deum fœderatum* non habent: ut dicantur ἄθεοι, Eph. 2: 12. & eorum Deus sit *Satanas*; quare *Deus hujus mundi* dicitur. 2. Cor. 4: 4. Eadem formula in omni repetitione *fœderis* fieri solet. Gen. 17: 1, 7, 8, 9. & Cap. 15: 1. *Ego sum Deus tuus, Clypeus tibi & merces ampla*. Hic non intelligitur tantum aliquod beneficium *corporale*, ut male docent *Sociniani*: cum Christus ex hac appellatione, *Ego sum Deus tuus*, probet *Resurrectionem mortuorum*. Matth. 22. Non igitur dicet tantum. Ego sum Deus tuus *creator*, ut in *fœdere operum*, sed *Redemptor* tuus in *Fœdere gratiæ*. Sane solis Fœderatis datum erat jus Deum vocandi *Deum suum*, ut *datorem* omnium bonorum. Ps. 81: 11. Postea autem, *ubi* Deus gentes in fœdus gratiæ recepit, ut sub Novo Testamento factum est, vi ejusdem fœderis etiam *Deus gentium* dici voluit. Rom. 3: 28. In hac *Præfatione Deum* loqui tanquam fœderatum per *fœdus gratiæ*, patet ex commemoratione beneficii: *qui eduxi te ex Ægypto* &c. Ista autem eductio est *gratia*, adeoque ad *fœdus gratiæ* pertinet. Male nonnulli per liberationem ex Ægypto, intelligunt *liberationem corporalem*: cum plane *spiritualis* intelligenda sit. Deus enim *Colluvium* & *Philistæos* etiam eduxit ex *Caphtor*, ut & *Aram* ex *Kis*. Amos 9: 7. Est igitur intelligenda liberatio maxime *spiritualis*, ex potestate Diaboli; quod non nisi vi *fœderis gratiæ* fieri potuit. 5. *Promissiones* additæ *secundo Præcepto* exsertis verbis exprimunt *misericordiam Dei*. Dicit enim, *faciam misericordiam usque ad millesimam generationem*. Sed hæc verba non nisi ad *fœdus gratiæ* referri possunt. Absurde dicitur: *non promitti misericordiam credenti, sed Deum describi simpliciter a bonitate magna in obedientes, & justitia terribili in immorigeros*. Cum non fiat mentio de sola *bonitate Dei*; sed de ipsius *misericordia* & חסד *benignitate*, quæ locum habere non potest, nisi erga *peccatorem*

*IV. ex præfatione Decalogi.*

*Exceptio.*

*V. Ex promissione in Decalogo.*

*Exceptio.*

*torem credentem*, in *fœdere gratiæ:* cum in fœdere *operum*, non *gratia Dei*, sed *meritum* requiratur. (6. Præcepto *quinto* addita est *Promissio* de *vita longæva;* quæ iterum gratiam Dei ponit; at nulla peccatori fit *gratia*, nisi vi *fœderis gratiæ.* (7. Ipsa *præcepta*, eo modo quo in Decalogo proponuntur, manifesto ostendunt: omnia nunc ad *fœdus gratiæ* referenda esse. Tam in *Primo* hoc notatur per *Præfationem.* In *Secundo* Deus dat *Promissionem misericordiæ* obedientibus. In *Tertio*, se etiam vocat *Deum*, id est *fœderatum*, & reconciliatum per *Christum*, uti jam modo ostendimus. *Quartum* præceptum, quod etiam notandum est (8. non est *Morale*, sed *cærimoniale*, uti demonstravimus, Cap. IV. Ergo ad *fœdus gratiæ* pertinet, ut reliquæ cærimoniæ omnes. Adde quod per istud præceptum Deus jubeat *cessationem ab opere*, etiam alias licito: cum peccator dignus sit ut Dominio, & omnibus bonis privetur. Deinde jubet ut homo se à peccatis purget & sanctificet; quæ omnia ostendunt *fœdus gratiæ:* cum in *fœdere operum*, nec *pœna*, nec *sanctificatio* locum habuerit. De *quinto Præcepto*, quod annexam habet *promissionem* gratiæ jam diximus.

*VI. Ex præcepto quinto.*

*VII. Ex præceptis ipsis.*

*VIII. Ex IV. præcepto.*

X. Videmus igitur, quamvis *Præcepta* Decalogi locum habuerint in *fœdere operum*, ea tamen genuinum & *naturalem usum* exuisse, in *fœdere gratiæ;* ut post peccatum ad *fœdus operum* pertinere non possint: cum fieri nequeat, ut Decalogi pars quædam pertineat ad *fœdus operum*, altera vera ad *fœdus gratiæ.* Hac enim ratione esset aliquid in Decalogo, quod esset *gratiæ contrarium;* contra doctrinam Pauli. Rom. 11: 6. Omnia igitur *Præcepta Decalogi*, uti supra ostendimus, sunt tantum *Canon* & *norma* μετανοίας & grati animi, pro accepta gratia: quare etiam *præcepta* ipsa nos ad *gratiam* deducunt, ut omnes Prædicationes, exhortationes & admonitiones Prophetarum & Apostolorum. Ex quibus omnibus meridiana luce clarius constat, *Decalogum*, post initum novum *fœdus gratiæ*, non posse pertinere ad *fœdus operum*, sed ad *fœdus gratiæ.* Absurde igitur à nonnullis dicitur: *Decalogum nullius fœderis esse formulam, sed tantum legem, quæ non sit nisi pars fœderis.* Nam 1. præter *legem* continet *promissiones* de *misericordia*, & Deus se dicit *Deum* fœderatorum suorum. 2. Ipsa *lex* ad aliquod *fœdus* referri debet: Ergo ad *fœdus gratiæ:* cum sit *norma sanctitatis & gratiarum actionum*, non *conditio merendi*.

*Usus præceptorum legis sub Fœdere gratia.*

*Exceptio.*

XI. Non tamen probabitur. *Decalogum* pertinere ad *fœdus operum*,

1. quia

*Refelluntur argumenta contraria.*

I. quia *Adamus etiam habuit Decalogum ante lapsum, cum adhuc esset in fœdere operum* Nam *Adamus* in statu integritatis habuit quidem *præcepta moralia*, quæ in *Decalogo* continentur; tamen nego eum habuisse *Decalogum.* Non enim ei datum fuit *quartum Præceptum*, ut supra ad istud Præceptum ostendimus. Deinde non habuit easdem *Promissiones*, quæ in Decalogo continentur, quemadmodum jam demonstravimus. Tandem concedimus præcepta moralia in Decalogo contenta pertinuisse ad fœdus operum in statu integritatis, quia tunc Adamo data fuerunt, tanquam conditio merendi, secundum hæc verba: *fac & vives.* Sed negamus ideo sub *fœdere gratiæ* etiam pertinere ad *fœdus operum:* cum non amplius sint *conditio merendi;* sed *norma* tantum veræ *Resipiscentiæ & sanctitatis*, quæ locum non habet, nisi sub *fœdere gratiæ.* II. Non sequitur: *Ergo omnes gentes & ipsi reprobi pertinent ad fœdus gratiæ, quia Decalogum, sive legem Moralem cordi inscriptam habent.* Rom. 2. Nam. 1. reprobi manent sub *Lege damnante;* est enim ipsis *Lex* tantum *ad mortem.* Rom. 3. Deinde Decalogus dicitur continere *Fœdus Gratiæ*, respectu eorum tantum qui sunt in *fœdere gratiæ*, quales sunt *electi.* (3. Etiamsi *Lex Moralis* inscripta sit cordibus, ipsis etiam Ethnicis & Reprobis, tamen *Decalogus* ipsis non fuit datus. *Decalogus* enim plus continet quam *Legem Moralem*, scilicet etiam unum *Præceptum Cærimoniale*, quale est *quartum* de *Sabbatho.* Deinde continet & *Promissiones fœderis Gratiæ.* Deus nunquam dixit Reprobis, *ego sum Deus tuus.* Sunt enim ἄθεοι in mundo, Eph. 2: 12. id est non habent Deum fœderatum. 4. In *electis* ipsa *Præcepta Moralia* non amplius *damnant*, sed eis sunt tantum *Canon & Norma veræ Resipiscentiæ & grati animi.* Alium igitur usum habent *præcepta Legis* erga *reprobos*, quam erga *fœderatos* Dei, uti supra demonstravimus. §. 2, 3. III. Non tamen *meretur homo per observantiam Decalogi; nec ideo convertitur fœdus gratiæ in fœdus operum.* 1. Cum præcepta moralia pertinere dicamus ad *fœdus gratiæ*, non tanquam conditionem ad obtinendam justitiam, sed tanquam normam veræ sanctitatis & μετανοίας. 2. Illud argumentum retorqueri potest in opponentes. Si *Decalogus* pertinet ad *fœdus operum*, & si hominibus traditus est, tanquam fœdus, sequitur homines *servari* per *fœdus operum*, quia Deus fœdera cum homine inivit ad salutem hominis. IV. Verum est: *Fœdus gratiæ non solum exigere obedientiam, sed & vires ad obediendum promittere & conferre: Veluti Jerem.* 32: 39. Inde tamen contra sententiam nostram ni-

nihil concludi poteſt: cum ipſe Decalogus *vires ad obedientiam promittat;* dicit enim Deus: *Ego ſum Jehova Deus tuus*, & *faciam miſericordiam:* quibus verbis promittit omnia bona, ergo & *vires ad obedientiam*, non minus quam Geneſ. 15. *Ego ſum Deus tuus, Clypeus tuus & merces magna.* 2. Si vel maxime *Decalogus* nullas contineret *Promiſſiones ex gratia*, ſed nuda *præcepta*, ut in *fœdere operum*, tamen poſt peccatum, ratione electorum, non amplius pertineret ad *fœdus operum*, tanquam conditio ad obtinendam juſtificationem, ſed ad *fœdus gratiæ* tantum, tanquam *Norma vera ſanctitatis & reſipiſcentiæ.* V. Male argumentantur: *Deus fœdus Novum, quod gratiæ eſt, à fœdere Sinaitico, hoc ipſo nomine diſtinguit.* Jer. 31: 31, 32, 33. *Ergo Decalogus in Sinai datus non continet fœdus gratiæ.* Locus enim Jeremiæ opponit Teſtamentum *Vetus*, quod initium habuit in *monte Sinai.* Gal. 4. Teſtamento *Novo.* Ergo de *duobus Teſtamentis* loquitur, quæ ambo erant ſub *fœdere gratiæ;* non autem ibi loquitur de duobus *fœderibus.* VI. Nec procedit hæc argumentatio, ex Deut. 29: 4. *Non dedit Deus nobis mentem ad cognoſcendum, & aures ad audiendum, uſque in diem hunc. Certe electi ex Iſraele hæc conſequuti ſunt. Attamen non virtute hujus fœderis, quod ſtipulabatur obedientiam, non dabat. Verum virtute fœderis gratiæ, quod ad ipſos quoque pertinebat.* Nam ſi *electi ex Iſraele aliquid conſequuti ſunt*, ſane id conſequuti ſunt *virtute fœderis gratiæ;* hoc autem fœdus præſcribit *obedientiam*, tanquam regulam ſanctitatis & gratiarum actionis, quod proprie fœderis gratiæ eſt. Ut hæc verba ſine cauſa allegata ſint. Moſes ibi tantum oſtendit populum nondum conſequutum eſſe *inſcriptionem legis Dei in corde*, tanquam *bonum Novi Teſtamenti*, illud tamen ſuo tempore conſequuturum, ut patet capite ſequente. VII. Etſi *Paulus* Rom. 3: 27. *diſtinguat inter legem fidei & legem operum*, non ſequitur tamen, *Decalogus pertinet ad fœdus operum.* 1. Pertinebat quidem ad *fœdus operum*, quoad *præcepta moralia*, quamdiu homo fuit ſub *fœdere operum*, in ſtatu integro, ubi continebat conditionem juſtificationis per opera. Sed poſt erectum Novum *fœdus gratiæ*, continet *Legem fidei* tantum, quæ, præter *fidem* in Chriſtum, præſcribit regulam reſipiſcentiæ, ſanctificationis & gratiarum actionis: cum homo per *Legem operum* non amplius poſſit juſtificari, quemadmodum urget Apoſtolus eodem loco. 2. Supra ſatis fuſe oſtendimus *Decalogum*, uti traditus eſt per Moſen, nunquam pertinuiſſe ad *fœdus operum*, nec unquam *Adamo* fuiſſe datum,

Ooo cum

cum nunquam datum fuerit Adamo *quartum Præceptum*, nec *promissiones de Dei misericordia*; cum in statu integro iis non opus haberet. VIII. Gratis dicitur: *Paulus* Galat. 3. *disserit de Lege, & eam fidei opponit: sed per Legem intelligit Decalogum. Ergo Decalogus est oppositus fidei, adeoque non continet fœdus gratiæ.* Paulus enim *Legem* non opponit *fidei*; quia *Lex* est tantum *Appendix fidei* ejusque Promissionum. Nam *Lex non est contraria Promissioni*. Gal. 3: 21. Opponit tantum *fœdus operum fœderi gratiæ*; *Legem* tanquam *conditionem justificationis*, non *Decalogum* continentem *Promissiones Euangelicas*, & normam gratiarum actionis sub *fœdere gratiæ*. IX. Non sequitur: *Decalogus continet jus naturale & morale; Ergo non est* formula *fœderis gratiæ*. Non enim continet *tantum* jus *naturale* & *morale*; sed & præceptum aliquod *cærimoniale*, quale est *quartum*. Deinde continet *promissiones gratiæ* per Christum, quæ omnia pertinent ad *fœdus gratiæ*. Tandem ipsum *jus naturale* præscribit veram *sanctitatem*; quare sub *fœdere gratiæ* dicitur vera *norma sanctitatis*, & *gratiarum actionis*. X. Non procedit hæc argumentatio: *Decalogus datus est cum signis terribilibus, flamma, igne, turbine, caligine &c. quare etiam Paulus montem Sinai opponit monti Sion*. Hebr. 12. *Ergo non continet fœdus gratiæ, quia gratia tantis terroribus non promulgatur.* Nam non omnis *terror*, aut *præsentia Dei terribilis* negat ejus *gratiam*. Deus sæpe filios suos, quos maxime diligit, *terret*, probat & tentat; ut in vera fide & amore Dei confirmarentur. Varia habemus exempla, veluti in tentatione Abrahami, in Jobo, tot aliis. Præsertim autem Deus ita agebat, cum reatus istis temporibus, nondum esset expiatus. Hodie, ubi reatus est expunctus, & ubi pervenimus, non ad montem *Sinai*, sed ad *Sionem*, Deus ita non agit: quare etiam Apostolus duos montes istos inter se opponit. Hebr. 12. XI. Ejusdem generis est: *Ut se habet fœdus Mosaicum, ita se habet Decalogus; Sed illud non fuit pure putum fœdus gratiæ; Ergo nec Decalogus.* Nam pessime distinguitur *fœdus Mosaicum* à *fœdere gratiæ*: omne enim *fœdus*, quocunque nomine veniat, vel est *fœdus operum*, vel *gratiæ*; ergo & tale fuit *Mosaicum*. Nemo sanæ mentis ausit adfirmare fœdus *Mosaicum* esse fœdus *operum*: ergo est *fœdus gratiæ*. 2. Periculosum est dicere, *fœdus Mosaicum non fuisse pure putum fœdus gratiæ*: cum *mixtum fœdus*, quod partim sit *gratiæ*, partim *operum*, magis *Socinum* sapiat quam Apostolum. 3. Falsum est *Decalogum* esse fœdus *Mosaicum*. Nam fœdus *Mosaicum* (quando ita loqui placet) con-

continet totam *Legem cærimonialem*, quæ in Decalogo non continetur, excepto *Sabbatho*. XII. Tale est & illud: *Paulus distinguit inter duo fœdera, per istud quod factum est in Sinai, quando Lex data est, in servitutem generavit; ergo erat fœdus operum*. Gal. 4: 21. Paulus enim non loquitur de duobus fœderibus; sed de duobus *Testamentis*, *Veteri* & *Novo*, quæ ambo pertinent ad *fœdus gratiæ*. XIII. Non procedit: *Lex est immutabilis ergo semper præscribit fœdus operum, & sub Promissione & sub Veteri Testamento, & sub Testamento Novo: adeoque male dicitur, eam fuisse formulam fœderis gratiæ ante μοσχοποιΐαν, postea assumpsisse naturam fœderis operum, & sub Novo Testamento, iterum factam esse formulam fœderis gratiæ.* Certissimum est Legem esse *immutabilem*, quia in æternum præscribit perfectam sanctitatem, & quia homo ea nunquam potest solvi. Deinde quia ab homine semper postulat perfectum δικαίωμα, vel à peccatore, vel ab ejus Sponsore. Nihilominus respectu variæ conditionis hominum, & variarum œconomiarum varios habet usus, uti supra ostensum est. 1. In fœdere *operum* habuit genuinum & *naturalem usum legalem*, erga Adamum, quum ab eo postularet perfectum δικαίωμα, & ei præscriberet conditionem justificationis ex merito. 2. Sub Fœdere *Gratiæ* istum usum amisit, nisi respectu *Christi* fœderis *Sponsoris*, à quo etiam perfectum δικαίωμα & meritum postulavit, sed respectu fidelium est tantum norma veræ μετανοίας, & gratiarum actionum. 3. Sub *Promissione* vix alium usum habuit. 4. Sed sub *Veteri Testamento*, propter horrendum peccatum, in vitulo commissum, quum Deus populum graviter vellet castigare, & duritiem cordis domare, ei imposuit jugum & servitutem, adeoque Legem armavit duabus hisce sententiis: *Fac & vives. Maledictus quicunque non permanserit* &c. Hinc non male dicitur induisse aliquam σχέσιν *legalem*: non quod præscripserit *fœdus operum*, & *conditionem merendi*, sed tantum ut reatum exprobraret, & homines ad servitutem adigeret. 5. Sub *Novo Testamento* istam σχέσιν *Legalem* exuit; cum reatus sit expiatus, & servitus cesset, post acquisitam libertatem per Christum. Sed quocunque modo concipiatur post novum *fœdus gratiæ*, electis nunquam data est in *fœdus operum*, sed tanquam appendix *fœderis gratiæ tantum*.

*Omne fœdus, quocunque nomine veniat, dicendum*

XII. Non possum igitur capere, quomodo in mentem venerit viris doctis, ut dixerint *Decalogum pertinere, nec ad fœdus gratiæ: sive, fœdus in Horeb non esse fœdus operum, nec fœdus gratiæ; sed esse Fœdus Mosaicum, Nationale, Politicum, Observantiæ* & *Pietatis*, quæstio

 tamen

*est fœdus operum, vel gratiæ.*

tamen semper maneret eadem. Utrum istud fœdus *Mosaicum*, *Nationale*, *Politicum*, *Observantiæ* & *Pietatis* referri debeat ad Fœdus *Operum*, an vero ad Fœdus *Gratiæ?* *Fœdus* enim mixtum ex *opere* & *gratia* dari non potest: cum *opera* & *gratia* perpetuo opponantur. Vide Rom. 11: 16. & 3: 27. Ephes. 2: 8. pertinere autem fœdus *Mosaicum*, *Nationale* &c. ad fœdus *Operum* nemo dicet: cum ipsi fateantur viri docti, Deum cum peccatore non posse erigere fœdus *operum*, sed fœdus *Gratiæ* tantum. Si autem ea referas ad *Fœdus Gratiæ*, tunc habemus quod volumus. Certum igitur est, *Decalogum* non pertinere ad *fœdus Operum*, sed ad *Fœdus Gratiæ*.

## CAPUT. IX.

### *De Lege Cærimoniali & Forensi.*

*Lex cærimonialis. Ejus variæ appellationes.*

I. SUb OEconomia Veteris Testamenti, præter Legem *Moralem*, data quoque fuit Lex *Cærimonialis*, & *Forensis*, uti diximus Cap. III. Thes. 3. De *Morali* hactenus egimus, nunc de *Cærimoniali* & *Forensi*. Lex *Cærimonialis* variis appellationibus in Scriptura Sacra exprimitur. Dicitur I. *Lex Præceptorum in placitis*. Ephes. 2: 15. *Chirographum, quod contra nos scribebatur in placitis*. Col. 2: 13. Dicuntur toties *Placita*, quod eorum rationem nullam dare possimus, præter solum *beneplacitum Dei*. Non enim fluunt ex ipsa naturali sanctitate Dei, ut Lex *Moralis*. II. *Instituta cultus*. Hebr. 9: 1. quod pertineat ad certum aliquem cultum externum. III. *Infirma elementa mundi*. Vel στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Gal. 4: 3. Col. 2: 8, 20. IV. *Mandatum infirmum & inutile*. Hebr. 7: 18. Cum sua natura homini nullum solidum bonum adferre possit. V. δικαιώματα σαρκός. Heb. 9: 10. & *Lex Præcepti carnalis*. Hebr. 7: 16. quia sua natura magis respiciebat justificationes & purificationes *carnis*, quam mentis. VI. *Umbra futurorum bonorum*. Hebr. 10: 1. quia tanquam per umbras depingebat & exhibebat bona Novi Testamenti. VII. *Mandata non bona*. Ezech. 20: 25, 26. Male nonnullis *mandata non bona* sunt *impura gentilium statuta*, eorumque *abominationes*, quasi Deus diceret: *Tradidi eos abominationibus Ethnicorum, perversisque suis cogitationibus*. Hoc enim ista phrasis nunquam significat. Sed *dare mandata*, significat *mandata præscribere, jubere* & *inculcare*. Sane eodem modo quo Deus dedit *statuta bona, per quæ homo vivit si faciat ea*, id est *legem moralem, ut & Sabbathum*, eodem modo de-

*Mandata non bona quid?*

dedit & *ſtatuta non bona*, id eſt *legem cærimonialem*, per quam homo vivere non poteſt. Nam eodem modo loquendi utitur hic, ubi de *ſtatutis non bonis*, verſ. 25. ac verſ. 11, 12. ubi de lege *morali* & de *Sabbatho. Juſſit* itaque, *mandavit* & *inſtituit mandata non bona*, legem *cærimonialem*, ut juſſit & inſtituit legem *moralem:* ſed nuſquam legitur, *juſſiſſe* & *inſtituiſſe abominationes gentilium:* Deinde in iſto capite Deus recenſet omnia, quæ fecit Iſraelitis à liberatione ex Ægypto, omniaque enumerat ſtatuta, quæ dedit; ergo & legem *cærimonialem.* Tandem quales ſint iſtæ *abominationes gentium*, quas Deus populo dederit in deſerto, (nam de iis quæ fuerunt in deſerto loquitur) dici non poteſt. Fruſtra dicitur *eos ſerviiſſe Molocho, & filios ſuos ipſi traduxiſſe per ignem*, cum hoc in deſerto factum non ſit, ſed in terra Canaan. 2. Reg. 17: 16, 17. & 21: 3. &c. & 23: 5. Quod autem à Stephano dicantur *portaſſe tabernaculum Molochi*, Act. 7: 43. id aliter intelligi non debet, niſi quod per vitulum aureum, per continua murmura aliaque peccata, ita ſe polluerint, ac ſi revera *Molocho*, (ut poſtea factum eſt in terra Canaan) ſerviiſſent, ejuſque *tabernaculum*, magis quam *Arcam Dei*, tuliſſent. Dicuntur igitur præcepta cærimonialia, *mandata non bona.* (1. quia iſta natura nullam continebant comitatem moralem. (2. quia per eam homo vivere nequit: quemadmodum per præcepta legis Moralis, *quæ ſi homo fecerit vivit in illis.* (3. *Non poterant quoad Conſcientiam conſumare; cum qui præſtabat cultum.* Hebr. 9: 9. (4. Hominem non poterant juſtificare, etiamſi omnia ſervaſſet. *Lex* enim *nihil conſumavit.* Hebr. 7: 29. (5. quia imponebant intolerandum jugum. Matth. 23: 4. Act. 15: 10. nempe *ſervitutem, exprobrationem peccati*, & *metum mortis* &c. Hebr. 2: 27.

*Objectio.*

*Cur ita dicantur præcepta cærimonialia.*

II. Convenit lex *Cærimonialis* cum *Morali.* I. quod eundem Deum *Jeſum Chriſtum* fœderis Sponſorem, & ſummum Diſpenſatorem habuerit auctorem. Nemo enim in rebus Religionis leges ferre poteſt, præter ſolum Deum. II. Quod eundem habuerit *miniſtrum*, nempe *Moſen*, per quem & Lex *moralis* à Deo allata fuit. Et hoc ſenſu dicit Johannes Cap. 1: 17. *Lex per Moſen data eſt*, nempe tanquam *miniſtrum.* De *Lege cærimoniali* iſtum locum intelligi patet, quod *gratiæ* & *veritati* opponatur: cum veræ gratiæ tantum fuerit pictura. Ingens tamen fuit differentia inter Legem *Moralem* & *Cærimonialem.* Nam *Moralis* homini *congenita* eſt, *immutabilis* eſt veramque adfert ſanctitatem & vitam, ſi quis eam obſervet.

*Quo ſenſu lex cærimonialis cum morali conveniat.*

*Differunt leges Cærimoniales & Morales.*

Cum ipsa sit *sancta*, *justa* & *bona*. Rom. 7. At *cærimonialis* lata est post peccatum, præsertim per Mosen in deserto, & sanctitatem internam, in qua consistit vera & solida pietas, vitamque dare non potest, estque *mutabilis*.

*Non quælibet cærimonia facit legem Cærimonialem.*

III. Non existimandum est, quamlibet *cærimoniam* statim facere legem *cærimonialem*: cum nullus cultus externus fieri possit, quin semper adsit quædam *cærimonia* atque ritus. Sub *Promissione* patres habebant suas *Cærimonias*, in peragendas sacrificiis, & post tempora Abrahami in Circumcisione. Et hodie sub *Novo Testamento* habemus nostros ritus in celebrandis Sacramentis. Tamen nec sub *Promissione*, nec sub *Novo Testamento*, legem *Cærimonialem* ullam latam fuisse, dici debet: cum paucæ fuerint Cærimoniæ, raroque observandæ, tali loco & tempore tantaque frequentia, prout ferebat cujuslibet Zelus; præsertim cum nullum unquam habuerint adjunctum jugum, servitutem, maledictionem, metum mortis, & legis severitatem.

*Lex Cærimonialis per Mosen instituta est. Tamen non omnis Cærimonia, per Mosen data, dicenda est Lex Cærimonialis.*

IV. Data igitur est *Lex Cærimonialis* per Mosen in deserto, post exitum ex Ægypto. Tamen non omnes *Cærimoniæ*, quæ à Mose institutæ fuerunt, omni tempore, *Lex Cærimonialis* statim dicenda est. Dedit enim Moses certas quasdam observationes in Ægypto, ut de *Paschate*. Exod. 12. De *Primogenitis* offerendis. Cap. 13. Deinde in deserto, De *Sabbatho*. Cap. 16: 29. De *Tabernaculo* & *vasis sacris*. Cap. 24. De *Sacerdotio Aharonis*, & De *Sacrificio juge*, Cap. 29. De *Siclis*, *Thymiamate* & sacris *Unctionibus*. Cap. 30. Sed quamvis hæc omnia mera fuerint *cærimonialia*, hactenus tamen præcepta, quibus præscribebantur, stricte loquendo, eo sensu, quo Spiritus Sanctus per Legem *Cærimonialem* intelligit totum istud Choragium Cærimoniarum, cum jugo servitutis, & severitate, nondum dicebatur *Lex Cærimonialis*. Adde quod, si quodlibet præceptum de aliqua cærimonia esset statim dicenda *Lex Cærimonialis*, tunc & patres sub Promissione & nos sub Novo Testamento dici deberemus, habere *legem cærimonialem*. Non negamus tamen ea, quæ ante μοσχοποιΐαν fuerunt levia, ut vix *lex Cærimonialis* dici potuerint, qualia sunt *Circumcisio*, *Pascha*, *Oblatio Primogenitorum*, *Sabbathum*, *Tabernaculum*, *Sacerdotium Aharonis*, *Sacrificium juge*, *Siclus*, *Thymiamata*, & *Sacræ Unctiones*, post vitulum aureum reliquis Cærimoniis adjuncta, & in unum quasi fasciculum colligata fuisse, atque unicum tantum corpus cærimoniarum composuisse, ut ad eandem Legem cæri-

cærimonialem ejusque jugum pertinuerint; præsertim quando ista etiam cum reliquis inserviebant exprobrationi peccati, & ubi accessit maledictio, timor, severitas, & absoluta necessitas omnia ista observandi: eodem modo, ut onus aliquod, quod sua quidem natura *leve* est, tamen fit *grave*, & *intollerabile*, si graviori jungatur, præsertim si *conditio*, qua ferri debet, *aggravetur*.

*Lex cærimonialis quid?*

V. Est igitur *Lex Cærimonialis totum istud choragium omnium cærimoniarum, rituum & observationum, quæ adjunctum habent jugum gravissimum, iram, maledictionem, exprobrationem peccati, timorem mortis, quæ omnia a Mose in deserto, post μοσχοποιΐαν, fuerunt, vel repetita, vel de novo mandata, & sub Veteri Testamento observata, cum observationis tanta necessitate, ut nulla promissa fuerit remissio peccatorum, si forte præceptum aliquod neglectum fuisset: ad exprobrandum Israelitis reatum nondum expiatum, ad coercendum & castigandum populum duræ cervicis, & ad redigendum eundem populum sub servitutem; cum propter peccata omnia, tum specialiter propter peccatum commissum in vitulo aureo, & tandem ad deducendum eundem populum, tanquam per pædagogum, ad Christum, per totam istam legem depictum.*

*Data est post μοσχοποιΐαν.*

VI. Igitur *Lex Cærimonialis*, proprie ita dicta, data est à Mose post μοσχοποιΐαν: tunc enim omnes *cærimoniæ*, ante, & post peccatum in *vitulo* commissum, datæ sunt, cum rejectione populi ab altari, excepta sola familia Aharonis, addito horrendo hoc carmine: *Maledictus quicunque non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis;* cum interminatione gravissimæ pœnæ, immo & mortis, si quis vel minimum præceptum transgressus fuisset, etiam in re, quæ, sua natura, nec bona, nec mala est. Et sane *Legem Cærimonialem* datam fuisse post peccatum commissum in vitulo aureo, & in castigationem propter istud peccatum, ad coërcendum populum duræ cervicis, & ad Idololatriam propensum, satis patet ex duris hisce verbis Dei. Exod. 32: 7, 8, 9, 10. *Populus tuus corrupit se, recesserunt celeriter ab ea via quam præcepit illis, fecerunt sibi VITULUM fusilem* &c. *Et dixit Deus Mosi (NB.) Ecce populus duræ cervicis est. Nunc igitur sine me, ut accensa IRA consumam eos.* Eadem repetuntur Ezech. 20: 21, 22, 23, 24, 25. *Rebellarunt contra me* &c. *quapropter dixi, me effusurum* EXCANDESCENTIAM *meam super eos, atque etiam dederam eis* STATUTA NON BONA, *& jura per quæ homo non vivit. Impuros declarans ipsos, cum donis suis, & missos feci omnes aperientes vulvam, & in stuporem dedi eos,*

*Probatur.*

*ut*

*ut experirentur me esse Jehovam.* Et Jerem. 31:32. *Quo die prehendi manum eorum, ut eos educerem ex Ægypto; nam ipsi irritum fecerunt fœdus meum, & ego dominatus sum in eos,* ἠμέλησα αὐτῶν *neglexi eos,* exponente Paulo, Hebr. 8: 9. post LXX. interpretes. Idem docet Paulus Gal. 3: 19. ubi dicit: *Legem additam esse propter TRANSGRESSIONES, usque quo veniret semen illud, cui facta est promissio.* Ista sane est Lex *cærimonialis*, quæ *mansit usque quo veniret semen* promissum, id est Jesus Christus. Lex autem *moralis* in æternum manet. Illæ autem *transgressiones*, propter quas *lex* cærimonialis *addita est*, præcipua erat μοσχοποιΐα. Ideo *Lex cærimonialis* dicitur *littera occidens*, 2. Cor. 3: 6. & *Ministerium mortis & condemnationis.* vers. 9. Idem quoque docent Judæi ipsi; quamvis alias in observandis cærimoniis satis sint superstitiosi, fatentur nihilominus populum ab altari rejectum fuisse propter Idololatriam, tribum autem Levi admissam esse, quod idem peccatum non commiserit. *Cod. Chagiga.* Cap. 1. Et *Sanhedrim Gemara.* cap. XI. Fol. 102. fatentur Deum hactenus quotidie populum suum punire propter *vitulum. Nulla venit calamitas in mundum, in qua non sit vigesima pars vituli istius primi, uti dictum est* (Exod. 32: 34.) *& in die visitationis visitabo super eos peccatum eorum.* Ita & Rabbi *Gadalia* in *Schalschelet Hakkabala. Israeli necessarios fuisse Mediatores, propter Remissionem peccati in vitulo commissum.* Ut gravius peccatum à Judæis non agnoscatur, eo quod in vitulo aureo commissum est. Shab. Hierus. f. 3. *Ad conclave Chanina accesserunt Schamæani & Hilleliani, Dirus fuit iste dies, instar diei quo factus est vitulus aureus.* Et codice *Rosch Haschana* cap. 3. §. 2. dicitur: Omne cornu adhiberi posse ad Tubam, præter cornu vaccæ: quod (ut explicat Glossa) *peccaverit Israel in vitulo.* Eadem docet Justinus Martyr. *Dialogo cum Triphone.* ἐφ' οὗ ἄδικος καὶ ἀχάριστος εἰς τὸν Θεὸν ὁ λαὸς ἐφάνη ἐν τῇ ἐρήμῳ μοσχοποιΐας ὅθεν ὁ Θεὸς ἁρμοσάμενος πρὸς τὸν λαὸν ἐκεῖνον, καὶ θυσίας φέρειν, ὡς πρὸς ὄνομα αὐτοῦ, ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε. *Sub quo* (nempe *Mose*, de quo loquutus fuerat) *injustus & ingratus erga Deum populus vester apparuit, vitulo in deserto facto. Unde Deus ad populum illum se accommodans, sacrificia tanquam nomini suo offerre jussit, ut simulacra non coleretis.* Ibidem alia multa reperies, quæ huc faciunt. Videatur etiam *Irenæus* de *Creatione* libr. 4. cap. 28. & 29. Nihil nunc dicam de *Galatino*, libr. X. & XI. de *Kimchio* qui etiam docet: *Deum tot præcepta non dedisse, nisi populus in deserto peccasset*: uti jam ab aliis observatum est.

VIII.

VII. 1. Non sequitur: ante *μοσχοποΐαν fuisse Legem Cærimonialem; quia ante Idololatriam in vitulo aureo, Sacerdotium Aharonis jam fuit institutum, & quidem ut in Tabernaculo administraret Aharon cum filiis suis.* Cum I. ante μοσχοποΐαν reliquæ familiæ à Sacerdotio nondum rejectæ fuerint: nam ad ista tempora reliquæ familiæ sacrificarunt æque ac Aharon cum sua familia; ut sacrificium *Tabernaculi* tantum Aharoni datum fuerit; non autem reliqua, quæ fiebant alibi. 2. Præter *sacrificium juge*, adhuc nullum fuit certum & determinatum aliquod sacrificium, ad certum locum & tempus restrictum, nec ob certa peccata, certis personis injunctum. Sed & loca & tempus & ipsa sacrificia hactenus fuerunt *libera*, ut fierent à patribus familiarum, & à primogenitis, ut quilibet pro pio Zelo & libertate offerret, tali tempore & loco, quando & ubi vellet. At vero post peccatum in vitulo aureo totum sacerdotium soli familiæ Aharonis traditum est, rejectis reliquis familiis omnibus, sub pœna mortis. *Quicunque* זר *extraneus* (זר significat quemlibet, etiam Judæum, qui non est ex familia Aharonis) *accesserit, morte punietur.* Num. 1: 51. & 3: 10. *Deus* tunc *omnes declaravit impuros, cum suis oblationibus, & omnes primogenitos*, quibus hactenus sacerdotium relictum fuerat, *traduxit*, id est *abire eos fecit*, & ab altari arcuit, adeoque *neglexit eos.* Ezech. 20: 25, 26. Hebr. 8: 9. Tunc non amplius sacrificari licuit alibi extra Tabernaculum; sed ad certum *locum* & *tempus* adstricti fuerunt, & ob *certa peccata* certa *sacrificia* erant offerenda. Et tanta quidem cum necessitate, ab eo tempore, cærimoniæ erant observandæ, ut *maledictus* haberetur qui vel minimum ritum neglexisset, ac nulla ei speranda esset remissio peccatorum; Immo timenda fuisset gravissima pœna & subita mors; qualia exempla habebant in homine colligente ligna Sabbathi, quare lapidatus est. Num. 15: 35. In *Core, Dathane* & *Abiramo*, qui sibi eandem sanctitatem arrogaverunt, qualem antea habuerunt, & qualis nunc Soli Aharoni ejusque filiis concessa fuit, ut auderent sacrificare æque ac Aharon: quare à terra absorpti sunt. Num. 16. In Civibus *Bethsemitis*, quorum ceciderunt ultra quinquaginta millia, quod introspexerint tantum in Arcam. 1. Sam. 6: 19. Et in *Uza*, qui cecidit mortuus, quod Arcam tantum attigerit, 2. Sam. 6: 6, 7. Tandem in *Ozia Rege*, qui lepra percussus fuit, quod thuribulum attigerit, ut thymiamata offerret. 2. Chron. 26: 17. &c. Eo respexit Paulus Hebr. 10: 28. *Si quis transgressus fuerit legem Mo-*

Solvuntur argumenta contraria.

*ſis, moriebatur ſine miſericordia* &c. vide Hebr. 2: 2. &c. Hinc in continuo *timore mortis fuerunt per totam vitam ſuam.* Hebr. 2: 15. quare habebant *ſpiritum ſervitutis, ut eſſent in metu.* Rom. 8: 15. II. Nihil facit ad rem: quod *temporibus Adami ſacrificatum ſit, forte ab ipſo Adamo, quod colligi poſſe videtur.* Gen. 3: 21. Coll. Lev. 7: 8. *A Caino & Abele.* Gen. 4: 3, 4. *à Noacho.* Gen. 8: 20. *à Melchizedeco, Abrahamo, Jobo;* addamus omnes *Iſraelitas,* præſertim *primogenitos* ante Moſen ſacrificaſſe: addamus multas cærimonias alias, veluti *Paſcha, oblationem primogenitorum, Sabbathum, Tabernaculum, vaſa ſacra, Sacrificium juge, Siclum, thymiamata,* & *ſacras unctiones,* quæ jam erant mandata per Moſen ante μοσχοποιΐαν, uti ſupra oſtendimus theſ. IV. nihilominus tamen nondum fuit prohibitum, quare & reliqui Iſraelitæ alibi, ubi voluerunt, offerrebant. Nondum reliqui erant declarati *impuri,* & *ab altari rejecti,* ſi quis alibi quam in tabernaculo vellet ſacrificare. Notandum quoque eſt, quod poſt μοσχοποιΐαν additæ ſint infinitæ aliæ *cærimoniæ,* & ſacrificia, de quibus ante peccatum in *vitulo* nihil auditum fuit. Veluti Lex de obſervatione *dierum, noviluniorum, Sabbathi annui,* de *Purificatione annua, decimo die Tiſri;* quum Pontifex Max. cum ſanguine intraret in S. Sanctorum. De *Sacrificiis expiatoriis* ob impuritatem legalem, de *Munditie* & *purificationibus carnis, lotionibus,* de *Lepra hominum* & *ædium,* de *puerperio,* de *Profluvio, Gonorrhea, Menſtruatis,* de *Re cibaria* & *diſcrimine ciborum;* de *Re veſtiaria,* de *Mixturis* in *Arboribus,* in *ſatis,* in *animalibus,* de *aſcenſione* Hieroſolymas ter ſingulis annis, & id genus infinita alia. Hiſce adde quod tunc demum auditum fuerit horrendum hoc carmen: *Maledictus quicunque non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Deut. 27. Gal. 3. Et ab ipſo tempore, ob rem etiam leviſſimam, morti erant obnoxii, ut jam modo ad argumentum præcedens probavimus. III. Non ſequitur Eccleſiam ſub Promiſſione ulli *ſubjectam fuiſſe maledictioni, quod circumciſio adjunctam habuerit comminationem.* Gen. 17: 14. Nam 1. illa *comminatio* cum ipſa circumciſione audita eſt tantum tempore Abrahami, antea ignota fuit. 2. Locum habebat in ſola familia Abrahami, reliqui populi omnes ab ea liberi remanebant. 3. Unica tantum erat comminatio, ad unam tantum legem, quæ non imponit jugum, alias dicendum eſſet, & ipſum Adamum in ſtatu integritatis fuiſſe ſub *maledictione,* ipſique jugum fuiſſe impoſitum, quia ei data erat lex de non comedendo fructu ali-

quo,

quo, cum addita comminatione mortis. Tandem 4. ſub Veteri Teſt. *maledictio quotidie audiebatur*, ob peccata innumera: Veluti ſi quis morbo laboraſſet, quemadmodum lepra, gonorrhea profluvio, ſi mortuum tetigiſſet, aut aliam rem immundam, ſi veſtem duplicis materiæ geſtaſſet, ſi comediſſet, bibiſſet, ſi tempora, novilunia & Sabbatha non obſervaſſet, ſi lotiones, ſacrificia, & cærimonias infinitas neglexiſſet, aut non rite obſervaſſet. Hoc proprie dicitur, *eſſe ſub maledictione*, & *impoſitum habere jugum*. Hoc autem nunquam habebat locum, niſi ſub veteri Teſtamento, & poſt μοσχοποιίαν. IV. Gratis dicitur; jam tempore *Noachi fuiſſe diſcrimen animalium*, quod probari poſſe putant ex Gen. 7: 2. aut etiam Cap. 8: 20. cum ibi per animalia *immunda* nihil aliud intelligatur, quam iſta animalia quæ ſunt macilenta, ſaporis ingrati, quæ parum nutrimenti habent, aut etiam quæ nocent, aut ſunt venenata; qualia ſunt *equi*, *aſini*, *canes*, *feles*, *mures*, *ſerpentes*, *noctuæ*, *ciconiæ*, *hirundines*, *glires*, *leones*, *lupi*, *vulpes* & id genus alia, quæ & hodie, tanquam impura, adverſamur, quamvis ea ſine peccato comedere poſſimus, ſi velimus, quemadmodum & ante tempora Moſis patres iis veſci poterant ſine peccato. Sed quid hæc ad *legem cibariam?* Lev. 11. & Deut. 14. V. Nimis dilutum eſt ſi dicatur: *ante Moſen certos fuiſſe Sacerdotes*, *Noachum*, *Melchizedecum*, *Abrahamum*, *Jobum & Primogenitos*, immo & *ſacrificia*, *& altaria deſignata*, *& Sabbatha*. Cur non inde colligimus, omnes patres familiarum & Primogenitos fuiſſe Sacerdotes? nemo enim tunc ab altari fuit remotus. *Melchizedecus* fuit Sacerdos extraordinarius, quia erat ſpeciali modo typus Jeſu Chriſti, uti docet Paulus Hebr. 7. An reliqui fideles à ſacerdotio arcebantur, quemadmodum poſt μοσχοποιίαν factum eſt? Ex ſacrificiis Gen. 4: 3, 4. patet tunc omnibus fuiſſe licitum ut ſacrificarent. *Altare Noachi* Gen. 8: 20. non fuit *deſignatum* populo, ad quod omnes convenirent; quilibet poterat ſibi ædificare altare quovis loco. An forte ibi fuit אהל מעד *tabernaculum aſſignationis?* quis hoc auſit adfirmare? Nulla tunc fuiſſe *Sabbatha* oſtendimus Cap. V. ubi fuſe de *Sabbatho* egimus. Sed ſi hæc omnia concederemus, tamen nondum fuiſſet *Lex Cærimonialis*, quæ *jugum imponeret*, quæ reliquos à rebus ſacris arceret; Nulla *maledictio*, nulla neceſſitas hæc præciſe *hoc die*, pro *tali peccato*, *tale ſacrificium* offerendi, ſub *timore mortis*. Sed omnia fuerunt *libera*, pro voluntate, & pio zelo cujuslibet. VI. Quamvis *Deum exoratum*

*Quid ſit eſſe ſub maledictione?*

*legamus post peccatum in vitulo.* Exod. 32: 7. & 33: 12. non sequitur tamen; eum in castigationem istius peccati non dedisse multa præcepta gravia, & *non bona.* Exoratus fuit, ne eos ut judex puniret & prorsus perderet, sed non ita, ut eos non aliqua ratione castigeret. Videatur idem locus. Deut. 32: 7, 8, 9, 10. Ezech. 20: 21. . . . 25. Jerem. 31: 32. Hebr. 8: 9. Gal. 3: 19. Rom. 4: 15. VII. Verbum Dei videntur parum meditati, qui dicunt, *ante Mosen fuisse jugum δυσβάστακτον:* cum *jugum* proprie sit continuus *timor mortis*, ob minimam violatam cærimoniam, quam etiam, per infirmitatem humanam, aliquando non poterant non violare, cum maledictione, & ingenti cærimoniarum numero, quæ omnia ante Mosen non exstiterunt. VIII. Falsum est, quod *Deus dederit mandata non bona, ob violatam legem cærimonialem.* Nec probatur ex Ezech. 20: 12, 13, 16, 21, 24. ibi enim intelligitur *Lex moralis*, per quam *homo potest vivere*, & *Sabbathum* tantum. Sed si vel maxime intelligerentur quædam *cæremoniæ*, quas violassent in deserto, tamen Deus poterat ipsis in castigationem plures & graviores imponere. IX. Quamvis *omnes cærimoniæ non datæ sint statim post decalogum, & post μοσχοποιΐαν, sed aliquo tempore post*, nihilominus tamen poterant dari in castigationem illius peccati. Tempus non mutat naturam rei. X. Quamquam Ezechiel cap. 20: 18, & 19. *faciat mentionem de peccatis filiorum, & tum demum subjungat: dedit ipsis mandata non bona:* inde tamen non sequitur: *ista mandata non fuisse data ipsis etiam eorum patribus in castigationem peccati in vitulo.* Nam 1. potest verti נתתי per *dederam*, ut fert textus Hebræus. Ut prius vers. 11, 12. loquutus sit Ezechiel de peccato *patrum*, postea de iniquitate *filiorum*, com. 18, 19. & tandem versu 25. revertatur & exponat, quid Deus fecerit, & quomodo castigaverit *patres.* 2. Patribus & filiis simul data sunt. Meruerunt enim patres & filii, ut quotidie aggravarentur, quemadmodum postea factum est, per istos quos Deus ipsis dederat מחקקים & משלים Deut. 25. qui fecerunt סיג של תורה *sepimentum lege*, quo jugum indies gravius factum est. Vide Matth. 23. Tandem 3. ista lex de *mandatis non bonis* data fuit filiis magis quam patribus, quia filii eam maxime erant exequuturi in terra sancta; cum in deserto à patribus ita observata non sit, nec potuerit ita observari. XI. Fatemur *leges Dei esse fideles, ac bona statuta ac præcepta.* Nehem. 9: 13. sed quid vetat, quo minus ibi intelligamus legem moralem? dicitur enim data ex *Monte Sinai.*

Sed

Sed si ipsa etiam præcepta cærimonialia sub istis statutis & præceptis comprehendamus; tunc sequeretur quædam, nempe legem *Moralem*, continere *præcepta bona*, quædam *non bona* esse *mandata*, nempe legem *cærimonialem*. XII. Tandem non sequitur: si *leges cærimoniales habebant aliquam σχέσιν Evangelicam, ut depingerent gratiam Dei, per Jesum Christum, eas non potuisse dari in castigationem peccati in vitulo.* Poterant enim habere duplicem σχέσιν, primo quidem *Evangelicam*, sed secundo maxime *legalem*. Nam ut ut repræsentaverint Jesum Christum, nihilominus tamen erant jugum ἀβάστακτον. Act. 15. quod nemo negabit. Poterat populus ad Christum adduci absque tanto jugo, uti sub *Promissione* factum fuerat.

VIII. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, constat qualis fuerit verus *usus* legis *cærimonialis*. I. *Ut Deus IRAM suam ostenderet, castigando populum propter horrendum istud peccatum, quod sibi vitulum colendum fecerint, eodem tempore, cum Deus promulgaret legem moralem, legem bonam, sanctam & justam,* Rom. 7. *tanquam perfectissimam normam sanctitatis, quam debuissent observare, ad testandum gratum animum, pro tot beneficiis, maxime quod eos liberavit ex tyrannide Pharaonis atque Diaboli.* Nam *fecerunt sibi vitulum, quare IRA ejus accensa est.* Exod. 32: 7, 8, 9, 10. *Rebellarunt contra eum, quapropter dixit Deus, effusurus sum* EXCANDESCENTIAM *meam super eos, consumando* Iram *meam contra eos in deserto.* Ezech. 20: 20. &c. Digni quidem fuerunt, ut Deus eos plane exterminaret; sed pepercit eis, & IRAM exercuit, eos tantum castigando per *statuta non bona*, sive per legem *cærimonialem*, tanquam gravissimum *jugum servitutis.* Paulus eodem respexit Rom. 4: 15. ubi dicit: *Lex operatur* IRAM, quare & lex dicitur *litera occidens*, 2. Cor. 3: 16. & *Ministerium mortis & condemnationis.* vers. 9. Sed quomodo negari potest, Deum dedisse in *ira sua* istam legem cum imposuerit jugum δυσβάστακτον *difficile portatu*, immo ἀβάστακτον *insupportabile*, quod sanctissimi etiam Apostoli ferre non poterant, & à quo omnes sancti tantopere desiderabant liberari?

*Usus Legis Cærimonialis.*

*I. Usus ut Deus Iram testaretur.*

IX. *Usus* II. Legis *cærimonialis* est, *ut Deus, cum hoc peccatum, in vitulo aureo commissum, tum reliqua omnia, iis quotidie exprobraret.* Hoc autem fieri solebat, quando per novilunia, dies festos, & Sabbatha arcebantur ab operibus, quæ alias sua natura sunt licita. Quando arcebantur à rebus sacris, tanquam impuri, præsertim autem quando videbant cruorum victimarum effundi, victimasque

*II. Usus, ut exprobraretur.*

in altari pro se consumi. Tunc vera fiebat *ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν.* Hebr. 10: 3. *Chirographum contra seipsos scribebant.* Col. 2: 14. Quare etiam *peccata* populi, per sanguinem tot victimarum *scripta* dicuntur *ad cornua altaris.* Jer. 17: 1. Immo se ipsos pronunciabant *maledictos*, canendo horrendum hoc carmen. *Maledictus quicunque non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. 27. Nemo enim erat, qui non quotidie contra legem peccaverit. Ergo nemo qui non quotidie hoc carmen contra seipsum cecinerit.

*III. Usus erat, ut Judæi à reliquis populis discernerentur.*

X. *Usus* III. Legis *cærimonialis* erat; ut *discernerentur Judæi a reliquis populis.* Quum enim Deus Judæis daret hanc Legem, tunc reliquis populis dedit quasi libellum divortii. Primo enim usque ad tempora Mosis ex omnibus gentibus quidam servabantur, ut patet ex *Melchizedeco*, ex *Jobo*, *Elihu* & aliis. Sed postea salus ad Israelem restricta fuit. Hinc *murus* erat *intermedius*, inter utrumque populum. Eph. 2: 14. & *inimicitia.* vers. 15, 18, 19. Præsertim autem jubebantur nullam colere amicitiam cum *Moabitis* & *Amonitis*, ac septem populis Canaan. Deut. 23: 4, 5, 6, 7. Hæc *inimicitia* valde augebat servitutem Israelitarum eosque angebat, cum veri fideles sine magno dolore non potuerint videre rejectionem gentium, quandoquidem *hæreditatem totius mundi* Abrahamo promissam noverunt, & quotidie serio desiderabant. Nec erat discrimen tantum, inter *Judæos* & *reliquas gentes*; sed & inter ipsos *Judæos*, quamdiu fuerunt sub lege cærimoniali: alii enim alios superabant *cognitione*, *auctoritate*, immo & *sanctitate cærimoniali.* Omnibus sanctitate præferebatur *Pontifex Maximus.* Deinde tota turba *Pontificum.* Tertio Levitæ, & tandem *Israelitæ.* Et inter Israelitas quidem iterum sanctiores censebantur *viri*, quam *fœminæ*, quare eorum atrium propius erat atrio sacerdotum; mulierum autem atrium remotius. Hinc distinctio ista, non tantum inter *Judæos*, *Græcos* & *Scythas*, sed & inter *marem* & *fœminam.* Gal: 3: 28. Coram Majestate Dei in *Sancto Sanctorum* comparere poterat solus *Pontifex Maximus.* In *Sancto* reliqui *Sacerdotes.* In *atrio* suo stare debebant *Levitæ*; reliqui *Israelitæ* in *atrio remotiori*, in *remotissimo* autem *mulieres*; ut semper *Sacerdotes* haberent, tanquam *Mediatores*, stantes inter Deum & populum: ut *pro populo peragerent apud Deum ea quæ peragenda erant.* Hebr. 5: 1. dum reliquis Israelitis ademptum esset jus accedendi ad Deum. Cum enim Christus, verus Sacerdos, nondum venisset, ut omnibus electis daret *παῤῥησίαν* accedendi ad Deum, *via etiam ad sancta nondum patefacta fuit.* Heb. 9: 8.

XI. *Usus*

IV. *Usus ut Judæi sub pædagogiam redigarentur.*

XI. *Usus* IV. Legis *cærimonialis* erat, ut *Populus Judaicus tanquam minor annis redigeretur sub Pædagogiam, ad coercendam ejus proterviam, & emolliendam duram ejus cervicem.* Quamvis igitur Judæi revera fuerint *Filii Dei*, per Jesum Christum, & *hæredes omnium*, tamen toto isto tempore œconomiæ Veteris Testamenti, quamdiu obtinebat Lex cærimonialis, non *sunt habiti ut filii*, sed potius *ut servi*, sub *Pædagogis*, *Tutoribus* ac *Patribus Carnis*, qui eos castigabant κατὰ τὸ δοκȣ̃ν αὐτοῖς. Hebr. 12: 10. Unde & *Spiritum servitutis*, non filiorum habuisse dicuntur. Rom. 8: 15. & fuisse *infantes sub elementis mundi; habitos ut servos, ut ut hæredes fuerint omnium.* Gal. 4: 1, 2, 3, 4. Et ipsa Lex ideo eorum *Pædagogus* vocabatur. Gal. 3: 24. Hinc ut gravior foret eorum servitus, & ut Lex exactius observaretur, Deus ipsis dedit משלים *dominatores*, per quos *in eos dominaretur.* Jer. 31: 32. 2. Sam. 23: 3. Jer. 22: 30. & 33: 26. 2. Chron. 23: 20. שפטים *Judices.* Deut. 17: 8, 9, 12. מחקקים *Legislatores.* Gen. 49: 10. *Pædagogos & Tutores.* Gal. 3: 24. & 4: 1. &c. *Principes seculi.* 1. Cor. 2: 6, 8. *Deos dictos.* Psal. 82: 6. Joh. 10: 35. 1. Cor. 8: 5. *Patres carnis.* Hebr. 12: 10. Matth. 23: 9. 1. Cor. 4: 15. *Dominos.* 1. Cor. 8: 6. *Rabbi*, *Magistros* & *Doctores.* Matth. 23: 7, 8, 13. Tales præsertim erant tempore Christi Patres כנסת הגדולה *Magni Synedrii*, qui habebant potestatem, non tantum exponendi legem, sed & ponendi סיג של תורה *sepimentum legi*, id est condendi novas leges, quascunque vellent, modo Legi Mosis non essent contrariæ. Cujus rei exempla habemus circa *lepram*, & circa *Decimationem aneti, cumini, & omnium olerum.* Matth. 23. Ita statuebant de *itinere Sabbathico.* Actor. 1: 12. De *Noviluniis*, adeoque de præciso die, quo debebat celebrari *Pascha*, reliquique *dies festi* omnes, qui novilunia sequebantur. De *Mactatione*, de re *cibaria*, de *lotione* & id genus infinita, alia, quæ omnia, inquam, à populo observari debebant, cum Legi Mosis non fuerint contraria. Quod & ipse Servator noster approbavit & inculcavit, stante adhunc Veteri Testamento, Matth. 23: 2. *Sedent*, inquit, *in Cathedra Mosis, quæcunque jusserint, facite ea.* Quæ verba Christi fundata sunt in lege Dei. Deut. 17: 11, 12. Ideo singulis annis solebat fieri expiatio pro peccatis magni Synedrii, si forte peccaverint patres in exponenda Lege. Maimon. Hilch. Schegagah. cap. 12. Nec tantum explicabant Legem novasque condebant, sed & eas inculcabant, & simul exequutionem habebant, & potestatem immorigeros, etiam

ob

ob delicta per se levia, gravissime puniendi. Deut. 17: 12. Hebr. 10:28. Et hinc gravius quidem factum est jugum Legis cærimonialis: ut revera populo imponerent onus *δυσβάστακτον difficile portatu.* Matth. 23: 4. immo plane *ἀβάστακτον intollerabile.* Act. 15: 10. Atque ita fideles erant sub φρουρᾷ *custodia.* Gal. 3: 13. Sed hæc nemini clarius patent, quam ei qui in lectione Talmudis versatus est.

*V. Usus erat, ut adduceret ad Christum.* XII. V. *Usus* Legis *cærimonialis* erat, non tantum ad demonstrandam iram Dei, in exprobrandis peccatis, & in castiganda duritie cordis: sed & *ad demonstrandam gratiam suam:* quatenus tota Lex *cærimonialis*, ut ut fuerit durum jugum, tamen depictum quoque continebat, & exhibebat venturum Messiam Jesum Christum ejusque mortem, resurrectionem, omniaque beneficia, per mortem Christi acquirenda. *Novilunia, Festa* & *Sabbatha* notabant requiem spiritualem, per liberationem à servitute legis, quietemque æternam. *Locus* & *Templum* ostendebant ipsum *cælum*, sed & *Ecclesiam Novi Testamenti*, in monte altissimo, adeoque per totum mundum conspicuum, & ad quem suo tempore confluerent omnes gentes totius mundi. Es. 2: 2. *Sacerdotes*, præsertim *Pontifex Maximus*, repræsentabat unicum & verum *Sacerdotium* Jesu Christi Hebr. 7. *Victimæ* earumque *cruor* ob oculos ponebant mortem & sanguinem Christi, ad expiandum reatum, & ad acquirendam perfectam ἄφεσιν peccatorum. *Purificationes* & *Lotiones* depingebant munditiem, & purificationem ab omni peccato, per sanguinem Jesu Christi. Hinc præcepta Legis cærimonialis dicuntur: *Umbra futurorum, quorum corpus est Christus.* Col. 2: 17. *Umbra futurorum bonorum.* Hebr. 10: 1. Et tota Lex vocatur *Pædagogus ducens nos ad Christum, ut per eum justificaremur.* Gal. 3: 24, 25. Et Christus ipse, ob eandem causam, dicitur *finis Legis.* Rom. 10: 4. quia tota Lex unice ad Christum collineabat, & homines ad eum adducebat. Hunc ultimum usum habuerunt omnes cærimoniæ & sacrificia, quæcunque illa fuerint, sub Promissione & ante Mosen, non minus quam post Mosen. Sed quatuor priores usus locum habebant sub Veteri Testamento tantum. Hactenus de Lege *Morali* & *Cærimoniali*, sequitur *Lex Forensis.*

*Lex forensis.* XIII. Sub Veteri Testamento, præter Legem *Moralem*, & *Cærimonialem*, Deus dedit etiam legem *Forensem.* Nam quemadmodum omnes populi suas habebant Leges *municipales* & sibi peculiares, ita & populus Judaicus. Quare Lex *Forensis* fuit *positiva*, non minus

minus quam Lex *Cærimonialis*, quemadmodum apud reliquos populos. Hæc tamen differentia animadverti debet; quod, cum apud nos omnesque reliquos populos, leges *forenses* sint juris positivi *humani*, apud Judæos fuerint juris positivi *divini*. Non enim fuerunt mera placita & decreta hominum, sola auctoritate principum data; sed ab ipso Deo lata, & auctoritate *divina* sancita, non minus quam Lex *Moralis* & *Cærimonialis*. Habuit igitur Lex *forensis* eundem auctorem quem habent *Moralis* & *Cærimonialis*, ipsum Deum, eundemque Ministrum *Mosen*. Data enim fuit per Mosen, post exitum ex Ægypto in deserto, quam promulgaretur Lex *Moralis* & *Cærimonialis*. Ut nec ipsi Reges apud Judæos, nec supremus Senatus istas leges mutare potuerint; adeoque *absolutam potestatem legislationis* non habuerint, quemadmodum reliqui Principes: cum fuerint *leges divinæ*, quare etiam Respublica Judaica non male Θεοκρατεία dicta est. Non poterant enim mutare, nec aliam ferre legem *cibariam*, *vestiariam*, *agrariam*, *juris leviratus*, *divortii*, & id genus alia bene multa.

*Lex forensis quid?*

XIV. Erat igitur Lex *Forensis*; *consectarium aliquod Legis Moralis exigens certa quædam officia, partim generalia & omnibus gentibus communia, partim populo Israelitico peculiaria, ad conservandam societatem in isto populo necessariam: veluti de jure Regio & subditorum, de dominio & servitutibus. De Matrimonialibus, de Contractibus, de emptione & venditione, de damnis, de præmiis & pœnis*, & id genus alia.

*I. Usus legis forensis, ut peccata omnia puniret.*

*II. Usus certis peccatis nunciabat execrationem.*

XV. Duplicem autem habebat *usum* Lex *Forensis*. Alium *sibi peculiarem*; alium cum lege *Cærimoniali communem*. I. Sibi *peculiarem* habuit, quatenus scelera contra legem Moralem & Cærimonialem gravissime puniebat, & è medio populi tollebat, atque ad obedientiam, omnibus legibus debitam, cogebat. II. Cum Lege *Cærimoniali communem* usum habuit; quatenus certis quibusdam peccatis execrationem & maledictionem nunciabat, veluti *suspensio è ligno*: quo notabatur peccatum nondum expiatum fuisse, sed expiationem adhuc exspectari. Deut. 21: 23. Deinde distinguebat populum *Judaicum* à reliquis *gentibus*. Deut. 23: 2. &c. Nehem. 13: 1. Es. 56: 6, 7. Ideo III. Lex *Forensis*, non minus quam *Cærimonialis*, aliquando *ad Christum ducebat*. Nam veri fideles inter Judæos continuo anhelabant serio, ut ab ista maledictione liberarentur, & ut pacem colere cum omnibus nationibus possent, ardenter desiderabant. Sperabant igitur fore, ut, per Messiam promissum,

*III. Nonnunquam ad Christum ducebat.*

omnis inimicitia & murus intermedius tolleretur. Ephes. 2. & ut *Christus* istarum legum maledicentium, & inimicitiam jubentium futurus esset *finis*. Rom. 10: 4.

*Custodes legis forensis iidem qui & Cærimonialis.*

XVI. Lex *forensis* eosdem habuit *custodes* atque *vindices*, quos habuit *Moralis* & *Cærimonialis*. Nempe eosdem *Moschelim*, *Mechokkekim* &c. de quibus thesi XI. egimus. Nam hi non minus Legi *forensi* quam *Cærimoniali* faciebant aliquod *sepimentum*, quo exactius observaretur. Nisi quod in certis quibusdam rebus (ex. gr. in *lepra* & aliis *purificationibus*, rebusque *dubiis*, quæ legem *Cærimonialem* magis tangebant) *Sacerdotes* essent consulendi, non reliqui judices omnes. Eodem etiam rigore cogebantur ad observantiam Legis *forensis*, quo & ad observantiam Legis *Cærimonialis*. Deuter. 17: 11, 12. Hebr. 2: 2. & 10: 28. & 12: 9.

*Quamdiu durare debuerit?*

XVII. Lex *forensis*, quemadmodum & *Cærimonialis* durare debuit tantum, quamdiu stabat Respublica Judaica, & cultus Aharonis, ad tempora usque Messiæ: adeoque solum populum Israeliticum obligavit, non reliquas nationes. Sequitur itaque fideles, sub Novo Testamento, lege *forensi* Judæorum hodie non teneri: nisi respectu mandatorum, quæ ex ipsa lege *naturali*, sive *morali* fluunt. Ergo quidquid in Lege *forensi* continetur, quod ex ipsa tamen lege naturali clare deduci non potest, illud censendum est, solis Judæis fuisse mandatum, nos autem, post abolitam istam Rempublicam, nullo modo tangere. Sed de his plura, ubi de *Abolitione Veteris Testamenti*.

## LOCUS XVIII.

### *De Verbo, Sacramentis, Ecclesia & Regimine Ecclesiastico sub Veteri Testamento, Veterisque Test. abolitione.*

## CAPUT X.

### *De Verbo & Sacramentis sub Vet. Testamento.*

I. ANtequam de *Abolitione Veteris Testamenti* agamus, quædam nobis dicenda erunt de *Verbo* & *Sacramentis* sub Veteri Testamento. Quod *verbum* attinet, ubi de Scriptura egi-

egimus, ostendimus verbum Dei aliud esse ἄγραφον aliud ἔγγραφον. Demonstravimus prius obtinuisse usque ad tempora Mosis, cum Deus se patefaceret patribus per *vivam vocem*, per *visiones*, per *somnia* & per *Angelos*. Temporibus autem *Mosis* datum fuisse ἔγγραφον, sive *scriptis traditum*. Et primo quidem per Mosen datæ sunt leges *Moralis*, *Cærimonialis* & *Forensis*, de quibus jam egimus: quæ continentur in quinque ejus libris, qui & ob numerum *Pentateuchus* vocantur. In iisdem libris reperiuntur etiam, non tantum illustrissimi *typi* & *picturæ*, sed & clarissimæ *prædictiones* ac *Prophetiæ* de venturo Messia Jesu Christo, Filio Abrahami. Uno verbo, continent totam doctrinam Christianam, & veram fidem. Post Mosen addita sunt scripta Prophetarum θεοπνεύστων, qui instinctu Spiritus Sancti loquuti sunt, non minus ac Moses, eandemque doctrinam & fidem in Christum docuerunt, usque ad tempora Malachiæ, post liberationem ex captivitate Babylonica, à quo tempore nullum verbum scriptum amplius traditum est.

*Verbum sub Veteri Testamento.*

II. *Sacramenta* sub Veteri Testamento præter *Sacrificia*, (quæ, uti diximus, non tantum jugum imponebant, cum reliquis *Cærimoniis*, sed & simul ad Christum adducebant, adeoque tot fuerunt typi & Sacramenta mortis Christi in remissionem peccatorum) duo fuerunt, *Circumcisio* & *Pascha*. De *Circumcisione* egimus, ubi examinavimus primam OEconomiam sub *Promissione*. Ostendimus enim *Circumcisionem* institutam fuisse à Deo, jam temporibus Abrahami, qui omnium primus circumcisus est. Docuimus ibi quoque *Circumcisionem* non fuisse *Sacramentum* totius Ecclesiæ sub Promissione, sed solius familiæ Abrahami: nec *jugum* fuisse istis temporibus, quia sola, cum tam paucis cærimoniis, quales obtinebant sub *Promissione*, non poterat esse valde gravis. Sed sub Testamento Veteri, revera jugo adnumerari potest, cum colligata sit cum reliquis omnibus cærimoniis, cum tota mole ac choragio isto rituum & mandatorum carnalium, cum maledictione, cum rudibus Magistris & exactoribus, ut revera factum sit jugum ἀβάστακτον. Act. 15. Sed de *Circumcisione* ibi satis, nunc de *Paschate*.

*Sacramenta sub Vet. Testam.*

III. *Pascha* Hebraice פסח *Pesach* notat *transitum*, à *transitu Angeli destructoris* transientis ædes Israelitarum, ne occideret eorum primogenitos, quemadmodum occiderat primogenitos Ægyptiorum. Exod. 12: 13. Est igitur *Pascha Sacramentum* & *Sacrificium* simul Veteris Testamenti, institutum à Mose in Ægy-

*Pascha Hebraice* פסח.

 pto,

pto, & postea observatum, durante OEconomia Veteris Testamenti; ubi singulis annis, decimo quarto mensis *Abib* vel *Martii*, circa vesperam Patres familiarum offerebant agnum, in Templo Hierusalemitano, & quidem in Sacerdotum atrio Templi jugulabatur, vel ab Israelita, vel à Levita, vel à Sacerdote, sanguis autem excipiebatur à Sacerdote, & ad altare aspergebatur, adeps & intestina in altari comburebatur ab iisdem Sacerdotibus Inde domum deferebatur, assabatur, & totus, sine ulla fractione ossium, à certo numero hominum masculorum, comedebatur, cum herbis amaris & pane azymo, variis adhibitis precibus & cæremoniis, in memoriam quod Angelus destructor transierit ædes Israelitarum, eorum Primogenitis pepercerit, quum occidisset Primogenitos Ægyptiorum; præcipue autem ut populo esset tanquam pictura atque signum Jesu Christi, ejusque sanguinis ac mortis in remissionem peccatorum, & ad obtinendam vitam æternam.

*Erat Sacrificium.*

IV. Erat igitur Pascha *Sacrificium* & *Sacramentum* simul. I. *Sacrificium.* (1. quia in Templo debebat offerri, sanguis ejus à Sacerdotibus excipi, & ad altare aspergi, adeps & intestina in altari comburi, quod non solebat fieri nisi in Sacrificiis. (2. Non poterat mactari intra portam privati alicujus, sed in *loco quem Deus sibi elegerat*, id est in *Templo.* Deut. 16: 4, 5, 6. (3. Exsertis verbis vocatur זבח פסח *Sacrificium Paschatis.* Exod. 12: 27. & 23: 18. & 34: 25. Num. 9: 13. Deut. 16: 4. &c. II. Erat etiam *Sacramentum.*

*Et Sacramentum.*

(1. quia erat *signum visibile gratiæ Dei invisibilis per Jesum Christum.* Ideo Christus dicitur: *Pascha nostrum, quod pro nobis sacrificatum est.* 1. Cor. 5: 7. Hinc & *agnus* dicitur *Christus.* Joh. 1: 29, 36. 1. Pet. 1: 19, 20. Apoc. 5: 12. & 13: 8. (2. quia datur analogia manifesta inter *Pascha* & *Christum.* I. Debebat *Pascha mactari*, ita & Christus *mactatus* dicitur. 1. Cor. 5: 7. 1. Petr. 1: 19, 20. Et quidem circa *vesperam*, circa horam *nonam*, id est (uti nos hodie in hisce regionibus loquimur) circa horam tertiam pomeridianam; eadem hora qua & Christus in cruce pro nobis mortuus est. Matth. 27: 45, 51. quamvis vespera etiam videatur significare finem Veteris Testamenti. II. Debebat Deo offerri in *Sacrificium*, uti ostendimus; ita & Christus est verum Sacrificium. 1. Cor. 5: 7. 1. Petr. 1: 19, 20. Joh. 1: 29, 36. Ideo *seipsum* dicitur *obtulisse per Spiritum æternum.* Hebr. 9: 14. III. *Assabatur* ad ignem; ita & Christus ad iram & ignem justitiæ Dei, quasi *assus* est pro peccatis nostris. Nam *fervor* pro *domo*, id est pro Ecclesiæ-

clesia Dei, *eum consumpsit.* Joh. 2: 17. IV. *Comedebatur* agnus; ita & Christus: nam *qui carnem ejus ederit, & sanguinem ejus biberit, habebit vitam æternam.* Joh. 6. V. Comedebatur, non ab *uno* tantum, sed à *multis* simul, non infra *decem* convivas. A certo determinato numero, qui ad convivium *vocabantur, Codice Sebach.* Cap. 5. *Sect. ultima*, ita & Christus comeditur ab electis, qui sunt certus numerus determinatus, ad hoc convivium *vocati* & *invitati*, Apoc. 19: 9. & ab omnibus quidem *electis* in Ecclesia, saltem ab integro aliquo cœtu. *Nam omnes ex uno illo pane participamus.* 1. Cor. 10: 17. VI. Comedebatur à solis *Judæis circumcisis* & *masculis*; ita & Christus vera fide comeditur, non nisi ab iis, qui sunt *Judæi interne*, & *circumcisi intus* in *corde*, quique carnis illecebras abjecerunt. Rom. 2: 29. Col. 2: 11. & qui, ut *Masculi, in fide stant* & robusti sunt. VII. Comedebatur *integer, nullumque os ei frangebatur*; ita & Christus totus cum omnibus passionibus ac meritis accipi debet, tanquam unicus cibus ac vita: *in eo* enim *sola est vita æterna.* Joh. 6: 28. Ideo ejus ossa in cruce (contra morem) fracta non sunt, sed Deus voluit ut exspiraret ante crurifragium. Joh. 19: 36. VIII. Comedebatur *Hierosolymis*, in loco sancto tantum; ita & Christus se comedendum præbet, non nisi in *Ecclesia*, quæ est tanquam *sanctum templum Dei.* 1. Cor. 3: 17. & 6: 19. 1. Cor. 6: 16. IX. Comedebatur cum *pane azymo*; ita & Christus comeditur ab electis, qui se *expurgant a veteri fermento*, & qui *facti sunt massa nova.* 1. Cor. 5: 6, 7. & cum *herbis amaris*; ita & Christus non comeditur, nisi per fidem, cum *amore veræ resipiscentiæ*; & *quicunque vult intrare in Regnum cœlorum, multas debet pati afflictiones.* Act. 14: 22. vide Rom. 6: 6. & 5: 3, 4, 5. X. Comedebant Judæi Pascha *habitu peregrinorum*, & ad iter quasi accincti, ut exirent ex Ægypto, & per desertum tenderent ad Canaan terram promissam. Ita fideles in hac vita veri sunt *peregrini*, quare continuo *lumbos habent cinctos in veritate ac sobrietate.* Eph. 6: 14. 1. Petr. 1: 13. Hanc terram, tanquam Ægyptum omni impietate & oppressione plenam, deserentes, & per loca deserta ac umbram mortis festinantes ad cœlum, ubi est verum eorum πολίτευμα ac Patria. Phil. 3: 20. atque sic *transeuntes è morte ad vitam.* 1. Joh. 3: 14.

*Secundum Pascha.*

V. Si quis Israelitarum die decimo quarto mensis Avif *absens* fuisset, aut in aliqua regione longinqua, aut si *immundus* factus esset, ut isto die comedere non posset, is celebrabat Pascha secundo men-

menſe, die decimo quarto, ut etiam tale vocaretur פסח שני *Paſcha ſecundum.* Num. 9: 6, 10, 11. Significabat autem *ſecundum* hoc *Paſcha* vocationem gentilium, qui ob peccata *polluti*, & *procul erant à fœdere* Dei, ſed *per ſanguinem Chriſti tandem adducendi.* Eph. 2: 13. & de Chriſto vero Paſchate noſtro etiam comeſturi.

*In feſto Paſchatis convivia.*

VI. Præter *agnum Paſchalem*, fideles habebant inter ſe *convivia*, ut non tantum *agnum* comederent; ſed & plures alios cibos exquiſitos. Non poterant enim ex. gr. viginti viri ſatiari unico agno, quare & *boves* aliaque animalia ad *convivium* mactabantur: *Mactabis oves & boves.* Deut. 16: 2. Ejuſmodi convivia, cum pane azymo & enarratione iſtius ritus; ut parvuli edocerentur, quæ & *Haggadah* ſive *Annunciatio* vocabatur, (quo reſpexit Paulus, 1. Cor. 11: 26. *quotieſcunque ederitis panem hunc, & biberitis vinum hoc, annunciate mortem Domini*) celebrabantur, non tantum *Hieroſolymis* & à *maſculis*, ſed & per totam terram Canaan, in ædibus privatis, & à fœminis, non minus quam à viris, qui forte Hieroſolymis aſcendere non poterant. Celebrabatur Paſcha, non tantum uno, ſed ſeptem diebus integris, quibus panis azymus comedebatur.

*Alia Sacramenta, non toti Eccleſiæ communia, nec omni tempore.*

VII. Præter *duo* hæc *Sacramenta*, nempe *Circumciſionem* & *Paſcha*, fuerunt & alia quædam extraordinaria, non omni tempore, nec omnibus in Eccleſia communia. I. *Nubes*, quæ præcedebat caſtra Iſraelitarum die, & *Columna ignis*, quæ præcedebat noctu. Exod. 13: 21. & 14: 24. Pſ. 105: 39. Significabat autem hæc nubes 1. *præſentam* angeli vindicis, qui circa Iſraelitas caſtra metabatur. *In omni anguſtia ipſorum non oppugnabat quiſquam ipſos, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos* &c. Eſ. 63: 9. 2. *Illuminationem* & protectionem perpetuam Eccleſiæ. *Creabit Dominus ſuper omnem ſtationem montis Zionis, & ſuper convocationem ejus nubem de die & fumum & ſplendorem ignis flammantem.* Eſ. 4: 5. 3. *Incarnationem* angeli fœderis, qui in corpore humano habitaret, & ſe aliquando conſpiciendum daret, quemadmodum tunc temporis in *nube*, quare Chriſtus dicitur *habitaſſe in nobis.* Joh. 1: 14.

*I. Nubes, & columna ignis.*

*II. Tranſitus per mare rubrum.*

II. Erat *Tranſitus per mare rubrum.* Exod. 14. & Pſ. 106: 9. Erat autem inſtar *baptiſmatis*, quare & Iſraelitæ dicuntur *baptizati in nube & in mari.* 1. Cor. 10: 2. depingebatque mortem & reſurrectionem. 1. Petr. 3: 21. Rom. 6: 3, 4.

*III. Manna.*

III. Erat *Manna*, qui in deſerto cecidit è cœlo, ad paſcendum populum. Exod. 16. Significabat Chriſtum unicum & verum panem cœleſtem, ad nutriendas animas noſtras in vitam æternam. Joh. 6: 32. ... 50. Apoc.

Apoc. 2: 17. Hebr. 9: 4. IV. Erat *potus ex rupe.* Exod. 17: 6. Pf. 78: 15. & 114: 8. quæ *rupes* significabat *Christum*, *rupem salutis nostræ.* Deut. 32: 3, 4, 15, 18. & *rupem* quidem *percussam* pro peccatis nostris. Es. 53: 4, 5, 10. Nam *Petra erat Christus.* 1. Cor. 10: 4. V. Erat *serpens æneus*, quem Moses erexit in deserto, ac ligno suspendit, ut conspiceretur ab omnibus, qui à serpentibus morsi erant, atque ut ita sanarentur. Num. 21: 4, 10. Significabat autem *Christum suspensum in ligno crucis*, qui peccata nostra ferebat in ligno. 1. Petr. 2: 24. ut, quicunque eum aspiceret oculis fidei, ab omnibus morsibus Diaboli veteris serpentis sanaretur, & vitam haberet æternam. Joh. 3: 14.

*IV. Rupes.*

*V. Serpens æneus.*

VIII. *Cultus* Dei, sub Veteri Testamento erat admodum operosus, ut insuportabile jugum imponeret. Continebat totum istud choragium rituum & cærimoniarum, de quibus supra jam diximus, nempe in sacrificiis & oblationibus, à certis personis peragendis, pro certis hominibus, & pro certis peccatis, certo loco & tempore, certisque ritibus præscriptis, in lotionibus, purificationibus, in observatione noviluniorum, dierum, Sabbathorum, festorum, & id genus infinita alia.

## CAPUT XI.

*De Ecclesia & Regimine Ecclesiastico sub Veteri Testamento.*

I. Ecclesia sub Veteri Testamento non fuit *universalis*, sive *Catholica*, quemadmodum sub *Promissione*, & nunc sub *Novo Testamento*; sed fuit *Nationalis*, quia erat restricta ad unam certam nationem, nempe *Judaicam*: ut nemo Ecclesiæ membrum haberetur, nisi qui esset ex familia Abrahami, aut minimum proselytus, &, si non *natione*, saltem *professione Judæus*, adeoque per professionem nationi insitus. Tales erant *Centurio.* Luc. 7. *Syrophœnissa.* Matth. 7: 26. *Cornelius.* Actor. 10. *Æthiops* Eunuchus Reginæ Candacis. Actor. 8.

*Ecclesia sub Vet. Test.*

II. Ex solis autem *Judæis* constitisse Ecclesiam Veteris Testamenti patet. (1. quia Deus posuerat inimicitiam inter Judæos & reliquos populos. Deut. 7. & 23. Ephes. 2: 14, 15. (2. Hos elegit præ omnibus populis. Deut. 10: 14. Vide Ps. 147: 19, 20. Deut. 32: 21. Act. 14: 16. & 17: 3. Rom. 3: 1, 2. Matth. 18: 17. (3. Gentiles

*Ex solis Judæis composita.*

les ante Christum erant ἄθεοι *sine Deo in mundo.* Ephes. 2: 12. & Deus erat *Judaeorum Deus* tantum ; at per Christum demum factus *Deus gentilium.* Rom. 3: 28, 29. (4. Ideo *Ethnici* à Christo dicuntur *Canes.* Matth. 15: 26. Quare falsissime docent multi ex *Pontificiis*, *Anabaptistis* , *Remonstrantibus* , & *Sociniani* , sub Veteri Testamento ipsos etiam *Ethnicos* potuisse servari extra Ecclesiam Judaicam , per solum lumen naturale , & ductum rectae rationis, quamvis non fuerint obligati ad observantiam legis Mosaicae.

*Fata Ecclesiae sub Vet. Testam.*

III. Ecclesia sub Veteri Testamento varia habuit fata. Et primo quidem fuit sub *Mose* , qui insignis fuit typus & pictura Jesu Christi : fuit enim *Rex*, *Sacerdos* & *Propheta*, ac Ecclesiae primarius Dux in Deserto , spatio quadraginta annorum. I. Fuisse *Regem*, vel inde patet, ( 1. quod dicatur *Princeps* ἄρχων & λυτρωτής. Act. 7: 35. & בישרון מלך *Rex in Jeschurin.* Deut. 33: 4, 5. (2. quod populum tanquam *Rex* vindicaverit, & ex servitute Ægyptiaca liberaverit. Regis enim est populum liberare & servare. Ideo etiam λυτρωτής *Redemptor* nominatur. Act. 7: 35. Fuisse II. *Prophetam*, clarum est ( 1. cum exsertis verbis seipsum dicat talem. *Deus vobis suscitabit Prophetam qualis ego sum.* Deut. 18: 15, 18. (2. habebat singularem revelationem à Deo, quandoquidem *cum eo loquutus est facie ad faciem.* Exod. 33: 9. 11. Num 7: 89. & 12: 7. *Talis Propheta nunquam fuit in Israele.* Deut. 34: 10. (3. Mentem Dei fideliter & vere exposuit. (4. Doctrinam confirmavit *signis & miraculis*, ut parem non habuerit unquam. Deut. 34: 10.... 13. Sed & III. *Sacerdotem* fuisse, non minus certum est : nam (1. illis temporibus quum populus ex Ægypto egrederetur, omnes Israëlitae patres familiarum sacerdotio fungebantur. (2. ipse sacerdotium nomine Dei instituit. Exod. 25. & sequentibus. Lev. 8. (3. ipse Sacerdotio functus est, mactavit enim *taurum*, & *arietem*, sumpsit *sanguinem* & *aspersit ad altare*, *adolevit adipem* & ejusmodi alia perfecit, quae ad *sacerdotium* pertinent. Levit. 8. *Suffimentum fecit in altare aureo*, *panes propositionis imposuit mensae*, *lucernas accendit*, & ejusmodi multa alia fecit, quae non nisi à *sacerdotibus* fieri solebant , praestitit. Exod. 40. Sumpsit *sanguinem victimae & aspersit populum & librum.* Exod. 24. (4. dicitur *Mediator.* Gal. 3: 19. Ipse fatetur se stetisse inter Deum & populum , ut intercederet pro populi peccatis. Deut. 5: 5. At *sacerdotis* est intercedere pro populo, gerere officium *Mediatoris*, & *facere opus hominum apud Deum.* Hebr. 5: 1. ut ut pessime inde colligant

*Moses fuit I. Rex.*

*II. Propheta.*

*III. Sacerdos.*

*Pon-*

Pontificii: *infallibilem* fuiſſe *Pontificem Maximum*, ſupremamque habuiſſe auctoritatem in rebus Eccleſiaſticis & Politicis, fuiſſeque picturam Pontificis Max. in Eccleſia Chriſtiana, qualem hodie ſe deprædicat Pontifex Romanus: cum Moſes non perpetuus fuerit Pontifex, nec ſolenniter ſacerdotio functus ſit, niſi parvo tempore, quandoquidem pontificatum perpetuum Deus contulit in Aharonem ejuſque filios; ut *Aharon* ſolus fuerit Pontifex Max. Deinde uterque peccavit & Moſes & Aharon, ut ex Pentateucho conſtat; quare non fuere *infallibiles*. Tandem ſi vel maxime Moſes fuiſſet perpetuus atque ſolus Pont. Max. & Rex ſimul, quid hoc ad fictam auctoritatem Papæ ejuſque pontificatum? Cum ſacerdos Veteris Teſt. fuerit pictura ſacerdotii Chriſti, ut omnes ſacerdotes & ſacerdotia per Chriſti ſacerdotium evanuerint, quemadmodum umbra coram ſole ſtare non poteſt. Denique Cathedra Moſis ſub Novo Teſt. eſt abolita, cum *Chriſtus ſolus* ſit noſter *Rex, Legislator, Judex*. Eſai. 33:22. *& Dominus*. Matth: 23:9, 10, 11. 1. Cor. 8:6. Sed de hiſce plura, ubi de *Regimine Eccleſiaſtico, & capite Eccleſiæ* ſub Novo Teſtamento. Ut ut ſit, certum eſt *Moſen* fuiſſe excellentiſſimam picturam J. Chriſti, qui verus eſt *Rex, Propheta & Sacerdos* in una perſona, uti oſtendimus, ubi de ejus *officiis Mediatoris* egimus. Part. 3. cap. v.

*Hæc non faveni Pontifici Romano.*

IV. Toto iſto tempore, quo Moſes vivebat, Eccleſia Dei congregata fuit in deſerto, multaque incommoda paſſa eſt, ut vix cultum Dei, quem Moſes nomine Dei inſtituerat, præſtare potuerint.

*Eccleſia in deſerto.*

V. Moſe mortuo, Eccleſiæ Dux & primus Miniſter Dei fuit *Joſua*, qui terram promiſſam occupavit, & populum è deſerto in terram introduxit, eamque tribubus diſtribuit, ſpatio præter propter ſedecim annorum.

*Joſue Dux.*

VI. Poſt Joſuam erant ſub *Judicibus*, uſque ad tempora Saulis & Davidis, per annos erant fere tercentos, ſecundum quoſdam, aut annis 450. teſte Paulo Act. 13:20 Sub hiſce *Ducibus* Eccleſia ſæpe horrenda Idololatria, præter alia ſcelera, poluta eſt. Vide Judicum 2:7 . . . 13. & 18:30, 31. & 19. ac alibi.

*Judices.*

VII. A temporibus Saulis & Davidis Eccleſia erat ſub *Regibus*, uſque ad captivitatem Babylonicam, ſpacio præter propter 480. annorum. Et ſub *Saule, Davide* ac *Salomone* duodecim tribuum unicum tantum Regnum fuit; at poſt mortem Salomonis diviſum fuit

*Reges.*

*Regnum diviſum.*

in Regnum *Juda* ex ſtirpe Davidis; & *Iſraelis*, cujus fundator primusque Rex fuit *Jeroboamus*, qui decem tribus ſibi ſubjectas fecit duabus tantum, *Juda* & *Benjamin*, adhærentibus Judæ Regibus.

*Schiſma in Eccleſia.*

VII. Ut Schiſma in *Imperio*, ita & in Eccleſia factum eſt: erexit enim Jeroboam *vitulos* in *Dan & Bethel*, prohibuitque ne quis aſcenderet Hieroſolymas ad colendum Deum. 1. Reg. 12. Deinde Achabus juſſit ædificari templum in honorem *Beli*. 1. Reg. 16: 31, 32, 33.

*Deportatio decem tribuum.*

VIII. Per Salmanaſſarem tandem Regnum Iſraëlis diſſipatum fuit, translatis decem tribubus partim in *Aſſyriam*, partim in *Mediam* aliasque regiones, per quas miſerrime diſperſi, plurimam partem à Religione Judaica ad paganam deſciverunt, donec tandem nonnulli cum captivis ex Babylonica captivitate reduces facti fuerint. 2. Reg. 17. Forte de eadem diſperſione intelligi debent loca, Act. 2: 5. Jac. 1: 1. 1. Petr. 1: 1. quamvis tamen credibile ſit, ſemper aliquot Judæorum ultro, aut etiam ob mercimonia, quibus ſemper dediti fuerunt, ex Judæa in alias regiones tranſmigraſſe: prout tempore Chriſti major fuit numeros Judæorum in Ægypto, quam tempora Moſis ante exitum, qui eo ſeſe ultro contulerant, ibique ſeſe multiplicarunt. Non enim credibile eſt, omnes decem tribus ita fuiſſe translatas, ac diſſipatas, ut plane nemo ſuperfuerit, immo veriſimilius eſt, quoſdam ex qualibet tribu, ut ut paucos & non ex nobilioribus, remanſiſſe.

*Ex qualibet tribu ſemper quoſdam in terra remanſiſſe.*

*Samaritani.*

IX. Poſtea regiones iſtæ occupatæ fuerunt à *Samaritanis*, ex gentilibus Aſſyriis & Iſraelitis mixtis, qui & Religionem mixtam profitebantur, præſertim quum ab eis receptus eſſet Pentateuchus: donec tandem ſibi ædificaverint Templum, in monte *Garizim*; quod contra mandatum Dei factum fuit, qui nullum admittere volebat templum, præter unicum tantum *Hieroſolymis*, in *loco quem Deus elegerat*. Deut. 16: 4, 5, 6.

*Eorum templum.*

*Onias Sacerdos.*

X. Contra idem mandatum Dei peccavit *Onias* Sacerdos, filius Simeonis Juſti, qui, quum Sacerdotium nullis artibus obtinere poſſet Hieroſolymis, ut pœnam malis artibus fraudibuſque debitam evitaret, aufugit in Ægyptum, ibique templum ædificavit, Sacerdotium, ſacerdoteſque inſtituit, quorum ipſe ſummus eſſet Pontifex, in ditione Alexandriæ, unde & *Alexandrinum templum* dictum eſt. Quemadmodum & poſtea alter *Onias* filius Oniæ tertii ſub Antiochio Epiphane Leontopoli, uti colligi poſſe videtur ex

*Ædificat templum in Ægypto.* *Alter Onias.*

*Jo-*

*Josepho*, de *Bello Jud. lib.* 7. *cap.* 30. & *Antiq. Jud. lib.* 13. *cap.* 6. *Bartenora* ad cap. 13. Codicis *Menachoth*. Mentio fit & aliorum Judæorum *fanorum*, in Phœnice & alibi. *Joseph. Antiq. Jud. lib.* 13. *cap.* 6. Sed pessimo Consilio hæc omnia facta sunt; cum enim Deus unicam tantum Ecclesiam habeat, ita & unicum tantum templum sibi ædificari jussit.

*Alia Judæorum fana.*

XI. Tandem eversum quoque est Regnum Judæ, tempore Zedekiæ, postquam stetisset quadringentis octoginta annis præter propter, si addatur Regnum Saulis. Et tunc quidem *sceptrum ablatum est a Juda*, ante quæ tempora Messias nasci non debebat. Genes. 49. Jerem. 22: 30. Ezech. 19: 14. & 24: 21. Sub hisce regibus sæpe in fœdissimam Idololatriam delapsa est Ecclesia, per Reges Idololatras. Itaque abducta etiam fuit Ecclesia Babylonem, ubi captiva languit per septuaginta annos: quibus finitis, Judæi permissu Cyri in Patriam reversi sunt. Quare Cyrus *unctus & Pastor* Dei dictus est. Es. 44. & 45.

*Regnum Judæ eversum.* *Sceptrum Judæ ablatum.* *Captivitas Babylonica.*

XII. Judæi, auspiciis Zorobabelis, reduces facti, habebant *Duces* suos ac *Pontifices*, quibus regimen cum Ecclesiasticum tum politicum tradebatur. Tales fuerunt *Zorobabel*, *Mezullannus*, *Hananias*, *Barachia*, & *Hasadia*, post reparatam urbem & Templum. Persis tamen parebant, tanquam supremis Dominis.

*Judæorum Duces.*

XIII. Persarum Monarchia eversa, sub *Alexandro Magno*, ejusque successoribus, Lagidis, & Seleucidis, Ægyptiorum & Syrorum Regibus, à quibus nimium vexati Judæi, præsertim ab *Antiocho Epiphane* Syriæ Rege, jugum excutere ausi sunt, seque in libertatem vendicarunt, Duce *Juda Machabæo*, ante natum Christum, anno, præter propter, centesimo sexagesimo octavo.

*Græci Judæorum Domini.* *Liberantur per Machabæos.*

XIV. Mansit imperium sub *Juda* ejusque successoribus, qui omnes *Macchabæi & Asmonæi* dicti sunt, usque ad tempora *Pompei Magni* Romanorum Ducis strenuissimi, qui Judæos imperio Romano subjecit. Igitur à Julio Cæsare constituitur Judææ Procurator *Antipater* Ascalonita. Hujus autem filius *Herodes* per Romanos Rex creatur Judæorum; circa annum quadragesimum ante natum Christum. Ne autem Herodes diceretur Rex Judæorum contra expressam legem Dei, Deut. 17: 15. qua cautum fuit, ut *Rex è medio fratrum*, id est ex ipsis Judæis constitueretur, Proselytus factus est.

*Vincuntur à Pompeo.* *Eorum Rex Herodes.*

XV. A tempore Mosis usque ad captivitatem Babylonicam Ec-

*Varie Ecclesia gubernatur.*

clesia regebatur primo per *Mosen & Seniores*, postea per *Josuam*, tandem per *Duces* & *Judices*, usque ad tempora Regum. Deinde per *Reges*, *Sacerdotes* & *Prophetas*, qui à Deo sæpe missi fuerunt extraordinarie, usque ad captivitatem Babylonicam. Sub captivitate à *Prophetis & Æchmalotarchis*, sive Satrapis à *Persis* constitutis, ut *Nehemia* aliisque. Post captivitatem Babylonicam cessarunt *Prophetæ*, ut ultimi fuerint *Zacharias*, *Malachias*, *Daniel*, & qui eisdem temporibus vixerunt.

*Ultimi Prophetæ.*

XVI. Judæis ex captivitate jam reducibus, *Esra* instituit Magnum Senatum, alias *Magnum Synedrium*, סנהדרין Græca voce ita dictum, sive כנסת הגדולה *Synagoga magna*, centum & viginti virorum, ex Pontificibus, Levitis & Israëlitis, si ex tribus istis ordinibus apti reperiebantur, inter quos primarii dicuntur fuisse *Nehemias*, *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias & Daniel*, & tandem ipse quoque *Simeon Justus*, alias *Jaddo*, summus Pontifex, qui vixisse perhibetur usque ad tempora Alexandri Magni. Penes hoc Collegium suprema fuit potestas, in rebus *Religionis*, non minus quam in *Politicis*, ut omnibus eorum decretis, placitis atque statutis, modo nihil jusserint legi Mosis contrarium, parere debuerit populus, sub pœna corporali, immo & mortis. Act. 10. Ideo membra ejus vocabantur *Moschelim*, *Schofetim*, *Mechokkekim*, *Dominatores*, *Judices*, *Legislatores*, *Patres*, *Dii dicti*, *Domini*, *Magistri*, *Principes istius sæculi*, *Pædagogi*, *& Tutores*. Circa eadem tempora instituebantur *Synagogæ*, ut in omni civitate atque pago, ubi reperirentur *decem masculi*, minimum quatuordecim annorum, congregarentur singulis Sabbathis ad prælegendam legem Mosis. De his Synagogis vide Act. 15: 21.

*Magnum Synedrium.*

*Synagogæ.*

XVII. Post obitum virorum *Magnæ Synagogæ*, orti sunt pessimi *hæretici* atque superstitionibus dediti homines. *Hæresin* infamem docuerunt *Zaducæi*, Judæorum veri *Epicuræi*, qui nec Angelum, nec spiritum, nec vitam æternam credebant. *Superstitiosi* quoque & *sectarii* fuerunt *Hasidæi*, *Pharizæi & Karæi*. *Hasidæi* quidem ita dicti fuerunt à חסיד *benignus*, quia peculiarem pietatem & clementiam simulabant. *Pharizæi* nomen adepti sunt à פרש *separavit*, quasi *separatistas* diceres, quum à reliquis sese segregassent, magnam mentientes sanctitatem. Hi Patrum Traditionibus addictissimi earumque tenacissimi fuerunt: immo indies novas excogitarunt, populoque inculcabant. In varias etiam sectas abierunt, atque inter se ve-

*Hæretici.* *Zaducæi.* *Hasidæi.* *Pharizæi.*

vehementer digladiabantur, de vero sensu legis & patrum traditionibus. Unde natæ sunt celeberrimæ Scholæ *Hillelis & Schamai*, qui præcipui fuerunt fabri *Misnæ*, totiusque *Talmudis* fundamenta posuerunt. *Karæi* fuerunt præcipui *Pharizæorum* adversarii, nam, omnibus patrum traditionibus rejectis, soli *Scripturæ Sacræ* inhærebant; unde à Pharizæis per contemptum dicti sunt *Karæi*, quasi *Scripturarios* diceres. Eousque semper viluit verbum Dei, nisi immisceas opinionem communem, & imperitiorum minusque cordatorum nugas. *Essenorum* quoque fuit secta, qui fatum statuisse, angelos & solem adorasse, nulla obtulisse sacrificia, vota tamen sua solvisse, à juramento & perjurio abstinuisse, Pentecosten septies per annum celebrasse, & baptizasse, dicuntur.

*Schola Hillelis & Schamai. Karæi. Esseni.*

XVIII. Pessima omnium *corruptio* istis temporibus accidit ipsi *Sacerdotio*, ut vix dici potuerit *sacerdotium* superesse. Non amplius *ex successione* administrabatur, sed à Romanis plus offerenti vendebatur, contra expressam legem Dei, qua cautum fuit, ut proximus ex Aharone, major natu summum Sacerdotium obtineret, & quidem per totam vitam.

*Sacerdotium corruptum.*

XIX. Templum, post reditum ex captivitate Babylonica, ædificatum, unde & *Templum secundum* dictum est, horrendum in modum prophanatum est ab Antiocho Epiphane, per statuam Jovis Olympii, quam ibi collocaverat, additis multis aliis impietatibus; sed à *Juda Machabæo* repurgatum est. Idem templum postea à Rege *Herode* valde auctum novisque operibus amplificatum est. Tamen nunquam ascendit ad gloriam primi Templi Salomonis, nisi quod Messiam promissum exceperit, ut prædictum erat Malach. 3. 1. Hag. 2. quo tempore ultima fata Ecclesiæ & Reipublicæ Judaicæ instabant.

*Secundum Templum. Prophanatum. Repurgatum. Ejus gloria.*

## CAPUT XII.

### *De Abolitione Veteris Testamenti.*

I. QUemadmodum OEconomia sub Promissione, ita & OEconomia Veteris Testamenti *finem* habere debuit, per adventum Messiæ, totaque lex *Cærimonialis* & *Forensis* eodem tempore finiri debebant, cum datæ fuerint soli populo Israëlitico, stante eorum politia. Non debebat enim, nec poterat Ec-

*OEconomia Veteris Test. debuit aboleri.*

clesia semper manere sub servitute, & pœdagogia, sed tantum ad *tempus a patre constitutum.* Gal. 4: 2. quo tempore à Christo debebat asseri in libertatem, & quasi sui juris fieri. Hoc *tempus*, scilicet finis Veteris & initium Novi Testamenti, vocatur πλήρωμα τῶν καιρῶν *plenitudo temporum.* Eph. 1: 10. Gal. 4: 4. *Finis præstituti temporis.* Dan. 11: 27. *Extremum,* Es. 2: 2. *Ultima tempora.* Hebr. 1: 1. *Proprium tempus*, 1. Tim. 2: 6. & 6: 15. scil. J. C. & Euangelii. Καιρὸς διορθώσεως *tempus emendationis.* Hebr. 9: 10. quia tunc omnia debebant corrigi & emendari per novam œconomiam. Hinc distingui solet inter *tempus*, vel *seculum præsens*, scilicet Veteris Testamenti; & *futurum*, tempus Testamenti Novi. Hebr. 2: 5. & 6: 5. 1. Cor. 2: 6. Ephes. 1: 21. Tempora ista habuerunt sua *signa*, quæ & *signa temporum* vocantur. Matth. 16: 3. Ista autem *signa* sedulo investiganda & observanda erant, ut cognoscerent jam venisse Messiam. Ibidem. Sunt autem signa ista res omnes, quæ prædictæ fuerunt à Prophetis.

*Leges Cærimoniales & forenses fuisse mutabiles.*

II. Mutabiles autem fuisse Legem *Cærimonialem* & *Forensem*, adeoque tempora & totam *EOconomiam* Veteris *Testamenti* debuisse aboleri, probatur (1. quia *præcepta* Legis *Cærimonialis* erant *mandata non bona*, quæ sua natura nullam bonitatem in se continebant, Ezech. 20: 25, 26. *Præcepta carnalia.* Hebr. 9: 10. *Mandata infirma atque inutilia.* Hebr. 7: 18. Plura vide Cap. IX. thes. I. Sed nulla datur ratio quare ejusmodi præcepta in *æternum* durarent; cum ipsa *nihil æterni* in se contineant, aut dare possint. (2. quia data fuerunt maxime in *castigationem* peccati commissi in *vitulo aureo*, quæ castigatio non debebat esse *æterna*, nec omnes populos respicere poterat. (3. quia impossibile est, ut leges istæ ab omnibus populis observarentur: cum tamen prædictum fuerit, omnes populos Deum culturos eodem cultu. Malach. 1: 11. Ps. 67. Es. 2: 2. Ps. 22: 27. Ps. 72. Es. 66: 20, 21, 22, 23. Quomodo singulis annis ter poterant ascendere Hierusalem Japonenses, Javanenses, Americani, tot alii, cum ejusmodi iter vix semel fieri possit per annum? Sed quomodo iidem eo ascendissent, toties quoties secundum legem se polluissent, ut, minimum *ter singulis annis*, secundum eandem legem, purificarentur? Impossibile etiam erat ut *Sacerdos* ex Judæa ad Japonenses aut Americanos toties excurreret, ut inspiceret ædes lepra infectas, & ejusmodi sexcenta alia fieri nulla ratione poterant. Nihilominus tamen prædictum fuit per Prophetas, totum mundum, etiam gentes remotissimas convertendas fuisse ad Deum, eumque eodem

cul-

cultu colere debere; cum autem illud secundum Legem Mosaicam fieri non potuerit, sequitur omnes istas cærimonias, illasque *leges impossibiles* debuisse aboleri, & alium cultum institui, qui ab omnibus ubique locorum observari posset, manente tamen semper ubique eadem fide. (4. Data fuit Lex Mosaica *in generationibus* Israelitarum. Levit. 7: 26, & 24: 3. & observari debuit in *terra*, quam Deus ipsis dederat. Deut. 4: 5, 14. & 6: 1. & 11:32. Ergo ab omnibus populis & ubique observari nec potest nec debet. (5. Lex *Cærimonialis* erat *pictura* & *umbra* rerum *futurarum*. Hebr. 10: 1. ac Christum depingebat. Sed Christus est *Sol Justitiæ*, Malach. 4. At coram luce *Solis*, necessario evanescunt *umbræ*. (6. Deus promiserat se pacturum *Fœdus Novum* cum populo suo, *non ut fœdus quod pepigerat cum patribus ipsorum, die quo ducebat eos ex Ægypto.* Jer. 31: 31, 32. Ergo omnes leges & cærimoniæ *Veteris Testamenti*, appropinquante *Testamento isto Novo*, debebant cessare. Ideo sub Novo Testamento fideles debent esse *Filii Dei*, *non ex fœdere tuo*, id est *Israelis.* Ezech. 16: 60, 61. sed ex alio fœdere, nempe *Novo.* (7. Prædictum fuit, sub Novo Testamento, *Sacrificia debere cessare.* Dan. 9: 27. 8. *Omnes populi* debent Deum colere eodem cultu. *Ab ortu solis ad ejus occasum omnes gentes, & in omni loco debent offerre hostias & munus purum.* Mal. 1: 11. Ergo, non tantum *Hierosolymis* & in *Templo*, ubi sub Veteri Testamento fieri debuit, Deut. 16. Alia itaque *Sacrificia* fieri debent sub Novo Testamento, & in aliis etiam locis; adeoque & alius cultus, priori abolito. (9. Alius *Sacerdos Summus* promissus fuit sub Novo, quam sub Veteri Testamento. Nempe secundum ordinem *Melchizedeci*, cum sub Veteri Testamento fuerint ex ordine *Aharonis.* Ps. 110: 4. Ex tribu *Judæ*, non ex tribu *Levi.* Hebr. 7: 14. Ita & *Sacerdotes* ac *Levitæ* ex omnibus nationibus promittuntur. Es. 66: 21. At *translato Sacerdotio*, *necessario etiam translatio*, sive abrogatio *legis sequitur.* Hebr. 7: 12.

*Lex Forensis aboleri debuit.*

III. Ut Lex *Cærimonialis*, ita & *Forensis* aboleri debuit. (1. quia Deus ipse, stante hac lege, sub Veteri Testamento ejus transgressionem permisit: cujus rei exemplum habemus in supplicio *filiorum Saulis*, qui suspensi lignoque ad aliquod tempus affixi manserunt. 2. Sam. 21. quod factum erat contra expressam legem Dei, quæ jubebat, ut suspensus eodem die, ante occasum Solis, aufferretur, Deut. 21: 23. (2. Principes Veteris Testamenti, custodes & vindices legum, cum *cærimonialis*, tum *forensis*, *Dii* illi *dicti perituri* erant,

*erant*, *ut reliqui* omnes Pf. 82: 7. Hinc *Principes hujus sæculi* dicuntur, id eft fæculi *Veteris Teftamenti*, qui debebant *aboleri*. 1. Cor. 2: 6. (3. Chriftus omnes *Principatus* & *Poteftates*, quibus fub Veteri Teftamento, tanquam veftimento, tectus & velatus fuit, *exuit*, & fub Novo Teftamento fe confpiciendum exhibuit, fine iftis veftimentis ac involucris, &, electis fuis ab eorum jugo liberatis, *triumphum de ipfis egit*. Col. 2: 15. Et hæc funt *fidera cœli*, quæ debebant *cadere*. Matth. 24: 29. & fubfequi debebat *novum cœlum & nova terra*, ubi *habitaret juftitia*. Ef. 65: 17. nempe vera juftitia, ἄφεσις in emphafi, fine *commemoratione peccati*, & fine ullo *chirographo*, quæ eft vera *juftitia æterna* per *Meffiam adducta*. Dan. 9: 24. Hebr. 9: 12.

*Omnia debuiffe aboleri.*

IV. Sed omnia debuiffe aboleri, & *cærimonialem* & *forenfem* legem, exfertis verbis prædictum fuit. *Omnia* enim *debent fieri Nova*, ita ut *veterum nulla amplius exftaret memoria*. Ef. 65: 17. Eo refpexit Paulus, 2. Cor. 5: 17. *Res veteres abierunt, omnia facta funt nova.* Hinc Vetus Teftamentum dicitur id *quod aboletur*. 2. Cor. 3: 11, 13. & *Regnum mobile*. Hag. 2. Hebr. 12. Deinde ipfi quoque *Judæi*, faltem doctiffimi, fatentur legem debere aboleri.

*I. Legem Cibariam.*

I. Legem *Cibariam*; docent enim tempore Meffiæ fibi permiffum fore, ut comederent *porcinam*, ideo *porcum* vocari חזיר à חזר *reverti*, quia ad Judæos revertetur libertas ut eum comedant. *Abarbanel de fide. Cap.* 13. Sic & Rabbi *Mofes Haddarfchan*. Pf. 146: 7. docet: *Deum tempore Meffiæ redditurum licita, quæ antea erant* prohibita; quemadmodum omnia licita fuerunt tempore Noachi.

*II. Fefta.*

II. *Fefta omnia ceffatura*, *exceptis Purim & Hakkipurum*. Vide *Midrafch. Num.* 13. Hæc conveniunt cum Ef. 66: 23. & Col. 2: 16.

*III. Sacrificia.*

III. *Sacrificia omnia aboleri*, præter *Sacrificium laudis*; quare etiam docent, Deum magis coli per *Sacrificia fpiritualia* & *cordis*, quam per ea, quæ fiunt ex animalibus brutis. Vide *Midrafch Thillim*. Pf. 100. *Kimchium* in Jerem. 33: 11. Cod. *Sanhedrin*. Cap. 6. *Jabetez*. Pf. 40. Tandem etiam reddunt caufam manifeftam, quare omnia ita fint mutanda per Meffiam, quia fcilicet futurus erat Propheta *major Mofe*. Si autem *Mofes* potuit ferre legem, *Meffias*, ajunt, poteft eam folvere. Vide Rabbi *Nachman* in Deut. *Sect.* נצבים quod non obfcure innuit Mofes ipfe Deut. 18. *Deus vefter vobis fufcitabit Prophetam qualis ego fum, audite eum*. Ideo Judæi multi fatentur: Doctrinam Meffiæ fore *doctrinam novam*, *qualem homo ante iftum diem non didicit*. Vide *Jonathan Uzielidem*. Ef. 12: 3. *Jarchium* & *Kimchium* ad eundem.

V. Fru-

V. Frustra obstinatiores inter Judæos dicunt: *Legem & Vetus Testamentum dici* ברית עולם *fœdus æternum*. Lev. 24: 8, 9. Num. 18: 19. & 25: 13. *quod & de Circumcisione dicitur*. Gen. 17. Nam 1. עולם distinguitur ab ipsis Judæis, in עולם הבא & עולם הזה *sæculum præsens & sæculum futurum*, quorum prius notat œconomiam *Testamenti Veteris*; posterius vero OEconomiam *Testamenti Novi*. Intelliguntur igitur omnia ista loca de עולם הזה *hoc sæculo*, scilicet sub *Veteri Testamento*, quo stante, revera nihil debebat aboleri. 2. עולם significat tempus *diuturnum*, veluti de servo, qui *servire* debet לעולם *in æternum*. Levit. 8. id est *totam vitam*. Eodem sensu *Samuel* dicitur, *Stare coram Domino* עד עולם *in sæculum*, id est tota vita sua. 1. Sam. 1: 22. Ita sane Lex Mosis stare debebat valde diu, fere per bis mille annos; usque ad *extremum dierum*, Es. 2: 2. quo Messias venire debuit, & quo tempore *terra* & tota Resp. Judaica *feriri* debuit *anathemate* & aboleri. Mal. 4: 6. Hinc addi solet לדורותם *in generationes eorum*. Levit. 7: 26. & 24: 3. id est quamdiu *generationes* & Respublica Judaica stabit. Sic & *templum & Sacrificia* dicuntur *æterna*, id est *diuturna*. Eodem igitur sensu lex *carimonialis & forensis* dicuntur *æterna*.

*Solvitur objectio Judæorum.*

VI. Ut prædictum fuerat, *Vetus Testamentum* debere *aboleri*, & quemadmodum natura ejus id postulaverat, ita etiam *abolitum est*, quemadmodum experientia jam per tot sæcula docuit. Si autem quæras, quo tempore abolitum sit? Respondemus eodem tempore, quo *Religio & legitimus cultus* Judaicus cessabat. Sane si accurate loqui velimus, patebit nullam amplius fuisse *Religionem* nullumque legitimum cultum Mosaicum, jam aliquot annis ante natum Christum, sed σχῆμα tantum & formam aliquam externam. Certum enim est, præcipuam partem cultus Mosaici, & in quo fere totus Cardo Religionis versabatur, fuisse *Sacerdotium*. Ubi igitur nullum est *legitimum Sacerdotium*, ibi nulla est vera *Religio* nec cultus Mosaicus: nam, *mutato Sacerdotio, etiam mutari debet Lex*, Hebr. 7: 12. adeoque cultus & Religio mutata est. Legitimum autem Sacerdotium non potest dici, ubi non est *Sacerdos legitimus*. Talis autem non potest esse is, qui *Sacerdotio* non fungitur ex præscripta lege Mosis. Sed talis Sacerdos non fuit *Alcimius*, quia ab Antiochio constitutus fuit Pontifex Maximus. Non enim erat ex familia, ex qua Pontifex Maximus desumi debebat, teste *Josepho*. Post hunc multi alii Summum Pontificatum obtinebant ambitione, libidine domi-

*Vetus Test. abolitum est.*

*Quando?*

*Sacerdotium quando abolitum.*



nandi

nandi & largitionibus, ut tandem à Romanis plus offerenti divenderetur. Adde quod nonnulli Pontificatum Maximum obtinuerint, ad *aliquot tantum annos*, non autem *per totam vitam*, ut, his remotis, alii iis sufficerentur. Ita enim legimus, tempore passionis Christi *Cajapham* fuisse *Pontificem Maximum istius anni*. Joh. 18: 24. Ita & ipse *Annas* antea Pontificatum summum obtinuerat, teste *Josepho*. Quæ omnia facta sunt contra legem Mosaicam; cum lex postulasset, ut nemo Pontifex Maximus crearetur, nisi esset ex *recta linea Aharonis*, qui sanguine Aharoni esset proximus, & ut Pontificatum obtineret *per totam vitam*. Num. 35: 25. Ergo jam centum & septuaginta annos ante natum Christum, cultus Veteris Testamenti horrendum in modum deturpatus fuit: ut vix vera Religio à Mose instituta videretur. Quod factum videtur, ut paulatim discerent, istius cultus externi appropinquare *ἀφανισμὸν abolitionem*. Hebr. 8: 13. Messiam esse quasi ad fores, qui omnia redditurus esset *nova*, ut eum ardentius expeterent atque anhelarent.

*Vetus Test. abrogatum de jure. De facto.*

VII. Abrogatum igitur est *Vetus Testamentum de jure*, statim post oblatum sacrificium, per mortem Jesu Christi, tunc enim *Vetus Testamentum* fuit *ἐγγὺς ἀφανισμοῦ prope abolitionem*. Hebr. 8: 13. Stabat tamen adhuc per aliquot annos; ut de *facto* abrogatum dici possit, demum *post Ascensionem* Christi in cœlos, & post prædicationem Euangelii per Apostolos, qui omnes populos, ipsos etiam *Ethnicos*, erudiebant in doctrina Jesu Christi, eosque baptizabant secundum mandatum ejus. Matth. 28. de quibus etiam habemus exemplum in *Cornelio*. Actor. 10: 44, 48. Plane autem abolitum est, tempore *Titi Vespasiani*, post dirutam urbem & destructum Templum, populo Judaico jam ex terra expulso, & toto cultu Mosaico cum Sacerdotio funditus everso, quando scilicet *terra anathemate percussa est*. Malach. 4: 6. *& magnus mons conjectus est in mare*. Apoc. 8: 8.

LO-

# LOCUS XIX.

## *De III. OEconomia sub Novo Testamento in Genere & de Messia.*

## CAPUT XIII.

### *De Novo Testamento.*

I. TErtia *OEconomia* fœderis Gratiæ dicitur *OEconomia sub Novo Testamento.* Nam, *Veteri Testamento* abolito, *novum* necessario debebat subsequi; & abolito jugo servitutis, populus Dei in libertatem restitutus est. Et hic quidem est tertius gradus abolitionis fœderis operum. *Novum* autem *Testamentum* dari patet.. (1. Ex eo quod *vetus antiquatum* sit, uti jam modo fuse ostendimus. (2. Ex claris promissionibus, per Prophetas olim patribus factis. Vide Jerem. 31: 31. Ideo Christus ipse sanguinem suum vocat *sanguinem Novi Testamenti.* Matth. 26. Est autem *Novum Testamentum Dei voluntas, per quam electis suis certo quodam tempore vult dare, præter vitam æternam, bona spiritualia ac perfectiora quam sub Testamento Veteri absque ullo velo, sine picturis & cærimoniis, ac sine jugo servitutis, post expiatum reatum, per Christum fœderis gratiæ sponsorem.*

*Dari Nov. Testamentum.*

II. *Novum Testamentum* habet initium ubi finitur *Vetus;* Nam *in eo, quod dixit Novum, antiquavit primum. Quod autem antiquatur & senescit, prope abolitionem est.* Hebr. 8: 13. Novi Test. *initium* concipi potest, vel ratione *Promulgationis*, vel prout *ratificatum* est. *Promulgatum* quidem fuit Nov. Test. statim post nativitatem Christi. Eodem enim tempore, quo Christus nascebatur, annunciatum est per ipsos Angelos. *Ecce annunciatio vobis gaudium magnum.* Luc. 2: 10, 11. Et hæc quidem *annuncio* dicitur *Euangelium*, id est *grata annunciatio*, vel *nuncium gratum*, בשורה טובה. Hoc sensu *Euangelium* distinguitur à *Novo Testamento* ratione *initii:* cum *Euangelium* initium habuerit statim à nativitate Christi, non autem *Novum Testamentum.*

*Ejus initium.*

III. *Ratificatum* est in morte Testatoris; quemadmodum fieri solet in omni Testamento. *Vbi enim Testamentum est, mortem necesse*

*Nov. Test. quando ratificatum?*

*est contingere Testatoris.* Hebr. 9: 16, 17. Hinc ipsum Testamentum Vetus, *non sine sanguine*, adeoque non sine *morte initiatum est.* Hebr. 9: 15. Nam quemadmodum istud Testamentum fuit typicum, ita & mors testatoris typica fuit, nempe sanguis & mors victimæ. Exod. 24: 8. Hebr. 9: 18. De hisce vide Capite II. Ubi de *Veteri Testamento.* Ut igitur *Vetus Testamentum* initium habuit, respectu *ratificationis*, quando victima immolata erat; sic & *Novum*, quando Christi sanguis effundebatur. Hinc Christus sanguinem suum vocat, *sanguinem Novi Testamenti.* Matth. 26. De eodem sanguine agit Zachar. 9: 11. *Etiam tu, ô Zion, pro sanguine Testamenti tui dimisi vinctos tuos, è fovea in qua non est aqua.*

*In N. Test. nulla figura, omnia sunt realia.*

IV. Quemadmodum in hoc Testamento nulla est *figura*, sed ut omnia sunt *realia*, ita & *Testator*, & *Ratificatio* Testamenti, & *Hæreditas* nihil habent typici, sed omnia sunt vera & sine umbris. Primo enim *Testator* est ipse *filius Dei*, *Ut pater meus pactus est, ita & ego vobis paciscor.* Luc. 22: 29. II. *Hæreditas* non est terra *Canaan*, scilicet illa typica, sed *Cælum* ipsum, olim per terram Canaan depictum. Luc. 22:29, 30. 1. Petr. 1: 4. III. Testatoris *voluntas immutabilis.* Hebr. 6: 17. IV. *Ratificatio* Testamenti est ipsa mors Testatoris Jesu Christi, non autem mors alicujus victimæ, quæ olim fuit typica. Exod. 24. V. *Hæredes* sunt *electi*, ex omnibus populis & nationibus, non enim unicus tantum populus Judaicus est hæres, ut olim sub Veteri Testamento. Sumus hodie omnes *cohæredes Christi*, qui est hæres totius mundi, id est omnium nationum. Rom. 8: 17. & 4: 13. Abraham debuit esse hæres *mundi.* Hoc autem factum est sub Novo Testamento, quando omnes ad Christum adductæ sunt. Porro *executioni* datum est Novum Testamentum, post ascensionem Christi in cœlos, quum Euangelium ubique per Apostolos prædicaretur, præsertim post ruinam Urbis & Templi.

*Fœdera habent naturam testamenti.*

V. Quemadmodum Fœdera Dei habent naturam *Testamenti*, cum fluant ex absoluta Dei voluntate, de danda hæreditate; ita & *Testamenta* ejus habent aliquo modo naturam *fœderis*, quia in Testamento Deus proponit homini certas conditiones, quas stipulatur & quas homo adimplere debet. Nihilominus tamen, cum omnia dependeant à Dei voluntate absoluta, naturam habent maxime Testamenti. *Stipulatio* sive *conditio* Veteris *Testamenti*, præter *fidem*, (quæ requiritur ubique in fœdere gratiæ, in omnibus OEconomiis) erat

*Stipulatio Veteris Test.*

erat *Lex Cærimonialis* & *Forensis*, ut si quis istis legibus nollet adstipulari, aut se submittere ab hæreditate Canaan rejiceretur. At vero *stipulatio*, sive *conditio* in Novo Testamento, nulla alia est, quam *fides*, ista scilicet stipulatio generalis, quæ per omnes OEconomias obtinet. Ideo & *Lex fidei* nuncupatur. Rom. 3: 27. De hac vide, ubi de *fide* egimus. Cum autem omne *fœdus* Dei habeat aliquam rationem *Testamenti*; & ab altera parte *Testamentum* aliquam rationem *fœderis*, ideo in S. Scriptura vocabula ברית & διαθήκη sumuntur nunc pro *fœdere*, nunc pro *Testamento*: ut *fœdus* sæpe dicatur *Testamentum*, & *Testamentum* vocetur *fœdus*, quæ tamen sunt distinguenda. De hisce vide plura, supra Cap. 11. ubi de *Testamentis* egimus.

*Stipulatio Nov. Test.*

## CAPUT XIV.

### *De Messia.*

I. UBi de fœdere gratiæ in genere dictum est, ostendimus, Deum non potuisse inire fœdus cum peccatore, cum peccatum separet hominem à Deo; ut opus fuerit *Internuncio* & *Mediatore*. Ille autem *Mediator* debuit esse, non nudus homo, sed θεάνθρωπος *Deus & homo*, uti ibi probavimus. Exposuimus tunc etiam Mediatoris Officia, *Regium*, *Sacerdotale*, & *Propheticum*. Nunc notandum erit, quis proprie sit iste Mediator, quomodo homo factus sit, & alia quæ ejus naturam & statum spectant.

II. Ante omnia notandum est, hunc *Mediatorem* à Prophetis vocari *Messiam*. Ita autem dicitur ab Hebræo משיח *Maschiach unctus*, à verbo משח *unxit*. Ideo χριστὸς *unctus*, à verbo χρίω *ungo*. Non recte *Chrestus* pronunciat Suetonius in vita Claudii; alii male & χρηστὸς ἀπὸ τῆς χρηστότητος, ut Justin. Mart. in Apol. Unde forte & Galli corrupte *Chrestien* pro *Christien*, & veteres Belgæ *Kersten*, pro *Christen*. De filio Dei dicitur, Ps. 2: 2. *Unxi filium meum, super montem sanctitatis meæ*, & Dan. 9: 24. *Septuaginta hebdomadæ decisæ sunt, ad unguendum sanctum sanctorum.* Ubi *sanctum sanctorum* est ipse *Messias.* Hinc etiam μεσσίας explicatur per χριστὸν, filioque Dei attribuitur. Joh. 1: 42. & 4: 25. Mediator autem dicitur *Messias*, sive unctus, quia revera unctus est à Deo patre, ut esset liberator populi sui, tanquam *Rex*, *Propheta & Sacerdos*. De *Unctione* Messiæ, plura vide

*Messias unde sic dictus?*

*Quare unctus dicatur?*

Parte III. Cap. V. thef. VII. Et hoc quidem primum fuit nomen *Mediatoris.* Alterum ejus nomen eft *Jefus.* Græce quidem fcribitur Ἰησοῦς, tamen non minus eft Hebræum, quam vox *Meſſias.* Male enim à nonnullis derivatur à Græco *ἰάω* vel *ἰάομαι ſano.* Vel à Syro אסא quod idem fignificat, quare Ἰησοῦς notaret, θεραπευτὴν ἢ τοι ἰατρὸν. Ut male Epiphanius aliique. Eft enim vox Hebræa non quidem à יהוה quafi literæ ה mutatæ effent tractu temporis in σ vel ס unde legeretur יסוס *Jefus*, ut alii non rectius, (Impii plane funt Judæi qui per ראשי הבות *legunt* ישו. *Jefchu*, ימח שמו וזכרונו cujus impietatis rationem reddent fuo tempore.) fed eft nomen Hebræorum יהושוע à ישע *fervavit*, notatque σωτῆρα *Servatorem*, ut ab Origene, Theophilacto aliifque bene notatum eft. Ita fane docet Matthæus cap. 1: 21. ubi angelus dat rationem, quare *Jefus* dici debeat, αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ. Fatemur hoc nomen & aliis datum fuiffe; veluti *Jofua*, filio Nun, qui populum introduxit in terram, de quo in toto libro Jofuæ. *Jofua* Betfemita. 1. Sam. 6: 14. *Jofua* filius Pontificis Jodeci. Hag. 1: 12. Talis fuit *Jefus Syracides.* Ita & *Jefus Juftus.* Col. 4. Prout apud ipfos Græcos & Romanos nonnulli Principes dicti funt σωτῆρες & *Servatores:* ut Hercules, Quint. Flaminius, aliique, uti patet ex nummis veterum. Sed etfi hoc nomen aliis datum fit, nemo tamen eft populi fui verus מושיע / σωτὴρ five *Servator*, quemadmodum filius Dei; reliqui enim de quibus in verbo Dei, qui idem obtinuerunt nomen, picturæ tantum fuerunt noftri *Jefu* & Mediatoris. Hinc etiam nomen iftud ipfi datum fuit fpeciali mandato Dei. Matth. 1.

*Græce Ἰησοῦς.*

*Exceptio.*

*Qualem Meſſiam Prophetæ prædixerint.*

III. Ut autem fciamus quifnam fit ifte *Meſſias*, *Jefus Chriftus*, inquirendum eft, quid de eo prædixerint Prophetæ, & cui res iftæ omnes prædictæ conveniant. Et I. quidem in πρωτευαγγελίῳ vocatur *femen Mulieris* quod debeat *conterere caput ferpentis.* Gen. 3: 15. II. Non debuit nafci, *nifi ablato fceptro Judæ*, viventibus *Legislatoribus & ftante tribus Juda. Non recedet tribus ex Juda, & Legislator* five *doctor ex medio pedum ejus, donec veniat Schilo, cui erit obedientia populorum.* Gen. 49: 10. III. Debebat *nafci* ftante templo fecundo; *debuit enim templum fecundum majori gloria impleri*, quam primum. Hag. 2: 7, 9. *Subito in templum fuum venire debuit Dominus, quem fideles quærebant.* Malach. 3: 1. IV. Venire debuit, quum adhuc viverent *Paftores* & *Principes.* Pf. 49: 7. *Doctores, Sacerdotes* & *Legislatores*, qui abolendi erant. Zach. 11: 7, 8. Quum adhuc effent *Dii dicti*, in

medio

medio quorum staret, & cum quibus *contenderet.* Psal. 82. quibus *subjiceretur*, quibus *minor fieret.* Ps. 8: 6. & qui *perirent ut reliqui.* Ps. 82: 7. V. Debebat *obtinere imperium* spirituale, stante *quarta* adhuc *Monarchia*, sive imperio Romano. *Diebus Regum illorum eriget Dominus cœli Regnum, quod in sæculum non corrumpetur* &c. Dan. 2: 44. VI. Istud Regnum debuit erigi *septuaginta hebdomadibus*, post prædictionem Danielis. Dan. 9: 24, 25, 26, 27. VII. Debebant adhuc stare *genealogiæ* tribuum, saltem tribus *Judæ*, ut innotescere posset tribus, ex qua Messias nasciturus erat. Promissus enim erat oriundus ex tribu *Judæ* & quidem ex renibus *Davidis.* 2. Sam. 7: 12, 13. & 23: 5. Es. 11: 1. Jerem. 23: 5. *Dies venturi sunt, quibus suscitabo Davidi germen justum.* Hinc & *filius Davidis* vocatur. Matth. 15: 22. & 20: 30, 31. Apoc. 5: 5. VIII. Debuit nasci *Bethlehemi.* Mich. 5: 2. IX. Et ex *Virgine*, Es. 7: 14. quia debuit esse *semen mulieris*, Gen. 3: 15. non autem *semen viri.* X. Ipsi quoque *Judæi* fatentur, Messiam debuisse nasci, bis mille annis post legem: mundum debere stare bis mille annis ante legem; bis mille annis sub lege; & bis mille annis sub Messia, qualis & traditio *Eliæ.* Codice *Avoda Sara.* Cap. 1. XI. Sed & *pati* ac *mori* debuit Messias. Debuit enim *ponere animam pro reatu.* Es. 53. *Exscindi inter viventes*, Dan. 9: 26. Jerem. 11: 19. Et *crucifigi*, quidem, cum *pedes & manus ejus* debuerint *perforari.* Ps. 22. Et *serpens* debuit ei *perforare calcaneum.* Gen. 3: 14. XII. Debuit *sepeliri*, & habere quidem *sepulchrum inter iniquos, & cum divitibus debuit esse in morte sua.* Es. 53: 9. XIII. Debuit ex morte *resurgere*; debet enim *prolongare dies suos*, etiam postquam *posuit animam pro reatu.* Es. 53: 10. Ps. 16. Et *tertio* quidem *die.* Hos. 6: 1, 2. antequam *sentiret corruptionem.* Ps. 16. XIV. Post resurrectionem debuit *ascendere in cœlum, & sedere ad dextram* Dei. Ps. 110. adeoque *obtinere Regnum spirituale.* Nam Deus cœli ipsi *suscitare debuit Regnum æternum.* Dan. 9: 2. Debuit *possidere semen, & partiri spolium cum potentibus.* Es. 53: 10. Dan. 2: 44. & 4: 3. Habere *fines terræ hæreditatem, & regere nationes sceptro ferreo.* Ps. 2. Tandem XV. Debuit esse *Rex*, Ps. 2: 6. *Sacerdos* Ps. 110: 4. & *Propheta.* Deuter. 18: 15.

*In Jesu Christo filio Mariæ omnes Prophetiæ adimpletæ sunt.*

VI. Hæc omnia exacte adimpleta sunt in *Jesu Christo* filio Mariæ; ut necessario colligi debeat, eum esse verum *Messiam* promissum. Is enim 1. ex *Virgine* natus est, non ex viro, ut revera sit *semen mulieris.* 2. Natus est quum adhuc staret *tribus Judæ*, & *doctores* ex ejus familia. Gen. 49: 10. Quod tribus Judæ adhuc staret, quamvis re-

liquæ

liquæ omnes fere interierint, notum est omnibus: quod autem *doctores* superfuerint ex tribu Judæ, tempore Christi, fatentur ipsi Judæi, tales enim doctores dicunt fuisse *Hillelem* & ipsius posteros. *Codice Sanhedr.* cap. 1. Multos præterea alios, istis temporibus, fuisse doctores ex eadem tribu quis dubitabit? 3. Natus est stante *templo secundo*, quod ex historia constat. Ipse in templo fuit, ibique sedit atque docuit. Luc. 2: 46. Ut revera *majori gloria impletum fuerit templum secundum, quam primum*, uti prædictum fuit Ag. 2: 9. Illud autem aliter intelligi non potest, nisi quod ipse *Messias*, filius Dei, domum istam impleturus esset. Alias enim gloria templi secundi, fuit valde infra gloriam primi: nam, fatentibus ipsis Judæis, in secundo Templo defuerunt quinque res, quæ primi gloriam multum auxerunt, nempe I. *ignis sacer.* II. *Arca fœderis.* III. *Urim* & *Thummim.* IV. *Oleum unctionis.* V. *Spiritus Sanctus*, quod *Judæi* probare conantur ex Hag. 1: 8. quod ibi dicatur ואכבד & *glorificabo eam*, deficiente ה finale, per quam literam deficientem quinque illas res deficere volunt. Videatur Cod. *Thaanith.* cap. 2. *Gemar. Hier.* & Cod. *Joma Gemar. Bab.* cap. 2. Nihil autem potuit istum defectum resarcire, præter ipsum Messiam, filium Dei, alias gloria prioris templi infinito modo superasset gloriam secundi. 4. Quum Christus nasceretur, fuerunt sane adhuc *Pastores*, *Doctores*, *Sacerdotes*, *Scribæ*, *Pharisæi* & νομοδιδάσκαλοι, *Principes istius seculi*, & *Dii dicti*, in medio quorum sedit, Luc. 2: 46. cum quibus sæpe *contendit*, quos severe redarguit. Matth. 5. quibus *minor* factus, & subjectus est. Factus enim est *subjectus Legi.* Gal. 4. ab iis *judicatus* & *morte traditus est.* Eosdem etiam ipse abolevit. Exuit enim *Principatus & Potestatus.* Col. 2: 15. 5. Natus est & imperium spirituale obtinuit stante *quarta Monarchia*: natus est sub *Cæsare Augusto Romanorum*, sive *quartæ Monarchiæ* Imperatore. Luc. 2: 1. 6. Præcise post LXX. *hebdomadas*, id est quadringentis nonaginta annis post Captivitatem Babylonicam. 7. Tribus *Judæ* istis temporibus non tantum stetit, sed & ipsius Genealogia adhuc erat nota. Natus enim est ex *tribu Judæ*, & quidem ex *familia Davidis.* Matth. 1. & 15: 22. Apoc. 5: 5. 8. Ita & *Bethlehem* natus est. Matth. 2. 9. Ex *Virgine*, nempe *Maria*, Josepho quidem desponsata, sed matrimonio non juncta. 10. Natus est *bis mille annis*, præter propter, post legem latam per Mosen, ut testantur Chronologici. Et hæc erat quidem illa *plenitudo temporis*, qua mitti debuit. Gal. 4: 4. Ista

omnia

omnia erant *signa temporum*, ad quæ debebant attendere *Judæi*, ut adventum Messiæ promissi non ignorarent. Matth. 16: 3. 11. Jesum Christum esse *passum*, & *mortuum*, *secundum Scripturas*, testatur non tantum Paulus, 1. Cor. 15: 3. sed clamat totum Novum Testamentum & ipsa scripta Judæorum. 12. Ita & *sepultus* est *secundum Scripturas*. 1. Cor. 15: 4. Et quidem ipsius *sepulchrum* destinatum *erat inter iniquos*; nam ex odio & impietate Judæorum & Romanorum nullum aliud habuisset sepulchrum, quam *crucem*, *montemque Golgata*; inter ossa & cadavera latronum. Nihilominus tamen, accurante Dei providentia, *in morte sua erat cum divitibus*, sepultus enim est honeste ab hominibus honoratis & revera *divitibus*, nempe à *Nicodemo* & *Josepho Arimathæo*. Matth. 27. 13. Ex morte quoque *resurrexit*, & quidem *tertio die*, *secundum Scripturas*. 1. Cor. 15: 4. Idem testantur Euangelistæ. 14. *Ascendit revera in cœlos*. Act. 1. Ephes. 4: 8, 9, 10. *Seditque ad dextram Dei*. Col. 3: 1. Hebr. 1: 3. Phil. 2: 10, 11. Tandem 15. quod Jesus Christus filius Mariæ revera fuerit *Rex*, *Sacerdos*, & *Propheta*, satis ostendimus Parte III. Cap. V. Thes. 7, 8. &c. Et sic revera in Christo Nazareno, filio Mariæ adimpletum est *testimonium Christi* id est *Messiæ*, & *Spiritus prophetiæ*. Apoc. 19: 10. 1. Petr. 1: 10, 11, 12. Ut dubitari non possit, quin verus *Messias* promissus sit *Jesus*, filius Mariæ.

*Judæi non recte exspectant Messiam.*

V. Vehementer igitur errant *Judæi*, quod ad hunc usque diem exspectent *Messiam*: cum jam ante tot sæcula natus sit, secundum Prophetias & typos, fatentibus ipsis etiam Judæorum sapientibus vetustissimis. Ita & impie iidem exspectant *Messiam*, qui esset *Rex terrenus*, ut eos liberaret ex potestate Principum hujus terræ; utque eos reduceret in terram Canaan, ad fruendum omnibus deliciis corporeis & perituris: cum non nisi *Regnum spirituale*, liberatio ex peccato & morte æterna, bonaque *spiritualia* & cœlestia electis afferre & procurare debuerit. Errores inde nati sunt, quod non *scrutentur Scripturas*, Joh. 5. nec attendant ad *signa temporum*. Matth. 16. & ad *verbum propheticum*. 2. Petr. 1: 19.

## CAPUT XV.

### *De Incarnatione Jesu Christi.*

I. EGimus de *Novo Testamento* in genere, & de *Messia*: Ostendimus etiam *Messiam* esse *Jesum Christum*, qui in Novo Testamento prædicatur. Restat ut nunc quoque agamus de ipsius *Persona*, *Incarnatione*, & *Unione personali*. Cum enim *Me-*

*In Christo est natura assumens & assumpta.*

*diator* debuerit esse *Deus & Homo* in una persona, ut ostendimus, Parte III. Cap. V. ubi de *Mediatore* ejusque officiis. Necesse est, ut nunc de ejus *Incarnatione* agamus.

II. Cum in Mediatore Christo sint duæ hæ naturæ, altera erit *assumens*, altera *assumpta*. *Assumens*, est divina: *Assumpta*, humana natura. Non quidem natura *divina*, qua *natura*, est Incarnata, sed potius quatenus est *filius*, secunda persona in S. Sancta Trinitate. Non igitur tota *Trinitas* est Incarnata, uti somniarunt *Sabelliani* & *Patripassiani*, alias enim *Pater & Spiritus Sanctus* incarnati essent, æque ac λόγος, sive *filius*. Incaute etiam loquuntur *Lutherani*, qui docent naturam divinam esse incarnatam: idem enim absurdum inde sequeretur, nisi addant, *characterizatam per generationem filii.*

*Non tota Trinitas est Incarnata.*

*Christus habet veram naturam humanam.*

III. Cum Christus sit verus *homo*, æque ac *Deus*, sequitur eum habere veram *naturam humanam*. At vero cum homo constet *corpore & anima*, certum est, eum etiam assumpsisse verum *corpus* & veram *animam*. I. Verum habere *corpus* patet, (1. quia exsertis verbis ita vocatur, Hebr. 10: 5. *Corpus mihi adaptasti*, Joh. 1: 14. *Sermo caro factus est.* (2. *Nobis* dicitur *in omnibus similis, excepto peccato.* Hebr. 4: 14. & 2: 14, 17. (3. Hinc & *manus & pedes habuisse* dicitur, ac *carnem & ossa*. Luc. 24: 39. (4. *Crevit statura.* Luc. 2: 52. quod non nisi de vero corpore intelligi potest. II. Veram etiam *animam* habere, non minus manifestum est. (1. quia ipse de *anima* sua loquitur: *Anima mea mœsta est, usque ad mortem.* Matth. 26: 38. (2. Attribuitur ei *sapientia*. *Crevit statura & sapientia.* Luc. 2: 52. (3. Habet & *voluntatem*. *Non ut ego volo, sed ut tu vis.* Matth. 26: 39. Ut vehementer deliraverint *Arrius & Apollinarius*, qui docebant, Christum nullam habuisse animam, sed naturam divinam ei fuisse loco animæ. Inde enim sequeretur, Christum quædam ignorasse secundum naturam divinam: *ignoravit* enim *horam judicii.* Marc. 13: 32. Sequeretur etiam auctam esse sapientiam divinam: cum *creverit sapientia.* Luc. 2: 52. Impie & *Monothelitæ* statuunt in Christo unicam tantum *voluntatem*, cum (1. anima revera habere debeat *voluntatem humanam*, alias enim ne *anima* dici quidem posset. (2. Ipse subjicit *voluntatem humanam* voluntati divinæ. Non ut ego volo, *sed ut tu vis.* Matth. 26: 39. Ex his etiam sequitur turpiter delirasse *Eutychen*, qui statuit *unicam* tantum in Christo esse *naturam.*

*Habet verum corpus.*

*Et veram animam.*

IV. Sed & vehementer errant, cum Veteribus hæreticis, *Swenckfeldiani*, *Anabaptistæ*, *Sociniani*, & id furfuris alii, qui docent Chri-

Chriſtum non vere eſſe natum ex ſubſtantia Virginis *Mariæ;* ſed vel ex *materia* aliqua *cœleſti* corpus ejus eſſe creatum; *animam* ex *ſubſtantia Dei*, vel aliunde eſſe deſumptam. Vel etiam totam ejus naturam quoad corpus & animam à Deo eſſe creatam immediate, Chriſtumque per Virginem, tanquam per canalem, è cœlo in terram fuiſſe demiſſum. Quæ quam ſint falſa, præter ea, quæ jam dicta ſunt, patet (1. quod *Mediator* debuerit eſſe verus *homo*, ex *fratribus* deſumptus, noſter *goel*, id eſt *conſanguineus:* ut revera pro nobis poſſit ſatisfacere, quemadmodum oſtendimus, ubi de *Mediatore* egimus. (2. Chriſtus eſt *ex patribus, ſecundum carnem.* Rom. 9: 5. Hinc tota ejus genealogia recenſetur. Matth. 1. Luc. 3. & demonſtratur filius *Abrahæ*, & *filius Davidis*, quemadmodum etiam vocatur. Matth. 1: 1. & 15: 22. Rom. 1: 3. (3. Exſertis verbis dicitur *natus ex Virgine.* Matth. 1. Luc. 2. (4. Natus eſt *infans*, *crevit ſtatura* æque ac *ſapientia*, uti *infantes* & veri *homines* ſolent. (5. Eiſdem *affectibus*, excepto peccato, ſubjectus fuit, quibus & reliqui homines: comedit, bibit, dormivit, defatigatus eſt &c. Ita ei attribuitur *gaudium.* Luc. 10: 21. *Triſtitia.* Matth. 26: 38. *Metus.* Hebr. 5: 7. *Ira.* Marc. 3: 5. Sed & expreſſe dicitur *conceptus*, *in utero geſtus*, *genitus*, *creviſſe;* quæ omnia non niſi de vero homine intelligi poſſunt. Ideo & *filius hominis* vocatur. (6. Beata Virgo eum in viſceribus concepit, & novem menſes, quo ſpatio corpus humanum formari ſolet, geſſit, & tandem enixa eſt, quum *adeſſet terminus.* Luc. 2: 6. (7. Si Chriſtus non revera eſſet natus ex ipſa ſubſtantia Mariæ, & ſi corpus aliunde ſumpſiſſet, tunc ineptiſſima in Chriſto ſtatuenda eſſet metamorphoſis. Nam à Deo creatus fuiſſet perfecta *ſtatura virili*, aut *infans.* Si prius, tunc amittere debuiſſet ſtaturam *virilem*, & aſſumere *infantilem*, ut poſſet naſci ex Virgine, aut potius *per eam tranſire;* deinde iterum debuiſſet ſenſim creſcere, ut perveniret ad ſtaturam virilem. Si *infantili ſtatura* creatus fuiſſet, ex quanam ſubſtantia creviſſet ad ſtaturam virilem? Si ex *alimentis*, tunc corpus conſtitiſſet ex *mixta materia*, partim ex *materia* aliqua *cœleſti*, aut alia, quæcunque illa fuiſſet, partim verò ex *alimentis*, ut reliqua corpora hominum; quæ omnia ſunt abſurdiſſima, & contra hiſtoriam Euangelicam.

*Chriſtus natus eſt ex ſubſtantia Mariæ.*

V. Fruſtra argutantur. I. *Chriſtum dici, nec patrem, nec matrem habuiſſe.* Hebr. 7: 3. *Sine patre* enim fuit, reſpectu naturæ humanæ; *ſine matre*, ratione naturæ divinæ. II. *Eum deſcendiſſe de cœlo.* Joh. 3: 13.

*Solvuntur argumenta adverſariorum in*

ut formaretur ſpatio *novem menſium*, fit enim mentio de *diebus*, qui debebant *impleri* ad pariendum. Luc. 2: 6. Vide etiam Luc. 1: 26. Ipſum autem *momentum conceptionis* fuit poſt annunciationem Angeli finitam. *Vocatum eſt nomen Jeſu ab Angelo, priusquam conciperetur in utero.* Luc. 2: 21.

*An Chr. formatus uno momento?*

VIII. *Maria* Mater Chriſti *Virgo* fuit *ante partum*, & *in partu.* Nam *Virgo* vocatur. Eſ. 7: 14. Ipſa teſtatur ſe *virum non cognoviſſe.* Luc. 1: 34. Sed *poſt partum* eam quoque *Virginem* remanſiſſe, Sacra Scriptura quidem non docet, tamen fide humana credi poteſt. Et quamvis I. *Chriſto attribuantur fratres.* Veluti Matth. 12: 46. *Mater & fratres ejus aderat.* & 13: 55. *fratres ejus Jacobus, Joſe, Simeon & Judas* &c. non ſequitur tamen *eam poſtea viro nupſiſſe.* Nam more Hebræorum dicuntur *fratres*, etiam illi, qui tantum ſunt *cognati.* Gen. 13: 8. II. *Primogenitus* dicitur Chriſtus, non quod habuerit revera *fratres*, ſed quod *utrum matris ſolverit;* quicunque enim uterum matris primus ſolvit, is *primogenitus* dicitur, ſive plures ex eadem matre naſcantur, ſive unicus tantum natus ſit. Exod. 13: 2. Num. 18: 15. III. Verba *non cognovit eam Joſephus, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Matth. 1: 25. non dicunt Joſephum eam poſtea cognoviſſe. Non enim id notat vocabulum *donec;* ſed aliquando ſignificat *nunquam.* Veluti Gen. 28: 15. *Non deſeram te* עד אשר *donec hæc fecero*, id eſt *nunquam deſeram te.* Et 2. Sam. 6: 23. *Michali non erat puer donec moriretur;* id eſt nunquam, cum poſt mortem non potuiſſet parere. At vero Mariam feciſſe *votum virginitatis perpetuæ*, fruſtra contendunt *Pontificii*, cum id nuſquam legatur, nec iſtis temporibus ejuſmodi vota obtinuerint. Sane cum deſponſata fuerit Joſepho, tale votum abſurdum fuiſſet: *nupta* enim (qualis etiam cenſetur deſponſata) *non habet poteſtatem proprium corpus.* 1. Cor. 7: 4. Non etiam ſequitur ex eo quod *Virgo* fuit, eam peperiſſe *clauſo utero.* (1. quia non poteſt fieri penetratio dimenſionum. (2. *purificata* eſt ab immunditie puerperii, & *oblationem obtulit*, quod *uter apertus eſſet à primogenito.* Luc. 2: 32, 33. Tandem non poteſt etiam dici ſine dolore peperiſſe. (1. quia fuit peccatrix, & pœna peccati eſt dolor partus. Geneſ. 3: 16. (2. Contrarium nuſquam legitur.

*Maria erat virgo.*
*Virginem manſiſſe credibile eſt.*
*Solvuntur argumenta.*
*Maria non fecit votum virginitatis.*
*Non peperit clauſo utero.*
*Nec ſine dolore.*

IX. Ex his omnibus meridiana luce clarius eſt, Chriſtum habere veram naturam humanam, ex Virgine Maria, adeoque eum eſſe verum *hominem*, æque ac verum *Deum.* Patet quoque Unio-

nem duarum naturarum non esse factam, per *mutationem* vel *conversionem*, quasi natura divina mutata esset in humanam, sed tantum per *assumptionem*, quatenus persona divina naturam humanam assumpsit, ac in ea sese manifestavit. Ideo dicitur *assumpsisse formam servi*, non in eam *mutatus*. Phil. 2: 7. Ita & *manifestatus in carne legitur*, non *in carnem mutatus*. 1. Tim. 3: 16.

*Assumptio dicitur personalis.*

X. Dicitur etiam hæc assumptio *personalis*, quia naturam humanam assumpsit, non ut ea uteretur tanquam *instrumento* aliquo, quemadmodum Christus ipse olim formam hominis assumpsit, ut in ea appareret Abrahamo, & cum eo loqueretur, quam postea deposuit. Gen. 18. Nec etiam quemadmodum homo assumit vestem, sed potius ut cum ea constitueret *personam* θεανθρώπου, fere eodem modo, quo anima hominis assumit corpus humanum, ut in duabus naturis unicus esset *homo*, & *unica persona*.

# CAPUT XVI.

*De Persona, de Unione Personali, sive hypostatica naturæ divinæ & humanæ Christi, & de Communicatione Idiomatum.*

I. PErsonam esse *Substantiam individuam, spiritualem alteri non junctam, ut cum ea faciat suppositum*, ostendimus *Parte II. Cap. VII.* ubi de *Trinitate* egimus. Ostendimus ibidem quoque *subsistentiam in abstracto* non consistere in aliquo *positivo*, quasi *substantiæ singulari intelligenti* aliquid superadderet, sed in mera *negatione unionis* cum alia substantia, ut cum ea faciat suppositum, sive personam.

II. Cum autem hæc materia, tanquam ardua & totius Theologiæ difficillima à Theologis parce tractari soleat, & cum experti simus eam à multis, etiam Theologis & Philosophis, parum intelligi, nos, quo res clarior fieret, saltem quantum in tam altis mysteriis fieri potest, eam clarius & fusius pertractabimus. Examinabimus itaque primo, quid sit *persona*; deinde quid sit *personalitas*, sive *subsistentia in abstracto*, quæ ad substantiam singularem intelligentem requiritur ut *persona*, & non *pars* alterius dici possit.

*Persona quid?*

III. *Persona* igitur est *substantia singularis individua intelligens, cum alia non juncta, ut cum ea faciat suppositum sive personam.* Ante omnia oppor-

opportet ut ſit *ſubſtantia*, non *accidens*, ut magnum, parvum, calidum, frigidum, album, nigrum &c. Ergo *perſona* non poteſt *alteri inhærere*, ſed debet *per ſe ſubſiſtere*. Deinde non quælibet *ſubſtantia* facit *perſonam*. Nam *ſubſtantia corporea* ut lapis, lignum, aurum, argentum, caro, oſſa &c. à Philoſophis dici ſolet, non *perſona*, ſed tantum *ſuppoſitum*. Sed *ſubſtantia ſpiritualis*, ſive *intelligens* requiritur ad *perſonam*. Quando igitur *Spiritus* aliquis, *ſubſtantia intelligens* ita ſeparatim ſubſiſtit, ut non ſit pars alterius, tunc dicitur *perſona*.

*I. Debet eſſe ſubſtantia.*

*II. Spiritualis.*

IV. Non ſufficit tamen ut *ſubſtantia intelligens* ita in genere ponatur, ut ſit *perſona*; ſed debet eſſe ſubſtantia *ſingularis*, non minus quam *intelligens*. Ex. gr. *Angelus* eſt *perſona*; ſed non ſufficit ut dicam *angelum* in genere; nam non tota *ſubſtantia angelica* in genere ſumpta, ſed ſubſtantia *ſingularis* angelica, in hoc vel illo angelo eſt *perſona*. Ita *Raphael* dicitur *perſona*, quia eſt *ſubſtantia intelligens angelica*, non tantum in *genere*, ſed particularis in *Raphaele*. Ubi itaque adeſt *ſubſtantia intelligens angelica*, & ſimul ſingulares proprietates *Raphaelis*, tunc dico *ſubſtantiam ſingularem intelligentem*, adeoque talem quæ *perſona* eſſe poteſt.

*III. Singularis.*

V. Nihilominus tamen ne hæc quidem omnia ſufficiunt ut dicatur *perſona*. Non enim ſufficit ad *perſonam*, ut dicam *ſubſtantiam ſingularem individuam intelligentem*; quod quidem vellent *Sociniani* eorumque aſſeclæ; Nam ſi hæc ſubſtantia *ſingularis intelligens Raphaelis*, cum alia ſubſtantia, ſive corpore, ſive ſpiritu alio unita eſſet, ut cum ea conſtitueret unam perſonam, quemadmodum Deus tales ſubſtantias in unam perſonam ordinare poteſt, uti apparet in *corpore* & *anima* hominis, quæ à Deo ita unitæ ſunt, ut *unicam* tantum conſtituerent *perſonam*, tunc iſte *ſpiritus* ex. gr. *Raphaelis*, ut ut *ſubſtantia ſingularis intelligens*, tamen non eſſet *perſona*.

*Hæc tamen non ſufficiunt.*

VI. Quæritur igitur quid ad talem *ſubſtantiam ſingularem intelligentem* ex. gr. in *Raphaele* requiratur ulterius ut ſit *perſona?* Hic multi ex Philoſophis & Theologis, qui naturas rerum parum meditari ſolent, fingunt ſibi, neſcio quæ, *poſitiva*, quæ *ſubſtantiam* talem *ſingularem cogitantem determinarent*, uti loquuntur, *perficerent* & *incommunicabilem* redderent. Si autem roges quid ſit illud *poſitivum*, fatebuntur rotunde ſe id ignorare, aut ſi valde docti videri velint, dicent, eſſe *modum entitativum*. Si autem pergas, & iterum roges quid ſit *modus* iſte *entitativus?* Reſpondebunt denuo, ſe id dicere

*Quid prætera requiratur? An Poſitivum.*

non

hominibus. Debet igitur esse *substantia hominis singularis*, id est in *Petro.* Nam per *singulares proprietates Petri*, quas Philosophi Barbari vocarent *Petreitatem*, etiam *singularis* fit *substantia humana.* Eadem *substantia* quoque est *intelligens*, cum habeat spiritum sive animam intelligentem. Nihilominus nondum sufficit, ut dicatur *persona*, etsi sit *substantia humana singularis intelligens;* quandoquidem Deus eam ita ordinare & unire posset cum alia substantia, ut tamen non esset *persona*, sed tantum *pars personæ;* quemadmodum in Jesu Christi natura humana, quæ, ut ut sit *substantia humana singularis intelligens*, tamen non potest dici *persona*, cum sit tantum instar partis *personæ* τȣ̃ θεανθρώπȣ. Quid ergo requiritur præterea ad *substantiam humanam singularem Petri*, ut sit *persona*, & non *pars* alterius? Nihil aliud nisi ut illa *substantia singularis intelligens Petri* habeat propriam suam *subsistentiam*, id est ut non *subsistat, cum alia*, ut cum ea faciat unam *personam*, sed ut *sola subsistat*, alteri *non unita.* An *substantia humana singularis intelligens Petri*, *sola subsistens* non sufficiet ad constituendam *personam Petri?* Sane si aliud excogites, multiplicabis entia circa necessitatem, & mirificam compositionem induces in Petrum, quæ revera in rerum natura non reperitur.

IX. *Scotistæ* aliique hodie satis animadvertunt, præter ea, quæ diximus, ad personam nihil requiri in creaturis; putant tamen rem ita sese non habere in *personis divinis.* Lubentissime fatemur res *divinas* non facile posse comparari cum *humanis* atque *creaturis*, & per eas non satis clare posse exponi; cum sint *mysteria*, quæ captum nostrum superant. Nihilominus tamen, cum nomina *personæ*, *substantiæ*, *subsistentiæ* & ejusmodi alia à *creaturis* translata sint ad *personas divinas*, opportet ut de iis dicamus quæ capere possumus, prout ea capimus, & quantum ea nobis à Deo revelata sunt.

*Sententia Scotistarum.*

X. Quæri igitur potest, an etiam dici possit; *Personam in S. S. Trinitate esse substantiam singularem intelligentem, cum alia non unitam, ut cum ea faciat personam?* Rem ita sese habere, nemo Orthodoxorum dubitabit. Est *Pater* revera *substantia singularis intelligens.* Est primo *substantia Divina*, quandoquidem possidet veram essentiam Dei. Sed cum *essentia divina* sit *communis* tribus *personis*, non sufficit ut dicamus, *Patrem* esse *substantiam* aut *essentiam divinam;* idem enim etiam dicitur de *Filio* & *Spiritu S.* Opportet igitur ut *Essentiam* vel *substantiam divinam* respiciamus tanquam substantiam *singularem.* Talem autem eam consideramus quando eam concipimus in *Patre*, cum suis propriis & *personalibus proprietatibus*, quæ sunt *generare filium* &

*Persona in Divinis.*

quæ dicta sunt, addemus de *Personalitate* & *Subsistentia.* Patres atque Concilia sæpe intelligunt per *Subsistentiam* ipsam *Personam* in *concreto.* Ita dicunt dari tres *subsistentias*, *hypostases* aut *modos subsistendi*: nam *subsistentia* & *modus subsistendi* τρόπος ὑπάρξεως apud eos sæpe significat ipsam *Personam*. Sed *subsistentia* sæpe sumitur *in abstracto*, & dicitur etiam *personalitas.* Hoc autem fit duplici modo. Nonnunquam intelligitur per *personalitatem* id quod *in abstracto* concipitur requiri ad constituendam *personam in concreto.* Et tunc quidem, cum *persona in concreto* sit *substantia singularis intelligens*, uti probavimus, certum est *personalitatem in abstracto* esse ipsam *substantialitatem*, *singularitatem* & *intelligentiam.* Exempli gr. *personalitas in abstracto* Raphaelis est *Angelica substantialitas & intelligentia, cum sua singularitate*, nempe *peculiaribus proprietatibus* Raphaelis. Eodem modo res sese habet in *persona* hominis, *Petri*, *Pauli*, *Jacobi*, & sic de reliquis.

*Subsistentia aliquando sumitur pro persona in concreto.*

*Aliquando in abstracto Duplici modo.*

XII. Si hæc jam velis applicare ad personas divinas in S. S. Trinitate, tunc *personalitas in abstracto* in *Patre* erit *substantialitas divina, intelligentia* & ejus *singularitas*, vel *generare.* Ita in *Filio* eadem *divina substantialitas intelligentia* & *singularitas* id est *generari.* In *Spiritu S.* eodem modo cum sua *singularitate procedere* à Patre & Filio. Sane hæc omnia sunt *positiva* in summo gradu, quoniam omnia sunt *divina*, nec aliter quam *divina* à nobis concipi debent aut possunt. Videntur etiam Orthodoxi, quando dicunt *personalitatem* esse aliquid *positivi*, eam hoc sensu sumere. Quamvis tamen deinde etiam plerumque intelligant solas *proprietates personales*, ut *generare* in Patre, *generari* in Filio, & *procedere* in Spiritu S. Hoc sensu quoque *personalitas* est aliquid *positivi*, quandoquidem *generare*, *generari*, & *procedere* revera est aliquid, adeoque *positivi* quid; quemadmodum ostendimus de *Trinitate*, vol. I. parte II. cap. VII. ubi diximus *proprietates personales* esse *modos subsistendi*, *modos eminentissimos.* De hisce igitur nulla esse potest quæstio inter Orthodoxos.

*Applicantur divinis.*

*Positiva in Personis divinis omnia.*

*Proprietates personales etiam dicuntur subsistentia.*

*Tunc est positivum.*

XIII. Tertio sumitur *subsistentia in abstracto* etiam pro *modo subsistendi*, per quem *substantia singularis* dicitur subsistere, non ut *pars* alterius, sed ut *suppositum*, sive *persona.* Hoc sensu aliquando vocatur *suppositalitas*, aliquando *personalitas.* Quando *substantia singularis corporea*, ubi non est *spiritus*, sive *cogitatio*, veluti *lignum*, *lapis*, *caro*, *arbor* & id genus alia, sola subsistit, ut non sit pars alterius, tunc illud corpus vocatur *suppositum*, ejus autem *subsistentia in abstracto* dicitur *suppositalitas.* Sed quando *substantia singularis Spiritualis* vel

*Suppositalitas & Personalitas distinguuntur.*

*Suppositalitas quid.*

Personalitas quid. *intelligens*, uti *Angelus*, aut *anima humana* sola subsistit, ut non sit *pars* alterius, tunc iste *Spiritus*, sive *substantia intelligens* vocatur *persona*; *Subsistantia* autem ejus *in abstracto* dicitur *personalitas*, quia tunc *persona* subsistit. Quæstio igitur nunc est, quid proprie sit ista *subsistentia in abstracto*, aut ista *personalitas*, per quam talis *substantia singularis intelligens* dicitur, non *pars alterius*, sed *persona?* Utrum scilicet sit aliquid *positivi*, an vero non sit *non unio* cum alio. Hoc sane posterius nos statuimus. Non possum enim concipere quid ulterius requiratur ad *Personam* ex. gr. *Raphaelis*, quam ut habeat *substantiam singularem intelligentem*, quæ sola per se subsistit, & quæ cum alia non est unita, ut *pars* alterius cum quo faciat *personam*. Si autem ad *substantiam singularem intelligentem*, quæ *sola subsistit*, & quæ *alterius pars non est*, adhuc aliud aliquod *positivum* requiratur, ut ei aliquid superaddat, debet ostendi quid illud sit? Sed nullum aliud *positivum* requiri ad constituendam *personam*, præter *substantiam singularem intelligentem & solam subsistentem* manifesto patet. (1. quia nemo unquam exprimere potuit, nec poterit quid sit illud *positivum*. (2. Illi ipsi, qui tale *positivum* urgent, sibi contradicunt, & magis ponunt *negativum* quam *positivum*, dicunt enim esse *modum entitativum* qui *substantiam* reddit *incommunicabilem*; sed *incommunicabilitas* est *negativum* non *positivi* quid. (3. In *Personis* divinis daretur compositio ex *natura singulari per proprietates personales*, & ex alio aliquo *positivo*, quod diceretur ejus *subsistentia*. Adde quod & illud ipsum *positivum* suam etiam haberet naturam, atque sic darentur in qualibet persona duæ naturæ, & ens compositum; cum personæ extra Scripturam nihil affingere possimus, quin multiplicemus entia citra necessitatem, adeoque quin ponamus compositionem. (4. Tali *positivo* ad *subsistentiam in abstracto* non opus est, nam eo ipso, quod est *substantia singularis individua intelligens alteri non juncta*, est persona atque sic dicitur: uti supra fuse demonstratum est. Frustra allegantur *personæ divinæ in S. S. Trinitate*, *quod unica tantum daretur persona*, *nisi subsistentia*, *sive personalitas in abstracto consisteret in aliquo positivo*. Cum sufficiat ad personam divinam, ut sit *substantia divina cum suis proprietatibus personalibus*, per quam eam concipimus tanquam *substantiam singularem*, uti ostendimus. Sufficiat nobis ex Scriptura S. scire, *personam divinam in concreto* esse verum *positivum*, cum sit ipse *Deus* consideratus cum proprietatibus personalibus; & quidem tres dari *personas*, *Patrem*, *Filium* & *Spiritum S. proprietati-*

Quid sit subsistentia in abstracto.

Est non unio.

*bus* suis *personalibus* revera à se distinctas, *Patrem* per Τὸ *generare*, *Filium* per Τὸ *generari*, & *Spiritum S.* per Τὸ *procedere*; Quamvis tamen capere non possimus, quomodo *Pater generet*, *Filius generetur*, & *Spiritus S.* à *Patre & Filio procedat*, adeoque quamvis ignoremus quomodo personæ divinæ inter se & ab essentia distinguantur; hoc enim hactenus nemo nec capere, nec exprimere potuit, nec poterit unquam, cum sit *mysterium* quod captum humanum superat. Sed non minori difficultate sese intricant, qui docent *subsistentiam*, sive *personalitatem in abstracto*, consistere in aliquo *positivo*; cum, uti supra ostendimus, nunquam exprimere queant, quid sit illud *positivum*, cum multiplicent entia citra necessitatem, & hoc modo, in ipsis etiam divinis, inducant compositionem, cum præter *essentiam* & *proprietates personales* ponant *positivum*, & nescio quem *modum entitativum* qui substantiam divinam modificet, terminet, & reddat incommunicabilem. Utrum autem hæc hypothesis omni periculo careat, ipsi, qui tale *positivum* tantoperè urgent, viderent.

*Quid sit subsistentia patet in Christo.*

XIV. Enimvero *Subsistentiam in abstracto*, sive id quod requiritur *ad Substantiam singularem intelligentem*, ut sit *Persona* & non *pars* alterius, nihil aliud esse quam *non unionem cum alio*, patet manifesto in *Incarnatione* Jesu Christi Servatoris nostri. Ut inde facile possint retundi errores *Nestorianorum*, *Socinianorum* & ejusdem commatis aliorum. Sane *natura humana* Christi habet, quidquid ad personam requiritur, nisi quod *non sola subsistat*, sed *assumpta* sit, & *unica* cum divina, ut cum ea unicam tantum faciat *personam*. Est *substantia*, scilicet *substantia humana*. Est quoque *substantia intelligens*, cum habeat *animam cogitantem*. Est quoque substantia *singularis*, nempe *substantia Jesu Christi*, habens omnes *proprietates* quæ in *J. Christo* reperiuntur. Nihilominus tamen non est *persona*. Quænam autem est ratio? An igitur naturæ humanæ Christi quidquam deest? An aliquod *positivum* præterea requiritur? *Modus* aliquis *entitativus*? Quid autem illud esset? & cui usui? Sane tunc nobis non esset in omnibus similis *excepto peccato*, ut loquitur Paulus, sed addendum esset, etiam *excepto isto positivo*, vel *modo entitativo*. Nihil igitur deest *naturæ humanæ* ut sit *persona*, nisi quod non *sola subsistat*, sed *unita sit τῷ λόγῳ*, adeoque *pars* tantummodo sit *personæ θεανθρώπου*. Adeo ut, quemadmodum optime loquitur Cl. *Henricus Altingius*, *si natura humana vel ad momentum seorsim substitisset*, *ut*

*ut non fuisset unita cum natura divina, persona fuisset.* Loc. Com. *De persona & Off. Christi* pag. 148. Et Cl. *Heydanus* Corpore Theol. Loc. 2. pag. 180. *Ideo enim Christi humanitas non est persona, quia nunquam per se exstitit, sed semper in λόγῳ.* Non exigunt Viri Clarissimi aliud *positivum*, nec ullum *modum entitativum*, sed solam *non unionem* cum alio. Ratio est quia *subsistentia* sive *personalitas in abstracto*, quæ requiritur ad *substantiam singularem intelligentem*, ut non sit *pars* alterius, sed *persona*, nihil aliud est quam *non unio cum alia substantia*, ut cum ea faciat totum.

*Si duæ substantiæ uniantur, utraque dicitur constituere personam.*

XV. Si igitur altera substantia individua alteri uniatur, ut cum ea faciat suppositum, neutra dici potest *persona*. Ex. gr. *Corpus* Petri, cum sit *unitum* animæ, non potest dici *persona Petri*; nec ejus *anima*, quia est unita corpori dici potest *persona*. Sed ex duabus substantiis unicum tantum fit *suppositum*, una *Persona*, veluti *corpus* & *anima* Petri unicam constituunt *personam Petri*. Si autem sint duæ naturæ *spirituales* sic ordinatæ & unitæ, *unicam* etiam tantum constituent *personam*: nam si duo Angeli ita à Deo ordinati & uniti essent, ut unam haberent subsistentiam, & non separatim subsisterent, tunc etiam *unicam* tantum constituerent *personam*. Ita in *Christo* dantur revera duæ *Substantiæ Spirituales*, nempe *divina* & *anima humana*, tamen cum sint ita ordinatæ ut *natura humana* non habeat separatam, & sibi peculiarem subsistentiam, sequitur duas naturas, *divinam* scil. & *humanam*, unicam tantum facere personam θεανθρώπου: alias certum est, si natura humana separatim subsisteret, & peculiarem suam haberet subsistentiam, præter subsistentiam τοῦ λόγου, qui naturam humanam assumpsit eamque sustentat, tunc *duæ* darentur *personæ*, alia *Divina*, alia vero humana, quæ sunt deliria *Nestorii*.

*Actiones & passiones toti supposito attribuuntur.*

XVI. Porro quando duæ substantiæ ita unitæ sunt, tunc *actiones* & *passiones* utriusque toti *supposito*, sive *Personæ* attribuuntur. Ex. gr. totus homo dicitur *cogitare*, *velle*, *ambulare*, *loqui*, *edere*, *dormire*, &c. quamvis principium *cogitationis* sit spiritus, *comestionis* corpus. Eodem modo per *unionem personalem* in J. C. persona S. S. Trinitatis ita sibi assumpsit & ordinavit naturam humanam, ut actiones & passiones utriusque naturæ de Christo, tanquam de una persona, dicantur. Ex. gr. *Deus natus est*, quamvis sola natura humana nata sit; *Deus passus* est, *mortuus* est, *Ecclesiam sanguine suo redemit*, & ejusmodi alia. Ita eadem, quæ videntur opposita, de eodem

Christo,

Christo, eademque persona dicuntur, secundum diversa principia sua. Veluti, Christus est *æternus*, & *in tempore natus*; est omnisapiens & *ignorat* diem judicii; est *ante Abrahamum*, & est *ejus filius*, est *Dominus Davidis*, & *ex eo natus*.

XVII. Christus secundum naturam divinam, etiam antequam hypostatice, sive per unionem personalem, assumeret naturam humanam, ab æterno fuit vera *persona*. Et nunc post unionem manet eadem *persona*, sed accessit alia denominatio extrinseca, quod eadem persona, quæ ab æterno *Deus* solummodo dicebatur, nunc dicatur θεάνθρωπος. Igitur ejus *natura humana* non potest dici *persona*, quia non habet subsistentiam sibi peculiarem, sed subsistit in subsistentia τοῦ λόγου, quam habuit ab æterno. Quamvis tamen concedamus, naturam humanam Christi fuisse personam, si non fuisset unita & ordinata personaliter ad naturam divinam in eadem subsistentia.

*Christus ab æterno fuit vera persona.*

XVIII. Inutilis est quæstio, utrum ὁ λόγος potuisset assumere *substantiam ratione destitutam*, vel etiam *accidens?* cum jam dictum [e]t, personam esse *substantiam intelligentem*. Nec magni momenti est [i]lla quæstio; *utrum potuerit assumere personam humanam?* cum id ad [s]alutem non sit scitu necessarium. Quamvis tamen nullam in eo videamus impossibilitatem. Nam si assumpsisset & sibi ordinasset personam, in unionem hypostaticam, tunc illa assumpta persona desiisset esse persona, eo ipso quod ab alia persona in unionem personalem assumpta fuisset: adeoque non duæ *personæ*, sed duæ *naturæ* in *unam personam* unitæ fuissent. Sed hæc inter Scholasticorum tricas recensenda sunt. Ejusdem fere generis est quæstio hæc: *Utrum duæ naturæ divina & humana, duæ partes dici debeant ejusdem personæ?* Ita enim natura divina dici non potest, nisi admodum improprie: cum *partes* habeant tantum respectum ad totum, sed natura divina & humana sint *principia* actionum & passionum, quod plus dicit quam *partes*. Ergo diversa *principia* potius quam *partes* dici debent. Nihilominus tamen, quatenus nec natura *divina*, nec *humana* sola constituit personam θεανθρώπου, sed utraque simul, eatenus suo sensu, quasi analogice *partes* τοῦ θεανθρώπου dici possunt.

*Vanæ quæstiones.*

XIX. Non inconcinne veteres dicere solebant, hanc *Unionem* duarum naturarum factam esse ἀχωρίστως *Inseparabiliter*; ἀδιαιρέτως *Indivise*; ἀτρέπτως *sine conversione*: & ἀσυγχύτως *sine confusione*. Dici enim debet. I. ἀχωρίστως *inseparabiliter*, quod naturæ *divina* & *humana* à se

*I. ἀχωρίστως.*

se nunquam possint divelli. Satis incaute itaque loquuti sunt quidam veterum, qui docebant; divinam deseruisse naturam humanam in morte Christi, quare exclamaverit, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti*. II. ἀδιαιρέτως *indivise*, quia in Christo non est *alius* & *alius*, quemadmodum pessime docuit Nestorius, in Christo dari *duas personas*, alteram *divinam*, alteram vero *humanam*; quasi duæ naturæ necessario facere deberent duo supposita, aut duas personas; quod quam falsum sit, ex sola unione corporis cum anima, satis manifesto constat. Adde quod hac ratione *duos* haberemus *Mediatores*, alterum *hominem*, alterum *Deum*; quod tamen falsum esse testatur Paulus 1. Tim. 2: 5. ubi exsertis verbis dicit *unum* esse *Mediatorem*, non *duos*. Ita & *duos* haberemus *Dominos*, contra eundem Paulum, 1. Cor. 8: 6. ubi *unicum* tantum asserit. III. ἀτρέπτως *sine conversione*: Non enim conversa est natura divina in humanam, nec humana in divinam. Sed quælibet natura in æternum ab altera distincta manet, quamvis ab ea non sit separata. IV. ἀσυγχύτως *sine confusione*; cum nec natura, nec naturarum proprietates confundantur, & quasi in unum abeant. Ut turpiter delirent *Eutyches* & *Dioscorus*, qui *Nestorium* impugnabant, quod duas personas docuerit, dum ipsi non magis Orthodoxe statuebant unicam tantum naturam: quasi vero duæ naturæ non possent uniri hypostatice in unam personam. Adeoque in eundem lapidem impingit *Eutyches*, in quem impegerat *Nestorius*, saltem erravit errorem non tolerabiliorem.

II. ἀδιαιρέτως. III. ἀτρέπτως. IV. ἀσυγχύτως.

*Est unica tantum persona.*

XX. Manifestum igitur est, ut ut duæ sint naturæ, divina & humana, tamen unicam tantum esse *Personam*, unum *Mediatorem*, unicum *Dominum*, unicum *filium Dei*, immo *filium Dei* & *Mariæ* esse unum eundemque; ut Maria revera dici possit θεοτόκος *Deipara*. Nam qui ex Maria nasciturus erat, vocari debebat *filius altissimi, filius Dei*. Luc. 1: 32, 35. Hinc etiam *filius hominis* & *filius Dei* simul vocatur. Quamvis tamen secundum naturam humanam, si consideretur in se & sua natura, tanquam homo, dici possit *filius Dei*, ita tamen ut homo spectetur tanquam assumptus in personam τοῦ λόγου, quod una tantum persona sit Θεάνθρωπος.

XXI. Non est igitur, quemadmodum pessime docent *Sociniani*, tantum filius *adoptivus*, ut fideles, sed per naturam & generationem ac personalitatem. Opposita sunt filium esse per *adoptionem*, & per *generationem*, quemadmodum alibi ostendimus. Cum igitur sit filius

per

per *generationem*, non potest esse filius per *adoptionem*. Ideo dicitur, non tantum *filius* Dei, quemadmodum & fideles nonnunquam ita vocantur, sed *filius unigenitus*. Joh. 3: 16. *filius dilectus*. Matth. 3: 17. & *proprius filius*. Rom. 8: 32. quod de nullo alio homine unquam dictum est: *cui enim unquam dixit, tu es filius meus, hodie genui te*. Hebr. 1: 5. Ideo *se declarasse* dicitur *filius Dei in potentia*. Rom. 1: 4. Quare Judæi recte judicarunt, Christum *se similem dixisse Deo*, quum *se vocaret filium Dei*. Matth. 26: 63, 64, 65, 66. Joh. 5: 18.

*Christus est filius Dei, non per adoptionem, sed per generationem.*

XXII. Per hanc Unionem personalem humanæ naturæ communicata sunt primo varia χαρίσματα sive *variæ gratiæ*: quales sunt 1. *Gratia Unionis*. 2. *habitualis*. 3. *Potestatis Mediatoriæ*, & 4. *Adorationis*. 1. *Gratia Unionis* communicata dicitur, quatenus natura humana assumpta est à λόγῳ & unam tantum facit personam. Unde revera natura humana evecta est supra naturam Angelorum. II. *Gratia habitualis*, quatenus *sanctitate*, aliisque donis pollet supra omnes homines. *Unctus est oleo lætitiæ supra consortes suos*. Psl. 45: 8. etiam supra *Reges, Prophetas* & *Sacerdotes* Veteris Testamenti. Vide Es. 11: 1. Joh. 1: 14. Act. 10: 38. *Non est fraus in ore ejus*. Es. 53: 10. Erat *Summus Pontifex ab omni peccatore remotus*. Hebr. 7: 26, 27. Nemo eum unquam poterat *accusare peccati*. Joh. 8. Unde sequitur Christum peccare non potuisse, adeoque non potuisse sponsionem semel susceptam deserere. Nec inde sequitur: *Christum non fore liberum*: cum is, qui non potest peccare, maxime sit *liber*, novit enim Deum perfecte eumque amat. Sic & ipse Deus, Angeli & beati in cœlo peccare non possunt, tamen sunt *liberrimi*. III. *Gratia Potestatis Mediatoriæ*. Es. 33: 22. & 42: 1. *Omnis* enim *ei data est potestas in cœlis & in terra*. Matth. 28: 18. *Pater ei dedit potestatem faciendi judicium, quia filius hominis est*. Joh. 5: 27. Omnes autem hæ gratiæ, quas natura humana per hanc unionem accepit, sunt *finitæ*, non *infinitæ*; cum in hominem, qua hominem, non possit cadere *infinitum*. IV. *Gratia adorationis*, quatenus revera homo dici potest adorari: Christus enim θεάνθρωπος adoratur. Joh. 5: 22. Hebr. 1: 6. 1. Petr. 3: 22. Rom. 14: 7, 8. Phil. 2: 9, 10. 1. Cor. 2: 8. Notetur quod dicamus gratiam adorationis communicari naturæ humanæ, non alio sensu, nisi *quatenus* per hanc unionem revera *homo dici potest adorari*, ut omnem ansam præriperemus cavilandi, quasi statueremus ipsam *naturam humanam* adorari: cum non *natura*, sed *persona* adoretur, (actiones enim sunt suppositorum) adeoque *homo*, non *natura humana*: ideo

*Christo communicata sunt varia χαρίσματα.*

ſtatim addidimus, ut nullus poſſet ſupereſſe ſcrupulus: *Chriſtus enim θεάνθρωπος adoratur*, quamvis tamen tuto dici poſſit, gratiam hanc naturæ humanæ communicatam eſſe, eo nempe ſenſu, quod ſine iſta unione Hypoſtatica, natura humana nunquam ad tantam gloriam evecta fuiſſet, ut *homo* dici potuiſſet *adorari*.

*Utrum Christus adorandus qua Mediator.*

XXIII. Inde igitur non ſequitur: Chriſtum adorandum eſſe *qua Mediatorem*, ita ut proximum & formale *fundamentum* adorationis ſit *officium Mediatoris*, ut peſſime docent *Sociniani*; ſed eſt ipſius *natura divina*, quia omnis *divinitas* per ſe adoranda eſt.

XXIV. Ut hæc quæſtio rectius intelligatur, diſtinguenda eſt illa phraſis *qua Mediator*. Dicitur ſcilicet *qua Mediator* 1. *ſpecificative*, ut deſignet ſpecifice eum, qui eſt adorandus, nempe hoc ſenſu: *is, qui Mediator eſt, adorandus eſt*. Vel 2. *reduplicative*, ut deſignet aliquam cauſam impulſivam adorationis, nempe *quia* Mediator. Nam ſi Deus eſt adorandus, propter omnia beneficia ſua, maxime propter beneficia Mediatoris. Hoc ſenſu, *ſpecificative* & *reduplicative*, concedimus Chriſtum eſſe adorandum *qua Mediatorem*: nam is, *qui* eſt Mediator, & *quia* eſt Mediator adorari debet. *Dignus enim eſt agnus, qui occiſus eſt, ut accipiat honorem* &c. Apoc. 5: 12, 13.

XXV. Sed τὸ *qua Mediator* maxime ſolet ſignificare *cauſam formalem*, ſive *fundamentum proximum* & *formale* adorationis, ut ſenſus ſit: *Chriſtus eſt adorandus ſub hoc conceptu formali, qua Mediator*. Hoc ſenſu negatur Chriſtum eſſe adorandum *qua Mediatorem*; quia eſt Mediator *qua Deus* & *homo*, adeoque adorandus eſſet qua *homo*, non minus quam *qua Deus*; nam conceptus formalis *Mediatoris*, involvit utramque naturam, *humanam*, non minus quam *divinam*; Ergo ſub hoc conceptu eſſet adorandus, qua *homo*, non minus quam qua *Deus*, quod eſſet impium. Non ſufficit, ſi quis excipiat: *Chriſtum non tantum eſſe hominem, ſed & Deum, & Mediatorem, non tantum qua hominem, ſed etiam qua Deum, adorandum eſſe tanquam Deum, non qua hominem.* Nam ex hac ipſa exceptione patet, eum non eſſe adorandum *qua Mediatorem*, ſed *Mediatorem* eſſe adorandum qua Deum tantum; adeoque ſub iſto formali conceptu, *qua Deum*, non *qua Mediatorem*. Ejuſdem generis eſt aliorum quorundam exceptio altera: Chriſtum eſſe *omniſcium*, *omnipotentem* &c. *qua Mediatorem, paſſum eſſe qua Mediatorem, quamvis ſit omniſcius, omnipotens* &c. *tantum quoad naturam divinam, adeoque eodem modo adorandum eſſe qua Mediatorem, quamvis ſola natura divina ſit adoranda.* Nam ſi velimus

*Exceptiones.*

accu-

accurate loqui, negamus *causam formalem*, de qua hic est quæstio, *omnisapientiæ*, *omnipotentiæ* &c. esse Mediatorem sub isto conceptu formali, *qua Mediatorem*, sed solam *naturam divinam.* Ita quoque negamus Christi passionis causam formalem esse *Mediatorem*, aut eum passum esse sub hoc formali conceptu, *qua Mediatorem*, passa enim est *natura humana*, alias natura *divina* etiam passa esset, (quod nemo Orthodoxorum concedet) cum conceptus formalis, *qua Mediator*, involvat naturam utramque, *divinam* æque ac *humanam.* Quamvis concedamus Mediatorem esse *omniscium*, *omnipotentem &c.* atque *passum esse*, immo etiam *quia Mediator* est, eum esse *omniscium &c.* & *passum esse*, negamus tamen fundamentum *omniscientiæ &c.* esse aliud quam ejus naturam *divinam*; aut *passionis* aliud quam naturam *humanam.* Igitur est *omniscius*, *omnipotens*, sub hoc formali conceptu, *qua Deus*, non *qua Mediator*; *passus* est sub conceptu formali, *qua homo.*

*Solvuntur argumenta contraria.*

XXVI. Frustra quoque dicitur I. *Si Christus adorandus est qua objectum fidei; ergo & qua Mediator, quia qua Mediator est objectum fidei.* Nam in Christo *objectum fidei* varie sumi potest. Vel pro omni eo quod de Christo credi debet, veluti eum *esse Deum & hominem*, tunc erit objectum fidei, *qua Mediator.* Sed hoc sensu nego Christum, *qua objectum fidei*, esse adorandum, cum & homo, & *qua homo*, adorandus esset. Deinde *objectum fidei* sumitur pro eo, quod est fundamentum proximum & formale ad quod ultimo terminatur nostra fiducia, in quo acquiescit fidelis & tranquille recumbit. Hoc sensu Christus, *qui* est Mediator, est quidem objectum fidei; nego tamen eum esse objectum fidei, *qua Mediatorem*, sed dico *qua Deum*: in solo enim *Deo* fiducia nostra collocanda est, non in *homine* (nam *maledictus, qui fidit in homine.* Jer. 17: 5.) Ergo ut se habet *adoratio*, ita & *fides*, cum fides sit species adorationis; & iterum adoratio sit effectus fidei; *quomodo enim invocabunt eum in quem non crediderunt.* Rom. 10: 14. II. *Adorandus est qua creator*, 1. Petr. 4: 19. *ergo etiam qua Mediator: quia particula ὡς ibi æquipollet τῷ quatenus.* Nam. 1 particula ὡς varias habet significationes. Videatur *Devarius de particulis Græcis.* 2. quocunque modo sumatur ista particula, falsa semper erit consequentia. Christus enim est *Mediator*, qua *Deus & homo*, sed est *creator* tantum *qua Deus*, ergo *qua Deus* tantum est adorandus. Adeoque hoc argumentum ipsi opponenti est contrarium, nostramque sententiam confirmat. III. *Christo qua Mediatori offerimus preces nostras, sua*

*intercessione sanctificandas.* Christo, *qui* est Mediator, & *quia* est Mediator, offerrimus preces nostras, non offerrimns eas Christo, sub isto conceptu formali, *qua Mediatori*, sed *qua Deo*, solus enim Deus, *qua Deus*, est invocandus. Sed hoc est τὸ κρινόμενον. IV. *Magi eum adorabant qua Regem.* Adorabant Christum Regem, non simpliciter *qua Regem*, sed *qua Deum*, qui erat verus Rex. V. Nec *ista sententia* dici debet, *piarum aurium offensiva.* Nam pii, si habeant veritatem junctam cum pietate, non possunt offendi: veritas enim pios non offendit. Deinde propter infirmiores veritas quidem clare & prudenter proponi debet, sed non est premenda. Isti homines potius educendi sunt.

*Communicatio Idiomatum.*

XXVII. Per eandem unionem hypostaticam etiam communicata sunt varia *Idiomata*, sive *proprietates*; quod tamen recte intelligendum est. Ita scilicet ut *idiomata* & *proprietates*, quæ huic naturæ peculiares sunt, toti personæ θεανθρώπῳ communicentur, sive de ea dicantur. Ex. gr. *Deus* dicitur *mortuus*, habere *sanguinem*, quamvis Christus secundum humanam naturam tantum mortuus sit. Ita quoque Christus dicitur *omniscius*, *omnipotens*, quamvis talis sit, secundum naturam divinam tantum, non humanam. Tamen cum personæ attribuantur, de toto Christo vere prædicantur. Hinc, secundum quosdam, *verbalis* dicitur *communicatio:* quia magis consistit in prædicatione, quam in *re*. Quanquam tamen etiam dici possit *realis*, eatenus quod revera toti personæ conveniat.

*Verbalis.*

*Realis.*

*Est communicatio, quæ sit Personæ, non naturæ.*

XXVIII. Est igitur hæc communicatio *personæ*, non *naturæ*, id est terminatur in tota *persona*, non autem in *natura*. Uno verbo, proprietates unius naturæ non communicantur alteri *naturæ*, sed toti *personæ*. Veluti proprietates *naturæ divinæ* non communicantur naturæ *humanæ*, sed *personæ*, quæ est *homo* æque ac *Deus*, ita nec proprietates *naturæ humanæ* communicantur naturæ *divinæ*, sed *personæ*, quæ est *Deus* æque ac *homo*. Ex. gr. *corpus*, *sanguis*, *extensio*, *modus*, *dolor*, *anxietas*, *metus*, & id genus alia, quæ sunt proprietates naturæ *humanæ*, non possunt communicari naturæ *divinæ*, alias enim Deus mutaretur in *hominem*. Communicantur igitur toti personæ quæ est Deus, sed non ipsi naturæ *divinæ*. Ita quoque *omnipræsentia*, *omniscientia*, *omnipotentia* & ejusmodi attributa alia, quæ in Deo incommunicabilia dicuntur, quia nulla creaturæ communicari possunt, etiam naturæ humanæ J. Christi non communicantur, quod tamen multi ex fratribus Lutheranis male adfirmant.

XXIX.

XXIX. Et hoc quidem ſenſu dici poteſt, nullam dari communicationem *idiomatum*, ſive *proprietatum*. (1. quia deſinerent eſſe *proprietates*: certum eſt eas non poſſe communicari. (2. *Proprietates* Dei ſunt ipſa *eſſentia* Dei, uti oſtendimus, ubi de *attributis* egimus. Ergo ipſa *eſſentia* Dei communicaretur creaturæ. (3. Nulla eſſet ratio, quare & ipſa *æternitas*, & reliquæ proprietates omnes divinæ & incommunicabiles, non communicarentur. (4. Ipſæ proprietates naturæ humanæ deberent communicari naturæ divinæ. Ita ſecundum naturam *divinam*, deberet habere corpus & ſanguinem, deberet eſſe circumſcriptus, viſibilis, palpabilis, finitus; debuiſſet lætitia aut triſtitia affici, timere, dolorem ſentire, toties quoties natura humana ejuſmodi motus ſenſit. (5. Ipſa *Unio* naturarum deſtrueretur. & fieret *mutatio*, aut *transfuſio naturarum*, pro *unione perſonali*. (6. Hæc ſententia non multum abeſt à veterum, & quorundam hodiernorum *Anabaptiſtarum* delirio; nempe naturam divinam mutatam eſſe in naturam humanam. (7. Dicendum eſſet, duos dari *Chriſtos*, duos *Mediatores*, immo duos *Deos*; alterum ab æterno; alterum per communicationem in tempore, quæ eſſent abſurda.

*Quo ſenſu nulla detur communicatio idiomatum.*

XXX. Impoſſibilem hanc *communicationem Idiomatum* Lutherani, aut quicunque illi ſint, non probabunt hiſce argumentis. I. *Vita animæ communicatur corpori; ergo & attributa divina communicantur naturæ humanæ.* Nam hæc minor falſa eſt. Non enim vita animæ communicatur corpori, nec ei communicari poteſt: cum vita *animæ* conſiſtat in cogitatione, quæ corpori communicari non poteſt, *corporis* autem vita conſiſtat in *motu ſanguinis & ſpirituum*. Iſta *intellectualis* & *ſpiritualis*, hæc *corporalis* & *vegetativa* vita dicitur. Nihilominus de tota *perſona* dici poteſt; homo vivit vitam *ſpiritualem* & *corporalem*, in *concreto* ſi de tota *perſona*, vel de toto *homine* intelligatur, non in *abſtracto* ſi de natura *corporis* aut *animæ* dicatur. 2. Ergo hoc Argumentum, à tali exemplo deſumptum, retorqueri poteſt in ipſos *Lutheranos*. De tota *perſona* Chriſti in *concreto* dici poteſt & debet: quod ſit *omnipotens*, *omniſcius*, *omnipræſens*, immo & *æternus*, & *ſumme perfectus*; ut & *finitus*, *corporeus*, *extenſus*, *viſibilis*, *palpabilis*, *paſſus*, *mortuus* & *reſuſcitatus*. Negamus tamen idem ita poſſe dici de natura, ſive *divina*, ſive *humana* in *abſtracto*. Falſum enim eſſet, ſi quis diceret: *Chriſtus ſecundum naturam divinam eſt finitus*, *corporeus*, *extenſus*, *viſibilis*, *paſſus*, *mortuus* &c. Ita & falſiſſimum

*Solvuntur argumenta adverſariorum.*

esset, si quis diceret: *Christus secundum naturam humanam est omniscius, omnipotens, omnipræsens, æternus & summe perfectus.* II. Quod dicant, *Ferro candenti communicatur calor & lux ignis.* Nam hæc de *calore ignis* tam frigida sunt, ut vix responsionem mereantur. Hæc enim non est *communicatio idiomatum, proprietatum*, in eadem persona, sed est *confusio substantiarum*, quatenus scilicet particulæ primi elementi, sive ignis, ingrediuntur in ferrum per ejus poros: sed non est *unio hypostatica*, multo minus *communicatio idiomatum*. III. Male allegatur Paulus Col. 2: 9. *Omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo corporaliter.* Nam 1. Si τὸ *corporaliter* sumas ad literam, tunc tota Deitas habitabit in solo corpore Christi, non in tota ejus natura *humana*, quod esset absurdum. 2. *Corporaliter* sumi potest pro *plene, perfecte*, secundum *longitudinem, latitudinem*, & *profunditatem*, uti loquitur idem Paulus Ephes. 3: 18, 19. 3. Per *corporaliter* hic debet intelligi *vere*, & opposite ad *umbras* Veteris Testamenti: ut Christus opponatur templo Veteris Testamenti. Nam in Templo Deus quidem habitavit, sed non nisi per *umbras*: habebant enim tunc *umbras* tantum *rerum futurarum*. Hebr. 10: 1. Sed sub Novo Testamento Deus non amplius habitat in Templo manu facto, tanquam per *umbras*, sed in *Christo* revera: cum Christus sit corpus istarum *umbrarum*. Colos. 2: 17. Christus enim ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Joh. 1: 14. id est, quemadmodum olim in templo suam [illegible] *habitationem*, ita nunc in ipso Christo, filio suo, habet suam σκήνωσιν *habitationem*, in quo non per *umbras*, sed per ipsum quasi *corpus* se conspiciendum præbet, majestatem, gloriam & gratiam manifestat, ut dicere possimus: ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, ita ut sit πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Joh. 1: 14. IV. Fatemur Christum esse *omnipotentem*, prout dicitur Matth. 28: 18. *mihi data est omnis potestas*. &c. Sed 1. non dicit sibi datam esse δύναμιν *potentiam*, sed ἐξουσίαν *potestatem*. 2. Christus dicit *mihi*, id est toti *personæ*, non *naturæ humanæ* data est omnis potestas. V. Ita quoque Christus est *Dominus qui novit omnia.* Joh. 21: 17. *Scrutatur corda & renes.* Apoc. 2: 23. inde tamen non sequitur eum esse *omniscium* quoad naturam humanam; sed ipsa *persona* Christi est *omnisciens*, quoad naturam *divinam*. 2. Christus dicitur *ignorasse diem judicii*. Marc. 13: 32. quod etiam de persona dici potest, non quoad naturam *divinam*, sed *humanam* tantum. Ita etiam *crevit scientia*, scilicet scientia humana & naturali. Vide Luc. 2: 40. VI. Nec *omnipræ-*

*præsentia* naturæ humanæ probatur ex Matth. 18: 20. *Ubicunque duo aut tres in meo nomine congregati sunt, ero in medio illorum.* Nec ex Matth. 28: 20. *Ero vobiscum usque ad finem mundi.* Ista enim loca non debent intelligi de certa aliqua *natura*, multo minus de natura *humana*, sed de tota *persona*, quæ est omnipræsens, quoad naturam *divinam*. 2. *Nobiscum* est per gratiam, & per virtutem spiritus sui, consolando, corroborando, & defendendo suos. VII. Ita *exaltatus est supra omnes cœlos.* Hebr. 7. Phil. 2: 9. Sed *persona* Christi exaltata est, ex statu *humili* & *exinanitionis*, in statum *gloriosum*. VIII. Inepte argutantur: *Dextra Dei est ubique, Christus sedet ad dextram Dei, ergo Christus est ubique.* Nam præterquam quod hic syllogismus quatuor habeat terminos, tamen, si vel maxime esset legitimus, nihil aliud concluderetur, nisi quod Christi *persona* sit ubique, non autem *natura humana*. Nam ejus *persona* sedet ad dextram Dei, non autem ejus *natura*. Adde eodem modo argumentari me posse: *Manus Dei est ubique, anima Lazari est in manu Dei; Ergo anima ejus est ubique.* IX. Male etiam argumentantur: Si *natura humana non est ubique, tunc sequitur naturas a se esse divulsas, existere naturam divinam, ubi non existit natura humana.* Ista enim consequentia falsa est: cum nulla sit *divulsio naturarum.* Unio non consistit in *præsentia locali*, aut in æquali extensione naturarum. Hoc est τὸ πρῶτον ψεῦδος ineptorum Philosophorum, qui naturam divinam concipiunt tanquam extensam, instar corporis. At vero *Unionem* non consistere in ejusmodi *præsentia locali*, nec in *æquali extensione*; nec in, nescio qua, *mixtione*, aut *confusione*, patet vel ex sola unione mentis nostræ, cum corpore suo, ut suo loco ostendimus. Sed consistit in assumptione naturæ humanæ, in eandem personam τοῦ λόγου, & in mutua relatione naturarum, quatenus proprietates utriusque naturæ toti personæ conveniunt.

XXXI. Sed ficta ista *omnipræsentia* naturæ humanæ manifesto repugnat cum *sanæ rationi*, tum & *Sacræ Scripturæ*. Repugnat, inquam, I. *Sanæ rationi.* (1. quia omne corpus est *finitum* & *limitatum*, adeoque *circumscriptum.* Quod autem habet fines, limites & circumscriptionem illud non potest esse in infinitum extensum. (2. Christus non haberet verum corpus humanum, sed aliud aliquod, plane monstruosum. (3. Daretur penetratio dimensionum, id est corpus penetraret aliud corpus, adeoque duo corpora essent in eodem loco: id est *duo corpora* essent *unicum* tantum, quæ

est

est manifesta contradictio. II. Repugnat etiam *Sacræ Scripturæ.* (1. quia docet Christum fuisse gestum in utero materno, & fasciis involutum, quod repugnat *omnipræsentiæ.* (2. dicit eum post mortem fuisse in sepulchro. (3. In certis quibusdam locis tantum fuisse, & non alibi. *Gaudeo me ibi non fuisse. Eamus ad eum.* Joh. 11: 15, 32. vide Luc. 2: 22. Marc. 6: 45. Joh. 6: 17. Non erat in *sepulchro*, post resurrectionem. *Non est hic.* Marc. 16: 6. Luc. 24: 39, 40. Apoc. 1: 3. Non amplius est in *terra*, post ascensionem in cœlos. *Nam si adhuc esset in terra, ne Sacerdos quidem esse posset.* Hebr. 8: 4. vide Matth. 24: 26. Col. 3: 1, 2. 2. Cor. 5: 6, 8. Act. 3: 21.

XXXII. Quæ porro adferri solent, ad probandum ipsi esse communicatam *potestatem judiciariam*, *vim vivificam*, & ejusmodi alia, illa omnia, inquam, nihil aliud probant, nisi quod talia conveniant *personæ*, ac de persona dici debeant, non autem de *natura*, multo minus de *natura humana.*

## CAPUT XVII.

### *De Exinanitione & Exaltatione Jesu Christi.*

*Exinanitio Christi non est ipsa incarnatio.*

I. EGimus de *Messia*, deque ejus *Persona*, *incarnatione* & *Unione hypostatica:* sequitur ut agamus de ipsius *statu*, qui est duplex. I. *Exinationis.* II. *Exaltationis.* Christus exinanitus est, vel in hac *vita*, vel in *morte* sua. Ipsa *incarnatio*, quatenus homo factus est, ad ejus *Exinanitionem* non pertinet. (1. quia Christus, postquam homo factus est, potuisset statim frui gloria cœlesti (2. Et nunc est *homo* in cœlis, tamen non ideo, quia homo est, exinanitus dici debet, cum potius sit gloriosus. *Exinanitio* igitur Christi consistit in eo, quod assumpserit *formam servi*, non tantum hominis. Phil. 2: 10. quod factus fuerit *minor Angelis.* Ps. 8. *subjectus legi.* Gal. 4: 4. & sub Legis *maledictione.* Gal. 3. versu 13.

*Christi intellectus. Voluntas.*

II. Quamvis Christus insigni polleret intellectu & scientia, tamen *quotidie crevit sapientia.* Luc. 2: 40, 52. Ejus *Voluntas*, quamvis fuerit perfecte sancta, tamen talis fuit, ut vellet quædam evitare si possibile fuisset. *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Matth. 26: 39. Hæc autem est voluntas eorum, qui sunt in statu subjectionis. Ita & ejus corpus, ut ut fuerit pulcherrimum, ut multis

*Corpus.*

ex

ex veteribus ſtatuunt ( contradicentibus aliis ) non habuit tamen tantas vires, quin creverit, & majores acquiſiverit. Fuit enim *infans*, crevit *ſtatura & viribus*, non minus quam *ſapientia*: *edit*, *bibit*, *defatigatus*, *contriſtatus*, *circumciſus* fuit, aufugit in Ægyptum, & ejuſmodi multa alia ei acciderunt, dum in terra viveret, quæ omnia indicabant eum fuiſſe exinanitum.

III. Tanquam homo omnes homines ſapientia & cognitione longe ſuperavit. Non tantum in *Lege Dei*, ſed & in *traditionibus Patrum* verſatiſſimus fuit, quemadmodum patet ex infinitis locis Euangeliſtarum, & ex Diſputationibus quas toties habuit cum Pharizæis. Ideo ab anno ætatis duodecimo legem Dei expoſuit in Synagoga Templi, in medio doctorum. Luc. 2. Poſtea fabrilem artem tractaſſe veriſimile eſt ex Marc. 6: 3. *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ?*

*Sapientia omnes homines ſuperat. In traditione Patrum verſatus.*

IV. Chriſtum tamen *Miracula* feciſſe in infantia ſua; *Pontificem* in Templo egiſſe, aut docuiſſe per totam Vitam, ſunt *Pontificiorum* aliorumque deliria; primum enim miraculum fecit Canan in Galilea. Joh. 2.

*Ejus miracula.*

V. Quamvis diu in terris vixerit, antequam munus ſuum publice obiret, nihilominus tamen per totam vitam *ſubjectus fuit legi*, mortem meditatus eſt pro nobis, totam legem moralem & cæremonialem exacte pro nobis adimplevit, *legique ſubjectus* fuit, ut legi Dei pro nobis ſatisfaceret. Fuit enim per totam vitam *ſubjectus legi*, tanquam Dominæ imperanti conditionem merendi pro nobis.

*Fuit ſubjectus legi.*

VI. Miniſterio ſuo incepit publice fungi circa annum trigeſimum ætatis ſuæ. Luc. 3: 23. quum baptizaretur à Johanne; tunc Deus eum publice & alta voce è cœlo declaravit *Regem*, *Sacerdotem*, & *Prophetam*. *Hic eſt filius meus, in quo complacui, audite eum.* Matth. 17: 5. Inde ſequitur 1. ſi ſit *filius*, eum debuiſſe eſſe *Regem*; 2. Si Deus in eo *acquievit*, fuiſſe *Sacerdotem*, adeoque Deo ſatisfeciſſe, alias Deus in eo non complacuiſſet. 3. Si *audiendus*, fuiſſe *Doctorem* & *Prophetam*. Spiritus Sanctus quoque ſimul ſuper eum deſcendit, in forma columbæ. Hoc autem erat ſymbolum ſpiritualis ejus unctionis, & initiationis, quod ſuper eo *quieſceret Spiritus Jehovæ*, *Spiritus ſapientiæ* & *prudentiæ*, *Spiritus conſilii & fortitudinis*, *Spiritus cognitionis & timoris Dei*. Eſ. 11: 2. quare unctus eſt ſpiritu & virtute. Act. 10: 38. ſic & Pſ. 2: 6. *Unxi Regem meum in monte ſanctitatis meæ.* & Pſ. 45: 8.

*Miniſterium ejus quando incepit.*

*Ejus unctio.*

*Unxit te ô Deus tuus oleo lætitiæ, supra consortes tuos,* Hinc & χριστὸ & משיח id est *Unctus* dictus est. Quomodo autem Christus officiis *Regio*, *Sacerdotali* & *Prophetico* functus sit, à nobis expositum est Parte III. Cap. V. thes. 12. & sequentibus. Cum post baptisma Christi usque ad ejus mortem, quatuor tantum memorentur *Paschata*, aut plurimum quinque, sequitur Christum ministerio publice functum esse quatuor annis, aut tribus cum dimidio, usque ad mortem suam. Exactis tribus istis annis cum dimidio, appropinquavit ipsius passio stricte sic dicta.

*Quamdiu ministerio functus sit?*

*Passus est per totam vitam.*

VII. Verum est Christum *passum* esse per totam vitam suam, cum vita ejus nihil aliud fuerit, quam perpetuus cursus ærumnarum, dolorum, opprobrii, & calamitatum. Dixit enim Jesus ipse: *Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos, sed filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Matth. 8: 20. *Cum dives esset, tamen pauper factus est pro nobis.* 2. Cor. 8: 9. Hinc sæpe lachrymatus est. Joh. 11: 35. Luc. 19. Hebr. 5: 7. Quidquid igitur Christo accidit, præter naturalem propensionem voluntatis, id passio dici potest. Sed ejusmodi res multæ ei acciderunt per totum vitæ cursum: passio enim est id quod homini accidit præter naturalem propensionem, & quod affert dolorem & ægritudinem. Non sequitur tamen, *Christum invite pro nobis passum esse:* aliud enim est *invite*, aliud *præter naturalem propensionem* pati. Sponsor magnam summam pecuniæ solvens pro debitore, hoc non facit ex naturali propensione, alias id semper faceret singulis diebus. Nihilominus cum semel in se susceperit sponsionem, liberrime & sua sponte solvit.

*Quid sit passio.*

*Non est passus invite.*

*Passiones stricte dictæ.*

VIII. Stricte tamen vocantur *passiones*, quas passus est, ultimis duobus diebus: quum *anima anxia fuisset, usque ad mortem;* quum sudasset grumos sanguinis, quum falso accusaretur, ligaretur, pugnis exciperetur, conspueretur, flagellaretur, spinis coronaretur, injuriis, opprobriis ac ludibriis afficeretur. Strictissime autem in cruce, ubi non tantum in corpore, sed & in anima acutissimos sensit dolores, ut exclamaret: *Deus mi, quare dereliquisti me?* quo respexisse videtur Petrus 1. Ep. 2: 24. *tulit peccata nostra in corpore suo in cruce.* Optime igitur Catechesis Palatina. Quæst. 37. *Christus toto quidem vitæ suæ tempore, præcipue vero in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum corpore & anima sustinuit.*

*Strictissime.*

IX. Tota quidem persona passa est, actiones enim sunt suppositorum, ut loquuntur Scholastici, ideo & ipse *Deus* dicitur *Ecclesiam*

*siam redemisse sanguine suo.* Act. 20: 28. Tamen persona passa est, in natura, non *divina*, sed *humana* tantum: cum natura divina pati non possit. Hinc dicitur *passus in carne.* 1. Petr. 4: 1. Hebr. 5: 7. ubi *caro* significat, non tantum *corpus*, sed totam naturam *humanam*; quemadmodum. Joh. 1. & *sermo caro*, (id est homo) *factus est.* Et 1. Tim. 3: 16. *Deus est manifestatus in carne*, id est in *natura humana.* Ergo passus est qua *homo*, non qua *Deus.* Cum autem totus homo passus sit, certum est Christum etiam passum esse, non tantum pœnas corporales, aut ipsum mortem temporalem, sed & mortem infernalem; adeoque in corpore & anima.

*Tota Persona passa est. In natura humana.*

X. Pœnam autem *infernalem* sustinuit in *anima*, eatenus quatenus sensit iram Dei accensam in se, propter peccatum electorum, quod in se susceperat. Ideo *anxia* fuit ejus *anima usque ad mortem*, ut grumos sanguinis sudaverit. Matth. 26: 39. Hinc *ligatus dicitur fuisse doloribus mortis.* Act. 2: 24. Exclamavit *Deus mi* &c. Matth. 27: 46. Exsertis verbis dicitur, quod *posuerit animam pro reatu.* Es. 53. Et quamvis *anima*, sive נפש apud Judæos significet *vitam*, non minus quam *mentem*, hic tamen pro *anima* sumi debet, cum nihil obstet, quo minus ita sumatur, & quia Analogia fidei ac justitia Dei requirit, ut sponsor solvat debitum. Cum igitur meriti fuerimus mortem temporalem & infernalem, in corpore & anima, Christus quoque mortem & in corpore & in anima pro peccatis nostris sustinuit. Tandem & *execratio* dicitur pro nobis factus. Gal. 3: 13. tulit enim id quod lex pronunciet contra peccatorem; sed lex pronunciat *execrationem*, non tantum respectu *corporis*, sed & ipsius *animæ*, scilicet execrationem *infernalem*, Ergo & eam tulit Christus.

*Pœnam infernalem. In anima. נפש quid?*

IX. Tamen ista *execratio* & pœna *infernalis* non fuit *æterna*, sed ad tempus tantum, usque ad ultimum halitum vitæ, quando dixerat, *adimpletum est*, debebat utique *minor fieri angelis*, id est debebat pati, sed מעט / βραχὺ, ad *breve* tempus. Ps. 8: 6. Hebr. 2: 7. Fuit igitur *infernalis* pœna, quoad *intensionem*, non autem quoad *extensionem.* Inde tamen non sequitur, *Christum pro nobis non perfecte solvisse.* Perfecte enim solvit, cum sustinuerit id quod debebamus, debebamus autem sustinere mortem infernalem, ideo eam sustinuit. Et hoc quidem sufficit. Nam *duratio* nihil facit ad essentiam ipsam pœnæ *infernalis.* Deinde erat pœna intensissima, qualis esse solet pœna *infernalis.* Tandem non nuda creatura talem pœnam sustinuit: sed ipse qui erat θεάνθρωπος. Pessime igitur Pontifici docent solam pœ-

*Non fuit pœna æterna, sed מעט βραχὺ. Exceptio.*

*Sola pœna corporis non sufficit.* nam corporis suffecisse, immo *quamlibet guttam sanguinis potuisse redimere mille mundos.* Nec verius iidem dicunt: Christum passum esse dolores, in *inferiori parte animæ.* Verba enim illa nullum habent sanum sensum: cum anima nullas habeat partes. Tandem & inepte statuunt, Christum sensisse dolorem in anima ex aliqua tantum sympathia cum corpore.

*Chr. in cruce pati debuit.* XII. Mortuus autem est Christus in *cruce*, nec aliud genus mortis pati poterat. (1. quia ita erat prædictum. Ps. 22: 17. *Perforarunt manus & pedes meos.* (2. quia istud genus mortis erat maledictum. Deut. 21: 23. Gal. 3: 10. *Maledictus omnis qui pendet è ligno,* (3. Crux depicta fuit per *serpentem æneum.* Joh. 3: 14.

*Christus post mortem quo sensu dici possit homo.* XIII. Christus post mortem, ante resurrectionem, non poterat dici *homo* nisi æquivoce, id est *homo mortuus:* sed non univoce *homo vivus;* adeoque, stricte loquendo, non poterat dici *homo.* Inde tamen non sequitur, *eum desiisse esse θεάνθρωπον:* desiit enim eodem tantum sensu, quo desiit esse homo, id est desiit esse homo *vivus,* mansit tamen homo *mortuus.* Et quamvis soluta fuerit unio naturæ humanæ *vivæ*, tamen non fuit soluta *unio personalis.*

*Pater non est mortuus.* *Chr. non est mortuus in natura divina.* *Natura Divina non est passa.* XIV. Ex his omnibus patet, male statui à *Patripassianis*, ipsum etiam *patrem* mortuum fuisse. Inepte & *Anabaptistæ*, docent Christum esse mortuum in natura divina, ut nihil in eo vivum manserit præter spiritum, quem tradideret patri: cadaver autem fuisse filium Deum. Unde necessario sequeretur, aut duos dari Deos, alterum qui vivus remanserit; aut mundum fuisse sine Deo, durante morte Christi. Nec sanior est sententia *Lutheranorum*, eorum qui docent: Deum *proprie*, sine *tropo*, ipsamque *divinam* naturam passam esse, immo *Trinitatis funus* in morte Christi elatum esse: à qua locutione abstinendum est. (1. quia in S. Scriptura nec αὐτολεξεί, nec per consequentiam docetur. (2. quia *funus* dici debet illius tantum, qui mortuus est; at non *Trinitas*, sed *filius* tantum, secunda persona mortua est, alias tres personæ *incarnatæ* & *mortuæ* essent. Ergo *funus*, non *Trinitatis*, sed *filii* tantum dici potest: quamvis tamen fateamur, non tantum *hominem*, sed ipsum *Deum* esse *natum*, *passum* & *mortuum:* sed in natura humana tantum, non autem in divina.

*Christus est sepultus.* XV. Ut Christus est *mortuus*, ita & *sepultus.* Quæ *sepultura* prædicta & depicta fuit, non minus quam ipsius mors. *Sepultus est secundum Scripturas.* 1. Cor. 15: 4. Luc. 24: 3. Marc 16. 20. Matth. 26: 12. Hæc *sepultura* prædicta fuit. Es. 53: 9. *Dedit cum impiis*

*se-*

*ſepulturam ejus, & cum divitibus fuit in mortibus ſuis.* id eſt ſepulturam fuiſſe deſtinatam à Judæis & Romanis, more Romanorum, inter facinoroſos, ut in ipſo monte Calvariæ, inter oſſa ſceleratorum, qui ibi putreſcere ſolebant, tanquam in ſepulchro: at per providentiam Dei factum eſſe, ut in ſepulchro divitum, ſcilicet Joſephi Arimathæi, ſepeliretur. Matth. 27: 59, 60. Fuit autem ſepultus, ut certius conſtaret, eum fuiſſe mortuum. Si enim ſtatim, poſtquam ablatus fuit de cruce, vitam reſumpſiſſet, homines ſuſpicari potuiſſent, eum non vere fuiſſe mortuum; nunc autem, quum manſerit in ſepulchro per tres dies, ſine alimentis, ſine reſpiratione, certum eſt, eum vere fuiſſe mortuum. Fuit autem poſitus in ſepulchro *novo*, & quidam exciſo in *Petra*. Matth. 27. 60. Luc. 23. 53. *Novum* eſſe debuit, tale ubi nemo jacebat, ne quis diceret, eum reſurrexiſſe contractu & virtute alterius corporis, ſancti alicujus viri, uti factum eſt in ſepulchro Eliſæ. 2. Reg. 13: 20, 21. Erat etiam inciſum in *Petra*, ne Judæi criminarentur, ejus diſcipulos per multos meandros intraſſe, & corpus ejus abſtuliſſe.

*Cur ſepultus.*

*In ſepulchro novo, & in Petra.*

XVI. In ſymbolo Apoſtolorum additur; quod *deſcenderit ad inferos:* quod non intelligendum eſt, quaſi Chriſtus deſcendiſſet in *limbum Patrum*, aut in *Purgatorium*, aut in *limbum puerorum*, aut in ipſum *locum damnatorum*, qui *Gehenna*, & *Infernus* proprie dicitur, ut ſomniant multi ex *Pontificiis*. Nec etiam exponi debet, quaſi ſecundum corpus & animam deſcendiſſet ad inferos realiter, & localiter, ut docent *Lutherani*. (1. cum Scriptura Sacra de ejuſmodi deſcenſione taceat. (2. Cum ea non opus fuiſſet. Multo minus dicendum eſt, quod ſola divinitate in cœlos aſcenderit, anima & corpore apud inferos relictis, ut docent veteres hæretici χριστλύται.

*Deſcenſus ad inferos quid? Non limbus Patrum, nec purgatorium, nec Gehenna. Non deſcendit localiter.*

XVII. Tolerabilior ſententia eſt illorum, qui intelligunt ſtatum Chriſti ſub dominio mortis, per triduum. Nec abſurda dici poteſt opinio eorum, qui per *deſcenſum ad inferos* intelligunt cruciatus & *paſſiones infernales*, quas Chriſtus paſſus eſt, non tantum in corpore, ſed & in *anima*, de quibus Matth. 26: 37. Luc. 22: 44. Matth. 27: 46. Ut hac loquutione ſymbolum voluerit indicare paſſiones non tantum corporis, ſed & animæ. Ita ſane ſtatus depreſſus & miſer cum *inferno* comparatur. *Anguſtiæ inferni me circumdederunt.* Pſ. 116: 3. *Tu Capernaum elatum es ad cœlos, ſed deprimeris uſque ad infernum* Matth. 11: 23. Ejuſmodi angores à Petro vocantur *dolores mortis.* Act. 2: 24. Hoc tamen non eſt ita intelligendum,

*Variæ ſententiæ.*

*Non est passus post mortem.* quasi Christus tantos dolores & angores, immo *hanc mortem infernalem passus esset in anima sua, post mortem.* Minime; tunc enim, quum exspirasset in cruce, *omnia consummata fuerunt.* Joh. 19: 30. Immo eodem die Christus cum latrone erat in *Paradiso.* Luc 24: 34. Sed quod istos angores passus fuerit in horto Getzemane & in cruce. De quibus supra.

*An ipsa sepultura intelligatur.* XVIII. Nos per *Descensum ad inferos* intelligimus ipsam *sepulturam*, ut hæc verba addita sint, ad expositionem priorum verborum. Ideo symbolum Ecclesiæ Romanæ hunc articulum, *descendit ad inferos*, non habet; legitur tantum in Symbolo Ecclesiæ Orientalis, teste Rufino in Exposit. Symbol. De descensu Christi ad inferos tacet *Augustinus*, in Exposit. Symboli. Ita & Symbolum *Nicænum.* In Symbolo Anastasii legitur, descendit ad inferos, nulla facta mentione de *sepultura.* Unde patet Veteres per *descensum ad inferos*, & per sepulturam idem intellexisse. *Objectio.* Non autem dicendum est; *verba propria non explicari per figurativa, adeoque nec sepulturam per descensum ad inferos.* Nam si loquutio figurativa usu recepta est, ut à quolibet intelligatur, tunc adhiberi potest ad exponenda etiam verba propria: sed ista phrasiologia *descendit ad inferos*, pro *sepultus est*, istis temporibus satis erat in usu, Vide Gen. 42: 38. *facietis descendere canitiem meam* לשאול *in infernum*, pro in *sepulchrum:* nam nec canities Jacobi poterat descendere in *infernum*, aut in *limbum*, vel in *locum damnatorum*, nec tanta desperatione loqui poterat Jacobus, ut crederet se abiturum ad damnatos. Eodem sensu legimus: *Non deseres animam*, potius נפש *corpus meum, in inferno.* Ps. 16: 10 id est in *sepulchro*, quæ verba repetuntur à Petro, & de *sepulchro* Christi explicantur. Act. 2: 29. Petro enim idem est שאול ac ἅδης, quæ non de *inferno*, nec de ullo alio loco intelligit, nisi de *sepulchro*, & *sepultura* Christi tantum: quemadmodum sic etiam sumitur à LXX. interpretibus. Gen. 42: 38. Psal. 16. & alibi, unde hæc loquutio Symboli videtur habuisse originem. *שאול idem quod ἅδης.*

*Christus vere mortuus est.* XIX. Cum igitur Christus ita sepultus fuerit, sequitur eum revera fuisse mortuum, uti jam animadvertimus. Unde turpiter errant *Mahumedani* & *Basilidiani* Veteres, docentes Christum non fuisse mortuum, sed potius Simonem Cyrenaicum, aut alium aliquem, qui faciem Christi referret, & à Judæis pro eo esset crucifixus. Sed hac ratione Christus non obtulisset sacrificium Deo Patri, nec peccata nostra expiasset; falsaque essent omnia loca

Scri-

Scripturæ Sacræ, ubi tam exsertis verbis legitur, eum esse mortuum.

XX. Statum *Exinanitionis* sequitur status *glorificationis*. Gradus exaltationis Christi sunt tres. I. *Resurrectio*. II. *Ascensio*. III. *Sessio ad dextram Patris*. *Glorificatio* Christi prædicta fuit, non minus quam ejus Exinanitio. Es. 53: 13. *Ubi posuerit animam pro reatu videbit semen. Prolongabit dies, & desiderium Dei per eum prosperabitur.* Et Es. 52: 13. *feliciter aget servus meus, extolletur valde.* Ps. 2. *Dabo tibi fines terræ hæreditatem.* Ps. 8: 6. Hebr. 2: 7. *Gloria & honore coronatus est.* Luc. 24: 26. *Opportuit Christum hæc pati, & ingredi in gloriam suam.* De hac glorificatione Paulus, Phil. 2: 9. *quare Deus eum valde exaltavit.* Vide & 1. Petr. 1: 11. *Lapis, ab architectis rejectus, factus est lapis angularis fundamenti.* Ps. 118: 22.

*Glorificatio Christi. Ejus gradus tres.*

XXI. Primus *gradus* Exaltationis est *Resurrectio*. Hæc speciatim prædicta fuit. Ps. 16: 10. *Non relinques animam* (id est corpus) *meum in sepulchro, non dabis pium meum ut videat corruptionem.* Hunc locum de Christo explicat Petrus. Act. 2: 27, 31. Vide Es. 53: 10, 11. Act. 13: 34. Ut *Resurrectio* clare fuit prædicta, ita & elegantissime depicta per plures typos. I. pictura fuit *Noachus*, qui ex arca, in qua sepultus erat, resurrexit. Gen. 8: 18. II. *Isacus*, qui tamquam ex morte, ad quam redactus videbatur, resurrexit. Gen. 22. Hebr. 11. III. *Josephus*, qui ex puteo & carcere, tanquam ex sepulchro, ad summam gloriam evectus fuit. Gen. 41. IV. *Moses*, qui ex morte, cui destinatus erat, & ex cista atque aqua, liberatus & factus est Rex Israelis. Exod. 3. V. *Jonas*, qui, postquam in ventre Balænæ fuit tres dies & tres noctes, inde quasi resurrexit. Joh. 3: 1. Matth. 12: 40. VI. *Simson*. Jud. 16: 3. VII. *Ezechias*. 2. Reg. 20: 5. VIII. *Manipulus*, qui in paschate postridie in altum extollebatur & offerebatur. Lev. 23.

*I. Gradus est Resurrectio.*

*Resurrectio fuit prædicta, & Typis depicta.*

XXII. Christum revera resurrexisse, certissimum est. (1. Testantur id Euangelistæ. Matth. 28. Marc. 16. Joh. 21. 1. Cor. 15. Luc. 24: 5, 6. (2. Apparuit multis sanctis, *Angelis*, *mulieribus*, & *discipulis*. Matth. 28: 6. *Petro*, *Johanni* & *Thomæ*. Joh. 20. *Paulo* & pluribus quam quingentis fatribus simul. 1. Cor. 15. (3. Fatentur ipsi Judæi, quamvis inepte nugentur, eum ablatum fuisse per discipulos suos, cum ipsi *Judæi* milites Romanos constituerint custodes, omnemque curam adhibuerint, ut ejus resurrectionem impedirent: immo milites corruperint, ut mentirentur eum ita fuisse ablatum, Matth. 28: 12. Vide Act. 1: 3.

*Christi Resurrect. probatur.*

XXIII.

*Resurrexit tertio die.*

XXIII. Resurrexit Christus *tertio die*, quia (1. ita fuit prædictum. Hos. 6: 2. *Die tertio resuscitabit nos*, (id est in resurrectione J. C.) *ut vivamus coram eo.* (2. Idem erat depictum per *Jonam.* Matth. 12: 40. Vide Matth. 17: 23. Joh. 2: 19. Act. 10: 40. 1. Cor. 15: 4. Et quamvis *sepultus fuerit die Veneris circa vesperam, & resurrexerit die solis mane*, tamen *revera tres dies & tres noctes fuit in sepulchro.* Mansit enim in sepulchro I. partem diei & noctis Veneris. II. totum diem & totam noctem Saturni. III. partem diei & noctis diei Solis. Ergo synecdochice, sumendo partem pro toto, sive initium diei sumas mane surgente sole, circa horam sextam, sive media nocte, revera tres dies & tres noctes fuit in sepulchro. Similem loquutionem vide 1. Sam. 30: 1, 12.

*Objectio.*

*Resurrexit propria virtute.*

XXIV. Resurrexit autem Christus *propriis viribus*, & absoluta sua *potentia divina*, non autem per solam omnipotentiam patris, ut pessime docent *Sociniani.* Nam (1. per Resurrectionem ostendit se esse *filium Dei in potentia.* Rom. 1: 4. id est se esse omnipotentem Deum, qui mortuus, immo seipsum mortuum potest suscitare. (2. Prædictum fuit ipsum ædificaturum templum. Zachar. 6: 12. Non tantum *Ecclesiam* ædificavit, sed & *corpus* sibi formavit; *corpus* autem dici solet *templum Dei.* Joh. 2: 19. (3. Habet *potestatem vivificandi quos vult.* Joh. 5: 21, 26. ergo & seipsum. Habet potestatem, non tantum *ponendi*, sed & *resumendi vitam.* Joh. 10: 18. Ipse templum corporis sui reædificaturum se prædixit. Joh. 2: 19. (4. *vivificatus est spiritu.* 1. Petr. 3: 18. id est propria virtute, quia habet *spiritum vivificantem.* 1. Cor. 15: 45. (5. Habet *potentiam vitæ indissolubilis.* Hebr. 7: 16. (6. vere dixissent Judæi, quum penderet in cruce: *alios servavit, sed non potest se ipsum servare.* Nec obstat, quod dicatur, Act. 2: 32. *Hunc Jesum Deus exitavit.* Ephes. 1: 20. Rom. 8: 10. *Spiritus Dei eum ex mortuis suscitavit.* Nam 1. Pater tanquam judex ex *consilio pacis* Christum declaravit justum, quod absolverit conditionem pacti, quia *posuerat animam pro reatu.* Es. 53: 10. adeoque ab omni culpa eum cum membris suis, pro quibus spoponderat, absolvit. 2. Quando *Pater* dicitur Christum resuscitasse, non negatur: Christum seipsum quoque suscitasse; nam actiones externæ erga creaturas, qualis erat natura humana Christi, sunt communes tribus personis. Sic *Pater* dicitur Christo *corpus adaptasse*, Hebr. 10: 5. nihilominus tamen Christus ipse etiam *assumpsit formam servi.* Phil. 2: 9. Ita & à Patre & à se resuscitatus est.

*Argum. adversa.*

XXV.

XXV. Per resurrectionem non deposuit naturam humanam: sed tantum infirmitates illius, & exinanitionem, cui se subjecerat ob salutem nostram; ut non amplius haberet *formam servi*, sed *Domini* potius, *Regis & victoris*: ut nec *esu*, nec *potu*, nec *somnio* opus haberet, nec defatigari, nec ulla ratione *pati* amplius aut *mori* posset. Habet enim *corpus gloriosum*. Phil. 3: 21. Nec *mors in eum ullum habet dominium*. Act, 2: 24. sed insigni splendet sapientia, gloria & majestate. Et quamvis I. *Christus post resurrectionem comederet & biberit*, Luc. 24: 41, 43. illud tamen non fecit ex ulla necessitate naturali, sed ex mera bonitate, ad probandam resurrectionem suam, & ad corroborandos animos fidelium. II. *Cicatrices, quas ejus corpus post resurrectionem retinuit*, Joh. 20: 25. non minuunt ejus gloriam. Voluit enim ostendere cicatrices ex libera voluntate, ut infirmitati Thomæ subveniret, & ut *conspiceretur ab eis qui eum transfixerunt*. Zachar. 12: 10. Adeoque revera habuit *corpus gloriosum*.

*Per Resurrectionem non deposuit naturam humanam. Sed illius infirmitates.*

XXVI. Sed quamvis corpus Christi post resurrectionem sit *gloriosum*, tamen non sequitur, eum per Resurrectionem corporis naturam quasi amisisse, ut posset in pluribus locis, (ut volunt *Pontificii*) aut in omnibus (secundum quosdam *Lutheranos*) esse simul: retinebat enim semper idem corpus numero, ut ut gloriosum. Phil. 3: 21. Sed & nostra corpora erunt gloriosa, & tamen non fient infinita. Frustra dicitur. I. *Christus post resurrectionem factum esse ἄφαντον*. Luc. 24: 31. Inde enim non sequitur *eum disparuisse ut spiritum*: nam τὸ ἄφαντον nihil aliud significat, nisi quod Apostolis non amplius fuerit visus, quomodo autem hoc factum sit, non explicatur, nec opus erat: cum notum sit eum esse hominem, adeoque è conspectu aliorum abiisse, ut reliquos omnes homines. II. *Clauso sepulchro eum resurrexisse non probatur ex* Matth. 28. non enim *clauso sepulchro*, sed *lapide à sepulchro remoto*, resurrexit, ut testantur Euangelistæ. III. Si *clausis januis intravit ad discipulos*. Joh. 20: 18. non dicitur *penetrasse per ipsas januas*; sed notatur tantum *tempus*, quo venerit, nempe quum januæ jam essent clausæ, *metu Judæorum*. Simile quid vide Act. 5: 19.

*Per Resur. non amisit corporis naturam. Non habet corpus infinitum. Argumenta contraria.*

XXVII. Debuit autem Christus resurgere, I. ut nos persuasi essemus, nos per mortem ejus esse justificatos. *Traditus est propter lapsus nostros, sed suscitatus propter justificationem nostri*. Rom. 4: 25. Quemadmodum enim mors Christi erat solutio pro peccatis nostris, ita & resurrectio ejus erat instar apochæ, per quam demonstravit se

*Chr. cur resurrexit?*

solvisse. II. Ut ejus resurrectio esset pignus nostræ resurrectionis. *Sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi moriatur, vivet.* Joh. 11: 25. 1. Cor. 15: 12, 20. Rom. 8: 12. 1. Pet. 1: 4. III. Ut nobis acquireret Spiritum S. qui nos suscitet in vitam spiritualem. *Ut in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. & 7: 4.

*II. Gradus Exaltationis est ascensio in cœlum.*

XXVIII. Alter *gradus* Exaltationis Christi est, ejus *Ascensio* in cœlos. Christi *ascensio* prædicta fuit, Ps. 68: 18, 19. *Ascendit in altum* &c. quæ verba Paulus exponit de ascensione Christi Ephes. 4: 8. Vide Psal. 47: 6. Fuit etiam depicta per I. *Enochum.* Gen. 5. II. per *Eliam,* 2. Reg. 2. qui vivi rapti sunt in cœlos. III. Per *Pontificem Max.* qui quotannis semel post solennem expiationem intravit in sancta sanctorum. Lev. 16. ita & Christus, post expiationem factam, proprio suo sanguine intravit in *cælum,* quod per *sancta sanctorum* erat depictum. Hebr. 9: 23, 24. & 10: 20.

*Prædicta fuit & depicta.*

*Patres cum Chr. non ascenderunt ex Limbo.*

XXIX. Christum in cœlos ascendisse legimus. Marc. 16: 19. Act. 1: 11. Luc. 24: 51. Ephes. 4: 10. Hebr. 4: 14. & 7. 23, 24. Sed cum eo in cœlos ascendisse *Patres,* quos ex *limbo* liberavit, *Pontificiorum* somnium est. Nec probari potest hæc fabula ex Ps. 68: 19. cum potius sermo sit de victoria ac triumpho Christi, qui Diabolum omnesque hostes Ecclesiæ in triumphum duxit. Aut etiam quod libertatem dederit Ecclesiæ Novi Test. eamque liberaverit à suis Dominis, Pœdagogis, Curatoribus & Patribus carnis, quos potestate sua exuit, immo à se deposuit tamquam vestimentum, quo hactenus velatus erat. Col. 2: 15. Multo minus inde probatur, eum secum in cœlum adduxisse *sanctos,* qui in morte Christi resurrexerunt. Matth. 27: 53.

*Cœlum non est ubiquitarium.*

XXX. Cœlum, in quod ascendit, non est cœlum *Ubiquitarium,* id est non est cœlum *ubique* & in infinitum. Sed intelligi debet cœlum proprie sic dictum, locus beatorum, ubi sunt *Enochus,* & *Elias.* Ut male doceant *Lutherani,* Christum non mutasse *locum,* sed *statum* per resurrectionem. Cum enim habeat verum corpus humanum, id est necessario debeat esse in aliquo loco, cum non amplius sit in terra: ideo nostra Patria dicitur *in cælis, ubi est Christus.* Col. 3: 1. Phil. 3: 20. Heb. 12: 23. Hinc etiam *de cælo venturus* dicitur. 1. Thess. 4: 16.

*Quando ascenderit?*

XXXI. Ascendit autem in cœlum, non statim post resurrectionem, sed quadraginta dies postea, ut hoc modo fideles certiores fierent de ejus Resurrectione. Act. 1: 3. In cœlum etiam assumptus

ptus dicitur à *Patre.* Act. 1: 11. 1. Tim. 3: 16. Nihilominus tamen ipse propriis viribus ascendit, per eandem potentiam, per quam seipsum suscitavit. Joh. 10: 18. Luc. 24: 51. Ita dicitur *nondum ascendisse ad patrem.* Joh. 20: 17. Vide Ephes. 4: 9.

*Propriis viribus ascendit.*

XXXII. *Semel* tantum in cœlum ascendit, & quidem *visibiliter*, videntibus hominibus, quos secum duxerat in montem olivarum. Act. 1: 9, 10, 11. *Intravit semel in sancta.* Hebr. 9: 12. Male igitur *Lutherani* docent, eum *sæpe invisibiliter* ascendisse in cœlum, scilicet quod disparuerit instar umbræ: quod non recte probare conantur ex Luca cap. 24: 31. uti jam modo ostendimus.

*Semel tantum in cœlum ascendit.*

XXXIII. Christus igitur non amplius est in hac terra. *Pauperes semper habebimus nobiscum, non autem Christum.* Matth. 26: 11. Si *adhuc esset in terra, non esset noster Sacerdos.* Hebr. 8: 4 Ipse exsertis verbis dicit: se *relinquere mundum, profecturum ad Patrem.* Joh. 16: 28. Si *dicant est in deserto, in cubiculo* &c. *ne credatis.* Matth. 24: 26, 27. Et Apostoli: *Opportet ut cœli eum capiant.* Act. 3: 21. *Quærite quæ in cœlo sunt, ubi Christus est.* Col. 3: 1. Hinc etiam *venturus* dicitur. 1. Cor. 11: 25, 26. *Annunciate mortem Domini donec veniat.* Hoc dici non posset, si in cœlo non esset, aut si simul esset in terra. Hinc necessario sequitur, eum, secundum naturam humanam, non esse in S. Cœna, nisi modo *Sacramentali*, per substitutionem signi, loco rei signatæ. Si autem Christus dicat, I. *Ecce vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Matth. 28: 20. hoc non est aliter intelligendum, nisi quod fidelibus suis in Ecclesia semper sit præsens, per Spiritum suum, per divinam suam providentiam atque gratiam. II. *Si post ascensionem visus est in terris, ut Stephano.* Act. 7. & Paulo Act. 9. non tamen visibilis fuit in terra, sed in cœlo. *Stephanus* ac *Paulus* quidem fuerunt in terra, sed *Christus* ipse, quum ab iis conspiceretur, fuit in cœlo. III. Si *Johanni apparuit*, Apoc. 1: 10, 12, 13. ista visio non erat propria, sed emblematica & prophetica. IV. Frustra dicitur: *Christum debuisse impendere spatium quinquaginta annorum in itinere à terra usque ad cœlum;* quis enim hoc tempus determinaret? An etiam tantum temporis impendit *Enochus* & *Elias*, omnesque fideles post resurrectionem? Si tanta velocitate motus est, quanta terra movetur circa solem, aut sol circa terram, poterat totum iter confici (secundum hypotheses quorundam Philosophorum) spacio trium horarum, ut nos id alibi demonstravimus.

*Christus non amplius est in terra.*

*Argum. contraria.*

XXXIV. Christus igitur ascendit in cœlum, tanquam in ve-

*Vero motu corporeo in cœlum ascendit.*

rum locum, veroque motu à terra in cœlum abiit. Ita & verum *corpus*, post resurrectionem, & nunc, post ascensionem cœlo intulit: ut ejus corpus non fuerit mutatum in, nescio quod, *corpus spirituale*, aut in corpus aliquod, quod nec carnem, nec sanguinem, nec ossa habuerit: quæ sunt deliria *Socinianorum*. Aliter sane nos docet Christus Luc. 24: 39. *Videte manus meas & pedes meos: contrectate me, videte me: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Zachar. 12: 10. *Videbunt quem transfixerunt.* Vide Apoc. 1: 7. *Caro* quidem *& sanguis non possunt Regnum Dei hæreditare.* 1. Cor. 15. 50. sed *caro* & *sanguis* non significant *corpus humanum*, sed hominem *irregenitum*: qui Spiritum Sanctum non habet.

*Cur in cœlum ascenderit?*

XXXV. Debuit autem Christus in cœlum ascendere. I. ut ibi, tanquam in sancto sanctorum pro nobis intercederet. Rom. 8: 34. II. Ut *nobis locum prapararet.* Joh. 14: 2. III. Ut Spiritum Sanctum inde super Ecclesiam effunderet. Joh. 16: 7. IV. Ut nos certos redderet de nostra ascensione & gloria. Coloss. 3: 1, 2, 3. Philip. 3: 20, 21. Joh. 12: 26.

*III. Gradus Exaltationis est Sessio ad dextram Patris.*

XXXVI. Tertius *gradus* Exaltationis Christi est ejus *sessio ad dextram patris.* Hæc *sessio* prædicta fuit. Ps. 110: 1. *dixit Jehova Domino meo, sede ad dextram meam.* Matth. 22: 42, 43. Christum sedere ad dextram Dei, clamant loca Ephes. 1: 20, 21. *Collocavit eum ad dextram suam in supercœlestibus.* Marc. 16: 19. *Jesus postquam eis loquutus fuisset, assumptus est in altum, & sedit ad dextram Dei.* Vide Hebr. 1: 3. & 2: 7, 8. 1. Petr. 3: 23. Hebr. 12: 2. Luc. 22: 69. Matth. 26: 64.

*Dextra Dei quid?*

XXXVII. Cum Deus non sit corpus, sed spiritus, sequitur eum proprie nec *dextram* nec *sinistram* habere. *Dextra* Dei itaque significat ejus *virtutem* atque potentiam, veluti Act. 2: 23. *dextra Dei exaltatus est.* Vide & Exod. 15: 6. Ps. 18: 36. ubi sumitur pro *majestate & gloria Regia.* Hæc phrasis, *sedere ad dextram Dei*, desumpta est à more Regum Orientalium, qui ad dextram collocabant eos, quos volebant honorare: ut Salomo matrem suam sedere fecit ad dextram suam. 1. Reg. 2: 19. Sic & sponsa Regia *stat ad dextram* Salomonis. Ps. 45: 10. Vide Matth. 20: 21. Quando igitur Christus dicitur *sedere ad dextram Dei* nihil aliud significat; nisi quod ex statu exinanitionis evectus sit in altissimam gloriam: ut non amplius habeat *formam servi*, sed potius exerceat munus potentissimi Regis. Phil. 2: 9. &c. Ideo & *sedere ad dextram* exponitur per *regnare.* Nam

*Sedere ad dextram est Regnare.*

cum

cum Psalmo 110: 1, 2. dicatur, *sede ad dextram meam, donec posuero* &c. Paulus 1. Cor. 15: 25. id exponens de Christo dicit: *oportet ut regnet, donec posuerit* &c. Ergo ubi de Christo dicitur eum *sedere ad dextram Dei*, id significat eum obtinuisse *Regnum*, non *naturale*, quatenus est Deus & Creator omnium; sed *œconomicum*, quod exercet in Ecclesiam, quatenus eam gubernat, regit, defendit, & gloriæ beat, usque ad consummationem sæculorum, quando Ecclesia erit regnum, non amplius *militans*, sed *triumphans*, adeoque tali Rege non amplius indigebat; quare & tunc Christus *Regnum traditurus* dicitur Patri. 1. Cor. 15: 24. De Regno Christi plura vide, ubi egimus de ipsius *officiis Mediatoris*, præsertim de Regio.

*Sedere ad dextram Dei, non est agere vices Dei.*

XXXVIII. Ergo *sedere ad dextram Dei* non significat *agere vices Dei, regnare loco Patris*, ut etiam aliquo modo honoratior sit ipso Patre, unde etiam adoratione dignus sit, uti ineptiunt *Sociniani*. Hæc quam sint futilia patet ex eorum hypothesi, cum Christum dicant nudam creaturam, & dominium habere dependens, & potestatem precariam. Deinde Christus est verus summus Deus, non quasi Dei *vicarius*, sed *verus Deus*, Joh. 17: 3. qui regit Ecclesiam, non tantum Patris, sed & suam propriam, quam *sanguine suo* redemit. Act. 20: 28.

*Ex sessione ad dextram Dei non probatur ejus omnipræsentia.*

XXXIX. Neque ex sessione ad dextram Dei probari potest, *omnipræsentiam* naturæ humanæ esse communicatam, adeoque Christum etiam qua hominem *ubique* esse, uti docent *Lutherani*. Nam I. ista hypothesis inutilis esset: cum ponant omnipræsentiam *vi unionis hypostaticæ*. II. Status gloriosus non ponit *ubiquitatem*, alias & ipsi fideles, post resurrectionem, essent ubique. III. Glorificatio non evertit naturam humanam, quemadmodum everteretur, si esset ubique. IV. Vi glorificationis etiam naturæ humanæ deberet communicari *æternitas*, omnimoda *simplicitas*, & reliqua attributa divina omnia. Ad argumentum istud πολυτεθρύλλητον *Dextra Dei ubique* &c. jam supra respondimus, ubi egimus de *unione hypostatica*.

*Christus glorificatus est secundum utramque naturam.*

XL. Christus igitur glorificatus est, secundum naturam *humanam* & *divinam* simul, id est tota *persona* glorificatur. *Humana* quidem natura glorificata est, quia sapientia, gloria, & majestate donata est supra omnes homines, tantasque habet perfectiones, quantæ in naturam humanam cadere possunt: Non tamen quod *proprietates divinæ* communicatæ sint *naturæ humanæ*. *Divina* natura etiam suo sensu glorificata est, quatenus per resurrectionem, ascensio-

nem, & sessionem ad dextram ejus gloria divina clarius elucescit, prout optime Augustinus docet, in *Scriptura Sacra res dici fieri, quando manifestantur.* Ideo Christus non petit aliam gloriam à patre, nisi eam quam possiderat ab æterno. *Glorifica me, pater, gloria, quam habui apud te, priusquam mundus esset.* Joh. 17. 5. Hinc constat, à quibusdam *Lutheranorum* non recte doceri, *Christum sedisse ad dextram Dei, ab utero matris.*

# LOCUS XX.

## *De Euangelio & Bonis Novi Testamenti.*

## CAPUT XVIII.

### *De Euangelio.*

*Euangelium prædicatur.*

I. POst Exaltationem Christi prædicatum est *Euangelium*, modo peculiari atque excellenti. Quare Christus statim misit Apostolos per totum mundum: ut Euangelium prædicarent. Matth. 28. *Ite, prædicate Euangelium per totum mundum.* Marc. 16: 15. Quemadmodum enim sub Veteri Test. lex obtinuit, (quare fideles tunc dicuntur *fuisse sub lege.* Rom. 6: 14, 15.) ita nunc obtinet *Euangelium.*

*ἐπαγγελία quando.*

*Lex.*

*ἐπαγγελία*

II. Ab Adamo usque ad Mosen obtinuit ἐπαγγελία *Promissio*, unde & OEconomia sub *Promissione* dicitur, ut suo loco ostendimus. Post Mosen obtinuit *Lex*; & post Christum Ἐυαγγελία. Differunt ἐπαγγελίαι & ἐυαγγελίαι. Illud *Promissionem* alicujus boni futuri notat; hoc *Annunciationem* alicujus boni antea promissi, quod nunc est præsens.

*ἐπαγγελία & ἐυαγγελία aliquo sensu idem.*

III. Ἐπαγγελίαι quia proponunt Jesum Christum ejusque bona, adeoque quia bona ἐυαγγελίας continentur in ἐπαγγελίαις, ideo etiam dici possunt, aliquo sensu, ἐυαγγελίαι; immo *Euangelium* dici potest prædicatum ab ipso Deo, statim post peccatum, quum Deus faceret promissiones primas Adamo, de semine mulieris caput serpentis contrituro. Gen. 3: 15. Ideo Euangelium dicitur annunciatum, sive promissum patribus, *per Prophetas.* Rom. 1: 2, Ita tempore Esaiæ multi dicuntur, *non credidisse Euangelio, quod per Prophetas erat*

*præ-*

*prædicatum.* Rom. 10: 16. Es. 52: 7. *Et iis, qui mortui sunt, Euangelizatum est.* 1. Petri. 4: 6. Vide Hebr. 4: 2. Et Apostoli dicuntur *Euangelizare promissionem factam ad Patres.* Act. 13: 32. Pessime igitur *Sociniani* negant, *Euangelium* unquam auditum fuisse ante natum Christum. *Euangelium* tamen distinguitur ab ἐπαγγελίᾳ *promissione*, si sumatur stricte pro grato nuncio de Christo jam nato, omnibusque bonis antea promissis & jam præsentibus, quale *Euangelium* proprie est sub Nov. Test.

*Euangelium prædicatum à Deo statim post lapsum.*

IV. *Euangelium* Hebraice dici solet בשורת טובה *bonum nuncium*, scilicet de Messia, ejusque bonis & libertate Ecclesiæ. De hoc loqui videtur Esaias cap. 52: 7. Ubi *Euangelista* exprimitur per מבשר Hoc sensu instrumentum Novi Test. dicitur *Euangelium.* Marc. 1: 1. *Principium Euangelii Jesu Christi.* Et Christus eodem sensu dicit: *Abite in totum mundum, prædicate Euangelium.* Marc. 16: 15. Hoc ipsum Euangelium intelligitur per *bonum verbum.* Ps. 45: 2. Hebr. 6: 5. Et *Euangelium Regni*, Matth. 4: 23. loquitur de Regno spirituali Jesu Christi. Summa itaque *Euangelii* continet doctrinam de Jesu Christo jam nato, mortuo, resuscitato, & glorificato in cœlis. Vide Rom. 1: 3, 4. Uno verbo, de salute, quam obtinent electi per gratiam Dei & satisfactionem J. Christi.

*בשורה טובה Euangelium.*

*Summa Euangelii quid?*

V. Non est igitur *Euangelium* doctrina de novo aliquo *fœdere operum*, per excellentiora præcepta, quam ea quæ continentur in Decalogo, & de melioribus promissis, quam habuerunt fideles sub Testam. Veteri. Quasi vero Christus perfectiorem legem docuisset, quam Moses, adeoque perfectiora bona promisisset, nempe bona *cœlestia*, ipsamque *vitam æternam*; cum fidelibus sub Veteri Test. promissa fuerint bona *terrestria* tantum, quemadmodum falso docent *Sociniani*. Cum tamen *Lex* ab *Euangelio* valde differat. (1. quia *Lex* data est homini integro; *Euangelium* peccatori. (2. *Lex* exigebat justificationem per opera; *Euangelium* per fidem. (3. *Lex* promittebat tantum jus ad vitam; *Euangelium* etiam remissionem peccatorum. (4. *Lex* proponit homini vitam, vel mortem; *Euangelium* gratiam & liberationem à morte. (5. *Lex* postulat *opera perfecta*, sed non dat vires ad perficienda opera; *Euangelium* postulat *fidem*, & simul dat vires credendi. Ergo maxima est differentia inter *Legem* & *Euangelium*: ut pessime à non nullis confundantur.

*Non est doctrina de fœdere operum.*

*Lex ab Euangelio differt.*

CA-

# CAPUT XIX.

## *De Bonis Novi Testamenti.*

*Bona Nov. Test. quæ?*

I. UT in omni *Testamento* hæredibus dantur certa quædam *bona*, ita & in Testam. Novo. Audivimus *bona* Testamenti veteris fuisse *typica*, qualis fuit terra *Canaan*, (nam bona spiritualia quæ acceperant & quæ illis cum omnibus fidelibus fuerunt communia, qualia erant fides, justificatio, sanctificatio &c. eis data sunt, non vi istius Testamenti, sed vi Testamenti æterni, sive vi fœderis gratiæ) sed bona Testamenti Novi sunt mere spiritualia & permanentia. Ista autem omnia possunt reduci ad decem. I. *Est exhibitio justitiæ perfectæ.* II. *Plena Remissio peccatorum*, sive ἄφεσις. III. *Consummata Conscientia.* IV. *Major cognitio.* V. *Inscriptio legis in corde.* VI. *Datio Spiritus Sancti.* VII. *Fides.* VIII. *Adoptio.* IX. *Pax.* & X. *Libertas.*

*I. Bonum Novi Testamenti.*

I. *Primum* bonum Novi Test. est *Exhibitio perfectæ justitiæ.* Hæc autem est illa, per quam plenissime, & proprie loquendo, satisfit justitiæ Dei, pro peccatis electorum; estque nulla alia, quam *justitia J. Christi;* tum *activa*, id est perfecta ejus *sanctitas*, quatenus nasci voluit *sub lege*, Galat. 4: 4. legemque perfecte adimplevit, tum *passiva*, quatenus *assumpsit formam servi*, & in ea passus & mortuus est, & tanquam victima gratissima pro peccatis nostris satisfecit, eaque plenissime expiavit. Hæc justitia vocatur *æterna*, prout Christus dicitur *adduxisse justitiam æternam.* Dan. 9: 24. *Æterna* quidem, non tantum propter decretum æternum, quod ita Deo ab æterno placuerit, sed, quod semel facta, in æternum sufficiat, ut nulla alia amplius exspectanda sit, nec ulla alia requiratur ad satisfaciendum justitiæ Dei supremi judicis. Ideo dicitur αἰωνία ἀπολύτρωσις, Hebr. 9: 12. Ita & *Perfecta* dicitur, cum sit justitia θεανθρώπου filii Dei, in quo omnia sunt omnibus numeris completa. Nam usque ad tempora Christi nemo fuit, qui legem Dei perfecte adimpleverit, aut qui ulla ratione justitiæ Dei satisfecerit. Infinita sane sacrificia oblata sunt sub *Promissione*, maxime sub *Veteri Test.* Sed omnia ista sacrificia simul sumpta, ne minimum quidem peccatum expiare potuerunt; erant enim tantum δικαιώματα σαρκὸς & λατρείας, Hebr. 9: 1, 10. *Deus* enim *sacrificia & holocausta noluit.* Ideo *Christus dixit, ecce adsum ut face-*

*facerem voluntatem tuam.* Pſ. 40: 7, 8, 9. Itaque per ſolum ſacrificium ac juſtitiam Chriſti, *peccatum totius terræ uno die deletum eſt.* Zachar. 3: 9. & per eum facta eſt ἀθέτησις ἁμαρτίας. Hebr. 9: 26. Tanta igitur erat *perfectio* juſtitiæ Chriſti. Cum autem *perfecta* hæc *juſtitia* per Chriſtum demum adducta ſit, optimo jure dicitur bonum Novi Teſtamenti.

*Omnia ſacrificia ne minimum peccatum non poterant expiare.*

III. Hinc etiam ſequitur *ſecundum* bonum Novi Teſtamenti, nempe ΑΦΕΣΙΣ in plena emphaſi: Sub veteri Teſt. fideles etiam habebant *Remiſſionem peccatorum*, quia eundem habebant *Sponſorem*, *Mediatorem* Jeſum Chriſtum, & quia eandem ſalutem obtinebant, nempe vitam æternam, poſt mortem. Fuerunt ſane juſtificati per fidem in Chriſtum, habebant enim *Circumciſionem ſigillum juſtitiæ per fidem.* Rom. 4. Habebant etiam Remiſſionem peccatorum, & jus ad vitam, adeoque vitam æternam poſt mortem, qui ſunt præcipui fructus juſtificationis.

*II. Bonum ἄφεσις.*

IV. Nihilominus tamen non habebant ἄφεσιν, ſive *Remiſſionem peccatorum* in tali emphaſi ut hodie; *juſtificati* fuerunt eodem ſenſu, quo fideles ſub Teſtamento Novo, quamdiu in hac terra vixerunt. (1. quia *Reatus* nondum fuit expiatus, ſed erat adhuc expiandus, per ſponſorem J. Chriſtum. Adeoque (2. quia peccata ſua quotidie debebant confiteri novis ſacrificiis, quæ ſingulis diebus ſacrificabantur, ut eſſet quotidie ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν. Hebr. 10: 3. Immo *chirographum* cogebantur contra ſeipſos ſcribere. Col. 2: 13, 14. nam quotieſcunque ſacrificabant, & ſanguinem ad cornua altaris effundebant, toties *ſcribebant peccata ſua ad cornua altaris.* Jer. 17. qua ratione chirographum contra ſe ſcribebant. (3. Semper manebat *Conſcientia peccati.* Hebr. 10: 2. id eſt conſcientia ipſis dictabat & exprobrabat peccata ſua nondum eſſe expiata. Eo magis cum haberent tantam molem legum cærimonialium, & tot potuerint committere peccata contra legem cærimonialem: ut, quotieſcunque legem aliquam cærimoniæ violarent, toties conſcientia eis hoc exprobraret moneretque ut ſacrificium pro peccatis offerrent, ſecundum legem. (4. Habebat Deus jus ipſis graviſſimum jugum imponendi, cum reatus nondum eſſet expiatus per ſponſorem, adeoque revera ipſis impoſitum fuit, uſque dum ſponſor ſatisfeciſſet, & reatum expunxiſſet. (5. Manebant *ſub timore mortis*, quia erant ſub *Diis dictis*, *dominis*, *Principibus iſtius ſæculi*, *Dominatoribus*, *Legislatoribus*, *Judicibus*, *Patribus carnis*, *Curatoribus*, *Pædago-*

*Sub Vet. T. non habebant ἄφεσιν. Quo ſenſu?*

*dagogis*, qui eos morte afficerent, ob transgressam legem, non tantum *moralem*, sed & *cærimonialem*, si *mortuum* aliamque *rem immundam tetegissent*, Lev. 5: 2. Col. 2: 21. si *vestem duplicis materiæ* gessissent, Lev. 19: 19. Deut. 22: 11. si hoc vel illud *comedissent*, Exod. 34: 15. Lev. 11: 19. Deut. 14: 4. si hoc vel illo *die* tale quid *comedissent* aut *bibissent*, Exod. 12. si *arbores* nimia proximitate plantassent, *Deuter.* 22: 9. si *citius* de earum *fructu comedissent*, Lev. 19: 23. si *misceri animalia* diversæ speciei permisissent, Deut. 22: 9. si (quæ erant res quas per infirmitatem humanam etiam evitare non potuissent) *profluvio*, *gonorrhea*, Levit. 19. aut *lepra* laborassent, Levit. 13. & 14. & propter ejusmodi sexcenta alia, nisi per sacrificia se purgassent, timenda ipsis fuisset mors, vel ab hominibus, vel ab ipso Deo. Ab *hominibus*, scilicet à *Diis istis* & *Dominatoribus*, qui habebant jus ejusmodi peccatorem puniendi, immo & occidendi, κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς. Hebr. 11: 9. Eo etiam respicit Paulus Hebr. 10: 28. *Si aliquis legem Mosis transgressus* fuerit, *sub duorum aut trium testimoniis, moriebatur sine misericordia.* Ab ipso etiam *Deo*, ne eos puniret gravissima pœna, aut subita etiam morte; qualia exempla habebant in viro colligente ligna die Sabbathi. Numer. 15: 35. &c. In *Core*, *Dathan* & *Abiram*, qui à terra absorpti sunt, quod vellent sacrificare. Num. 16. In *civibus Bethsemitis*, quorum morte affecti sunt ultra quinquaginta millia, nullum aliud ob peccatum, nisi quod in arcam introspexissent. 1. Sam. 6: 9. In *Uza*, qui eandem pœnam expertus est, quod arcam tantummodo attigisset. 2. Sam. 6. Ejusmodi quid factum est in Rege *Ozia*, qui lepra percussus est, quod sacerdotio fungi vellet. 2. Chron. 26: 19. Non mirum igitur quod Paulus dixerit, eos *per totam vitam fuisse sub timore mortis.* Hebr. 2: 15. *habitos fuisse ut servos.* Gal. 4: 1. *habuisse spiritum servitutis, ut essent in timore.* Rom. 8: 15. (6. Erant sub maledictione legis: nam quicunque non exacte observaverat legem cærimonialem æque ac moralem, debebat contra se canere horrendum istud carmen: *Maledictus quicunque non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. 27. Gal. 3. Cum autem nemo legem exacte observaverit, sequitur quemlibet istud carmen contra seipsum canere debuisse. (7. Quamdiu peccatum debet puniri, tamdiu non datur plena remissio peccatorum, sed sub Veteri Test. adhuc debebat puniri. Frustra excipitur; *debuisse puniri in sponsore, non in ipso peccatore.* Nam 1. ipse peccator adhuc erat sub reatu, &

*Exceptio.*

solu-

solutio ab eo exigebatur, ut, si non posset solvere in propria persona, solveret in persona sponsoris. 2. Solutio quotidie ab eo exigebatur, ut peccatum fateretur, Chirographum contra se scriberet, ut ipse sponsorem ad solutionem urgeret perpetuis votis ac ardentibus precibus, præterea peccatum quotidie puniebatur in victimis, adeoque aliquo sensu in iis à quibus offerebantur. (8. Ubicunque est plena ἄφεσις, ibi non amplius est προσφορὰ περὶ ἁμαρτιῶν *oblatio pro peccatis.* Hebr. 10: 18. At sub Vet. Testamento quotidie erat *oblatio pro peccatis;* Ergo non erat plena ἄφεσις in omni emphasi. Si quis dicat: *Apostolum adversus victimas offerendas non argumentari ex vi vocis ἀφέσεως, quæ nihil aliud quam remissionem notat, vel ex plenitudine ejus, sed ex expiatione per Christum facta, & memoria peccati plane tollenda*, is nodum non solvit, sed fortius stringit. Apostolus sane docet *victimas non esse amplius offerendas,* quia nunc habemus ἄφεσιν, id est plenam remissionem, per sanguinem Christi, qui omnibus cærimonis finem dedit. Certe si per *expiationem, quæ per Christum facta est, memoria peccati plane erat tollenda*, sequitur antea fuisse *memoriam peccati*, eamque quotidie renovatam fuisse per sacrificia, adeoque nondum fuisse ἄφεσιν in pleno isto sensu, quo intelligit Apostolus. Et sane hæc ἄφεσις fit per ἀπολύτρωσιν *sanguinis Christi;* immo ἀπολύτρωσις *sanguinis Christi* est ipsissima ista plena ἄφεσις. Ephes. 1: 7. Col. 1: 14.

*Exceptio.*

V. Habebant itaque fideles sub Veteri Testamento πάρεσιν *prateritionem.* Rom. 3: 25. id est Deus eorum peccata, cum nondum fuerint expiata, *præterivit*, non punivit, propter sponsorem ac propter expiationem perfectamque justitiam, quæ erat futura; adeoque eos tolleravit ἐν ἀνοχῇ *in tollerantia.* Rom. 3: 26. At sub Novo Test. cum reatus per Christum sit expiatus, nulla amplius restat *accusatio.* Rom. 8: 1. Ideo non tantum πάρεσιν habemus, ut Deus peccata nostra impunita prætereat, per ἀνοχὴν, sed habemus ipsam ἄφεσιν ablationem & *remissionem* peccatorum, plenissimam & in emphasi; ut non amplius exspectemus expunctionem reatus; ut nulla amplius sit *commemoratio peccati*, nec *chirographum*, nec *conscientia peccati*, quæ exprobret peccata, etiam actiones contra legem cærimonialem, quæ sua natura non sunt malæ, & quæ quotidie hominem remittat ad expiationem typicam, per nova sacrificia: Nam *ubi est* ἄφεσις, *ibi non amplius est oblatio pro peccatis.* Hebr. 10: 18. nec *jugum servitutis*, nec *timor mortis*, nec *maledictio legis;* sed ibi est *conscientia consummata.* Hebr. 10: 14. Acuratissime igitur distinguenda

*Sub Vet. Test. habebant* πάρεσιν.

πάρεσις quid? & ἄφεσις. Exceptio.

da unt ἄφεσις & πάρεσις: ut πάρεσις sit *dissimulatio* & *præteritio* peccati, propter sponsionem & solutionem certo futuram: ἄφεσις vero ipsa *solutio* & *plena liberatio à debito*, immo *remissio peccatorum* in emphasi, ob solu tionem præstitam. Si dicas πάρεσιν *non differre ab ἀφέσει, & opponi non ἀφέσει, sed* punitioni *actuali peccatorum in Christo facta*, contradictoria dices. Nam ἄφεσις *& punitio actualis peccatorum in Christo facta*, non differunt nisi ut causa & effectus: per istam enim *punitionem actualem peccatorum in Christo* habemus ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ. Ephes. 1:7. Col: 1:14. Sed sub Vet. Test. illa *punitio actualis peccatorum*, sive illa ἄφεσις τῶν παραπτωμάτων, καὶ ἀπολύτρωσις διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ nondum fuit; ergo tunc non fuit ἄφεσις, sed tantum πάρεσις. Optimo igitur jure ἄφεσις dicitur bonum Novi Testamenti.

Argumenta contraria solvuntur.

IV. Si autem quis dixerit I. *hanc sententiam esse Socinianam*, is dixerit id quod nunquam probabit, & quo immerito gravantur viri docti, pii & orthodoxi. Non enim dicuntur fideles sub veteri Testam. nullo modo habuisse *remissionem peccatorum*, per fidem in Christum. (quæ est hæresis *Socinianorum*) Contrarium patet ex eo quod dicamus eos habuisse πάρεσιν *præteritionem* peccatorum, propter sponsionem Christi, ejusque solutionem futuram: quod *Sociniani* non concedent. Sed examinentur omnia quæ dicta sunt per totam hanc doctrinam de Fœdere, præsertim de *Fide Patrum*. 2. viderint potius illi, utrum *Socinianis* herbam non porrigant, qui, dum hanc sententiam tanquam *Socinianam* criminantur, ipsi docent; fideles sub veteri Test. habuisse remissionem peccatorum, tantum per *acceptilationem*, aut, ut alii non minus incaute loquuntur, *æstimative, per fictionem juris divini*: cum *acceptilatio* & *fictio juris* veram solutionem excludat. Non sufficit, si quis dicat, *vocem acceptilationis sano sensu, de grata acceptione oblationis filii pro electis, apochaque a Patre data in suscitatione, posse intelligi ac adhiberi.* Hoc non est explicare *acceptilationem*, sed eam incrustare: cum *acceptilatio* sit *solutio verbalis*, non *realis*, & *fictio juris*, uti loquuntur; at *grata acceptio oblationis filii* sit solutio *realis*, per *veram*, non *fictam* satisfactionem: ut *grata* ista *acceptio oblationis filii* plane tollat *acceptilationem*, & *fictionem juris*. Adde quod, si ita liceat vocibus obtrudere sensum, plane contrarium, tunc dicere debeamus, nunc sub Testamento nos habere remissionem per *acceptilationem*: nunc enim adest *grata* ista *oblatio*, & maxime *apocha à Patre data*. II. Vane dicunt: ἄφεσις *ut bonum Novi Test. sive pro remissione peccatorum sub Novo Test. semel tantum occurrit*. Hebr.

Exceptio.

10: 18.

ro: 18. Nam. 1. si *semel* occurrit; ergo hoc significat. Ergo *remissio peccatorum* sub Novo Test. non male ἄφεσις dicitur. 2. *Acceptilatio* & *fictio juris* nunquam occurrit in verbo Dei, sed in sola fictione cerebri humani. 3. Falso dicitur ἄφεσις *semel tantum occurrere*: cum multoties eodem sensu alibi occurrat. Jer. 31: 34. ubi סליחה *Remissio* tanquam bonum Novi Test. proponitur, quæ vox ibi à LXX. interpretibus optime vertitur per ἄφεσιν. Sed occurrit eodem sensu Ephes. 1: 7. ubi legimus, nos habere ἀπολύτρωσιν per sanguinem Chr. τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων. vide quoque Col. 1: 14. & Hebr. 9: 22. καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Sub Vet. Testamento non fuit *effusio sanguinis* Christi, ergo etiam non fuit ἄφεσις *plena* & in *emphasi*. In isto loco velle intelligere αἱματεκχυσίαν *victimarum*, absurdum est, cum per eam nulla fiat *remissio peccatorum*. Ps. 40: 7. Hebr. 9: 9, 10. nisi *typica*. Ergo non *vera* & *plena*, quemadmodum per αἱματεκχυσίαν Christi. Sed sexcenta loca occurrunt alibi. III. *Christus sub veteri Test. fuit* Expromissor, *non nudus* fidejussor; *Ergo fideles sub Vet. Test. habebant plenam* ἄφεσιν. 1. Non magis fuit *Expromissor* sub veteri quam sub Novo Testamento, nam natura sponsionis sub veteri & sub Novo Test. semper est eadem; cum œconomia non mutet naturam sponsionis. Pro omnibus enim eandem solutionem obtulit. Immo ex natura Veteris Testamenti clarius patet, Christum non potuisse esse *Expromissorem*, sed *fidejussorem*. 2. Certum est eos inter Theologos, qui Christum *Expromissorem* docent, ignorare quid significet *Expromissor* apud jurisconsultos; multos etiam non distinguere inter *Expromissorem* & *fidejussorem*: ut apud eos eundem sponsorem significet, id est ut *Expromissor* sumatur pro *Fidejussore*, quemadmodum ita aliquando promiscue sumitur à quibusdam Jurisconsultis: quare etiam nonnulli Theologorum, qui *Expromissorem* maxime urgent, exsertis tamen verbis dicunt, *Christum non esse Expromissorem juridicum*; id est talem, qualem intelligunt Jurisconsulti. Ergo secundum ipsos *Expromissor* dici non debet: cum istud vocabulum sit Jurisconsultorum. 3. Quidquid auctores isti attribuunt Christo, ipsi competit tanquam *Fidejussori*, non tanquam *Expromissori*. Christus enim tanquam *fidejussor* spopondit *pro electis*, *qui non erant solvendo*, & *quidem sponsione æterna*, *infinitæ virtutis*, *absoluta & immutabili ponsione*, quæ à *fidejussore* fieri possunt. 4. De jurisconsultorum distinctione inter *Expromissorem* & *Fidejussorem* Scriptura S. tacet. 5. Quod Christus ἔγγυος dicatur certissimum est. Hebr. 7: 22. sed in

*Exceptio.*

Veteri Glossario ἐγγυῶ est *spondeo*, ἐγγύη *vadimonium*, *fidejussio*, & ἐγγυητὴς *fidejussor*, *Sponsor*. *Hesychius* ἔγγυος, ἀνάδοχος *fidejussor*, ut constat ex *Suida*, veluti πρὸς τὴν ἀδελφὴν ἀνάδοχον τῶν χρημάτων. Et sic passim alibi apud Grammaticos, aliosque auctores Græcos. Christum autem unquam fuisse *Expromissorem*, si accurate loquamur, dici neutiquam potest. (1. quia *Expromissio* est *liberatio a debito per substitutionem novæ obligationis, nulla habita ratione solutionis*; adeoque per *Expromissionem* solam debitor liberatur à debito, absque *solutione*, & per *solutionem* liberator *Expromissor* tantum, non *debitor*: quod de Christi sponsione dici non potest: is enim nos liberat, non per solam *novationem obligationis*, sed per veram & *actualem solutionem*. Ideo (2. per *Expromissionem* debitum non est amplius *debitoris*, sed *expromissoris* debitum; ut *Expromissor*, dum solvit, non *debitoris*, sed *sua* propria debita solvat. At vero Christus solvit non *sua* sed *nostra* peccata. Ephes. 1: 7. Rom. 3: 25, 26. 1. Petr. 2: 24. Hebr. 5: 1. & 7: 26. 27. & 9: 14. 1. Joh. 2: 2. & infinitis locis alibi, ubi peccata *nostra* dicuntur, etiam eo ipso momento, quando Christus ea expiavit. Ergo à nobis non aufferuntur per *novam* tantùm *obligationem*; sed per actualem *solutionem*. Hoc autem est *Fidejussoris* non *Expromissoris*. (3. Natura *expromissionis* talis est, ut, quamvis *expromissor* non solvat, debitor tamen liber sit à debito & solutione. Ita autem res sese non habet cum peccatoribus, nisi dicamus Deum debuisse peccata remittere sine satisfactione, si Christus sponsionem deseruisset. Novimus quidem, & hoc jam suo loco probavimus contra Remonstrantes, Christum, ut sanctissimum, non potuisse deserere sponsionem; nihilominus tamen illa est natura *Expromissionis*, ut debito solutus sit debitor, etiamsi expromissor non solvat. Sed Christi sponsio ejusdem naturæ non est, debuit enim aut ipse solvere, aut debitor, quod & Paulus clare docet 1. Cor. 15: 17. *S. Christus non resurrexisset, vana esset fides vestra, & adhuc essetis in peccatis vestris.* Ergo non sufficiebat ad salutem nostram, sola *novatio obligationis*, quod proprie *Expromissoris* est, sed *actualis solutio* requirebatur, quod est *Fidejussoris*. (4. Sub Veteri Testamento Christum fuisse *Fidejussorem*, non *Expromissorem*, manifesto patet: quia tunc temporis manebat ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν, Hebr. 10: 3. Manebat contra eos χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν *chirographum in placitis*. Col. 2: 14. Quotidie itaque coacti fuerunt per sacrificia chirographum contra se scribere & renovare, sibique debitum in memoriam revocare. Immo Deus

quo-

quotidie ab eis exigebat *typicam solutionem*, cum *vera* nondum esset facta, adeoque debitum eis exprobraret. Hæc autem in *Expromissione* locum habere non possunt, cum *expromissio* omne debitum omneque chirographum à debitore plane tollat. Ut ut sit, in *expromissione* omne debitum auffertur per solam *novationem* obligationis, ut postea debitor nulla alia satisfactione opus habeat, sed à debito liber sit, sive debitum solvatur, sive non solvatur. Utrum autem hæ loquutiones non sint *incongruæ*, contra Paulum 1. Cor. 15: 17. & an non *ad hæresin inducere* magis *aptæ sint*, quam si dicamus cum Scriptura S. Christum fuisse ἔγγυον *Fidejussorem*, ipsi qui absque causa viros doctos, pios & Orthodoxos hæresis suspectos reddere conantur, viderint. IV. Exsertis verbis legimus in Veteri Test. etiam fuisse ἄφεσιν: *habebant enim* סליחה *remissionem.* Exod. 34. 8. *& alibi, quæ vox à* LXX. *vertitur per* ἄφεσιν, וסלחת לעוננו ולחטאתנו *ita & in Novo Test. de tempore ante mortem Christi agitur.* Matth. 6: 12, 14. 9: 2. Marc. 1: 4. Luc. 7: 47. 48. Act. 10: 43. Rom. 4: 6. Hebr. 9: 22. Sed locus Matt. 6. plane est ἀπροσδιόνυσος, cum ibi ne γρῦ quidem de plena ἀφέσει sub Vet. Test. sed fideles tantum petant remissionem peccatorum, quam sub Vet. Test. omnes petebant, ut à reatu & jugo servitutis liberarentur. Marci 1: 4. Johannes prædicat βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, qui locus sententiam nostram confirmat. Prædicabat enim Christum, ut Judæi se disponerent ad deserendam legem cærimonialem, & ad obtinendam plenam istam ἄφεσιν Novi Test. quæ jam ante fores erat. Locus Rom. 4: 6. loquitur de beato statu fidelium sub Novo Test. ut à viris doctis jam demonstratum est. Locum Heb. 9: 22. jam explicavimus ad arg. 11. Nihil vetat quo minus intelligamus loca reliqua de ἀφέσει emphasi, cum respiciant adventum Christi, ubi *aphesis* in emphasi erat ante fores, aut jam parta. Sed 2. Concedimus lubentissime πάρεσιν, quam habebant fideles sub Veteri Testamento etiam dici posse ἄφεσιν, sive *remissionem peccatorum*; adeoque, si ita placuerit, fatemur eos habuisse ἄφεσιν; negamus tamen eos habuisse eam in plena emphasi, eodem sensu, ut sub Test. Novo, ubi *reatus* esset *expunctus*, nulla esset *oblatio pro peccatis*, nulla *commemoratio peccatorum*, nulla *conscientia peccati*, *chirographum*, *jugum*, *maledictio* & *timor mortis*. Tandem 3. Spiritus S. manifesto distinguit inter סליחה ἄφεων, quam habuerunt fideles sub Veteri, & eam quam habent sub Novo Testamento. Nam sub Veteri habebant סליחה tantum, quæ proprie erat πάρεσις

*præ-*

*præteritio* & *tollerantia* peccati, quod Deus extremis pœnis pro meritis peccatorum non puniret; sed sub Novo Test. est talis סליחה ubi peccata non amplius *memorantur*. Hinc Jerem. 31: 34. Ubi de remissione peccatorum sub Test. Nov. (agit enim ibi de bonis Nov. Test.) Deus dicit, non tantum כי אסלח לעונם ולחטאתם *remittam eorum peccata*, sed addit: לא אזכר עוד *non recordabor amplius*, id est non amplius erit *ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν recordatio peccatorum*, ut loquitur Paulus Heb. 10: 3. nullum amplius *Chirographum*. Col. 2: 14. Ita sane non loquitur Moses Exod. 34: 8. & alibi, ubi de remissione peccatorum, sub Veteri Test. Adde quod ἄφεσις sive סליחה sub Vet. T. quotidie admitteret nova sacrificia pro peccatis; sed sub Nov. T. habemus talem סליחה ἄφεσιν, ubi nullum amplius sacrificium obtinet. Nam ubi est ἄφεσις in sua plena emphasi, ibi non amplius est προσφορὰ περὶ ἁμαρτιῶν. Cum igitur ista ἄφεσις plena & in emphasi in Veteri T. non fuerit, ideo sub Veteri Test. ἄφεσις absolute dicitur non fuisse. Solet enim Scriptura S. dicere rem *non esse*, quamdiu non est in plena sua emphasi. Ita *Spiritus Sanctus nondum fuit*. Joh. 7: 39. Sic *fides non fuit* ante Christum natum. Gal. 3: 24. id est non fuerunt *respective*, *secundum quid* & *in emphasi*. V. *Fideles Veteris Test. plenarie propter Christum liberati sunt, uti nos, a pœna personali, seu obligatione ad punitionem. Ergo illis concessa fuit plenaria remissio.* Fatemur fideles Veteris Test. liberatos fuisse à *pœna æterna*, uti nos propter Christum; negatur tamen eos fuisse liberatos à *reatu*, per præstitam veram solutionem, & ab omni *commemoratione peccati*, *a Chirographo, jugo servitutis* &c. Ergo nondum habebant plenam ἄφεσιν. VI. *Patribus sub Veteri Test. justitia Christi imputata fuit. Ergo plenam habuerunt ἄφεσιν.* Sed negatur hæc consequentia: Nam ad ἄφεσιν in emphasi requiritur, non tantum *imputatio justitiæ Christi*, sed & *solutio facta, expunctio reatus, cessatio commemorationis peccati, deletio chirographi, liberatio à jugo servitutis*, & ablatio aliorum, quæ tunc temporis adhuc obtinebant. VII. *Fideles Veteris Test. habuerunt veram fidem, ergo & perfecte fuerunt justificati, perfectamque habuerunt remissionem peccatorum.* Sane qualem habuerunt *fidem*, talem & *justificationem*, & *remissionem peccatorum*: sed, ut ut habuerint *veram fidem*, æque ac nos, tamen non habuerunt eandem qualem nos habemus, ratione omnium circumstantiarum, quæ multum faciunt ad ejus perfectionem. Habebant *fidem* apprehendentem solutionem *futuram* promissam in sponsore, per quam credebant reatum nondum esse

expiatum, peccatum nondum eſſe punitum, ſed adhuc puniendum; habebant *fidem* qua credebant Deum peccata ſua præterire, diſſimulare, tollerare & non punire, ſed ſibi daturam vitam æternam, ob ſolutionem præſtandam; habebant denique *fidem* ſe ſubmittentem jugo ſervitutis, commemorationi & exprobrationi peccati, maledictioni & iræ, ac chirographum contra ſe ſcribentem: qualem *fidem* ſub Novo Teſt. non habemus; ſed apprehendentem ſolutionem factam, reatum expunctum, peccatum deletum uno die; habemus *fidem* per quam credimus, nos à commemoratione peccati, ab exprobratione, chirographo, à jugo ſervitutis, maledictione & ira eſſe liberos; Deum non tantum peccata noſtra *præterire, diſſimulare, non punire, ſed ea plane deleviſſe*, & omni ſenſu remiſiſſe; adeoque nobis dari vitam æternam, non ob ſolutionem *præſtandam*, ſed jam *præſtitam*, & *juſtitiam adductam*. Dan. 9: 24. Talem fidem ſub Veteri Teſt. fideles non habebant. Ideo dicitur *fides non veniſſe* ante Chriſtum. Gal. 3: 23. Manet igitur magna differentia inter remiſſionem peccatorum ſub Veteri & ſub Novo Teſtamento. VIII. *Si ſub Veteri Teſt. habuerunt tantum πάρεσιν non ἄφεσιν, tunc ſequitur dari eſſentiale diſcrimen, inter juſtificationem utriuſque Teſtamenti.* Hæc ſequela falſa eſt. Nam *eſſentialia* juſtificationis ſunt 1. *abſolutio à pœna.* 2. *jus ad vitam æternam.* Hæc reperiuntur in utroque Teſtamento. Eſt igitur diſcrimen aliquod *accidentale* tantum, non *eſſentiale*, ut ex dictis patet. IX. *Non fuiſſe ἄφεσιν, ſed juſtificationem, remiſſionem minus plenam, vix concipi poteſt, dum juſtificatio ut actio forenſis, ſimul ſemelque perfecta, gradus proprie nullos admittit.* Ex iis quæ dicta ſunt facillime concipi poteſt: *Juſtificationem ut actionem forenſem*, quæ *ſimul & ſemel perfecta eſt, graduſque nullos admittit*, eſſe illam eſſentialem, quæ conſiſtit in abſolutione à pœna & jure ad vitam æternam, de qua jam modo diximus. Sed præter eam in Veteri Teſt. expectanda erat juſtificatio reſpectu *accidentium*, quæ conſiſtebat in *expunctione reatus, deletione chirographi, liberatione ab ira, jugo ſervitutis* & *timore mortis*, quæ ſub Veteri Teſtamento non fuit; Ergo non *plena* erat *remiſſio peccatorum*, aut ἄφεσις in emphaſi. X. *Peccata illis omnia, & reſpectu omnis pœnæ ſatisfactoriæ remiſſa fuerunt, cum jure pleno ad beatitudinem cœleſtem mox adipiſcendam. Ergo habebant plenam remisſionem.* Ad hæc reſponſum eſt, ad arg. VIII. & IX. Nihil ad evertendam ſententiam noſtra facit, quod dicatur XI. *Fidelibus ſub Vet. Teſt. tribui omnes illas voces negativas.* לא חשב / לא אזכר / לא החזיק אפו

לא ראה / לא הכים / & *positivas*, כפר / כסה / עבר / כבש / סלח /
השליך / כחה / טהר / העביר / נשא. Sed inanis eſt hæc allegatio. Producantur loca ipſa, & oſtendemus vane dici inter multas iſtarum vocum *poni inane diſcrimen*; ſed probabimus quaſdam ſignificare ipſam ἄφεσιν Novi Teſt. quaſdam vero de πάρεσει Veteris Teſt. intelligi debere, quod ex additis epithetis, vel ex connexione antecedentium & conſequentium clarum erit. Tandem, quæſtio non eſt de qualibet *voce*, ſed de Græca ἀφέσεως, utrum Apoſtolus ea non utatur, ad ſignificandam plenam remiſſionem in emphaſi ſub Nov. Teſt.

*III. Bonum Nov. Teſt. conſummata conſcientia.*

VII. Ex iſta *perfecta juſtitia* & plena ἀφέσει ſequitur *tertium* bonum Novi Teſtamenti, nempe *Conſummata Conſcientia*. *Pax* enim *eſt effectus juſtitiæ, opus juſtitiæ eſt tranquillitas & ſecuritas uſque in ſæculum* &c. Eſ. 32: 17. &c. Non quod credamus fideles ſub Veteri Teſtamento deſperaſſe de ſua ſalute, aut non habuiſſe ſenſum amoris Dei, perſuaſionemque de remiſſione peccatorum, & de vita æterna. Nam cum habuerint *eſſentialia* juſtificationis, per fidem in Chriſtum, æque ac nos, uti oſtendimus, habebant etiam eandem conſolationem de beatitudine æterna, poſt hanc vitam. Nihilominus tamen certum eſt, eos nondum habuiſſe *Conſcientiam conſummatam*, ſed Scripturam Sacram eis attribuere *Conſcientiam non conſummatam*, Hebr. 9: 9. *Conſcientiam impuram*. Ad Titum 1: 15. *Conſcientiam peccati*. Heb. 9: 14. & 10: 2. *Idoli*. 1. Corinth. 8: 7.

*Conſcientia peccati quid?*

VIII. Dicebatur autem eorum *Conſcientia peccati*, quia fideles convincebat reatum nondum eſſe expunctum, eoſque cogebat, ut, ſecundum mandatum Dei, quotidie chirographum contra ſe ſcriberent. Maxime autem dicebatur *Conſcientia peccati*, quia iſtis temporibus tot peccatis obnoxii fuerunt; quorum hodie rei fieri non poſſumus. Sexcenta enim peccata quotidie committebant contra legem *Cærimonialem* æque ac moralem, cum nos hodie contra ſolam legem *moralem*, non *cærimonialem*, peccemus. Quotieſcunque igitur aliquis vel hominem mortuum, aut aliquo morbo laborantem, aut aliam rem immundam attigiſſet; quoties comediſſet aut bibiſſet rem lege iſta vetitam, quoties veſtem prohibitam geſſiſſet; aut ſata non recte ſeviſſet; aut animalia, & arbores miſceri permiſiſſet, aut ejuſmodi aliquod præceptum, quorum ſexcenta fuerunt, tranſgreſſus fuiſſet, ſtatim conſcientia eum accuſabat peccati, & illa erant *peccata ſub Vet. Teſtamento*. Heb. 9: 15.

IX.

IX. Dicitur quoque conſcientia *non conſummata*, quod ſacrificia hominem *non potuerint conſummare quoad Conſcientiam.* Hebr. 9: 9. id eſt etſi homo obtulerit ſacrificia & præſtiterit omnia, quæ lex cærimonialis poſtulat, tamen conſcientia nunquam erat perfecte tranquilla; ſed teſtabatur hominem nondum habere plenam ἄφεσιν, ut liber ſit ab omni peccato, ſed quotidie alio ſacrificio opus habere; cum reatus adhuc deberet expungi, per ſanguinem Chriſti, adeoque ſe remanere ſub pœdagogia & ſervitute, *uſque ad tempus quod à patre determinatum fuit.* Gal. 4: 2. quare continuo anxia fuit, & metuebat ſe lapſuram in aliquod peccatum contra legem cærimonialem: per quod in ſe excitaret iram & maledictionem, non minus quam per peccatum contra legem moralem, quare ſemper cum aliqua anxietate occupata fuit, ut legem cærimonialem obſervaret, ſibique caveret à rebus, etiam quæ ſua natura non erant malæ, immo ne ſibi obveniret caſus aliquis, quem ex infirmitate humana evitare non poterant, ut fieri ſolebat in gonorrhea, profluvio, puerperio, & id genus alia: ne peccarent contra hæc: *ne tange, ne ede, ne bibe* &c. Col. 2: 21. unde *ſervitus* & *jugum intollerabile.* Matth. 23. Act. 15. & *metus mortis.* Hebr. 2: 15. Et quando aliquis tale peccatum commiſit quod fere quotidie fieri debuit, conſcientia illud ſtatim exprobravit, & iram ac maledictionem Dei ob oculos poſuit, ad ſacrificia, purificationes aliaſque cærimonias ad peccatum iſtud, ſecundum legem, expiandum remittebat. Ut revera Conſcientia nunquam *conſummata* fuerit.

*Sacrificia non poterant conſummare quoad Conſcientiam.*

X. Eadem *Conſcientia impura* dicebatur. Tit. 1: 15. quia exprobrabat impuritatem, non tantum moralem, ſed & contra legem cærimonialem, ſi aliquis attigiſſet, comediſſet, aut bibiſſet, aut aliud quid feciſſet contra legem. Hinc ſi aliquid comediſſet de eo quod idolis conſecratum fuit, contra legem cibariam, ejus conſcientia dicebatur *Conſcientia Idoli.* 1. Cor. 8: 7. Quare & *inquirere* debebat *propter Conſcientiam*; ne ſcilicet conſcientia haberet, quod homini exprobraret, quod aliquid contra legem feciſſet. Vide 1. Cor. 10: 25, 27. Eo reſpexit Paulus Hebr. 7: 19. ὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, 9: 9, 14. & 10: 1, 2, 14, 22. & 11: 40. Fruſtra dicitur, 1. *hæc loca Legi, non vero Patribus ſub ejus miniſterio viventibus, conſumationem auferre.* Nam quod *Legi* aufertur, id ipſis *Patribus* aufertur, quibus *Lex* iſta data eſt. *Lex* enim non habet conſcientiam ſed *Patres.* At eorum conſcientiam lex non poteſt conſummare. Nullo enim

*Conſcientia impura quid?*

*Conſcientia Idoli.*

 alio

alio ſenſu *lex* dicitur *non conſummare*, aut *conſcientiam non conſummare*, niſi quod reatum non poſſit expurgere, nec expiare peccata; ſed quod ea quotidie exprobret peccatori, ad nova ſacrificia eum adigat, adeoque ejus conſcientiam ſæpiſſime angat, cum propter peccata moralia, tum & propter cærimonialia. II. *Conſummationem à Chriſti ſacrificio ut cauſa tantum repetere.* Sane ſi loca iſta *conſummationem à Chriſti ſacrificio, ut cauſa tantum repetunt*, tunc negant ſub Veteri Teſtamento fuiſſe *conſummationem*, quia tunc ſacrificium Chriſti nondum fuit oblatum. Et quamvis Patres Vet. Teſt. reſpexerint non ad cærimonias externas, ſed ad ſacrificium Chriſti, tamen eorum conſcientia nondum poterat dici conſummata, ſi conferatur cum conſcientia electorum, qui vivunt ſub Novo Teſtamento; cum ſemper fuerint ſub reatu, cum conſcientia iis quotidie exprobraret peccata, quæ hodie non poſſumus committere, cum eos adigeret ad jugum, & ad cultum difficillimum, eiſque continuo ob oculos poneret chirographum, & pœnam mortis, et & quotidie pœnam timere deberent, quam nos hodie timere non poſſumus. III. Nec quidquam juvabit, ſi quis dicat iſta loca *ſpectare ad fœderis œconomiam conſummatam per promiſſionum impletionem, regnique Dei extenſionem, fidelibus ſingulis neutiquam ablata conſummatione neceſſaria gratiæ & gloriæ.* Non enim agunt de *conſummatione œconomiæ*, multo minus de *Regni Dei extenſione*, ſed de *conſummatione conſcientiæ.* Nec ullus unquam dixit, per *conſcientiam non conſummatam*, etiam ablatam eſſe *conſummationem gratiæ & gloriæ.* Hæc nihil faciunt ad *conſummationem conſcientiæ.* IV. *Conſcientia peccati*, quæ *innuit peccatum non expiatum*, ea eſt revera *conſcientia peccati*, cum tale *peccatum* exprobret, & reatum quotidie ob oculos ponat. Sed præterea innuit & exprobravit *peccata*, non tantum contra legem *moralem*, ſed & contra *cærimonialem*, immo additis minis mortis & maledictionis, quæ ſub Novo Teſt. locum non habent. Ergo iſtis temporibus non fuit plene conſummata. V. Conſcientia *mala* non *refertur tantum ad ſtatum peccati*, qui ſcilicet *omnibus ſit communis*, ſed maxime *ad patres ipſos:* cum ſub Vet. Teſtam. patres quotidie multa committerent mala, quæ nos committere non poſſumus, quorum erat numerus infinitus contra legem *cærimonialem:* ut eorum *conſcientia* ab iſtis *malis* quotidie opus haberet expiari, cum tamen per cærimonias *purificari non poſſet*, Hebr. 9: 22. Et quamvis *remiſſionem & ſanctificationem per ſanguinem Chriſti etiam habuerint, & ad Deum acceſſerint*

*Conſcientia peccati.*

*cesserint in cultu spirituali;* nihilominus tamen præter cultum *spiritualem*, requirebatur etiam *cærimonialis*, & quædam γυμνασία σωματικὴ, 1. Tim. 4: 8. quæ jugum imponebat, res multas jussit aut vetuit, ut facile peccare posset, unde animus sæpe perplexus, & *conscientia* anxia & *mala* fuit.

XI. Nec obstat quominus dicamus, fideles sub Veteri Test. non habuisse *Conscientiam consummatam.* I. quod habuerint *fruitionem divinæ bonitatis temporalis & æternæ:* cum & nunc sub Novo Testamento fruitio bonitatis divinæ cum conscientia anxia & solicita subsistere possit. Et quamvis sub Veteri Test. minor fuerit tranquillitas, & sæpe ex alia causa, uti ostendimus, quam hodie, tamen poterat consistere cum *sensu amoris Dei*, & *fruitione divinæ bonitatis.* II. Negatur eam *non posse consistere cum justificatione passiva, & tranquillitatis frequenti professione.* Poterant esse persuasi de *remissione peccatorum*, & de *jure ad vitam* æternam per meritum sponsoris; ideo non minus sciebant reatum nondum esse expiatum; chirographum nondum esse deletum; jugum adhuc sibi esse impositum, anxie atque solicite sibi esse cavendum, ne forte peccetur contra legem cærimonialem, ut se non dignos reddant morte & maledictione, à quibus omnibus liberati sumus. III. Negatur quoque *eam non posse conciliari cum* Job. 13: 15. Ps. 23: 4. & 73: 24. Prov. 14: 32. Hebr. 11: 35. Locus enim *Jobi* vanissime allegatur; cum Jobus non vixerit sub Vet. Test. de quo maxime quæstio est, sed sub promissione. Et quamvis sub Vet. Test. hæc dicta essent, quid tum? Quis enim negavit fideles Veteris Testam. *sperasse?* Cum *spes* ipsis maxime fuerit propria, quare & προηλπικότες dicti sunt. Tamen, non obstante ista *spe*, manebant sub *chirographo.* Idem dici potest de Psalmo 23. cum Psaltes ibi enarret bona Novi Test. quæ, ut & reliqui omnes fideles, speravit, & quotidie à Deo petiit. Quid per Psalm. 73: 24. probari possit, nemo facile divinabit? Quis enim dicit, eos, qui *conscientiam consummatam* non habebant, *consilio Dei* non fuisse *ductos*, & in *gloriam non receptos?* Illi maxime ejusmodi precatione opus habebant. Prov. 14: 32. ne γρῦ quidem contra *conscientiam non consummatam* sub Veteri Test. Nullis fidiculis contrarium extorquebitur ex loco Hebr. 11: 35. &c. Immo sententia nostra clara fiet ex versu ultimo. Ut loca ista gratis veritati opponantur.

XII. Ergo hodie sub Novo Test. non habemus eodem sensu *conscientiam peccati, impuram, Conscientiam Idoli:* cum peccatum sit ex-

*Sub Novo Test. non est conscientia peccati, & Idoli.*

piatum, ut *nulla amplius sit condemnatio in iis qui sunt in Chr. Jesu, qui non ambulant secundum carnem*, Rom. 1: 8. uti sub Vet. Test. ambulabant, id est observabant *δικαιώματα σαρκὸς*. Hebr. 9: 10. *infirma elementa mundi*. Gal. 4: 3. & *præcepta carnalia*. Hebr. 7: 16. Nullius peccati, ut istis temporibus, nos accusare potest *conscientia*, ob incumbentem *reatum*, cum jam per Christum sit expunctus, nec ob violatam legem *cærimonialem*; cum sit abolita. *Quis igitur condemnabit? Christus est qui mortuus est*. Rom. 8: 33. ut nos à *reatu* & lege *cærimoniali* liberaret. Ita quoque non potest dici nos habere *Conscientiam impuram*, quæ nos angat quod *tetigerimus*, aut *comederimus* rem impuram; quandoquidem *puris omnia sunt pura*. Tit. 1: 15. Nec amplius *inquirimus propter conscientiam*: cum lex cibaria, de qua Exod. 34: 15. &c. sit abolita; ut habeamus libertatem comedendi *quicquid venditur in macello*. 1. Cor. 10: 25, 27. Et quia dictum est: *macta & comede*. Act. 10: 13. ut nunc *corda nostra fide sint purificata*. Act. 15: 9. Optimo igitur jure *conscientia*, nunc sub Novo Test. dicitur *purificata*: Cum Christus se *Deo obtulerit, ut conscientias nostras purificaret ab operibus mortuis*; & *Mediator factus sit Novi Test. ut nobis acquireret redemptionem à lapsibus prioris Testamenti*. Hebr. 9: 14, 15. Si enim *lex accedentes non poterat consummare*. Hebr. 7: 19. & 10: 1. omnibus suis sacrificiis, purificationibus & observationibus, Christus *una oblatione consummavit in perpetuum, qui sanctificantur*. Hebr. 10: 14. adeo ut fideles Vet. Test. quamdiu in hac terra vixerunt, *sine nobis*, sub Test. Novo, *non fuerint consummati*. Hebr. 11: 39, 40.

*Nec impura.*

*Non inquirimus propter conscientiam.*

*¶ V. Bonum Novi Test. clara notificatio nominis Dei.*

XIII. *Quartum* bonum est *major cognitio*, vel *clara notificatio nominis Dei*. Hoc fieri debebat per Christum. *Idcirco noscet populus meus nomen meum, quia ego sum is qui loquitur*. Es. 52: 6. Hinc Christus ipse: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Ps. 22: 23. Hebr. 2: 12. *Notum feci eis nomen tuum*. Joh. 17: 16. Est autem *nomen Dei* id, per quod clare cognoscitur. Illud autem, per quod maxime noscitur, sunt ipsius *attributa* & *virtutes*, quæ in mundo clarissime factæ sunt conspicuæ per Jesum Chr. Illæ autem sunt ejus *justitia* & *misericordia*.

XIV. Verum est, sub Veteri Test. *Justitiam* & *Misericordiam* Dei etiam notas fuisse; tale enim Deus se manifestavit in fœdere gratiæ, omnibus temporibus: uti patet ex præcepto secundo; ubi dicit, se *punire peccata in tertiam & quartam generationem*, quibus verbis significatur *justitia* Dei. Addit, *faciam Misericordiam in*

millle

*mille generationes.* Ubi *misericordia* notatur. Exod. 20. Ita & Mosi se manifestavit. Exod. 34: 6, 7. Nihilominus tamen sub Vet. Test. *justitia* & *misericordia* Dei tam clare non fuerunt notificatæ; quam sub Test. Nov. (1. quia non omnibus populis & nationibus prædicabantur, sed soli Israëli. Ps. 147: 19. & Rom. 3: 2. (2. Tam manifesto non apparuerunt, ut sub Nov. Test. Deus enim tunc maxime & clarissime *justitiam* suam manifestat, quando punit peccatum; *misericordiam* vero, quando peccata remittit.

XV. Sub Veteri Test. etiam *punivit peccata*, sed in victimis & typice tantum; ita & *misericordiam testatus* fuit, quando sacerdos peccata expiavit, sed & hæc *typice* tantum per picturas facta fuerunt: ut fideles Veteris Test. *justitiam* & *misericordiam* Dei, in puniendis & remittendis peccatis, aspexerint tantum per umbras & picturas, non clara facie. Ideo Deus, quum *misericordiam* & *justitiam* suam manifestasset Mosi, Exod. 34: 6, 7. & populo per Mosen, facies Mosis præ gloria Dei splendebat quidem, tamen Moses faciem suam Velo obtexerat: ut populus gloriam Dei non nisi umbris & cærimoniis velatam viderit. vers. 33. & 2. Cor. 3: 7, 8. Unde etiam vocantur *ænigmata à seculo.* Ps. 78: 2. Jam autem sub Nov. Test. punivit peccatum in proprio suo filio, quæ Principes hujus sæculi, i. e. ipsi Doctores & Patres Magni Synedrii sub Vet. Test. non cognoverunt; *quæ nec oculis vidit, nec auris audivit*, &c. 1. Cor. 2: 8, 9. quæ Deus occultaverat *Sapientibus* (חכמים) ipsis istius temporis. Matth. 11: 25. & 13: 11. per quem justitiæ Dei plene satisfactum est: adeoque clarissime *justitiam* suam manifestavit. Debebat enim Messias *exscindi*, *ut adduceretur justitia seculorum.* Dan. 9: 24, 26. Est igitur Christus *sol justitiæ.* Malach. 4: 2. *Jehova justitia nostra.* Jerem. 23. *Servus justus Dei:* Es. 53: 11. qui *nobis factus est justitia.* 1. Cor. 1: 30. quia satisfaciendo justitiæ divinæ, veram justitiam adduxit & patefecit. Eo respexit Psaltes Psalmo 98: 2. *Deus notam fecit salutem suam, in conspectu populorum revelat justitiam suam.* Ita quoque per Christum, reatu perfecte expiato, peccata omnia nobis remittuntur: adeo ut ab omni ira, & signis iræ, id est à maledictione simus liberi, qua via *gratia* & *misericordia* Dei perfecte est demonstrata. *Lex* enim *data est per Mosen, sed gratia & veritas per Jesum Christum.* Joh. 1: 17.

XVI. Et hæc quidem est *cognitio servi justi* Dei. Es. 53: 11. vera *sapientia* quæ *annunciatur perfectis*, non *sapientia hujus sæculi*, sive

Vete-

Veteris Test. 1. Cor. 2: 6. Fuerunt enim *ænigmata à sæculo*. Ps. 78: 2. Et sic *Christus nobis factus est sapientia*. 1. Cor. 1: 30. Ut *in eo reconditi fuerint omnes thesauri scientiæ, sapientiæ* & *intelligentiæ*. Col. 2: 3. Ideo *beati* dicimur, quia *ista vidimus & audivimus, quæ multi prophetæ videre & audire desiderarunt, sed non poterant*. Matth. 13: 16, 17. ut nunc habeamus *sensus exercitatos*. Hebr. 5: 14. & *unctionem Spiritus S.* ut *cognoscamus omnia*. 1. Joh. 2: 20, 21. &c.

*V. Bonum Novi Test. Inscriptio Legis in corde.*

XVII. *Quintum* bonum Novi Test. est *inscriptio Legis in cordibus nostris*. Lex Dei, uti ostendimus, ubi de *lege* egimus, consistit in *amore Dei*, quod vel ex solo loco Matth. 22: 37. patet, *amabis Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Ista lex data fuit Adamo in fœdere operum, data fuit sub promissione, & sub Test. Veteri, omnibusque hominibus. Adamus eam *cordi perfecte* inscriptam habebat, ante peccatum, quia Deum perfecte amavit. Post peccatum *cor* hominis miserrime est depravatum, ita ut non nisi rudera quædam supersint boni & mali, justi & injusti, æqui & iniqui: nam *gentes quæ legem non habent faciunt ea quæ legis sunt*. Rom. 2: 14. Eandem *legem* Deus populo Israelitico sub Veteri Test. per ministerium Mosis tradidit scriptam in *tabulis lapideis*, ut eam melius cognosceret & exactius observaret. Deinde dedit aliam legem *cærimonialem* & *forensem*, quam populus non naturaliter *cordi* habebat inscriptam, sed *libro* contentam.

XVIII. Tandem ipse *amor Dei*, quem postulat *lex moralis*, & justitia ac τὸ δικαίωμα quod urgebat eadem lex, & vita quam promittebat, omnia, inquam, ista erant velata umbris & velis legis cærimonialis. Volebat enim Deus ut fideles Judæi amorem erga se ostenderent & quidem per observantiam legis *cærimonialis* & *forensis*, non minus quam per legem *moralem*; immo ut & amorem Dei erga se aliqua ratione perciperent per legem cærimonialem, cum per eam tanquam per *pædagogum*, ad Christum adducerentur. Gal. 3: 24. Sed & per vela legis cærimonialis ipsis repræsentabatur τὸ δικαίωμα *legis jus petendi vitam* per obedientiam perfectam, & satisfactionem pro peccatis, quod discere poterant ex sacrificiis, oblationibus, purificationibus externis, aliisque id genus præceptis.

*Exceptio.*

XIX. Unde patet quamvis fideles Veteris Test. etiam habuerint Spiritum S. cum Christum *Dominum* vocaverint. Ps. 110: 1 quod non nisi *per Spiritum Sanctum* facere poterant. 1. Cor. 12: 3. Immo quamvis oraverint ut Deus *sibi daret Spiritum*, seque regeret

per

*per Spiritum* suum, Ps. 143: 10. adeoque, quamvis etiam habuerint suo sensu *legem cordi inscriptam*, nihilominus tamen, cum lex ista velata fuerit tot umbris & picturis, eam non tantum cordi inscriptam habebant, sed & in cærimoniis & observationibus externis, *sacrificiis, lotionibus* &c. quæ omnia nihil faciebant ad verum amorem Dei, in cordibus hominum accendendum; quare & Deus conqueritur: *Quid facerem amplius vineæ meæ?* quasi diceret, omnia ista externa feci, & legem istam dedi, populus tamen non facit bona opera, me non diligit majori amore. Es. 5. Est igitur lex ista *litera*, quæ *non vivificat*, 2. Cor. 3: 6. id est quæ in homine non potest accendere vitam spiritualem, & sincerum amorem erga Deum. Est potius *lex peccati & mortis*, Rom. 8: 2. *Ministerium mortis & condemnationis*. 2. Cor. 3: 7, 9. Accenditur igitur vita spiritualis & amor Dei per *Spiritum S.* est enim *Spiritus vivificans*, 2. Cor. 3: 6. & is qui *regenerat*. Joh. 3: 3, 5.

XX. At vero sub Novo Test. nulla est *lex cærimonialis*, nec lex *moralis*, quæ *ullo velo* nobis exhibeatur; sed *Spiritus Sanctus* ipse nobis datus est, qui solus nos doceat, & verum amorem in cordibus nostris accendat. Et eo intensiorem amorem & sinceriorem sanctitatem in nobis accendit, quo majora beneficia accepimus, liberi enim sumus ab omni velo & jugo servitutis; ut majorem habeamus causam amandi Deum, quam fideles sub Veteri Test. Et hoc sensu *Spiritus S.* fidelibus Veteris Test. *non fuit datus*. Joh. 7: 39. Nobis autem sub Novo Test. datus est, ut habeamus *cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum*. Deut 30: 4. Immo & *cor circumcisum*. Deut. 30: 6. Absque *circumcisione carnis*, absque omni *velo, cærimonia* & *jugo*, ut, velo ablato, ipsam *legem* inspiciamus. Vide Phil. 3: 3. Col. 2: 11. &c. Hoc autem bonum, de *inscribenda lege in cordibus*, promissum fuit fidelibus sub Novo Test. *Et inscribam legem meam in corda ipsorum*, Jer. 31: 33. Hebr. 8: 10. *Estis Epistola Christi, scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.*

XXI. Hinc sequitur *sextum* bonum, nempe *missio* vel *datio Spiritus S.* Habebant quidem fideles sub Veteri Test. etiam *Spiritum Sanctum*, uti constat ex iis quæ dicta sunt, ad quintum donum. Erant enim sanctificati, habebant fidem. Christum agnoverunt dominum & servatorem suum, quæ omnia habebant non à se, sed à *Spiritu Sancto. Nemo* enim *potest dicere Christum dominum, nisi per Spi-*

*VI. Bonum Nov. Test. Datio Sp. S.*

*ritum S.* 1. Cor. 12: 3. Tamen Spiritus S. in eis producebat alios effectus, quam sub Novo T. Habebant enim *minorem cognitionem*, minorem *tranquillitatem* & *consolationem*, propter *impositum jugum*, & propter *reatum nondum expiatum*: quare & *Spiritum servitutis & timoris* habuisse dicuntur, per quem spiritum magis respiciebant Deum ut *dominum* iratum, quam *patrem* perfecte pacatum.

XXII. At sub Novo Test. habemus ampliorem & clariorem cognitionem, majorem tranquillitatem, perfectiorem consolationem, & persuasionem reatus expiati, adeoque *spiritum* habemus, non *servitutis* & *timoris*, sed *adoptionis & libertatis*, Rom. 8: 15. Hoc sensu *Spiritus Sanctus* sub Veteri Test. *nondum erat, quia Jesus nondum glorificatus erat.* Joh. 7: 39. Talis autem *Spiritus* promissus fuit sub Veteri Test: *Et effundam in domum Davidis Spiritum gratia & supplicationis.* Zachar. 12: 10. *Et effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, Joel. 2: 28. Talis sane *Spiritus effusus* est super Apostolos, & per eos *super omnem carnem.* Act. 2: 17.

*VII. Bonum Novi Test. est Fides.*

XXIII. *Septimum* bonum Novi Test. est *fides.* Non quod fideles Veteris Test. non habuerint *fidem in Christum*; eos enim eam habuisse, fuse probravimus, ubi egimus *de fide patrum*, ab Adamo ad Christum usque. Vide Parte IV. Cap. I. Thes. 13, 14, 15, 16. Tamen magna est differentia inter *fidem* utriusque Testamenti. Sub Veteri Testamento habebant fidem apprehendentem Christum *venturum*, reatum *expiaturum*, jugum servitutis *ablaturum*, se etiam à peccatis istius Testamenti *redempturum*, libertatem *restituturum*, uno verbo, omnia bona Novi Testamenti *acquisiturum.* Ut fuerint *sub spe*, non minus quam sub *fide*, quare & *sperantes* & *antesperantes* dicti sunt. Ephes. 1: 13. quod Christum venturum, cum omnibus bonis Novi Test. *speraverint.* Et hæc quidem est ratio quare Paulus dicat: *antequam veniret fides.* Gal. 3: 23. scilicet ante Christum natum, aut ante tempora Novi Test. Ita Rom. 8: 24. *spe servati sumus*, ubi Paulus loquitur de se & reliquis fidelibus, quamdiu fuerunt sub Veteri Test. quod maxime patet, quoniam *exspectarunt adoptionem filiorum*, commate sequenti & præcedenti, quam *adoptionem* consequuti sumus sub Novo Test. uti mox patebit: Et hæc quidem dicitur *spes Israelis.* Act. 28: 20 & 26: 6, 7. *Credebant* igitur fideles sub Vet. Test. sed cum *desiderio*, cum *timore* aliquo, & anxietate, *desiderarunt videre diem domini* ut Abrahamus. Joh. 8: 56. & *viderunt* quidem, sed in *spe*; tanquam certo futurum, nondum præ-

præsentem; Minorem habebant cognitionem mysteriorum, nondum apparebat *mysterium pietatis*, *Deus nondum erat manifestatus in carne.* 1. Tim. 3: 16 *verbum* nondum *caro factum fuit.* Joh. 1: 14. *Sapientia istis seculis fuit occulta in Deo.* Ephes. 3: 9. Credebant per *ænigmata*, per *picturas* & *cærimonias*, *recta* autem *facie gloriam Dei non contemplabantur*: sed *velatam velo Mosis.* 2. Cor. 3: 18. *Clavis cognitionis* certis quibusdam hominibus tradita fuit, nempe *Patribus carnis*, *Sacerdotibus*, *Legislatoribus*, *Doctoribus*, & *Magistris.* Luc. 11: 52. Matth. 22. Malach. 2: 7.

XXIV. Sed sub Novo Test. habemus fidem apprehendentem Christum *præsentem*, qui reatum expunxit, peccatum expiavit, æternam justitiam adduxit, qui nobis libertatem acquisivit, à servitute, timore mortis & omni maledictione nos liberavit. Habemus cognitionem claram, *sapientiam perfectorum*, non autem *seculi Veteris Testamenti*, 1. Cor. 2: 6. cum Christus ipse inter nos habitet, qui *nobis factus est sapientia.* 1. Cor. 1: 30. in quo *reconditi sunt omnes thesauri scientiæ* &c. Col. 2: 3. ut non per *vela*, sed *facie retecta gloriam Domini nunc contemplemur.* 2. Cor. 3: 18. his enim *datum est cognoscere mysteria Regni cœlorum.* Matth. 13: 11. Adeoque *fidem* habemus sine ullo *timore*, sed cum πληροφορίᾳ τῆς πίστεως, Hebr. 10: 22. majori cum fiducia, lætitia, libertate, gaudio & gloriatione. Quare non amplius habemus talem *spem* de bonis Novi Test. *futuris*, sed meram *fidem.* Ut revera dicere possumus, *fidem nunc venisse.* Gal. 3: 24. Et *promissiones Spiritus non accepisse per fidem.* Gal. 3: 14.

XXV. *Octavum* bonum Novi Test. est *adoptio filiorum*: quatenus sumus *filii Dei*, & quatenus Deus est noster *Pater.* Verum est fideles sub Veteri Test. etiam fuisse *filios Dei*, Deumque fuisse eorum *Patrem.* Exod. 4: 22. Deut. 14: 1. Ideo Ecclesia Veteris Test. Deum vocat *Patrem suum.* Es. 63: 16. Et cum habuerint fidem in Christum ipsiusque fuerint *cohæredes* & *fratres*, sequitur eos & *filios Dei* fuisse. Ideo Apostolus dicit, eos fuisse *hæredes omnium*, & νηπίους *infantes*, Gal. 4: 1.

*VIII. Bonum Novi Test. Adoptio filiorum.*

XXVI. Nihilominus tamen notari debet 1. quod non solus *Dei* dicerentur *filii*, sed & *hominum*; nec solum *Deum* haberent *Patrem*, sed & *Sacerdotes*, *Seniores* & *Principes populi*, ut plures haberent *Patres.* Matt. 23: 9. 1. Cor. 4: 15. qui & *Patres Carnis* dicebantur. Hebr. 12. 9. per quos non sunt intelligendi ii, quibus post Deum debemus vitam animalem, sed אב בית דין & reliqui אבות *Patres* magni Syne-

drii, qui eos *castigabant* κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς. Hebr. 12: 9. immo *morte* afficiebant, *sub testimonio duorum aut trium*, etiam ob violatam legem cærimonialem, ob rem sua natura non malam, Hebr. 10: 28. II. Erant *filii* quidem, sed νήπιοι *infantes* tantum, qui *debebant edoceri, quæ sint elementa initii eloquiorum Dei: & qui istis* temporibus *lacte opus habebant, non solido cibo.* Hebr. 5: 12. qui erant adhuc sub *Tutoribus, Curatoribus* & *Pædagogis*, qui eos per legem *custodiebant*, Gal. 3: 23. & *secundum beneplacitum suum castigabant.* Hebr. 12: 9. ut *a servis non differrent, ut ut fuerint hæredes omnium.* Gal. 4: 1, 2. ut *habuerint Spiritum servitutis*, in perpetuo *timore*, magis quam *Spiritum adoptionis*, in *libertate* & *gaudio.* Rom. 8: 15. Hebr. 2: 3, 15.

XXVII. At vero sub Novo Testamento I. non habemus ejusmodi *Patres carnis*, nec *plures Patres*, sed *unicum* tantum, *Deum, qui est in Cœlis.* Matth. 23: 9. *Christum*, qui est *Pater æternitatis*, Esa. 9: 5. II. Non multos habemus *dominos, magistros, doctores, tutores, curatores*, & *pædagogos*, sed unicum tantum Jesum Christum. Matth. 23: 9. 1. Cor. 8: 6. III. Non habemus *Spiritum servitutis*; sed *spiritum adoptionis*, per quem cum omni libertate filiali, *clamamus Abba Pater.* Rom. 8: 15. IV. Non sumus νήπιοι *infantes*, sed τέλειοι *perfecti*, 1. Cor. 2: 6. *adulti, qui solidiori cibo opus habent, & quibus sensus est exercitatus*, Hebr. 5: 14. qui jam sunt majores annis, emancipati & sui juris. Gal. 4: 3, 5.

XXVIII. Igitur plane emphatice, & augustiori modo dicuntur *filii Dei* sub Novo Test. quam sub Veteri. Nam *quicunque Christum* vera fide *recipiunt, dabit illis illud jus, ut filii Dei vocarentur.* Johan. 1: 12. 1. Joh. 3: 1. Hoc sensu *adoptio filiorum* promissa fuit tanquam bonum N. Test. Jer. 31: 1. 2. Cor. 6: 18. & cap. 7: 1. *Et ero vobis pater, vos autem eritis mihi filii & filiæ. Adoptio*, hoc sensu, locum habet, tantum in *plenitudine temporum*, postquam filius missus esset. Gal. 4: 5. Ita promissum fuit: eos fore *filios Dei, non ex fœdere suo*, id est non ex Testamento *Veteri*, sed ex *Novo.* Vide Ezech. 16: 60, 61. Ideo Deus ipse exclamat Jerem. 3: 14. *Quomodo*, i. e. quam excellenti modo, *te ponam in filiis.*

*IX. Bonum Novi Test. est Pax.*

XXIX. *Nonum* bonum Novi Test. est *Pax. Pax* alia est I. *interna*, per *consummatam conscientiam*, de qua supra, quod persuasi simus, peccatum esse jam expiatum, reatum expunctum, jugum servitutis oblatum, commemorationem peccati, chirographum deletum, timorem mortis non amplius habere locum, *redemptio-*

*nem-*

*nem à peccatis Veteris Test.* esse acquisitam, perfectam nos habere ἄφεσιν, ut exclamare possimus: *justificati fide, pacem habemus apud Deum, per dominum nostrum Jesum Christum.* Rom. 5: 1. II. Habemus pacem *externam*, cum *gentibus.* Nam sub Veteri Test. Deus posuerat *murum intergerinum* inter *Judæos* & *Ethnicos*, adeo etiam ut expertis verbis prohibuerit ne *pacem colerent Judæi* cum *Moabitis* & *Ammonitis* ac *septem populis.* Deut. 23: 4, 5, 6, 7. Nam quum Deus daret legem cærimoniarum, dedit simul libellum devortii reliquis populis: ut merito dicerent, *omnino deseruit me Dominus.* Es. 56: 3. Erant itaque istis temporibus gentiles *extra Christum*, *nihil habebant commune cum Republica Israelis*, *erant extra fœdus promissionum.* Ephes. 2.

XXX. Sed sub Novo Test. perfecta est *pax* per Jesum Christum. Habemus enim I. pacem *internam* per *conscientiam consummatam*, & II. *Externam* cum omnibus populis. Christus enim *pax nostra est, qui fecit utrumque (Judæum* & *Ethnicum* populum) *unum*, & *intergerinum parietem solvit, inimicitiam ad nihilum redegit &c. faciens pacem.* Ephes. 2: 14, 15. *Omnes ad se reconciliavit, pacem faciens per sanguinem crucis.* Col. 1: 20. Ideo *mortuus* dicitur, non tantum *pro peccatis Judæorum*, *sed totius mundi*, id est electorum omnium populorum. 1. Joh. 2: 2. Ut Deus nunc sit *Deus*, *non tantum Judæorum*, *sed & gentilium.* Rom. 3: 29, 30. Hæc autem *pax* necessario fieri debuit: cum Christo promissa fuerit *hæreditas totius terræ.* Ps. 2: 8. Rom, 4: 13. Debebant *lupi habitare inter agnos.* &c. Es. 11: 6. & 65: 25. Promissa autem fuit hæc pax gentibus: *Montes enim pacem adferre debebant populis.* Ps. 72: 3. Hag. 2: 9. Debebat etiam ista pax fieri per Christum, quare & שר שלום *Princeps pacis* dicitur, Es. 9: 5, 6, &. per ipsius quidem mortem & passiones: ideo facta est in eo מוסר שלומנו Es. 53. *Castigatio pacis nostræ.* Talis etiam esse debebat, secundum pactum æternum, inter patrem & filium, erat enim inter eos *Consilium Pacis.* Zachar. 6: 13.

XXXI *Decimum* bonum Novi Testamenti est *Libertas.* Ex iis quæ hactenus dicta sunt, satis manifesto patet, fideles sub Veteri Test. non fuisse *liberos*, sed sub *servitute.* Nam I. erant sub *reatu*; sub *commemoratione peccati*, coactique ut quotidie *chirographum* contra se scriberent. Erat enim chirographum ipsis ὑπεναντιὸν *sub contrarium.* Non *contrarium* quidem omnimodo, quemadmodum iis, qui non sunt solvendo, & qui nullum habent probum & sufficientem sponsorem: sed *sub contrarium*, quod haberent Sponsorem, filium Dei

*X. Bonum Novi Test. Libertas.*

sanctissimum & sufficientissimum, ut certi essent de remissione peccatorum & vita æterna, tamen ita remanerent subjecti certis quibusdam conditionibus difficilibus, id est *legi cærimoniali*, quamdiu debitum non esset solutum, & *chirographum* non deletum. Vide Col. 2: 11, 14. Hebr. 10: 2, 3. Male excipitur, *conscientiam & chirographum non fuisse peccati non remissi, sed non expiati, certissime licet remissi.* Nam 1. si sit *peccati non expiati*, utique est *conscientia & chirographum peccati*, exprobrans peccatum nondum expiatum, & reatum adhuc incumbentem. 2. Erat peccati *remissi* quidem quoad essentialia remissionis, quod liberi essent à pœna; sed non erat peccati *remissi* plane, & secundum omnem emphasi, ratione omnium circumstantiarum & accidentalium, quia nondum erat *remissio* solutionis & expiationis typicæ, & observationum cærimoniarum infinitatum, unde insuportabile jugum impositum manebat. Tandem non erat liberatio à *peccato cærimoniarum*, quia contra eas quotidie peccare poterant & peccarunt. Uno verbo nondum fuit *redemptio à peccatis prioris Testamenti.* Hebr. 9: 15. manebat *jugum difficile portatu.* Matt. 23: 4. immo *importabile.* Act. 15: 10. II. Serviebant *elementis mundi.* Gal. 4: 3, 9. Col. 2: 20. Hebr. 5: 12. id est *cærimoniis;* ad quod servitium adigebantur per *Curatores*, *Tutores*, *Rabbi*, *Magistros*, *Doctores*, *Patres Carnis*, & *Pædagogos.* Matth 23. Gal. 4: 1, 2, 3, 9. quare ut *νήπιοι infantes* & *servi habiti sunt.* ibid. Hinc & quotidie sub *timore mortis* fuere, Hebr. 2: 15. atque *Spiritum servitutis ac timoris* habuerunt, Rom. 8: 15. Quantam autem isti *Magistri* atque *Pædagogi* habuerint potestatem, ad imponendum jugum & servitutem, ostendimus Parte IV. Cap. IX. *De Lege Cærimoniali.* Thes. 11. Ideo dicuntur fuisse sub φρȣρᾷ τȣ͂ νόμȣ. Gal. 3: 23. Immo dicuntur isto tempore *captivi* & *vincti.* Es. 61: 1. ac fuisse *in fovea in*

*Exceptio.*

*qua non est aqua*, id est non aqua tantæ *libertatis*, *consolationis*, & *sanctitatis perfectæ.* Zachar. 9: 11, 12. Qui locus non potest intelligi de iis, qui fuerunt in captivitate Babylonica, cum ex captivitate jam liberati essent, facta enim est prophetia anno 2. Darii, populus vero liberatus fuit per Cyrum. Vide cap. 1: 1. Nec intelligi debet de iis qui vincti sunt *vinculis peccati.* Cum *Judæi* & *gentiles* peccatis vincti sint; Sed hic agitur de *Sione* id est de *Judæis*, qui erant *filii Sionis.* Et de iis quidem, ad quos debebat venire *Rex Messias equitans super asino.* vers. 9. quod non potest intelligi de omnibus hominibus in genere, sed de *Judæis* solis, ad quos venit *Rex Sionis*, maxime quum Chri-

Christus nasceretur. Deinde illi, quibus fit hæc promissio, vocantur התקוה אסירי *vincti spe*, vel *exspectatione* ; at *spem* soli *Judæi* habebant, Gal. 3: 23. Rom. 8: 24. ideo προηλπικότες dicti sunt. Ephes. 1: 13. Vide Act. 26: 6, 7. & 28: 20. Rom. 15: 4. Cum *gentiles nullam habuerint spem.* Ephes. 2: 12. Adde quod Com. 10 pace *gentibus* promissa, statim inde revertatur ad alios, nempe ad *Judæos* vers. 11. *Etiam tu, per sanguinem Testamenti tui, dimisi vinctos tuos è fovea in qua non est aqua*, quasi diceret: *non tantum pacem dabo gentibus* ; sed & vos, ô *vincti Judæi! vos liberabo è fovea &c.* Dicuntur igitur *vincti*, quia revera vincti & impliciti fuerunt *vinculis legis cærimonialis*, quare & *Custoditi* vocantur *sub lege.* Gal. 3: 23. Dicitur autem ista φρουρὰ *custodia*, *fovea in qua non est aqua*, ubi intelligitur aqua *libertatis* & *consolationis.* Non quod nullam habuerint consolationem ; contrarium docuimus, ubi egimus de *conscientia non consummata* : sed quod non tantum habuerint copiam & satietatem, ut semper maneret *desiderium* tanquam *sitis*, ut reatus expungeretur, chirographum deleretur & jugum servitutis aufferretur; ita nempe in Scriptura Sacra res dicuntur *non esse*, quando non sunt in plena emphasi, ita dictus est *spiritus nondum datus.* Joh. 7: 37. &c. Et *fides nondum venisse*, Gal. 3: 23. & nondum fuisse ἄφεσιν. Heb. 10: 18. Habebant itaque fideles Veteris Test. *aquas consolationis*, sed *parce*, non *plenam satietatem*, sed cum aliqua *siti*, Deut. 29: 19. & *sitivisse* justitiam Chr. Matth. 5: 6. dicuntur. At vero sub Novo Test. abunde aquæ istæ in fideles effusæ sunt. Es. 44: 3. Joel. 2: 28. Fons *apertus* est. Zachar. 13: 1. Adeo etiam ut *fluvii aquarum ex eorum ventre fluere* dicantur. Joh. 7: 38. Ut Eccles. Novi Test. dicatur *ebria*, Deut. 29: 19. & quod *saturetur.* Ps. 23. Matth. 5: 6. *Nec unquam sitiet*, uti olim factum est. Joh. 4: 14. Vide Act. 2: 16, &c. Tandem III. fuerunt sub *Maledictione*, atque *Ira.* Cum Deus legem cærimonialem istam dederit in *excandescentia* atque *ira* sua, propter horrendum peccatum commissum in vitulo aureo. Exod. 32: 7, &c. Ezech. 20: 20, &c. Vide Vol. II. Parte IV. Cap. IX. Thes. 6, 7. Ideo tempus Veteris Test. dicitur הזעם אחרית *ultimum excandescentiæ.* Dan. 8: 19. Vide Es. 10: 25. & dicti sunt fuisse sub *maledictione legis.* Gal. 3. 10, 13. Eodem sensu *lex* dicebatur *operari iram*, Rom. 4: 15. *littera occidens. Ministerium mortis & maledictionis.* 2. Cor. 3: 6, 9. Et *propter transgressiones addita.* Gal. 3: 19. Ita & sub *peccato* fuerunt, non tantum legis *moralis*, sed & *cærimonialis.* Nam *post legem* (cærimonialem), *pecca-*

*peccatum fuit in mundo.* Rom. 5: 1. Unde & peccata ista (quæ erant contra legem cærimonialem) dicuntur *peccata sub priori Test.* Hebr. 9: 15. Male ista loca torquentur *ad externa ira propter peccata exardescentis, ut etiam fit hodie, specimina*: cum tam manifesto fiat mentio de peccatis sub *Veteri Testamento*, de *peccato* quod *fuit in mundo post legem*, & ejusmodi alia infinita.

*Exceptio.*

XXXII. At fideles sub Novo Test. ab his omnibus jam liberati sunt. I. Est enim *reatus* jam per Christi sacrificium plane expunctus, ut nulla amplius detur *commemoratio peccati*, nec *chirographum* ulla ratione *nobis contrarium*. Christus enim in *cruce delevit chirographum nobis contrarium*, & totam *legem præceptorum in placitis.* Col. 2: 16. II. Liberi sumus à *jugo servitutis*, id enim *non poteramus portare, nec nos, nec patres nostri.* Act. 15: 10. adeoque *jugum Christi* solum in nos recipimus, quod est *leve* & facile portatu. Mat. 11: 29, 30. 1. Joh. 5. 3. III. Non amplius servimus *elementis mundi*, aut *legi cærimoniali.* Nam *mortificati sumus legi, in corpore Christi*, & à *lege liberati sumus.* Rom. 7: 2, 4, 6. Abolita est *lex præceptorum in placitis.* Col. 2: 16. ut *non amplius simus sub lege, sed sub gratia.* Rom. 6: 15. IV. Liberi sumus ab omnibus istis חקקים ושפטים, משלים *Patribus carnis, Magistris, Dominis, Tutoribus, Pædagogis, Principibus illius sæculi,* & *Diis dictis*, qui nobis ullum jugum cærimoniarum, imponere, & ad illud portandum nos adigere queant. Erant enim *Dii perituri*, & *morituri sicut reliqui homines.* Ps. 82: 6, 7. Joh. 10: 34. *Principes* quidem erant *istius sæculi*, sed *qui debebant aboleri.* 1. Cor. 2: 6. *Sydera cœli, quæ debebant cadere.* Mat. 24: 29. Apoc. 12: 4. Eorum Regnum erat *mobile.* Hebr. 12: 26, 27, 28. Ideo Christus *exuit omnes principatus* & *potestates*, quibus velatus & tanquam vestimento amictus fuit, & de iis triumphavit. Col. 2: 14, 15. Ut Christus *uno mense aboleverit tres pastores*; scilicet *Sacerdotes, Doctores* & *Judices.* Zachar. 11: 8. Adeoque solus est noster *Pastor.* Ps. 23. 1. Ezech. 34: 10. Solus noster *Sacerdos.* Ps. 110. Hebr. 7. &c. Solus noster *Rex* & *Legislator. Jehova est Rex noster, Jehova est Legislator noster, Jehova est judex noster.* Es. 33: 22. Est *Rex in omnem terram.* Zach. 14: 9. שר שלום *Rex pacis.* Es. 9: 5. Hinc etiam Novum Test. dicitur *Regnum Dei*, & *Regnum cœlorum.* Matt. 6: 10, 13, 33. & 3: 2. Rom. 14: 17. Solus est noster *Dominus.* 1. Cor. 8: 6. Ephes. 4: 5. Solus est noster *doctor* & *Magister.* Matt. 23: 8. Is solus *audiendus est.* Matt. 17: 5. *ut non amplius ullus proximum & fratrem suum docturus sit; omnes enim nunc cogno-*

*scent*

*ſcunt à parvo uſque ad maximum.* Jer. 31: 34. *Omnes ſumus edocti a Deo.* Joh. 6: 45. Vide 1. Joh. 2: 27. Eſ. 54: 13. *Senſus habemus exercitatos, & pro temporis ratione debemus eſſe doctores.* Hebr. 5: 11. Non amplius datur *Cathedra Moſis*, in qua ſedeant doctores qui *audiendi ſint.* Matth. 23: 1, 3. Non recurrendum eſt ad *judices* & *ſacerdotes*, ut ab eorum ore dependeamus, & ab eorum labiis petamus abſtruſa legis, & ut eorum ſtatuta in nos reciperemus, propter ſolam eorum auctoritatem, uti olim ſub Veteri Teſt. Deut. 17: 9, 10. Mal. 2: 7. Matth. 23: 1, 2, 3. Nemini hodie in rebus Religionis conceſſa eſt poteſtas *jubendi* & *puniendi*, ſed *docendi* tantum. Nec ullam exſpectamus novam doctrinam, aut ampliorem expoſitionem, per revelationem extraordinariam Prophetarum, ſed omnia clariſſime & ſufficientiſſime nunc revelata ſunt per ipſum *filium Dei*, Hebr. 1: 1. ut Omnes, non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo edocti ſimus. Joh. 6: 45. Non habet itaque Chriſtus hodie *Deos dictos*, *Legislatores*, *Dominos*, *Paſtores*, *Doctores*, *Sacerdotes* & *Judices* חברים *conſortes* ex hominibus, quemadmodum ſub Veteri Teſt. de quibus Pſ. 45: 8. ſed omnes fideles hodie ſunt ejus, non tantum *conſortes*, ſed & *fratres* & *cohæredes*, Gal. 4: 7. immo nos omnes ſecum fecit *ſacerdotes & Reges.* Apoc. 5: 10. Ergo cum *pretio empti ſimus, non poſſumus fieri ſervi hominum.* 1. Cor. 7: 23. V. Liberi ſumus à *timore mortis*, non enim timendum eſt, ob leviſſimam etiam cærimoniam neglectam, nos affici morte vel ab ipſo Deo, vel ab hominibus. Nam Chriſtus per mortem ſuam nos *redemit a transgreſſionibus; quæ erant ſub priori Teſtamento.* Hebr. 9: 15. id eſt à lege cærimoniali, & liberavit eos, qui *tota ſua vita, per timorem mortis, erant ſub ſervitute*, Hebr. 2: 16. quod neceſſario intelligendum eſt de morte *temporali* infligenda, non *æterna*, cum veri Iſraelitæ non potuerint timere mortem æternam. Nec de *Ethnicis* intelligi poteſt. 1. cum Paulus loquatur de iis, qui erant *ſub ſervitute*, ſed tales ſunt *Judæi*, qui ut *ſervi habiti ſunt.* Gal. 4: 1. Deinde *Ethnici* nullam agnoverunt cauſam timendi mortem æternam. Multi enim eam ridebant, ut anilem fabulam, alii credebant, ſe ab ea liberari poſſe, per ſacrificia animalium. *Habemus Spiritum adoptionis, ut non amplius eſſemus in timore.* Rom. 8: 15. VI. Tandem ſumus liberi ab *ira* & *maledictione*, cum reatus nobis non amplius incumbat, nec timenda ſit maledictio ob tranſgreſſam cærimoniam, & peccatum cærimoniale, cum tale peccatum in mundo non amplius habeat locum. *Chriſtus enim factus eſt*

*Exceptio.*

*maledictio pro nobis, ut nos redimeret a maledictione legis.* Gal. 3: 13. *Justificati fide, pacem habemus apud Deum.* Rom. 5: 1. Est nunc שנת רצין *annus beneplaciti.* Es. 61: 2. Luc. 4: 19. *Nulla* igitur *amplius est condemnatio in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Rom. 8: 1. Ab hisce omnibus liberati cum simus, veram *libertatem* consequuti sumus, quam fideles non habebant sub Veteri Test. Ideo etiam Filius dicitur *nos liberasse*, teste ipso Christo Joh. 8: 36. *Si filius vos liberavit, vere liberi estis.* Hæc tamen *libertas* ipsis fuit promissa, Es. 61: 1. Zach. 9: 11, 12. eam tamen, constante Veteri Test. non poterant consequi. *Non enim reportarunt promissiones.* Hebr. 11: 39. Sed *de nobis*, sub Novo Test. *Deus melius aliquid providerat, ne sine nobis consummarentur.* Vers. 40.

XXXIII. Hæc bona Novi Test. sunt excellentissima, ut eorum pretium à nobis nunquam satis possit agnosci & exaltari. In pretio itaque nobis esse debent, ut recte agnoscamus felicitatem Novi Test. quam Christus nobis peperit, supra Ecclesiam Test. Veteris, utque inde permoveremur ad majorem sanctitatem. Nam quo plures à Deo accipimus gratias, quo gratiorem animum, per sanctitatem vitæ, ei testari debemus: quo argumento ipse Paulus utitur, per totam fere Epistolam ad Hebræos, & 2. Cor. 6. & 7. Rom. 11. & 12. & alibi. ut nolle agnoscere omnia ista bona, impietatis esset, & signum manifestissimum ingrati animi.

XXXIV. Ideo non male *bona futura*, scilicet sub Novo Test. Hebr. 10: 1. dicuntur *Tanta promissiones.* 2. Cor. 7: 1. *Meliores promissiones*, quam habuerint sub Test. Veteri. Hebr. 8: 6. *Tanta salus.* Hebr. 2: 3. Aliquid *melius*, quod *Deus pro nobis prospexerit.* Hebr. 11: 40. *Melius Testamentum.* Hebr. 8: 6. Et *καιρὸς διορθώσεως, tempus emendationis.* Hebr. 9: 10. Quæ fere omnia promulgantur ab Angelis. Luc. 2: 13. *Gloria Deo in excelsis, & in terra pax, in hominibus beneplacitum.* Et à Paulo: *Non est Regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & lætitia per Spiritum Sanctum.* Rom. 14: 17. Vide 1. Cor. 1: 30.

# LOCUS XXI.

## *De Verbo & Sacramentis.*

## CAPUT XX.

### *De Verbo & Sacramentis in Genere, sub Novo Testamento.*

I. VErbum, quod Deus tradidit Ecclesiæ Novi Testamenti, ut eam edoceret atque regeret, est idem quod fuit sub Test. Veteri: nempe scripta *Mosis* & *Prophetarum*; Addita sunt Scripta *Euangelistarum* & *Apostolorum*, quæ non tantum confirmant quidquid in Veteri Test. continetur, sed tradunt præterea Christi promissi nativitatem, vitam, passiones, mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlos, sessionem ad dextram Patris, effusionem Spiritus Sancti, multaque alia dogmata & Prophetica, quæ faciunt ad clariorem intelligentiam atque confirmationem eorum, quæ scripta & prædicta fuerunt sub Test. Veteri. Est igitur verbum Dei sub Novo Test. tota Scriptura S. contenta in libris Mosis, Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum, de quo suse egimus, ubi de *Instrumento Fœderis*, sive de *Scriptura Sacra*. Hisce itaque longius non inhærebimus, sed recta transibimus ad *Sacramenta*.

*Verbum sub Novo Test. quale?*

II. Quemadmodum *Fœdus operum* sua habuit *Sacramenta*, ita & *Fœdus gratiæ*. In *fœdere operum* fuerunt *Paradisus* & *Arbor vitæ*, uti suo loco ostendimus. In *Fœdere gratiæ* varia sunt *Sacramenta*, secundum varias OEconomias. Alia fuerunt sub *Promissione*, alia sub *Veteri*, alia sub *Novo Testamento*. De illis jam egimus, nunc de *Sacramentis Novi Testamenti*.

*Sub Fœdere gratiæ varia Sacramenta.*

III. *Sacramentum* Græcis dicitur μυστήριον, ab Hebræo מכתר à סתר *occultavit*, quod sub signis visibilibus gratia quædam spiritualis *occultata* sit, quamvis postea Græci & Latini isto vocabulo abusi sint, ut *Sacramentum* dixerint quicquid aliquid occulti continebat. Latinis *Sacramentum* significavit. I. *Jusjurandum militare*. II. *Pignus*. III. *Summam pecuniæ*, quam litigantes ponebant inter manus Pontificis, qua multabatur is, qui causa cadebat.

*Sacramentum quomodo Græcis.*

*Quid Latinis?*

*Sacramenta quomodo vocentur in Script. S.*

IV. In toto verbo Dei non exstat vox *Sacramenti;* vocantur enim in Scriptura Sacra I. אות *signum.* Gen. 9: 12, 13. & 17: 11. Exod. 12: 13. II. σημεῖον *signum* & σφραγὶς *sigillum justitiæ fidei.* Rom. 4: 11. III. ὑποδείγματα. Hebr. 8: 5. & 9: 23. IV. ἀντίτυπα. 1. Petr. 3: 21. Optandum foret, ut Ecclesia vocabula ista retinuisset, & non introductum fuisset vocabulum *Sacramentum;* tot non haberemus disputationes, de *Transsubstantiatione, Consubstantiatione,* de *Opere operato,* & *opere operantis,* & ejusmodi rebus aliis. Nihilominus tamen censemus, contra *Brownistas,* vocabulum *Sacramentum* retineri posse in Ecclesia, modo ejus sensus recte exponatur. Est autem *Sacramentum signum, aut potius sigillum materiale ad exhibendam invisibilem gratiam Dei per Jesum Christum.*

*Sacramentum quid?*

V. In omni *Sacramento* requiruntur res quatuor. I. Ut sit *sigillum* & *signum* aliquod *materiale* & *visibile.* II. Ut sit *institutum* à Deo, ad illud significandum. III. Ut *significet,* & *exhibeat,* & *offerat gratiam Dei salutarem, omnibus fidelibus communem in J. C.* IV. Ut detur manifesta *analogia* inter *signum* & rem *signatam.* Et I. quidem Sacramenta esse *signa,* vel inde patet, quod aliquid significent. Ut male doceant *Lutherani,* esse *actionem.* Omnis enim *actio,* quæ observatur in *Sacramentis,* usum tantum *signi* habet. Ex. gr. *fractio panis* significat *fractionem corporis Christi; Comestio* notat *comestionem spiritualem* corporis Christi, per fidem. Debent esse *signa* non tantum quæ *aliquo sensu* percipiuntur, puta *audita,* ut male docent *Pontificii,* sed *visibilia* & *materialia.* (1. quia *Sacramenta* distinguuntur à *verbo:* sunt enim *sigilla* addita *verbo,* ad obsignationem & majorem confirmationem eorum, quæ in verbo continentur. (2. Deus vult mentes nostras de rebus divinis perfecte edocere. Ergo non tantum per *auditum,* in *verbo* suo; sed & per *visum,* in *Sacramentis.* (3. Si per auditum reciperentur Sacramenta, tunc administrarentur, quotiescunque Euangelium, vel gratia Dei annunciatur. (4. Non sunt nuda tantum *signa,* sed & *sigilla,* quæ gratiam Dei non tantum *ostendunt,* quemadmodum hædera suspensa ostendit vinum venale, quamvis illud prætereunti non det neque exhibeat; at talia, inquam, *signa* sunt, quæ simul sunt *sigilla,* & quæ gratiam Dei *obsignent* & *exhibeant.* Sed omnia *sigilla* sunt res *materiales* & *visibiles.*

VI. Deinde *Sacramenta* sunt *sigilla* ab ipso *Deo* instituta in *verbo suo.* Sunt enim signa non *naturalia,* sed *arbitraria,* quæ significant ex instituto. Debet autem esse institutum *divinum,* non *humanum.* (1. quia

(1. quia in rebus Religionis nemo habet jus instituendi ritus sacros & generales, omnibus fidelibus communes, qui gratiam Dei significent. Ergo solus Deus eorum est auctor. (2. Soli supremo Principi competit instituere sigilla in Regno suo, ad obsignandam gratiam suam. (3. Omnia Sacramenta sub *Promissione*, & sub *Vet. Test.* ab ipso Deo solo fuerunt instituta; ergo & sub *Novo Test.* Nullam igitur auctoritatem habet *Papa*, nec *Ecclesia* quidquam instituendi tanquam *Sacramentum*, qualia sunt *quinque falsa Sacramenta* Ecclesiæ Romanæ, de quibus suo loco. Ejusdem furfuris sunt *aqua* & *grana benedicta*, *agnus Dei*, *cucullus*, *imagines consecrata* &c.

*Sacramenta sunt sigilla ab ipso Deo instituta.*

VII. Tertio *Sacramenta significant*, *exhibent* & *offerunt* gratiam Dei salutarem in Jesu Christo. In omni itaque Sacramento est *signum*, sive *symbolum externum*, & *res significata*. Ex. gr. in baptismo *signum* est aqua, *Res significata* sanguis Christi. In S. Cœna *signum* est panis & vinum, sed *res signata*, corpus & sanguis Christi. *Signa* igitur, sive res materiales, in Sacramentis substituuntur loco rei significatæ, ad indicandum nos tam certo obtinere rem significatam, ac signum ipsum. Hinc nomen rei significatæ toties attribuitur ipsi signo. Sic *panis* vocatur *corpus*, & *vinum* dicitur *sanguis* Christi, quoniam *panis* & *vinum* pro *corpore* & *sanguine* substituuntur.

*Offerunt gratiam Dei.*

*Signa substituuntur loco signati.*

VIII. Patet itaque quarto, ut aliquid dicatur signum Sacramentale, non sufficere ut sit nudum *signum*, sed signum illud debere analogiam manifestam habere cum re significata. Igitur *usus naturalis* signi debet concedi, ut designet *usum spiritualem* rei significatæ. Ex. gr. *usus naturalis aqua* est *lavare*, *purificare*, significat igitur usum spiritualem sanguinis Christi, nempe *purificare mentes nostras.* Usus *naturalis* panis & vini est *comedi* & *bibi*; ergo significat corpus & sanguinem Christi vera fide recipi, & à nobis comedi & bibi, & alendam animam in vitam æternam.

*Signum habet analogiam cum re signata.*

IX. Est igitur quædam *unio* inter signum & rem significatam. Non *unio* quidem *physica*, nec *localis*, quasi in eodem necessario deberent esse loco signum & res signata; nec *Spiritualis*, quasi signa haberent aliquam vim regenerandi, & gratiam Dei justificantem conferendi; sed est unio *relativa* & *Sacramentalis*, quæ consistit in *analogia* & convenientia mutua inter signum & rem signatam, secundum institutionem, ordinationem & voluntatem Dei. Nihilominus tamen ista *unio* est *realis*: cum Sacramenta non sint *nuda signa*, & *simulachra*, quæ rem *repræsentent* tantum, sed non *conferant*

*Unio inter signum & rem signatam quæ?*

*rant*, sed potius Sacramenta exhibent & offerunt credenti rem significatam ipsam.

*Non sunt nuda signa, sed & sigilla.*

X. Injuste igitur *Pontificii* & *Lutherani* accusant *Reformatos*, quod doceant, Sacramenta esse *nudas tantum picturas & signa*, quæ *notent* quidem res spirituales; sed hominibus *nihil omnino conferant*, instar hæderæ suspensæ, quæ *ostendit* quidem prætereunti vinum venale, tamen ei nihil *confert*. Quam sententiam nobis falsissime affingunt: cum doceamus Sacramenta non esse tantum nuda *signa*, sed ipsa *sigilla*, quæ nobis *exhibent*, *confirmant* & *conferunt* gratiam Dei, non minus quam verba promissionis, immo nos de fruitione rei significatæ certiores reddant, quam verbum. Hinc etiam patet, pessime docere *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*, Sacramenta esse nuda & inania tantum signa mortis Christi, & symbola societatis Christianæ.

*Non sunt instrumenta physica.*

XI. At quamvis *Sacramenta* non sint vana *signa* & nudæ *picturæ*, sed *sigilla*, quæ *exhibeant* & *offerant* Christum ipsum, cum omnibus suis beneficiis; nihilominus tamen non debent concipi tanquam *instrumenta physica*, quæ sua natura gratiam justificationis in nobis producerent, (quemadmodum *securis* sua natura apta nata est ad findendum lignum) modo reperiant hominem recte dispositum, & qui eorum operationibus non resistat, ut conferant gratiam Dei ex *opere operato*, uti loquuntur *Pontificii*, à quibus non longe absunt *Lutherani*. Quæ sententia est falsissima, cum Sacramenta se habeant tantum tanquam *sigilla*, quæ nos certos reddunt de justificatione nostra, & de gratia Dei per Christum acquisita; & per Spiritum Sanctum applicata, at sua natura nullam habeant vim producendi justificationem, aut ullam gratiam. (1. Quia *caro Christi nihil prodest*. Joh. 6: 63. Ergo multo minus *panis* & *vinum*, aut *aqua*. Omnia itaque dependent a *virtute Spiritus S.* (2. Johannes ipse testatur, se *baptizare tantum aqua*, id est, se præter elementum & symbolum externum nihil conferre, sed Christum ipsum baptizare *Spiritu & igne*; id est virtute interna omnem conferre gratiam. Matth. 3: 11. (3. *Paulus plantat*, *Apollos rigat*, *sed Deus dat vim crescendi*. 1. Cor. 3: 6. (4. Nulla res corporea potest producere rem spiritualem, nec operari in animam, ut in ea efficiat ullam gratiam, aut vim justificantem. (5. Homo justificatus est antequam Sacramentis utatur: ut Abrahamus fuit justificatus ex fide, antequam circumcideretur. Nec circumcisus fuisset, nisi prius fuisset

*Non conferunt gratiam Dei ex opere operato.*

justi-

justificatus. Rom. 4: 11. ut justificatio præcedat Sacramenta, non autem ea sequatur, aut inde oriatur. Ita quoque *Cornelius*, Act. 10. & *Lydia*, Act. 16. crediderunt, adeoque fide justificati fuerunt, antequam baptizarentur. *Eunuchus* non est baptizatus antequam crederet. Act. 8: 37. Ideo Christus jubet ut discipuli prius *docerent*, & docendo homines adducerent ad fidem, antequam eos *baptizarent*. Matth. 28. Marc. 13. & 16. (6. Homo non justificaretur merito Christi, sed proprio opere, quæ est sententia justitiariorum. (7. Justitia esset nostra inhærens, non justitia Christi imputata. (8. Scriptura Sacra attribuit vim *baptismo*, non *externo*, *qui est depositio sordium carnis*, *sed bona Conscientiæ*. 1. Petr. 3: 21.

*Non operantur ut causa moralis.*

XII. Non sufficit etiam ut dicamus, *Sacramenta operari*, non quidem vi aliqua *interna* & *Physica*, sed tanquam causam *moralem*, ut scil. *Deus ad eorum præsentiam producat ipsam gratiam.* Nam & hoc falsum est; cum, uti diximus, Sacramenta semper supponant hominem jam *habere fidem*, adeoque eum justificatum esse. Ergo Deus eam per Sacramenta non producit; sed per ea obsignat & confirmat, tanquam per sigilla.

*Non imprimunt characterem.*

XIII. Ineptiunt *Pontificii*, qui docent Sacramenta imprimere nobis, nescio quem, *characterem*; cum ipsi exprimere non possint, quid per suum *Characterem* intelligant. Verba Ezech. 9: 4. *Signa frontem eorum, qui suspirant.* Es. 66: 19. *Ponam in his signum*, Gal. 6: 17. *Paulus habuit stigmata.* 1. Timoth. 4: 14. *Timotheus accepit gratias per impositionem manuum.* 2. Cor. 1: 21, 22. Ephes. 1: 13, 14. & 4: 30. *Spiritus est arrhabo & sigillum*, nihil faciunt pro imaginario isto charactere. Nusquam enim dicitur *imprimi characterem*. Notant tantum *gratias*, quas Deus largitur, etiam sine Sacramentis, & antequam Sacramentis uti simus.

*Finis Sacramentorum.*

XIV. *Finis*, ob quem sacramenta sunt instituta, est I. ut fieret publica professio fidei ac spei nostræ; adeoque ut hac via in terra Christo colligeretur Ecclesia. II. Ut Christiani haberent vinculum unionis, & tesseram sanctæ societatis. III. Ut essent tanquam fulcra Religionis Christianæ. IV. Ut non tantum per *verbum* edoceamur de morte Christi, deque ejus gratiis, sed & per *visum* æque ac per *auditum*: & ut de possessione omnium istorum bonorum plenius confirmaremur, majusque haberemus gaudium. Non possunt igitur Sacramenta negligi, nec contemni, nisi maximo cum contemptu Christi, qui eorum auctor est.

*Non debent negligi.*

XV.

*Tamen non sunt necessaria necessitate absoluta.*

XV. Tamen inde non sequitur Sacramenta esse *necessaria*, necessitate *absoluta*; quasi salus sine eis obtineri non posset, ut falso docent *Pontificii*. (1. quia multi servati sunt absque Sacramentis. (2. Sub *Promissione* non fuit *circumcisio* toti Ecclesiæ communis, nec *Pascha* ab Adamo usque ad tempora Mosis. (3. Sacramenta aliquando interrupta fuerunt; nemo enim circumcisus fuit in deserto, spacio quadraginta annorum. Jos. 5. Sub Veteri Test. ingens numerus puerorum mortuus est, ante octavum diem, ergo & ante circumcisionem, tamen non fuerunt damnati, uti patet ex filio Davidis, qui obiit septimo die post nativitatem, & tamen servatus est: speravit enim David se iturum post mortem ad filium suum. 2. Sam. 12: 23. (4. Latro conversus in cruce eodem die cum Christo erat in Paradiso, & tamen nec baptizatus fuit, nec S. cœnam sumpsit. Luc. 23: 34. (5. Gratia Dei non est alligata signis externis. Necessario itaque sunt Sacramenta, necessitate, non *absoluta*, sed *mandati* tantum; quia à Christo mandata sunt. Nam si omnia necessario observanda sunt, quæ Christus instituit & mandavit. Ergo & Sacramenta.

*Sacramenta non à quolibet administrari debent.*

XVI. Quemadmodum in Republica bene constituta non quilibet habet potestatem appendendi sigilla Principis, sed is solus, cui id à Principe datum est: ita quoque Sacramenta in Novo Testamento administrari debent, non à quolibet, sed ab iis tantum, qui à Christo constituti sunt *dispensatores mysteriorum* suorum. Cum enim administratio Sacramentorum sit actio publica, sequitur eam fieri non posse, nisi à persona publica in Ecclesia. Et cum Sacramenta exhibeant & confirment, idem quod per verbum promittitur atque offertur, ideo administrari debent, ab iisdem qui verbum Dei prædicant. Ideo Christus administrationem Sacramentorum & prædicationem verbi iisdem injunxit. *Ite, docete & baptizate.* Matth. 28: 19. 20. 1. Cor. 4: 1. Errant igitur *Sociniani*, qui in omnibus indiscriminatim concedunt, ut & *Pontificii*, qui docent quædam saltem Sacramenta administrari posse ab omnibus hominibus. Sed de hisce plura, ubi de *baptismate*.

*Vis Sacramentorum non dependet à pastore.*

XVII. Tamen nulla vis Sacramentorum dependet à *dignitate*, vel à vitio Pastoris, quasi Sacramenta essent irrita, si forte Minister esset impius, ut docent *Novatiani* & *Donatistæ*. Omnis enim eorum virtus dependet à Christo, ejusque institutione, modo rite & secundum ejus mandata celebrentur, efficaciam suam nullatenus ha-

habent à Pastore. Cavendum tamen est, ne Minister sit hæreticus publicus, ministerio motus, aut Apostata. Quamdiu enim ei conceditur potestas Verbum Dei publice prædicandi, tamdiu ei manet potestas Sacramenta administrandi; quemadmodum *Scribæ & Pharisæi, qui sedebant in Cathedra Mosis, dixerunt quæ servanda fuerunt,* quamvis *eorum opera non fuerint facienda.* Matth. 23: 1, 2, 3.

*Nec ab intentione Ministri.*

XVIII. Ejusdem generis error est *Pontificiorum*, qui docent Sacramentorum *virtutem* dependere ab *intentione* Ministri, quasi nullus esset *baptismus*, nulla *consecratio* panis, si forte cogitationes sacrificuli distractæ essent inter *baptizandum*, aut inter *consecrandum*, si baptizet, aut consecret, non præcise cum ista intentione baptizandi aut consecrandi; quæ sunt falsissima, cum omnis Sacramentorum vis dependeat à sola institutione & voluntate Dei, à vera fide, illius qui Sacramenta recipit. (1. quia nec *is qui plantat, nec is qui rigat quidquam est, sed Deus qui dat crescendi vim.* 1. Cor. 3: 7. (2. Pastores *baptizant aqua, sed Christus baptizat Spiritu & igne.* Matt. 3: 11. (3. *Christus prædicatur*, ut ut *per invidiam & contentionem, sive in speciem, sive sincere.* Phil. 1: 15, 18. (4 Ipsi *Pontificii* nunquam poterunt esse persuasi utrum adorent Christum, an placentulam; immo panem sæpe pro Christo adorant, nempe quotiescunque sacrificuli cogitationes inter consecrandum distractæ fuerunt, quando non habuit intentionem consecrandi. (5. Ipsi *Pontificii* nunquam poterunt esse persuasi se esse veros *Christianos:* docent enim hominem non baptizatum, non esse verum Christianum. Sed nunquam poterunt esse certi, se esse baptizatos; quum certi esse non possint de *intentione* ejus qui eos baptizavit. (6. Fieri posset, ut vix ullus esset Christianus in Ecclesia Romana. Si enim accidisset, quod facile accedere potest, ut sacrificulus, qui Papam aqua aspersit, non habuerit intentionem baptizandi, tunc Papa non erit baptizatus. Ergo non Christianus, nec caput Ecclesiæ, nec aliis poterit conferre potestatem baptizandi & consecrandi, ipsis fatentibus *Pontificiis*. Quidquid fecerit in consecrandis Episcopis, irritum fuerit. Nullus erit Episcopus, nullus pastor, nullus sacrificulus. Nam si papa, non est baptizatus cum intentione, non est papa. Si nullus papa nullus episcopus. Si nullus episcopus, nullus pastor, nullus sacrificulus. Si nullus Pastor, nemo baptizatus erit; ergo nemo Christianus. (7. Hic error ortus est ex gentilismo & judaismo. Docent enim *Judæi* sacrificium esse irritum, nisi à sacrificante & à sacerdote fiat cum intentione tale sacrifi-

cium offerendi לשמו *suo nomine.* Vide codicem *zevachim.* Hinc & apud Romanos inter sacrificandum intentio requirebatur. Ideo sacerdoti acclamari solebat: HOC AGE.

*Convenientia inter sacramenta Fœderis operum & Fœderis gratiæ.*

XIX. Sacramenta *Fœderis operum* conveniunt cum iis quæ reperiuntur in *Fœdere gratiæ.* I. quod omnia à Deo instituta sint. II quod significaverint *Christum auctorem vitæ.* III. Quod fuerint *sigilla justificationis.* Differunt tamen in eo I. quod in *fœdere operum* significaverint Christum auctorem vitæ, quatenus est *creator* & *conservator* vitæ, & auctor omnis boni; sed in fœdere gratiæ exhibetur ut *Redemptor*, qui suo merito homini acquirit vitam & salutem. II. Quod in *fœdere operum* fuerint *sigilla justificationis per opera, secundum pactum,* at in *fœdere gratiæ* sint sigilla *justificationis per fidem* in Christum. Rom. 4: 12. III. Quod in fœdere operum *duo* fuerint, *Paradisus* & *arbor vitæ;* ast in *fœdere gratiæ* aliquando plura, ut sub *promissione* & *veteri Testamento*, quemadmodum ad singulam œconomiam ostendimus. IV. Quod alia *signa* fuerint in *fœdere operum*, quam in *fœdere gratiæ.* V. Quod in fœdere operum proponerentur *toti generi humano*, at in *fœdere gratiæ* solis electis.

*Differentia.*

*Sacramenta Fœderis gratiæ omnibus OEconomiis conveniunt.*

XX. Sacramenta fœderis gratiæ, cum sub *Promissione*, tum sub *Veteri* & sub *Novo Testamento* conveniunt. I. quod omnia *Deum habeant auctorem.* II. quod sint *sigilla ejusdem fœderis gratiæ.* III. Quod *omnia proponuntur solis electis.* IV. quod omnia sumantur *per veram fidem* in Jesum Christum. Differunt tamen Sacramenta Veteris & Novi Test. I. Quod sub Veteri Test. *plura* fuerint quam sub Novo. II. Quod alia sint *signa* sub Novo, quam sub Veteri Testamento. III. Quod *simpliciora* sint & *facilius eis uti possimus*, quam sub Test. Veteri. IV. Quod sub Veteri Testamento data sint *solis posteris Abrahami*, sed sub Novo *omnibus populis.* V. Sub Veteri Test. significabant Christum & omnia ejus *merita futura;* sed sub Novo, Christum ejusque *gratiam præsentem.* VI. *Clariora* sunt sub Novo, quam sub Veteri Test. VII. Sub Veteri *durabant* tantum, *stante ista OEconomia Veteri;* at sub Novo durant usque *ad finem mundi.*

*Differunt sub Novo & sub Vet. Testam.*

*Sub Vet. T. non conferebant gratiam ex opere operantis.*

XXI. Falsissime docent *Pontificii;* Sacramenta sub Veteri Testamento contulisse gratiam ex *opere operantis*, id est ex dignitate & dispositione communicantis; sed sub Test. Novo conferre gratiam ex *opere operato*, id est sua vi ac insita virtute. Sub Vet. Test. fuisse tantum *nuda signa* gratiæ, sed sub Novo esse *causas* gratiæ: immo illa fuisse tantum *picturas Sacramentorum Novi Testamenti*, nec quid-

quam

quam præstitisse, nisi quod *carnem* tantum *purificasent*, cum hodie adferant etiam *gratiam spiritualem*. Cum tamen certissimum sit Sacramenta sub Veteri Testamento significasse eandem gratiam spiritualem, qualem notant sub Testamento Novo, eandemque habuisse efficaciam. (1. quia *comederunt eandem escam, & biberunt eundem potum, nempe Jesum Christum.* 1. Cor. 10: 1, 2, 3, 4. (2. *Circumcisio* significavit circumcisionem *spiritualem cordis*, abjectionem peccati, & *justificationem per fidem.* Rom. 4: 12. Idem significat *baptismus.* Hinc & sub Novo Test. dicimur *circumcisi.* Col. 2: 11. Et fideles Veteris Test. dicuntur *baptizati,* 1. Cor. 10: 1. &c. immo & ipsa *circumcisio* vocantur. Phil. 3: 3. (3. *Circumcisio* significabat *fœdus* Dei. Genes. 17: 7. &c. quia erat ejus sigillum & Sacramentum; prout in Sacramentis, nomen rei significatæ datur ipsi signo, per certam aliquam substitutionem. 4. *Pascha* significabat Jesum Christum, non minus ac hodie *Sacra Cœna*; ideo Christus ipse *Pascha nostrum* vocatur. 1. Cor. 5: 7.

*Nec sub Novo ex opere operato.*

*Sub V. Test. significarunt eandem gratiam spiritualem ac sub Nov. Test.*

XXIII. I. Quamvis *cærimoniæ Veteris Test. fuerint umbræ rerum futurarum.* Col. 2: 17. non sequitur tamen *fuisse umbras Sacramentorum nostrorum.* Dicuntur tantum *umbræ* rerum significatarum, per Sacramenta nostra, quemadmodum sub Veteri Testamento omnes cærimoniæ fuerunt umbræ rerum futurarum: depingebant enim res *futuras*, cum hodie Sacramenta repræsentent easdem res *præsentes.* Eadem igitur bona repræsentabant Sacramenta Veteris ac Novi Test. In hoc tantum differebant, uti supra demonstravimus, quod tunc res fuerint *futuræ*, cum nunc sint *præsentes.* II. *Baptismus vocatur* quidem *lavacrum regenerationis, & renovatio Spiritus S.* Tit. 3: 5. ideo tamen à *circumcisione* non differt: cum & sub Novo T. *circumcisi* dicamur. Col. 2: 11. nam abjectio præputii in circumcisione significabat purificationem cordis, quemadmodum baptismus notat *lavacrum regenerationis.* Sed & *circumcisio fœdus gratiæ* notabat. Gen. 17: 10. non minus quam Baptismus. Ita & *sacrificia* sub Veteri Test. dicebantur *expiare,* Lev. 4: 20. quia veram expiationem per Christum significabant. III. *Baptismum dici ἀντίτυπον diluvii*, 1. Pet. 3: 21. fatemur. Sed non eo sensu, quasi diluvium baptismi fuisset τύπος, Baptismus autem diluvii ἀρχέτυπος; sed quod eandem rem significaverint & *diluvium* & *Baptismus,* nempe *mortificationem* & *sepulturam* veteris hominis, *regenerationem* & *purificationem* novi hominis per sanguinem Jesu Christi. Ita sane ἀντίτυπος sumitur, non pro ἀρχετύπῳ.

*Solvuntur argumenta contraria.*

Hebr. 9: 24. nisi dicamus *tabernaculum* sub Vet. Test. fuisse ἀρχέτυπον cœli, quod esset absurdum. Ergo res, quæ idem significant, dicuntur *antitypi*, quod aliquam habeant similitudinem.

*Quomodo Christus præsens fuerit in Sacramentis Veteris & Novi Test.*

XXIII. Errant *Lutherani*, qui docent Sacramenta Veteris Test. differre in eo, quod sub Veteri Test. res significata fuerit *absens*, nunc autem sit *præsens*. Veluti in *S. Cœna* dicunt corpus Christi nunc esse præsens per *consubstantiationem*, cum sub Vet. Testamento *consubstantiatio* fieri non potuerit. Fatemur quidem sub Vet. Testamento Sacramenta significasse Christum *futurum*, hodie autem *natum*, *passum*, non *nasciturum*, *passurum*; nihilominus tamen res significata eandem est, in utroque Testamento. Deinde Christus hodie non magis est *præsens*, per præsentiam *localem*, & *corporalem*, quam sub Test. Veteri. Nam sub Novo Test. non aliter est in Sacramentis, quam *sacramentaliter*, & per *unionem relativam*, nec unquam aliter à fideli receptus est, quam per veram *fidem*. Eodem sane modo *præsens* fuit ac *receptus* est sub Veteri Testamento. Abrahamus *vidit diem Jesu Christi*. Joh. 8: 56. & omnes fideles *eandem escam nobiscum comederunt*, & *eundem potum spiritualem biberunt*. 1. Cor. 10: 3, 4.

*Sacramenta sub Test. Novo duo.*

XXIV. *Quot* dentur Sacramenta sub Novo Testamento, utrum *duo*, an plura, in S. Scriptura αὐτολεξεὶ non legimus, nihilominus tamen per necessariam consequentiam inde elicitur, dari *duo* & non plura. (1. quia non nisi de hisce duobus fit mentio. Quemadmodum enim optime colligimus, *decem* fuisse plagas in Ægypto, quamvis non exsertis verbis dicatur, utrum fuerint decem, an vero pauciores aut plures, ideo quod, si omnes enumeremus, reperiemus fuisse decem tantum; ita optime colligimus, duo esse tantum Sacramenta, quia de duobus, non autem de pluribus, in verbo Dei fit mentio. (2. Omnes conditiones requisitæ ad Sacramenta reperiuntur in *baptismo* & in *S. Cœna*, non in aliis. Conditiones autem istæ sunt, I. ut detur signum materiale & visibile. II. ut significet gratiam spiritualem per Jesum Christum. III. Ut sit manifesta analogia inter signum & rem signatam. IV. Ut à Christo in hunc finem sit institutum. Sed quatuor hæ conditiones reperiuntur in *Baptismo* & *S. Cœna*, non in aliis. (3. Paulus 1. Cor. 10: 2, 3, 4. confert Sacramenta Novi Testamenti, cum Sacramentis Testam. Veteris; sed mentionem facit de duobus tantum; I. De *Baptismate*. II. De *Esca & potu spirituali*, sive de *S. Cœna*

Et

Et *omnes*, inquit, *in Mose baptizati sunt, in nube & in mari, omnes eandem escam spiritualem ederunt, & eundem potum biberunt.* Ita & cap. 12: 13. *Per unum spiritum omnes baptizati sumus*, & *omnes potati sumus.* (4. Patres *duo* tantum memorant. *Augustinus* probat *duo* dari Sacramenta, quia ex latere Christi fluxit *sanguis* & *aqua*. *Sanguis* per quem Ecclesia *potatur*, quod fit, I. per *Sacram Cœnam*; & *Aqua*, II. per quam *purificatur*, qualis est *Baptismus*. Ita *Ambrosius* & alii.

XXV. Pessime igitur *Pontificii* præter hæc duo excogitarunt quinque alia. I. *Confirmationem*. II. *Pœnitentiam*. III. *Extremam unctionem*. IV. *Ordinem*. V. & *Matrimonium*, quæ reliquis juncta faciunt *septem*: quorum fabri fuerunt *Hugo de S. Victore* & *Lombardus*. Quam vana sint *quinque* ista Sacramenta patet, quod nulla in iis reperiatur conditio Sacramenti. I. Non enim sunt *instituta per Christum*. II. Non *habent omnia signa materialia & visibilia*. III. Non datur *Analogia inter signum & rem signatam*. IV. Non *distribuuntur omnibus membris Ecclesiæ*. V. Non significant *gratiam Dei per Jesum Christum omnibus electis communem*.

*Falso Pontificii excogitarunt VII. Sacramenta.*

XXVI. *Pontificiis Confirmatio* est Sacramentum, quod administratur per Episcopum, qui pollice dextro intincto nescio cui balsamo, frontem puerorum jam baptizatorum, & ætate profectiorum, inungit in formam crucis, variis adhibitis ritibus, quibus peractis, puero dat *alapam* in signum militiæ Christianæ, & *osculum* in signum consolationis. Hac ratione dicunt baptisma *confirmare*, ac si alias esset inutile, quæ est insignis injuria facta baptismo, eo magis cum *Confirmationem* digniorem dicant ipso *baptismo*? debet enim administrari ab ipso *Episcopo*, cum Baptismus etiam administretur per *Presbyterum*. Sed cum baptismus sit Sacramentum manifestissimum regenerationis, ejusmodi *confirmatione* non opus est. Frustra suum figmentum conantur probare ex Joh. 14: 16. & 15: 26. Act. 8: 17. & ex ejusmodi locis aliis; cum ibi ne γρῦ quidem de *Confirmatione*, *Sacro oleo*, *cruce*, *alapa*, *osculo* & ejusmodi ritibus; nihil de *Episcopo*, de *Pueris baptizatis*. *Manus* quidem *impositas fidelibus* legimus, ut reciperent *dona Spiritus Sancti*, quæ istis temporibus viguerunt, dona scilicet linguarum, miraculorum, sanationis, & alia ad propagandum Euangelium. Act. 8: 17. Quid hæc ad imaginariam *Confirmationem*? *Miracula* non sunt confundenda cum *Sacramentis*.

*Confirmatio quid:*

*Pœnitentia non eſt Sacramentum.*

XXVII. *Pœnitentia* non poteſt dici *Sacramentum*: (1. quia nullum habet *ſignum*, per rem *materialem* & *viſibilem*. (2. Ipſi Pontificii exprimere nequeunt, qua in re *Pœnitentia* conſiſtat. Si dicant, in ipſa *contritione cordis*, tunc nullum apparebit *ſignum*, quod ullo ſenſu percipi poſſit. Si in *abſolutione* Sacerdotis, tunc erit Sacramentum *abſolutionis* potius quam *pœnitentiæ*. Adde quod *abſolutio* ſit effectus pœnitentis, non ejus *ſignum*; nemo enim abſolvi poteſt, niſi qui jam pœnitentiam egit. Deinde ad *Pœnitentiam* non opus eſt *Abſolutione* Sacerdotis, alias quotquot moriuntur ſine abſolutione Sacerdotis impœnitentes, adeoque damnati, morerentur. Tandem ſi *abſolutio* eſſet Sacramentum, quoties annunciatur *abſolutio*, vel remiſſio peccatorum, ut in omnibus concionibus fieri ſolet, toties adminiſtraretur Sacramentum. Verba Johannis Matth. 3. 11. *Baptizo vos in reſipiſcentiam.* Et Act. 19: 4. ubi Paulus dicit: *Johannem Baptizaſſe in reſipiſcentiam*, non probant *Pœnitentiam eſſe Sacramentum*; ſed tantum, eum qui vult bapzizari debere teſtari fidem & reſipiſcentiam, ut ſi ullum daretur *Sacramentum Pœnitentiæ*, illud eſſet *Baptiſmus*.

*Sacramentum Pœnit. eſt Baptiſmus.*

*Sacramentum ordinis eſt confictum.*

XXVIII. Quæ de *Sacramento Ordinis* docent Pontificii, æque conficta & abſurda ſunt. Septem ponunt ordines *Janitoris*, *Lectoris*, *Exorciſtæ*, *Acoluthi*, *Subdiaconi*, *Diaconi*, & *Paſtoris* ſive *Presbyteri*. Quilibet ordo ſuos ſibi habet peculiares ritus, ut quilibet ordo *Sacramentum* videatur, adeoque dicendi ſint habere *ſeptem Sacramenta Ordinis*. Addi poſſent ordines *Epiſcopi*, *Archiepiſcopi*, *Patriarchæ*, *Cardinalis* & *Papæ*. Quot igitur Sacramenta habebunt ordinis? Inſulſum eſt quod dicant, Chriſtum ipſum ſeptem ordines exercuiſſe, fuiſſe I. *Janitorem*, ideo quod *Ementes & vendentes ejecerit ex Templo*. Matt. 21: 12. II. *Lectorem*, quod legerit in templo Prophetam Eſaiam. Luc. 4: 16, 17. III. *Exorciſtam*, quod ſputo ſanaverit cæcum. Marc. 8: 23. IV. *Acoluthum*, quod dixerit, *qui me ſequitur, non ambulat in tenebris*. Joh. 8: 12. V. *Subdiaconum*, quod laverit pedes Apoſtolorum. Joh. 13: 5. &c. VI. *Diaconum*, quod diſtribuerit panem & vinum. Matth. 26: 26. &c. VII. *Paſtorem*, ſive *Presbyterum*, quod ſeipſum obtulerit in cruce. Matt. 27. Has ineptias recitaſſe, eſt eas refutaſſe. Legimus etiam Chriſtum miſiſſe *Apoſtolos*, *Evangeliſtas*, *Doctores* & *Paſtores*. Eph. 4: 11: dixiſſeque, *ut pater miſit me, ita & ego vos mitto*. Joh. 20: 21. manuſque imponi ſolere Paſtoribus Eccleſiæ. Sed quid hæc omnia ad fictos ordines? Tandem

*Septem ordines finguntur.*

*Argumentum Pontificiorum.*

ſi

si Christus vel maxime ordines istos instituisset, non essent Sacramenta.

XXIX. *Matrimonium* non potest dici Sacramentum. (1. quia *Judæi*, *Ethnici* & *Mahomedani* etiam celebrassent Sacramenta Ecclesiæ Christianæ. Inter eos enim verum obtinet matrimonium, non minus quam inter Christianos, nisi dicamus omnes populos, præter Christianos, esse spurios. (2. Conditiones Sacrament. in matrimonio non continentur. (3. Cœlibatus in Ecclesia Romana sanctior habetur matrimonio; ut potius facere deberent Sacramentum *Cœlibatus*. Nihil probant ex Ephes. 5: 31, 32. Ubi Paulus, postquam de *matrimonio* loquutus esset, addit: *Mysterium hoc magnum est*; pro quo vulgatus habet; *Sacramentum* magnum est. Nam. 1. intelligitur *matrimonium spirituale* inter Christum & ejus Ecclesiam, quemadmodum Paulus seipsum explicat. 2. Multa dicuntur *mysteria*, quæ tamen ab ipsis Pontificiis non agnoscuntur pro *Sacramentis*. Alias I. *Incarnatio Christi*. II. *Euangelium*. III. *Vocatio gentilium*. IV. *Conversio Judæorum*. V. *Antichristus*. VI. *Transformatio corporum* ultimo judicio: VII. & omnia *verba barbara* essent Sacramenta. Vide 1. Tim. 3: 16. Ephes. 1: 9, 10. Matt. 13: 11. Rom. 11: 25. Apoc. 17: 5, 7. 2. Thess. 2: 7. 1. Cor. 15: 51. 1. Cor. 14: 2.

*Matrimonium non est Sacrament.*

XXX. Sacramentum *extremæ unctionis* etiam confictum est: ubi certo quodam *oleo*, nescio qua arte magica, ab Episcopo consecrato, Sacerdos utitur, ad ungendum ægrotum, quem credit jam moribundum, conceptis quibusdam verbis, in remissionem peccatorum, & ad recuperandam sanitatem. Verum est *Apostolos proclamasse, ut homines resipiscerent, & dæmonia multa ejecisse, unxisse oleo multos ægrotos, & sanasse*. Marc. 6: 12. &c. Ideo Jacobum cap. 5: 14, 15. dixisse: *si quis ægrotet inter vos, accersat Presbyteros Ecclesiæ; & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et Oratio fidei servabit ægrotum, erigetque eum Dominus; & si commiserit peccatum, remittetur ei.* Sed quid hæc ad figmentum unctionis in Ecclesia Romana? Nam 1. tempore Apostolorum viguit *donum sanationis*, inter multa alia dona miraculorum. Vide 1. Cor. 12: 9. 28. quæ miracula fieri solebant, per ejusmodi unguentum. Hodie dona miraculorum cessant; Ergo & *unctio*. Si igitur quis uti vellet ejusmodi unctione, cessante dono miraculorum, perinde esset ac si accenderet candelam cœco, post amissum visum. 2. Apostoli sanabant, per unctionem & per preces suas, sed Pontificii neminem sanant: cum fere omnes, quos ungunt,

*Sacrament. extremæ unctionis confictum.*

*Argumenta Pontificior. vana.*

gunt, moriantur. 3. Apostoli ungere solebant omnes ægrotos, *Pontificii* tantum eos, qui versantur fere in agone mortis. 4. Si immitanda sint omnia, quæ facta sunt ab Apostolis, cur non utuntur cinere & sputo ad restituendum visum, ad exemplum Christi. Joh. 9: 6. Cur igitur non faciunt Sacramentum *sputi & luti?* Cur non prolabuntur in mortuos, ut eos suscitarent, uti fecit Paulus? Actorum 20: 10.

*Sacramenta ficta Anabaptistarum.*

XXXI. Cum Sacramentis *Pontificiorum* fictis jungi possunt Sacramenta quædam Anabaptistarum, quæ sunt ejusdem Commatis. Veluti I. *Matrimonium*, & *Lotio Pedum.* De *Matrimonio* jam dictum est. *Lotio pedum* obtinuit quidem tempore Christi, quare ipse Servator Apostolis lavit pedes. Joh. 13. Sed (1. istis temporibus Lotio ista usitata fuit, in istis regionibus; sed idem ritus non obtinet alibi. (2. Christus nusquam talem ritum instituit, ut à nobis observaretur. (3. Omnia essent observanda, quæ Christus & Apostoli observarunt. Variæ *unctiones.* Matth. 6: 17. Marc. 6: 12. Jac. 5. de quibus supra. *Oscula.* 1. Petri 5: 14. & id genus alia.

## CAPUT XXI.

*De Baptismate.*

*Βαπτίζειν quid?*

I. BAπτίζειν significat *lavare*, *mundare*, sive id fiat immergendo in aquas, quemadmodum lintea & vestimenta aquæ immergi solent, dum lavantur. Hæc *immersio* Hebræis dicitur טבילה. Aliquando fit per *Aspersionem:* dum res aqua aspergitur & lavatur. Hoc sensu *lecti* dicuntur βαπτίζεσθαι. Marc. 7: 4. Notat etiam *crucem* & *passiones. Potestisne baptizari baptismate, quo ego baptizor?* Matth. 20: 22, 23. Vide Luc. 12: 50. Et *doctrinam Christianam* nonnulli significare putant, cum ejus sit sigillum, Matth. 21: 25. *Baptismus Johannis, an est è cœlo? faciens tantum baptisma Johannis*, id est Johannis *doctrinam.* Act. 18: 25.

*Baptismi Origo.*

II. Baptismus videtur *originem* habuisse inde à Jacobo, qui familiam suam purificari voluit. Gen. 35: 2. Ita & Moses jusserat populum, ut se lavaret. Exodi 19: 10, 11. Sed & omnes Israelitæ dicuntur *baptizati in nube, & in mari rubro.* 1. Cor. 10: 2. Temporibus Christi baptismus erat usitatissimus, inter Judæos: ut nemo recipi po-

potuerit proselytus, quin baptizaretur æque ac circumcideretur. De qua re consulendi sunt Judæi.

III. Primus, qui in Ecclesia Christiana baptizavit, fuit *Johannes*, unde & *baptistes* dictus est. Matth. 3: 1. ita & baptismus in Ecclesia Christiana *baptismus Johannis* dicitur. Matth. 21: 25. Act. 18: 25. Baptizavit autem *Johannes*, non tantum ad *imitationem* Judæorum, & secundum ritum istis temporibus usitatissimum: sed expresso Dei mandato. (1. quia erat *Sacramentum*, non inanis ritus *Judæorum*. (2. Dicitur baptismus *Johannis*, non *Judæorum*. (3. Johannis baptismus *erat è cœlo*, non ex *hominibus*. Ergo institutus est a *Deo* è cœlo, non a *Judæis* in terra. Matth. 21: 25. (4. Johannes à *Christo missus est ut baptizaret*. Joh. 1: 33. (5. Ipse Christus à Johanne voluit baptizari. Matth. 3: 16. (6. Johannes prædicavit veram doctrinam Christi. Joh. 1: 29, 30, 34, 36.

*Johannes primus baptizavit.*

*Ejus baptismus à Deo est institutus.*

IV. Erat igitur baptismus Johannis verum Sacramentum Novi Test. ejusdemque naturæ, valoris & dignitatis, cujus erat baptismus Apostolorum, & reliquorum pastorum in Ecclesia, quod contra *Pontificios* & *Anabaptistas* notandum est. Inepte igitur argumentantur, I. Non esse baptismum ejusdem naturæ, quod *dicatur Baptismus Johannis*. Matth. 21: 25. Ita enim vocatur, 1. ut constaret, non esse baptisma vanum *Judæorum*, sed idem ac reliquorum Apostolorum. 2. quod Johannes primus fuerit qui baptisma *è cœlo*, id est ab ipso Deo acceperit, primusque baptizaverit. Matth. 21: 25. Joh. 1: 33. II. *Dicitur etiam baptismus pœnitentiæ*. Marc. 1: 2. Sed quilibet baptismus, non Johannis solum, est *baptismus pœnitentiæ*, cum non conferatur nisi iis, qui veram testantur fidem & resipiscentiam. *Consepulti sumus Christo per baptismum, ut in nova vita ambularemus.* Rom. 6: 4. III. Concedimus *Johannem baptizasse aqua, & Christum baptizasse Spiritu & igne*, Matth. 3: 11. Marc. 1: 8. sed idem de omnibus Apostolis dicendum est, cum præter externa nihil conferant. Ita *Paulus plantat, Apollos rigat, sed solus Deus dat crescendi vim.* 1. Cor. 3: 7. IV. Falsum est quod quidam opponunt: *Johannem non baptizasse in nomine Trinitatis*; quamvis forte eadem formula non usus fuerit. V. Non dicitur Act. 19: 3, 4, 5. *a Johanne baptizatos postea rebaptizatos fuisse a Paulo*; versus enim quintus, ubi quidam dicuntur baptizati, jungi debet cum quarto; postquam enim versu 4. dictum fuit quibus verbis Johannes soleret hortari homines ad fidem & ad recipiendum baptisma, statim additur versu 5. Johan-

*Ejusdem virtutis ac reliquorum Apostolorum.*

*Argumenta contraria.*

nem eos, qui verbum iſtud receperant baptizaſſe. com 6. additur *Paulum* iiſdem *impoſuiſſe manus, ut reciperent Spiritum S.* Paulus alias neminem baptizavit, præter *Criſpum* & *Gajum*, *& familiam Stephanæ.* 1. Cor. 1: 15, 16. VI. Stramineum eſt, quod dicant: *Multos, qui à Johanne baptizati ſunt, poſtea rebaptizatos fuiſſe die pentecoſtes; cum credibile ſit multos ex iis, qui iſto die baptizati ſunt, diſcipulos Johannis fuiſſe, & à Johanne antea baptizatos.* Nam hæc conjectura nondum probata eſt. Deinde magis credibile eſt, eos à Johanne nec edoctos, nec baptizatos fuiſſe, cum rogaverint: *Quid faciemus?* Act. 2: 37, 38.

*Miniſtri Baptiſmi ſunt Paſtores Eccleſiæ.*

V. *Miniſtri* baptiſmi, ut & S. Cœnæ, ſunt *Paſtores* Eccleſiæ, qui verbum publice prædicant. Chriſtus ipſe non baptizavit, ſed ejus diſcipuli. Joh. 4: 2. Matth. 28: 19. Act. 2: 41. Et Euangeliſtæ. Act. 8: 12. & 9: 18. Quamvis dicatur, *Paulus non ad baptizandum, ſed ad Euangelizandum miſſus,* 1. Cor. 1: 17. inde tamen non ſequitur, prædicationem verbi, & adminiſtrationem Sacramentorum non eſſe junctas in eadem perſona. Paulus oſtendit tantum, præcipuum munus Apoſtoli fuiſſe, ut doceret, quia per *auditum verbi* fides oritur. Rom. 10. Et *ſine fide nemo Deo placebit*, nec ſervabitur. Hebr. 11: 6. Multi tamen ſervantur, qui non fuerunt baptizati. Deinde notandum, quod Paulus ipſe quoſdam baptizaverit, veluti *Criſpum*, *Gajum* & *familiam Stephanæ.* 1. Cor. 1: 15, 16.

*Baptiſmus non poteſt adminiſtrari à laicis, aut mulier.*

VI. Delirant igitur *Pontificii*, qui docent baptiſmum etiam poſſe adminiſtrari, per laicos, immo, & mulierculas, ſi infans verſetur in periculo mortis, immo à Judæo, Turca, aut Ethnico, ſi habeat voluntatem baptizandi. Nunquam probabunt hunc errorem 1. *quod Zipora uxor Moſis circumciderit filium ſuum.* Exod. 4: 25. 1. cum id fecerit magis per impatientiam, quam per obedientiam, ob ſalutem mariti ſui. 2. Alia eſt ratio *circumciſionis*, quia fieri poterat à quolibet, qui iſtius rei peritus eſſet, non à ſolo Sacerdote, aut paſtore. II. *Septuaginta diſcipuli*, qui *baptizarunt*. Luc. 10: 1. quamvis non fuerint Apoſtoli, tamen non fuerunt *Laici*, ſed *paſtores* Eccleſiæ, & ad iſtud munus à Chriſto miſſi. III. Idem dicendum eſt de *Philippo*, *qui baptizavit Eunuchum*, Act. 8. & de *Anania*, qui Paulum baptizavit, Act. 9. fuerunt enim paſtores *miſſi* ad illud peragendum. *Philippus* enim *prædicavit Chriſtum Samariæ*, Act. 8: 5. & *juſſus* eſt, ut accederet ad currum Eunuchi, Com. 29. vocatur etiam *Euangeliſta*. Act. 21: 8. Ananias quoque *miſſus* eſt à Spiritu S. Act. 9. IV. *Fratres*

*stres*, qui *Cornelium baptizarunt*, Act. 10. non fuerunt fratres Laici, sed pastores, quod vel ex ipso actu isto patet. V. Puerile est quod dicant: *Tria milla hominum baptizata esse uno die.* Act. 2: 41. *hoc non potuisse fieri à tam paucis Apostolis, ergo & Laicos baptizasse.* 1. Facile enim duodecim homines Apostoli uno die poterant baptizare aliquot millia; cum hodie sæpe à paucis pastoribus aliquot millia recipiant S. Cœnam. Istis enim temporibus ignotus erat usus salis, sputi, exorcismi, aliarumque cærimoniarum, quæ multum temporibus inutiliter consumunt. 2. Forte & alii Euangelistæ & Diaconi Apostolis adjuncti fuerunt. VI. *Phœbe fuit* quidem *ministra Ecclesiæ Cenchrææ.* Rom. 16: 1. 1. non *Pastor*, sed *Diacona*, ut curaret necessitates Ecclesiæ, præsertim erga pauperes. Act. 6. Sed non exercuit S. Ministerium, multo minus baptizavit. 2. Si fuisset ministra quæ baptizasset, potuisset etiam reliqua munera ministerii obire. Cur igitur *Pontificii* mulierculas ad ministerium non admittunt?

*Signum Baptismi est aqua.*

*Error Pontificiorum.*

VII. Signum baptismi est *aqua.* Baptizabat enim Johannes in Jordane, in quo & Christus baptizatus est. Matth. 3: 6. Eunuchus etiam in *aqua.* Act. 8: 38. Vana sunt additamenta in Ecclesia Romana, ubi non baptizatur aqua pura, sed adhiberi solet *sal*, *oleum*, *saliva*, *sacrum chrisma*, *vestes albæ*, *signa crucis*, & id genus alia. Cum enim significetur purificatio animarum per sanguinem Christi, *aqua* pura, quemadmodum à Christo est instituta, immo uti ipse baptizatus est, sufficere debet.

*Olim multi baptizati immersione.*

VIII. Credibile est, olim multos baptizatos fuisse *immersione*, quam & Judæi observabant, & טבילה vocabant. Ita & Christus descenderat in Jordanem, ut à Johanne baptizaretur. Matth. 3. Idem videtur indicare modus loquendi, *sepiliri per baptismum.* Col. 2: 12. Rom. 6: 3, 4. Gal. 3: 27. Nihilominus tamen tempore Apostolorum multos etiam fuisse baptizatos *aspersione*, valde est probabile. (1. quia uno die à paucis Apostolis baptizati sunt, ad tria millia hominum. At non est credibile id fieri potuisse per immersionem, sed facile per aspersionem. (2. Integræ familiæ baptizatæ sunt in privatis ædibus, veluti *Cornelii.* Act. 10: 48. *Lydiæ.* Act. 16: 15. & *Custodis Carceris.* Act. 16: 33. At non est verisimile in istis ædibus tantum fuisse copiam aquarum, ut integer homo submergeretur. (3. *Aspersio* apte depingit aspersionem sanguinis Jesu Christi, quemadmodum altare & populus aspersus fuit. Exod. 24. Ps. 51: 9. Hebr. 12: 24. Errant igitur *Moscovitæ*, qui docent *immersionem* esse

*Etiam multi per Aspersionem.*

*Error Moscovitarum. Utrum aspersio trina requiratur?*

de essentia baptismatis. Utrum autem *trina*, an vero una tantum fieri debeat *aspersio*, perinde erit: cum in verbo Dei nullum expressum exstet mandatum.

*Baptisma verbi nullum est, sed aquæ.*

IX. Ineptiunt *Sociniani*, dum docent baptismo *aquæ* non opus esse, sed omnia fieri posse per nudum *verbum* Dei: ut *baptizare* illis nihil aliud sit, quam *verbum Dei annunciare*, & *baptizati* dicendi sint illi, qui verbum & doctrinam Christi receperunt. Ideo per *baptismum Johannis* intelligunt ejus *doctrinam*. Quod quam falsum sit patet. (1. quia Johannes baptizavit *aqua*, non solo *verbo*, sic & Christus in *Jordane* & Eunuchus *aqua* baptizati sunt. (2. *Baptismus* expertis verbis distinguitur à *doctrina*. Ite, *docete*, & *baptizate*. Matth. 28: 19. Docetur *verbo*, baptizatur *aqua*. Vana est argutatio I. *Tantum sciens baptisma Johannis*. Act. 18: 25. *Doctrina scitur non baptismus. Ergo baptismus significat doctrinam.* Ipse baptismus scitur, quando scitur ipsius significatio; continet enim totam substantiam Euangelii. Totum igitur ministerium Johannis intelligitur per ejus baptismum, cum ab eo habet denominationem. II. *Lavacrum regenerationis, per quod Deus nos servat*. Tit. 3: 5. non est *doctrina*, sed ipsa virtus Spiritus S. Dicitur autem *lavacrum*, quia per *lavacrum aquæ*, sive per *baptismum* significatur.

*Argumenta contraria refutantur.*

*Res significata in baptismo est Christi obedientia, & virtus Sp. S.*

X. *Res significata* in baptismate est Christi *obedientia* & *sanguis*, quo purificamur ab omnibus peccatis. Significatur etiam *virtus* Spiritus S. per quem mentes nostræ *merito sanguinis* Christi, tanquam per aquam asperguntur. Nam *sanguis Christi nos purificat ab omni peccato*. 1. Joh. 1: 7. Ita de Spiritu S. dicitur. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in Regnum cœlorum*. Joh. 3: 5. Hæc *Aspersio* & *purificatio* spiritualis etiam depicta fuit sub Veteri Test. per aspersionem *sanguinis sacrificiorum*. Ita populus aspersus fuit sanguine. Exod. 24. Hebr. 10: 22. & 9: 22. Ita & per aspersionem aquæ, sive per *aquam lustralem*, cum *cinere vaccæ rufæ*. Num. 19. vel per aliam aquam puram, ut in lotionibus & purificationibus fieri solebat. *Spargam super vos aquas mundas, & purificabimini*. Ezech. 36: 25. Ps. 51: 9.

*Ritus externi Baptismi.*

XI. *Ritus externi* in baptismo habent etiam suas significationes. Maxime notandæ sunt 1. *Aspersio aquæ*, & 2. *Lotio corporis*. I. *Aspersio aquæ* significat, animas nostras virtute Spir. S. aspergi sanguine Christi, id est meritum sanguinis Christi nobis applicari per Spiritum S. ut mentes nostras sanctificet & purificet. II. *Lotio corporis*

per

*per aquam* notat lotionem animarum per sanguinem Christi. 1. Joh. 1: 3. Ista autem *lotio* hæc tria significat. I. *Remissionem peccatorum*, sive *justificationem*, cum per meritum sanguinis Christi peccata nobis remittantur. Ideo *baptismus* dicitur *Resipiscentiæ ad remissionem peccatorum*. Marc. 1: 4. *Baptizetur unusquisque in nomine J. C. in remissionem peccatorum*. Act. 2: 38. II. *Purificationem* mentis, per sanctificationem, cum purgemur non tantum à *reatu*, sed & à *macula*. Ideo dicitur baptismus *lavacrum regenerationis*. Tit. 3: 5. Hinc *regenerari* dicimur *ex aqua & Spiritu*. Joh. 3: 5. cum sanguis Christi nobis acquisiverit Sp. S. qui mentem nostram regeneret, ut fiamus novæ creaturæ veram pietatem agnoscentes, amantes, sectantes, & impietatem fugientes III. *Mortem* & *Resurrectionem spiritualem*. Nam per baptismum aquis submergimur, & quasi sepelimur: sed in morte non remanemus, statim enim inde resurgimus: ut denotetur, nos, per Christi merita, & cum Christo, mortificare veterem hominem, cum Christo sepeliri, & cum eo resurgere in novitatem vitæ. *Consepulti sumus ei, per baptismum, in mortem; ut, sicut suscitatus est Christus è mortuis, in gloriam patris, ita & nos nova vita ambulemus*. Rom. 6: 4, 5.

*I. Aspersio aquæ. II. Lotio corporis. Earum significationes. I. Remissio peccatorum. II. Purificatio mentis. III. Mors & Resurrectio spiritualis.*

XII. Delirant itaque *Pontificii* aliique Veterum, qui vulgo *Clinici* dicti sunt, quales & *Novatiani* ac *Cathari*, qui docent per baptismum non remitti peccata, quæ post baptismum commissa sunt: remitti tantum pœnam æternam, non autem temporalem, pro qua ipsi debeamus satisfacere. Cum tamen (1. *Sanguis Christi nos purificet ab OMNI peccato*. 1. Joh. 1: 9. (2 *baptizetur unusquisque in remissionem* peccatorum. Act. 2: 38. Ibi nulla fit distinctio inter peccatum ante vel post baptismum, *veniale* vel *mortale*. (3. baptismus significat quidquid Christus nobis meritus est. At Christus meritus est remissionem omnium peccatorum. Pessime *Clinici* baptismum declinabant, usque ad articulum mortis.

*Error Pontificiorum, Clinicorum & aliorum, quod peccata post baptismum commissa non remittantur.*

XIII. Falso docent Pontificii, *baptismum sua vi ac natura aufferre peccatum originale, & concupiscentiam*, ac si homo, eo momento quo baptizatus est, esset sine peccato. At peccatum & concupiscentiam remanere, etiam post baptismum, docet (1. *Experientia* & conscientia omnium hominum. (2. Exemplum Pauli, Rom. 7. (3. Mors infantium, quæ non potest esse aliunde quam à peccato: *est* enim *mors stipendium peccati*. Rom. 6: 23. (4. Johannes 1. Ep. 1: 8. negat ullum reperiri, qui non habeat peccatum. Si *dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus* &c. Ergo & infantes sine peccato non sunt.

*Baptisma non aufert peccata sua vi. Concupiscentia & peccatum manent post baptismum.*

*Baptismus non est nuda Christianæ professionis tessera.*

XIV. Falso docent *Sociniani* baptismum esse nudam Christianæ *professionis tesseram*, aut ritum externum, quo initiaremur Christianorum sacris, nihilque nobis obsignare; cum sit *sigillum* quo nobis obsignatur nostra justificatio & vita æterna, per sanguinem Jesu Christi, quemadmodum ex iis, quæ de Sacramentis in genere, & jam modo de baptismo diximus, patet.

*Sed sigillum.*

*Nec causa Regenerationis.*

XV. Non tamen est causa regenerationis & justificationis, ex *opere operato*, ut delirant *Pontificii*. Nec causa quæ regenerationem *inchoet*, ut docent *Lutherani*; cum sit ejus signum & *sigillum*.

*Mortui sine baptismo servantur.*

XVI. Vehementer igitur errarunt quidam *Patrum*, & cum ipsis *Pontificii*, qui docent *absolutam necessitatem* baptismi; ita ut, si quis moriatur ante baptismum, damnetur, nisi mortem obeat tanquam martyr pro causa Christi, aut saltem cum desiderio ut baptizetur, saltem non obtineat gloriam cœlestem: prout docent, pueros, qui sine baptismo moriuntur, abire in, nescio quem, limbum, aut pratum floridum, ubi quidem audiant gaudium cœleste, eo tamen non fruantur. Quam falsa hæc sint, patet ex iis, quæ supra diximus de *Necessitate Sacramentorum*. Ipsi quoque *Pontificii* distinguunt, inter baptismum I. *fluminis* (qui fit per *aquam*, & de quo hic agitur) II. *flaminis* (qualis est virtus Spiritus Sancti) & III. *Sanguinis.* (quale est martyrium) Docent sufficere baptismum *Flaminis*, vel *sanguinis*, si desit baptismus *Fluminis*. Ad probandum errorem *Pontificiorum* I. nihil faciunt verba Christi, Joh. 3: 5. *Nisi quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in Regnum Dei.* 1. Id debet intelligi de regeneratione per *spiritum* sanctum, potius quam de baptismo externo per aquam. 2. *Regnum* Dei est *Ecclesia*; per baptismum externum *aqua* intratur in Ecclesiam visibilem; sed per *Spiritum*, in Ecclesiam invisibilem, id est in societatem electorum. 3. Dicitur etiam: *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam.* Joh. 6: 53. quod non est intelligendum de aliqua manducatione *corporali*, sed potius *spirituali*, per veram fidem. Alias fieri non potuisset, ut *latro* conversus in cruce haberet vitam. Imo ipsi *infantes*, qui sunt baptizati, nec multi alii fideles, quicunque carnem Christi non comedunt, non haberent vitam. II. Verbis, *qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16: 16. 1. negatur tantum, eum, qui *non crediderit*, servari. Ergo qui crediderit, servatur. Sed per *fidem* servatur, non per *baptismum*; cum sit tantum signum fidei. 2. Hic locus intelligendus est de adultis, qui

*Baptismus I. fluminis. II. flaminis, III. sanguinis.*

*Respondetur ad argum. adversarior.*

qui non habent fidem, & qui per incredulitatem baptismum contemnunt & negligunt. III. *Mas, qui non fuerit circumcisus, è populo exscindetur.* Exod. 17. Sed intelligendus est *mas adultus*, qui per infidelitatem contempserit circumcisionem, non autem *infantes;* alias multi damnati fuissent: cum tamen puer Davidis mortuus incircumcisus servatus sit, uti patet. 2. Sam. 12: 23.

*Fideles semel tantum baptizantur.*

XVII. Fideles *semel* tantum baptizari debent, non multoties. (1. quia baptismus est signum *regenerationis*, sed semel tantum homo regeneratur, quamvis indies crescat sanctitate & virtute, quemadmodum semel nascitur in vitam temporalem. Ergo sufficit, ut semel obsignetur per hoc Sacramentum. (2. Est signum *justificationis;* sed semel tantum justificamur. (3. Nullum habemus mandatum quod repeti debeat, quemadmodum de S. Cœna. 1. Cor. 11: 26. *quotiescunque panem hunc comederitis*, cum sit signum alimenti spiritualis, quo quotidie opus habemus. (4. Nullum exemplum habemus, iterati baptismi. (5. Semel tantum circumcisi fuerunt fideles veteris Testamenti. I. Delirant igitur *Æthiopes*, qui singulis annis, die epiphanii, baptismum renovabant, in honorem Christi, quem eo die baptizatum credebant. II. Errant *Anabaptistæ*, qui rebaptizant eos, qui in infantia baptizati sunt. De *Pædobaptismo* mox plura. III. Errarunt & ii, qui olim crediderunt, omnes eos, qui ab errante pastore baptizati fuerunt, rebaptizandos esse. Nam si errent in fundamentalibus, ita ut tota fundamenta salutis evertant, quemadmodum *Sociniani* & *Antitrinitarii* omnes, aut in essentialia baptismi desint, tunc baptismus nullus est, quare & non rebaptizandi, sed potius baptizandi sunt: prior enim baptismus nullus est. Si tamen aliquis baptizatus esset, à pastore hæresi Antitrinitariorum occulte infecto, modo confessio totius Ecclesiæ, cujus est pastor, sit sincera, pro baptizato eum habendum censemus, quia spectanda est Ecclesiæ publica fides, non privati malitia. Quamvis etiam doctor aliquis, immo integra aliqua Ecclesia erraret, & gravissime erraret: Nihilominus tamen, si fundamenta salutis non evertant, si essentialia baptismi retineant, ac baptizent eo fine, quo à Christo est institutus baptismus, annexis promissionibus Jesu Christi, uti fit in Ecclesia *Romana*, *Remonstrantium*, *Lutherana*, & alibi, eorum, inquam, baptismus est retinendus, & non iterandus, si scilicet fiat ab eo, qui ad illud munus rite vocatus est. IV. Errant & ipsi *Pontificii*, qui baptismum quasi repetunt, per fictum sac-

*Error Æthiopum circa baptisma.*

*Anabaptistarum. Veterum.*

*Pontificiorum.*

Sacramentum *confirmationis*, ut scilicet baptizati in suo baptismate confirmarentur.

*Omnes baptizandi qui in fœdere Dei.*

*Etiam infantes.*

XVIII. Illi, qui baptizari debent, sunt omnes quicunque censentur recepti in fœdus Dei, quia baptismate fœdus Dei obsignatur. Ergo I. omnes *adulti*, qui Gentilismum, Judaismum, aut Mahomedanismum deserunt, & veram fidem in Christum profitentur II. Ita & omnes *infantes* fidelium, quamvis nullum testimonium veræ fidei edere possint. (1. Christus jubet ut Apostoli *omnes gentes facerent discipulos* (verbum enim μαθητεύειν significat *discipulum facere*) eosque *baptizarent*. Matth. 28: 19. Omnes itaque *discipuli* Christi sunt baptizandi; sed *infantes* non minus quam *adulti* sunt *discipuli Christi*. Ergo & baptizandi sunt. (2. qui ad fœdus Dei pertinent, illis etiam debet conferri sigillum fœderis Dei, nempe baptismus. Sed infantes ad fœdus Dei pertinent. Deus enim fœdus suum pepigit, non tantum cum *parentibus*, sed & cum eorum *infantibus*. Gen. 17: 10, 12. Deut. 19: 10, 11, 12. Ideo & *Promissio facta est parentibus & liberis*. Act. 2: 38, 39. Sic & *Regnum Cœlorum* eorum dicitur. Matth. 19: 14. (3. Qui particeps est rei signatæ, ad eum etiam pertinet signum; sed infantes participes sunt rei signatæ, nempe remissionis peccatorum, regenerationis & vitæ æternæ: cum pertineant ad fœdus, & habeant promissiones, Regnumque cœlorum ipsis datum sit, uti jam modo dictum est. Ergo participes esse debent baptismi, tanquam istarum rerum signi. Frustra excipitur, *infantes participes etiam esse corporis & sanguinis Christi, tamen non esse admittendos ad S. Cœnam.* Nam participes dicuntur signi, quando eo uti possunt; at possunt uti signo baptismi, sed non Sacræ Cœnæ. Uno verbo, possunt renasci & purificari, (liberi enim fidelium sunt *Sancti*. 1. Cor. 7: 14.) Ergo & signum regenerationis ac purificationis, qualis est baptismus, possunt recipere: sed non possunt recipere alimentum firmum, qualis est S. Cœna. Non possunt seipsos *explorare*, nec ad cœnam præparare, secundum mandatum Pauli: *quilibet seipsum exploret, & sic comedat*. 1. Cor. 11: 28. (4. Infantes Veteris Test. acceperunt signum & sigillum fœderis, nempe circumcisionem. Nulla igitur est ratio, cur & sub Novo Test. non recipiant idem sigillum, nempe baptismum. Est enim idem fœdus sub Veteri & sub Novo Testamento, ut & Circumcisio ac Baptismus *sigillum justificationis per fidem*. Rom. 4: 11, 14. Et cum *Circumcisio* ac *baptismus* sint sigilla ejusdem gratiæ, fit etiam ut promiscue sumantur. Col. 2: 11, 12. ut perinde sit sive

*Exceptio.*

cir-

*circumcisi*, sive *baptizati* dicamur. *In quo circumcisi estis* &c. addit statim *consepulti in baptismo*, & utrumque fiebat in *novitatem vitæ*. (5. Integræ *familiæ* baptizatæ leguntur, quales erant familiæ *Stephanæ*. 1. Cor. 1: 16. *Cornelii Centurionis*. Act. 10. *Lydiæ* & *Custodis Carceris*. Act. 16: 15, 35. Verum quidem est, *reperiri familias ubi nulli sint infantes*, tamen non est verisimile, quod in *quatuor* istis familiis nullus fuerit. Videtur actum esse in baptismo istarum familiarum, quemadmodum in circumcisione Abrahami, qui circumcisus est cum tota sua familia. At nemo dubitat quin Abrahami infantes etiam circumcisi sint. (6. Antiquissimi patres, *Origenes*, *Cyprianus*, *Tertullianus*, & *Augustinus* docent, Pœdobaptismum fuisse institutum à Christo, & ab ipsis Apostolis observatum.

*Respondetur ad argumenta Anabaptistarum.*

XIX. Nullius sunt momenti quæ contra Pœdobaptismum solent afferri: veluti I. *Nullum exstat mandatum de Pœdobaptismo*. Nam 1. *expresso mandato* non opus est, cum jussum fuerit, ut infantes circumciderentur sub Veteri Test. & cum baptismus institutus fuerit loco circumcisionis, uti patet Col. 2: 11. 2. *Mandatum* fuisse, non obscure indicatur Matth. 28: 19. omnes enim debent *baptizari* æque ac *doceri*, quicunque sunt discipuli Christi: II. *Homines debent prius edoceri*, Matth. 28: 19. *immo debent credere, antequam baptizentur, quemadmodum Paulus hortatur Custodem carceris, ut credat & baptizetur*. Act. 16. *Ita & Philippus dicit Eunucho, si credis, poteris baptizari*. Act. 8. At hoc intelligitur de adultis, quemadmodum *Abrahamus* de natura circumcisionis edoceri debuit antequam circumcideretur; ita & *Proselythi* prius edocendi sunt; hoc tamen non impedit quominus & eorum infantes circumciderentur: cum in parentibus sancti haberentur. 1. Cor. 7. Idem dicendum est de infantibus parentum fidelium, III. *Infantes ignorant rem significatam*. Sed 1. obliti sumus actiones infantiæ 2. Etiam sub Veteri Test. ignorarunt significationem circumcisionis. Infans, qui Rex coronatur, etsi ignoret significationem coronæ, sceptri &c. tamen, cum sit hæres coronæ & imperii, signa illa accipit. IV. *Infantes non sunt admittendi ad Sacram Cœnam. Ergo nec ad baptismum*. Negatur consequentia. Nam in S. Cœna exsertis verbis mandatur *exploratio*, cujus non sunt capaces infantes. 1. Cor. 11: 28. Nec sub Vet. Test. infans admittebatur ad comedendum agnum Paschalem, tamen circumcisus erat.

*A Baptismo non sunt excludendi Nothi, Nec Monstruosi. Nec Expositi.*

XX. A Baptismate non sunt arcendi I. *Spurii* & *nothi*, cum peccatum parentum eos non excludat fœdere Dei, nec signo fœderis. II. Nec *Monstruosi*, si natura humana manifesta sit. III. Nec infantes *expositi*, etiam si reperiantur in *confiniis infidelium*, & quando suspicio est, puerum esse parentum infidelium: quia Deus sua providentia voluit, ut incideret in manus fidelium, & ut in fœdus suum reciperetur. IV. Nec liberi parentum *excommunicatorum*, quamdiu parentes ipsam fidem non abnegarunt.

*Error Pontificiorum invitos & arte baptizantium.*

XXI. Pessime tamen agunt *Pontificii*, qui aliquando, si occasio se offerat, vi abripiunt liberos Judæorum, Turcarum aliorumque infidelium, eosque baptizant, inscìis, immo & invitis parentibus. Nec laudandæ sunt eorum artes, quando *Indos* aliosque infideles alliciunt aqua vitæ aliisque munusculis, ut baptizari se sinant, ut de nomine Christi vix quidquam vel fando audiverint.

*Res inanimatæ, naves propugnacula, vexilla, campanæ &c. non sunt baptizandæ. Nec mortui.*

XXII. Hujus Sacramenti manifesta profanatio est in Ecclesia Romana, quando baptizant res *inanimatas*, *naves bellicas*, *propugnacula*, *vexilla*, *campanas* & id genus, quæ nullam habent cognitionem nec signi, nec rei signatæ, multo minus rei signatæ possunt esse participes. Putidus error etiam est Veterum *Marcionitarum*, qui *mortuos* baptizabant, aut vivos in locum mortuorum, ut scilicet effectus baptismi in mortuos redundaret; quo forte respexit Paulus 1. Cor. 15: 29.

## CAPUT XXII.

### *De Sacra Cœna.*

*Cœna unde dicta?*

I. ALterum Sacramentum sub Novo Testamento est *S. Cœna*. Dicta est *Cœna*, quod à Christo primum celebrata & instituta fuerit post Cœnam. Vidè Matth. 26: 26. 1. Cor. 10: 16. & 11: 20, 23, 24. Quemadmodum baptismus *è Cœlo*, Matth. 21: 25. id est *à Deo*, ita & S. Cœna à *Christo* fuit instituta. Vide loca eadem.

*Signum in S. Cœna.*

II. Ut in baptismo, ita & in S. Cœna examinanda sunt 1 *Signum* & 2. *Res signata*. *Signum* est duplex 1. *Panis*. 2. *Vinum*. Cum Spirituale nutrimentum significet, ista duo requiruntur; quia nutrimentum postulat *cibum* & *potum*. Non instituit Christus *carnes* animali-

malium, cum id in sacrificiis fieri soleret, & cum sanguis animalium fundi deberet, ideo sanguinem eorum bibendum non dedit; eo minus cum post sanguinem Christi fusum, nullus sanguis amplius fundi deberet, nec ullum epulum sacrificale typicum celebrari posset. Nec aliud quid quam *Panem* & *Vinum* instituere voluit; quia hoc Sacramentum celebrari debuit per totum mundum, & ad finem sæculi. Sed ubique locorum reperitur Panis & Vinum, adeoque ubique facile celebrari potest.

*Cur Christus non instituerit carnes. Cur panem?*

III. Si tamen esset cœtus aliquis *Pane* & *Vino* destitutus, quemadmodum forte apud *Indos*, qui pro *Pane* utuntur cocta *medulla* cujusdam arboris, vel certa quadam *radice*, vel *oryza*, & ejusmodi rebus aliis; is cœtus, si nullus, inquam, panis adsit ex frumento, tuto uti posset eo, quo uti solet loco panis; quia non tam forma externa, & genus frumenti respici debet, quam nutrimentum & id quod maxime alit. Quamvis tamen adhiberi debeat *Panis*, si ulla ratione fieri possit, cum per eum significantius depingatur unio fidelium: quemadmodum enim ex pluribus granis fit unus panis, ita ex multis fidelibus unicum constituitur corpus, quo respexisse videtur Paulus. 1. Cor. 10: 17. Idem dicendum est, si desit *Vinum*. Posset enim adhiberi aliud quid loco vini, quemadmodum vix ulla reperitur natio, quæ non habeat potum aliquem, quo utitur ad reficiendos Spiritus, loco Vini.

*Qua utendum re ubi nec panis nec vinum reperitur.*

*Si fieri potest pane utendum.*

IV. *Panis* quo Christus usus est multis creditur *azymus*, cum id factum putent festo Paschatis, quo tempore alio non utebantur Judæi. Inde tamen non sequitur: panem *fermentatum* non posse adhiberi. (1. Credibile est, Apostolos pane ordinario & cibario usos fuisse, cum quotidie communicaverint. Vide Act. 2: 42. & 20: 7. 1. Cor. 10: 16. & 11: 20. non enim est verisimile, ubique locorum & omni tempore semper adfuisse panem *azymum*. (2. Vetus Ecclesia *fermentato* usa est. (3. Ecclesia Græca *fermentato* utitur, ideo quod credat, Christum Pascha celebrasse uno die ante Judæos. (4. Panis *azymus* magis pertinet ad cærimonias Veteris Test. Errant igitur *Pontificii*, qui panem *azymum* ad hoc Sacramentum putant essentialem. Eo vehementius errant, quod adhibeant *placentulas*, quæ non tam panes, quam panis ventus sunt, & ad nutriendum ineptæ.

*Panis quo Chr. usus videatur azym. Potest tamen fermentatus adhiberi.*

V. *Vinum* adhiberi potest optimum & *purum*. Non est necesse ut *aqua diluatur*, quemadmodum *Pontificii* & alii ex veteribus docent

*Vinum adhibendum purum.*

Chriſtum autem uſum fuiſſe vino aqua diluto, non conſtat. Si vel maxime tali uſus fuiſſet, id tantum pro more iſtius populi, in calidioribus Regionibus, factum fuiſſet.

*Ritus in hoc ſacramento obſervandi. Qua benedictione Chriſtus uſus ſit?*

VI. Ritus præcipui in hoc Sacromento obſervandi, ſunt quatuor. 1. *fractio panis.* 2. *benedictio.* 3. *traditio.* & 4. *manducatio.* Chriſtus enim ſumpſit panem 1. *benedixit.* 2. *fregit.* 3 *tradidit Apoſtolis,* & 4. dixit *comedite.* Matth. 26: 26. Luc. 22: 19. Quamvis Judæi panem non comederint ſine *benedictione*, ut, ubi tres ſunt congregati, unus benedicat, ut conſtat ex Codice *Berachothi*, tamen cum cœna non fuerit epulum ordinarium, ſed Sacramentum, à Chriſto de novo inſtitutum, credibile eſt *benedictionem* hanc fuiſſe extraordinariam. At qua formula concepta, ignoratur. Nec de eſſentia Cœnæ eſt, ut certa formula benedictionis obſervetur.

*Vis hujus Sacramenti non conſiſtit in quinque verbis.*

VII. Vehementer errant *Pontificii*, qui totam vim & ἐνέργειαν hujus Sacramenti ponunt in quinque hiſce verbis: HOC ENIM EST CORPUS MEUM, quæ vocant verba *Conſecrationis*, & quorum vi illico, poſtquam à ſacrificulo pronunciata ſunt, fieret *tranſubſtantiatio*, & *tranſmutatio* panis in ipſum corpus, & vini in ſanguinem Chriſti. Cum (1. Chriſtus Hebraice loquens, hæc dixerit, non *quinque*, ſed *tribus*, immo *duobus* verbis, hoc modo: זה גופי, aut, ut habet Syrus apud Matthæum & Lucam הנו פגרי & apud Marcum הנא איתוהי פגרי: (2. In ipſo textu Græco non reperiuntur quinque iſta verba; cum vocabulum γὰρ ENIM non legatur. Ita habet textus Græcus τοῦτο ἐστι τὸ σῶμά μου, quæ quatuor verbis Latine exprimuntur: *Hoc eſt corpus meum.* (3. Si vel maxime eadem verba Latine loquutus eſſet, non ſequeretur tamen ea eſſe formulam conſecrationis. (4. Si eſſent formula conſecrationis, tamen non ſequeretur, ea tantam habere vim magicam, ad immutandam totam ſubſtantiam panis & vini. De hiſce plura infra, ubi de *Tranſubſtantiatione.*

*Fractio panis.*

VIII. Secundus ritus eſt *fractio panis.* Non tantum Chriſtus, ſed Apoſtoli fregerunt. Act. 2: 42. 1. Cor. 10: 16. Significat hic ritus, 1. Corpus Chr. *fractum* & *crucifixum*. 2. Chriſti corpus diſtribui omnibus fidelibus. Male igitur *fractio* panis in gratiam *Tranſubſtantiationis* & *Conſubſtantiationis*, à *Pontificiis* & *Lutheranis* negligitur. Nam etſi non faciat ad eſſentiam Cœnæ, tamen facit ad ejus integritatem: & majorem habet analogiam cum re ſignificata. Idem de vino intelligi debet; *fundi* enim debet, ut ſignificaretur ſanguis Chriſti fuſus pro peccatis noſtris.

*Effundi debet vinum.*

IX.

IX. Tertius ritus eſt *diſtributio panis* omnibus communicantibus, ut quilibet ſibi ſumat fruſtum, propriis ſuis manibus ori admoveat & comedat. Dixerat enim Chriſtus *ſumite*, ſed *ſumimus* manu, non *ore*, quemadmodum equus, vacca aliaque animalia. *Ore* tantum comedimus. Ut male *Pontificii* & *Lutherani* fidelibus placentulam *ori indant*, ac prohibeant ne fideles ipſi manu attingant. Cum manus non ſit magis indigna ad tractandas res ſacras, quam os ipſum; immo impurius ſit ipſum os, quam manus: cum mendacia, blaſphemiæ, perjuria & id genus alia ore proferantur. Matt. 15: 11.

*Diſtributio panis.*

*Non debet ori indi.*

X. Quartus ritus hujus Sacramenti eſt *comeſtio*. Dixerat enim Chriſtus *comedite*, & *comederunt omnes*. Idem de vino quoque intelligendum eſt, debet enim *fundi*, *benedici*, *tradi*, & tandem *bibi*. Et ſane cum hoc Sacramentum conſtet duplici ſigno, *pane* & *vino*, utrumque adhibendum eſt. Non tantum *panis*, ſed & *vinum*, ſive *poculum*. Manifeſtum igitur ſacrilegium committunt *Pontificii*, qui laicos, ut eos per contemptum vocant, tanquam prophanum vulgus, arcent à calice, & nemini concedunt niſi ſacrificulis, Regibus & ſupremis Principibus, ut de calice conſecrato bibant.

*Comeſtio panis.*

*Utrumque & panis & vinum adhibendum.*

XI. Tamen hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, id eſt ſub pane & vino ſumendum eſſe patet. (1. quia Chriſtus exſertis verbis jubet ut omnes bibant, dicendo *Bibite*: ita & *omnes biberunt*. Matth. 26: 27. Marc. 14: 23. (2. Paulus hortatur omnes ut bibant, æque ac ut comedant. *Unus quiſque ſeipſum probet, atque ita comedat de hoc pane, & bibat de hoc poculo.* 1. Cor. 11. Ideo Chriſtus loquitur non tantum de *corpore* ſuo *comedendo*, ſed & de *ſanguine bibendo*. Joh. 6: 53. Ineptiſſime excipiunt Pontificii; *Apoſtolos* fuiſſe *ſacerdotes*, qui ipſi corpus Chriſti obtulerint, non autem fuiſſe *Laicos*. Nam 1. præſente Chriſto, præſertim in prima inſtitutione hujus Sacramenti, Apoſtoli, non tanquam *Paſtores*, ſed tanquam *laici* conſiderandi ſunt. 2. Paulus 1. Cor. 11. idem jus *bibendi de calice* concedit, non tantum *Apoſtolis* & *Paſtoribus*, ſed omnibus etiam *laicis*, *qui ſeipſos poſſunt probare.* (3. *Res ſignata* indicat utramque ſpeciem eſſe retinendam; ſignificat enim ſpirituale epulum corporis & ſanguinis Chriſti, quo anima perfecte ſatiatur. Sed ad perfectam ſatietatem opus eſt potu, non minus quam eſca. Ergo & calix, qui potum repræſentet, requiritur. (4. Conſtat ex *Ignatio*, *Cypriano* aliiſque in primitiva Eccleſia, calicem ſemper diſtributum fuiſſe. Immo tempore *Leonis*, Epiſcopi Romani, circa Annum 440. ſi quis communi-

*Hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum eſt.*

*Exceptio.*

nicasset sub unica tantum specie, nempe sub specie panis, sine *calice*, erat signum hæreseos *Manichæorum*. Hinc & Papa *Gelasius*, circa finem quinti sæculi, excommunicavit eos, qui nollent communicare sub utraque specie. (5. Ipsum concilium Constantiæ habitum, Anno 1416. quamvis primum fuerit, quod calicem prohibuit, tamen fateri cogitur, Christum hoc Sacramentum instituisse sub utraque specie, atque sic semper in Ecclesia fuisse observatum.

*Argumenta Pontificior.* XII. Inepte opponunt *Pontificii*. I. *Sanguis J. C. æque est in pane ac ipsum corpus, quia corpus vivum non potest esse sine sanguine.* Christus enim hoc probe novit, nihilominus tamen utramque speciem instituit. Ergo & à nobis ita est sumendum. II. *Populus bis reciperet sanguinem Christi. Primo sub specie Panis. 2. sub specie vini; aut dicendum esset corpus sub specie Panis esse sine sanguine.* 1. Placuit tamen Christo, ut speciem utramque institueret. 2. Est πρῶτον ψεῦδος *Pontificiorum*, populum recipere corpus & sanguinem Christi: cum recipiat tantum signa & sigilla, sed per veram fidem omnia beneficia corporis & sanguinis Christi fracti & effusi. Si *populus* peccaret, etiam ipsi *sacrificuli* & *Reges* peccarent. III. *Reperiuntur abstemii, qui vinum non possunt bibere.* 1. Christus hoc non ignoravit, tamen duas species instituit. 2. Hic casus est rarus. Ut ut sit, Christus propterea non minus instituit poculum, quam panem. IV. *Timendum est ne calix effundatur, ne vapa fiat, ne gutta in barba Laici remaneat* &c. 1. Hæc omnia Christus noverat, tamen voluit calicem instituere. 2. Eadem incommoda (si quid subsit incommodi) timenda sunt ipsis Sacerdotibus. V. *Reperiuntur regiones ubi non datur vinum.* 1. Hæc Chr. noverat. 2. Reperiuntur regiones, ubi non reperitur panis. 3. Potest adhiberi id, quo homines ibi utuntur loco vini. VI. *In Ecclesia Apostolica administratum est, sub una specie tantum.* Act. 2: 42. & 20: 7. *Perseverarunt in doctrina Apostolorum, in Communione & fractione panis. Fit mentio de fractione panis, non de calice.* 1. Non constat ibi intelligi *Cœnam*. 2. Apud Orientales totum convivium exprimebatur per solum *panem*. Dan. 5: 1. Josephus invitavit fratres, ut *comederent panem*. Gen. 43. Vide Es. 58: 7. Lam. 4. Ideo in Oratione dominica Matt. 6. dicimus: *da nobis panem*, ubi per *panem* intelligimus, quicquid tangit hanc vitam. (3. Ipsi *Pontificii* in Concilio Constantiæ anno 1416. fatentur in Ecclesia Apostolica sub utraque specie celebratum fuisse hoc Sacramentum. 4. Si hæc argumenta

pro-

procederent contra laicos, stringerent etiam contra sacerdotes. Non enim dicitur in istis locis; solos *Laicos* cœnam sub una, *Sacerdotes* autem & *Reges* sub utraque specie celebrasse: sed quod de uno dicitur, id intelligi debet de omnibus.

*Res significata.*

XIII. Res significata est *corpus* & *sanguis* Jesu Christi fractum & effusus in remissionem peccatorum. De *pane* dicitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est.* 1. Cor. 11: 24. De *vino. Hic est sanguis meus, novi Test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Matth. 26: 28. Marc. 14: 23. Poculum dicitur *Novum Testamentum*, quia est *sigillum* Novi Testamenti, eodem sensu, quo *circumcisio* dicitur *fœdus Dei.* Genes. 17. Quemadmodum *Vetus Testamentum* initiatum fuit morte & sanguine victimæ. Exod. 24: 8. Hebr. 9: 18. ita & *novum* initiatum est sanguine J. Christi. *Effusus* dicitur *pro multis.* Nam sanguis victimæ Veteris Test. effundebatur pro sola natione *Judaica.* Sed sanguis Novi Testamenti pro *multis*, id est pro omnibus nationibus. *Effusus* est sub Novo Test. *in remissionem peccatorum; εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*: sed sub Veteri Test. *εἰς πάρεσιν.* Rom. 3: 25.

*Præcipui effectus S. Cœnæ.*

XIV. Præcipui igitur effectus S. Cœnæ sunt 3. I. *Commemoratio* mortis & passiones Christi. II. *Communio* cum Christo. III. *Satietas* mentis in vitam spiritualem. I. In S. Cœna *memoranda* est *mors Christi* & ejus passio; quod hisce rationibus patet. (1. Exsertis verbis id docet Christus. Luc. 22: 19. *Hoc facite ad mei commemorationem.* Et Paulus nos hortatur, ut panem comedamus & poculum bibamus, *annunciando mortem Domini.* 1. Cor. 11: 24. &c. (2. Christus instituit cœnam eadem nocte qua proditus est, & quum tanquam in procinctu staret, ut ad mortem raperetur. (3. Ante cœnam, in ipsa cœna, & statim post cœnam Apostolos mortis suæ monuit; ut inde sumpserit occasionem cœnam instituendi. (4. *S. Cœna* instituta est in locum *Paschatis*, adeoque propter eundem finem. At *Pascha* institutum fuit, ut significaret mortem & passionem J. Chr. per mortem & sanguinem agni Paschalis. Ideo idem modus loquendi reperitur in institutione *Cœnæ*, qui observatus est in institutione *Paschatis.* 1. *Sumite.* 2. *Comedite.* 3. *Hoc est Pascha Domini.* 4. *Hoc vobis erit in memoriale & signum.* Vide Exod. 11. Col. cum cap. 12: 3, 11, 14. Ita & in S. Cœna. 1. *Sumite.* 2. *Comedite.* 3. *Hoc est corpus meum.* 4. *Hoc facite in commemorationem mei.* Matth. 26. Luc. 22.

*Memoranda est mors Christi.*

XV. Deinde in S. cœna habemus *communionem* cum Christo, quod

*In S. Cœna habemus communionem cum Christo. Hæc communio non consistit in præsentia locali. Sed in quadam Relatione.*

quod cum eo fiamus tanquam unicum corpus, ut quemadmodum assumpsit naturam nostram, & peccata nostra in se suscepit, ita & nos participes fiamus ipsius spiritus omniúmque beneficiorum, quæ per corpus fractum & sanguinem effusum nobis meritus est. *Manemus in ipso, & ipse in nobis, quia ex spiritu suo nobis dedit.* 1. Joh. 4: 13. *Christus habitat in corde nostro per fidem.* Ephes. 3: 17. Sed hæc multis aliis similitudinibus alibi describuntur. Hæc autem unio & *Communio* cum Christo, consistit, non tam in *præsentia* quadam *locali*, & *unione corporali*, quam in certa quadam *relatione*; ita ut Christus sit frater noster, *particeps factus carnis & sanguinis nostri*, nos autem habeamus ipsius spiritum, omniaque bona spiritualia, quæ per corpus suum crucifixum, & sanguinem effusum nobis meritus est. Hæc autem *communio* cum Christo significatur & confirmatur per sacram cœnam. Ideo *calix* dicitur *communio sanguinis Christi*, & *Panis communio corporis Christi*. 1. Cor. 10: 16.

*In hoc Sacramento habemus nutrimentum ad vitam Spiritualem. Sub Vet. T. fideles comederunt etiam carnem Christi, per sacrificia.*

XVI. Tandem in hoc Sacramento habemus *nutrimentum* & *satietatem* animæ ad vitam spiritualem. Nam *quicunque corpus Christi comederit, & ipsius sanguinem biberit, vivet in æternum.* Joh. 6: 51 *Nunquam sitiet, sed fluvii aquarum ex ventre ejus fluent.* Joh. 7: 38. Sub Veteri Test. fideles etiam aliquomodo comederunt *carnem Christi* per Sacramenta *sacrificiorum*; nam *sacerdotes* de plerisque sacrificiis partem carnium comedebant. Veluti de sacrificiis *Eucharisticis* & *expiatoriis.* Levit. 6: 16, 17. &c. & 7: 6. &c. Hoc autem factum est ideo, quia *Sacerdos* debebat *ferre peccatum cœtus.* Lev. 10. 17. debebat igitur fieri quasi unum corpus cum victima. Ita & nos sub N. T. cum omnes simus sacerdotes, comedimus de victima, quæ *tulit peccata nostra*; est enim Chr. *agnus Dei, qui tulit peccata mundi.* Joh. 1: 29. Notandum, quod sub N. Test. non tantum *comedamus carnem victimæ nostræ, sed* & *bibamus ejus sanguinem.* Hoc sub Veteri Test. erat prohibitum: quia sanguis altari destinatus fuit. Levit. 17: 11, 12. & quia ad veram expiationem & animarum satietatem nihil conferebat; At sub Novo Test. non tantum *carnem comedimus*, sed & *sanguinem* victimæ nostræ *bibimus*; quia peccata plena expiat, & perfectam dat satietatem animæ. Ideo Christus dixit, non tantum *edite*, sed & *bibite omnes, in remissionem peccatorum.* Est igitur S. Cœna, non tantum *epulum*; sed & *epulum sacrificale*, quod nobis exhibeat sacrificium Jesu Christi, & perfectam adferat animæ satietatem.

*Cur sub Vet. Test. non biberint sanguinem victimarum.*

*S. Cœna est epulum sacrificale.*

XVII. Man-

XVII. Manducamus autem Christum, non *ore* Corporis, nec ejus sanguinem bibimus, eodem modo ut quemlibet cibum & potum sumimus, inglutiendo, & per os in stomachum injiciendo, nec ita uniti sumus Christo, quasi eum in stomacho gereremus, post celebratam cœnam, uti pessime docent *Pontificii.* Sed tota ista *communio*, *manducatio* corporis & sanguinis Christi, nostraque *satietas* est *spiritualis*, fitque per *fidem:* ut eum recipiamus *mente*, non *corpore*, *fide* non *ore.* (1. quia sola ista *manducatio* intelligenda est, quæ est necessaria ad salutem. Sed sola manducatio *Spiritualis*, non *corporalis*, (fatente ipso Concilio Tridentino) ad salutem est necessaria. *Nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ipsius sanguinem, non habebitis vitam.* Joh. 6: 53. Hoc non potest intelligi de manducatione *orali*, nisi dicamus, omnes, qui placentulam non comedunt damnari. Ergo de *Spirituali* intelligi debet, quæ fit vera *fide*, sine qua non datur salus. (2. Qualis erat manducatio & communio fidelium sub Veteri Test. talis est & nostra; nam *illi per eandem gratiam Jesu Christi servati sunt, uti & nos.* Act. 15: 11. *Omnes per Christum reconciliati sunt, qui sunt in cœlis*, æque ac ii, *qui sunt in terra.* Col. 1: 20. Et *omnes comederunt eundem cibum, & biberunt eundem potum spiritualem nobiscum, biberunt enim de petra, quæ erat Christus.* 1. Cor. 10:4. quæ omnia facta sunt *fide*, non *ore.* (3. *Communio*, quam habemus cum Christo, est reciproca: id est eodem modo, quo nobis unitus est, nos ei quoque uniti sumus. Nam ubi dicitur Christus *esse*, *manere* & *habitare in nobis*, simul quoque & nos dicimur *esse in Christo.* Joh. 15: 4, 5. & 6: 56. Sed certum est, nos non *esse*, *manere* & *habitare* in Christo modo *corporali*, per præsentiam localem; ergo nec Christus *est*, *manet* & *habitat* in nobis modo *corporali*, sed *spirituali*, per veram fidem. (4. Christus & ejus beneficia ita semper sunt juncta, ut quicunque recipit Christum, is etiam recipiat ejus gratiam. Ideo Paulus: *Si Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est, propter peccatum, sed Spiritus vivit, propter justitiam.* Rom. 8: 10. Et versu 9. *qui non habet spiritum Christi, non est Christi:* id est nullam cum eo habet communionem. Et 1. Cor. 6: 17. Is *qui est* κολλώμενος *junctus Domino, spiritus unus est cum eo.* At non omnes, qui recipiunt placentulam, habent spiritum & beneficia Christi: sed tantum ii, qui eum recipiunt vera fide, etiamsi nunquam recepissent S. cœnam. (5. Esse *in Christo* & esse *in fide*, unum idemque est. Vide 2. Cor. 13: 5. ubi Paulus, post-

*Non manducamus Christum ore corporis.*

quam dixisset: *vos ipsos examinate utrum sitis in fide*, statim addit, *An non cognoscitis J. C. esse in vobis?* Tandem Christus dicitur *habitare in corde nostro per fidem.* Ephes. 3: 17. (6. Natura Sacramentorum est, non ut *sisterent rem præsentem*, sed ut eam tantum *obsignarent & confirmarent.* (7. Baptismus non denotat *generationem corporalem*, sed *spiritualem*, ita & cœna notat *nutrimentum spirituale*, in vitam spiritualem. Sed hæc *fide* sumuntur, non *ore.* (8. *Fames* & *sitis* est *spiritualis*, quam sentimus sola *fide* & *corde*; ergo *cibus* & *potus* debet esse *spiritualis*, sumique debet *fide*, non *ore.* (9. Manducatio *corporalis* fieri non poterat; alias Christus seipsum manibus gestasset, ab Apostolis comestus fuisset, & simul mensæ assedisset, quæ sunt absurda, immo seipsum comedisset. Apostoli igitur cum in prima cœna comederunt *fide*, non *ore.* Talis est & nostra manducatio. (10. Manducatio *corporalis* est *inutilis.* Joh. 6: 63. (11. Ipsi reprobri, immo mures & feles comederent corpus Christi, adeoque Christo unirentur, ut etiam necessario servarentur: Nam *quicunque corpus Christi comedit, & sanguinem ejus bibit, habet vitam æternam* Joh. 6.

*Corpus & sanguis Christi non sumuntur ore.*

XVIII. Falsissime igitur docent *Pontificii* & *Lutherani*; corpus Christi & sanguinem ejus, non tantum vera *Fide*, sed & *ore* à nobis comedi & bibi, atque in stomachum conjici, eodem modo ut & reliquos cibos: quasi esset manducatio *oralis* sive *corporalis*, & *spiritualis* simul. Vane conantur errorem suum probare ex Joh. 6: 54. *Qui comederit carnem meam & biberit sanguinem meum, habebit vitam æternam.* Et versu 55. *Caro mea est verus cibus, & sanguis meus verus potus.* Nam 1. eodem momento, quando Christus hæc verba loquutus est, ejus caro comedi & sanguis bibi non poterat, nisi per solam fidem: cum tunc temporis S. Cœna nondum fuerit instituta. Ita fideles sub Vet. Test. in deserto ederunt & biberunt. 1. Cor. 10. 2. *Edere & bibere carnem* & *sanguinem Christi*, idem est ac *venire ad Christum*; eadem enim saturitas eademque bona promittuntur illi qui *venit ad Christum.* Vers. 40, 47, 48, 51. *Ego sum Panis vitæ, qui venit ad me*, (non qui me *ore manducaverit*) *non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam. Fide* igitur sitis restinguitur, non *ore.* 3. Ipse Christus monet, Com. 63. *Caro nihil prodest, sed verba, quæ loquor, sunt Spiritus & Vita:* id est solus Spiritus dat & conservat vitam spiritualem, non autem *manducatio oralis.*

*Error Pontificiorum*

XIX. Insulsum igitur est dogma *Pontificiorum*: per manducatio-

nem

nem corporalem, noſtrum corpus recipere, neſcio quam, virtutem ſeminalem & vim vivificam, cujus virtute reſurgamus ultimo die judicii. Cum (1. hæc fabula petita ſit ex Judæorum deliriis, qui docent in ſpina dorſi eſſe oſſiculum לוז dictum, cujus virtute totum corpus reſurgat. (2. fideles Veteris Teſt. nec infantes hodie, qui placentulam non comedunt, non reſurgerent. (3. Ipſi reprobi ad damnationem, ut ut contempſerint omnia myſteria redemptionis, tamen reſurgant. (4. Canes & mures, ut ut ſæpe devorent placentulam, tamen non reſurgant. (5. Paulus Reſurrectionis cauſam dicat efficaciam Chriſti, per quam ſibi ſubjicit omnia. Phil. 3: 21. non autem manducationem oralem.

*per S. Cœnam imprimi noſtris corporibus vim reſurgendi.*

XX. Ex iis, quæ dicta ſunt, ſatis patet: corpus Chriſti non eſſe in S. Cœna præſens *localiter* & *corporaliter*, quemadmodum quilibet cibus, quem *ore* ſumimus, præſens eſt. Concedimus tamen præſens eſſe *ſacramentaliter* per ſubſtitutionem, adeoque *realiter* & *ſubſtantialiter*, ſed modo *Spirituali*. Quod ita eſt intelligendum: quod per hoc Sacramentum, quando vera fide ſumimus ſigna viſibilia, ſimul eadem fide recipiamus omnia beneficia, quæ Chriſtus, per corpus ſuum crucifixum, & ſanguinem effuſum, nobis meritus eſt. Eodem modo, ut inter duos ſocios, inter maritum & uxorem eſt vera *realis* & *ſubſtantialis* unio & communio bonorum, & mutuus amor, quamvis, quoad corpora & localiter, ſint remotiſſimi.

*Corpus Chr. non eſt præſens localiter in Sacra Cœna. Sed Sacramentaliter.*

XXI. Et ſane Chriſtum *corporaliter* & *localiter* non eſſe in S. Cœna, hiſce porro rationibus, præter ea, quæ dicta ſunt, probatur. (1. Chriſtus ipſe docet, id eſſe impoſſibile, ideo quod deberet aſcendere in cœlos. *An hoc vos offendit? ſi igitur videatis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.* Joh. 6: 61, 62. (2. Chriſtus ipſe monet, *ſi quis dicat, ecce in deſerto eſt, in conclavi eſt*, ut illud tamen non credamus. Matth. 24: 26, 27. Ergo non credendum eſt, ſi quis dicat: *Ecce in platea eſt, in conclavi ægroti, in templo, in altari, in ciborio.* (3. *Eſt in cœlis ad dextram patris.* Col. 3: 1. Sed examinentur ea, quæ de ejus aſcenſione & ſeſſione ad dextram Dei diximus. (4. Patet ex ipſa natura hujus Sacramenti. Data enim ſunt Sacramenta, ut eſſent ſigilla rerum, non *præſentium*, ſed *abſentium*. Supra jam demonſtravimus S. Cœnam inſtitutam, ut eſſet *commemoratio* mortis Chriſti: *facite hoc in commemorationem mei.* Luc. 22: 19. Hinc & *mors* Chriſti in S. Cœna *annunciari debet, donec venerit.*

*Non eſſe corporaliter probatur.*

1. Cor. 10: 24. &c. (5. Panis in ciborio est *Deus arcium in loculamento, & Deus quidam, quem patres non agnoverunt.* Dan. 11. 38.

*Falso Transubstantiatio & Consubstantiatio.*

XXII. Hinc ultro corruit Pontificiorum *Transubstantiatio*, quemadmodum & Lutheranorum *Consubstantiatio.* Falsissime igitur docent *Pontificii*, Panem & Vinum in S. Cœna non amplius esse *Panem* & *Vinum*, sed converti in ipsum *corpus* & *sanguinem* Christi, vi quinque horum verborum: *Hoc enim est corpus meum.* (1. Christus quinque ista verba non est loquutus, cum Syriace & plane aliter loquutus sit, uti supra Thes. VI. ostendimus. (2. quia Scriptura S. *Panem* non vocat *corpus*, nec *Vinum* Christi *sanguinem*, etiam post consecrationem, & quando comeditur, *Quotiescunque Panem* (non *Corpus* Christi) *comederitis* &c. 1. Cor. 10. & 11. Ita vocat vinum *germen vitis.* Matth. 26: 29. Hinc & *Commemoratio* & *communio* corporis. & sanguinis dicitur. Luc. 22: 19. 1. Cor. 10: 16. & 11: 24. &c. (3. Christus non haberet verum corpus humanum: cum tale corpus necessario in uno tantum sit certo quodam definito & circumscripto loco. (4. Evertit Christi *ascensionem* in cœlum & sessionem ad dextram Patris. (5. Repugnat naturæ Sacramenti, quod consistit in *obsignatione*, quatenus est sigillum, quemadmodum Pascha, circumcisio, & aqua baptismi. (6. Abnegat omnem fidem sensibus; testantur enim sensus, post consecrationem esse panem & vinum, quod ex figura, odore, colore & sapore apparet. (7. Contradicit sanæ rationi, quæ docet accidentia non posse subsistere sine subjecto. Hic autem accidentia, color, odor, sapor essent sine subjecto: quod quam sit falsum, vel inde patet, quod accidentia per se nihil sint, sed tantum modi substantiarum: ut, ubi non est substantia, nulla etiam dentur accidentia sive modi. (8. *Transubstantiatio* fieret vel per *annihilationem* panis, vel per *transmutationem* panis in corpus Christi. Si prius tunc non erit *Transubstantiatio*, sed tantum *substitutio* hujus substantiæ in locum alterius. Si posterius, tunc corpus Christi fierit ex pane: unde sequeretur, aut corpus Christi natum ex virgine annihilari, aut duo dari corpora Christi, alterum ex *virgine*, alterum ex *pane* factum. Sed infinitæ aliæ quæstiones inextricabiles, & absurditates incredibiles inde nascuntur.

*Transubstantiatio non fit per miraculum.*

XXIII. Frustra *Pontificii* recurrunt ad *miraculum*, & *omnipotentiam* Dei, dicentes *Transubstantiationem* fieri per *miraculum.* Nam 1. de *miraculo* & omnipotentia Dei Scriptura S. tacet. 2. *Omnipotentia* Dei

Dei non evertit ipſam naturam rerum, nec facit contradictoria, ut corpus Chriſti, quod ſua natura eſt viſibile, palpabile, extenſum ad ſtaturam hominis, & locum occupans, ſit inviſibile, inpalpabile, non extenſum, in puncto exiſtens nullumque locum occupans; deinde ut exiſtant accidentia panis, ubi tamen nullus adeſt panis. 3. *Miraculum* incurrit in ſenſus, ut ab omnibus animadverti poſſit eſſe miraculum, ſed tale quid nihil apparet in placentula. Vana ſunt quoque eorum argumenta, veluti 1. *Chriſtum convertiſſe aquam in vinum.* Joh. 2. Nam 1. hoc Scriptura S. teſtatur, ſed de *Tranſubſtantiatione* tacet. Converſio aquæ in vinum non evertebat naturam, nec ponebat contradictoria. Quid? tale *miraculum* fit quotidie, quamvis ſecundum leges ordinarias, quas Deus naturæ fixit. Ita enim aqua calore ſive motu primi elementi protruditur & percolatur per terram ac vitem, ut in vinum convertatur. Non enim differunt aqua & vinum, niſi ratione figuræ particularum ex quibus componuntur. Cum igitur Deus cognoſcat particularum figuras, facile per omnipotentiam dare poteſt particulis aquæ eandem figuram, quæ ad vinum requiritur. Nihil jam dicam de *hydromele*, quod fit ex aqua & melle, de aqua vitæ, quæ fit ex aqua & frumento corrupto, ut loquitur Tacitus, unde fit potus vino non diſſimilis. Hæc nihil habent commune cum *Tranſubſtantiatione*. Tandem 3. Ipſi *Pontificii* non auſint affirmare corpus Chriſti fieri ex pane, per ejuſmodi converſionem, ut aqua in vinum converſa eſt, alias duo haberent corpora Chriſti, aliud ex virgine, aliud ex pane II. Maxime ſub incudem revocandum erit, argumentum illud πλυτεύτικον; quod Chriſtus ipſe dixerit: *Hoc eſt corpus meum.* Sed jam toties reſponſum eſt, hanc loquutionem eſſe impropriam, metonymicam, quando ſignum ſumitur pro re ſignata. Senſus igitur eſt: *Hic panis ſignificat corpus meum.*

*Vana argumentatio*

*Quotidie fit miraculum.*

XXIV. Ut autem hæc verba recte intelligantur, & omnis difficultas tollatur; hæc tria examinanda erunt. I. Quid intelligendum ſit per pronomen HOC, vel τοῦτο? II. Quid notet verbum ſubſtantivum EST? III. Tandem quis ſit ſenſus totius phraſiologiæ: HOC EST CORPUS MEUM? Pronomen HOC vel τοῦτο ſignificat id quod Chriſtus ſumpſit, quod manibus tenuit, quod fregit, & quod diſcipulis diſtribuit. Illud autem nihil aliud fuit quam *panis. Sumpſit* enim *panem & fregit* &c. Ergo pronomen HOC vel τοῦτο ſignificat panem; adeoque perinde eſt ac ſi dixiſſet: *Hic pa-*

*Verba, HOC ENIM EST CORPUS MEUM explicantur.*

*τοῦτο quid ſit?*

*panis est corpus meum.* Vane excipiunt ἄρτον apud Græcos esse *masculini* generis, sed pronomen τοῦτο *neutrum:* cum pronomen non semper referatur ad rem antecedentem, sed sæpe ad prædicatum consequens. Veluti Luc. 8: 14. ubi οὗτοι in masculino genere refertur ad ἀκούσαντες *audientes* homines, quamvis in præcedentibus sermo factus fuerit, de ἀκάνθαις *spinis*, quæ sunt fœm. generis. Vide Gal. 4: 24. Deinde & apud Septuaginta interpretes, quorum stilus sæpe observatur ab auctoribus Novi Test. pronomen neutrum jungitur cum substantivo fœminino, aut masculino. Ita Adamus Gen. 2: 23. τοῦτο HOC pro αὕτη, nempe *Eva, est os ex ossibus meis.* Ita & Ægyptii, quum viderent miracula Mosis. Exod. 8: 15. dixerunt δάκτυλος θεοῦ ἐστὶ τοῦτο, pro οὗτος. Est enim δάκτυλος masculini generis.

*Exceptio.*

*Verbum substantivum EST quid significet?*

XXV. II. Sensus verbi substantivi EST, non potest alius fingi, quam *significat:* ut Christus proprie dixerit: *Hic panis significat;* cum enim *panis* tota natura differat à *corpore Christi*, certo sequitur, verbum EST non posse sumi proprio sensu verbi substantivi EST, quasi revera panis esset corpus; sed tantum improprie pro *significat.* Et, ut alii loquuntur, intelligi debet: non de esse *substantivo*, sed de esse *significativo.* (1. quia *corpus* Christi non potest esse eadem substantia cum *pane*, (2. *Corpus Christi* per *panem* significatur, ob manifestam analogiam. (3. Hebræi non habent verbum per quod exprimitur Tò *significare:* ut cogantur dicere HOC EST, pro *hoc significat.* Veluti Gen. 17: 10. Circumcisio *est fœdus,* pro *significat fœdus.* Gen. 41 26, 27. *Septem vaccæ sunt septem anni.* Et Ezech. 37: 11. *Hæc ossa sunt domus Israel.* Sic & in Novo Testam. *Petra erat* (pro *significabat*) *Christus.* 1. Cor. 10: 4. (4. Hic modus loquendi ordinarius est in omnibus Sacramentis, ut signo detur nomen rei signatæ; cum signum substitutum sit in locum rei signatæ, quod patet ex *Circumcisione.* Gen. 17. ex *Paschate.* Exod. 12: 11. ex *Baptismo.* Tit. 3: 5. ita & hic in *Sacra Cœna* intelligendum est. III. Ergo integer sensus hujus phrasiologiæ HOC EST CORPUS MEUM est: HIC PANIS SIGNIFICAT CORPUS MEUM.

*Nulla datur Consubstantiatio.*

XXVI. Quemadmodum nulla datur *Transubstantiatio*, ita & nulla *Consubstantiatio*, quasi Christus *corporaliter* & *localiter* esset præsens in S. Cœna, & per *os* reciperetur ejus corpus, *in, cum,* vel *sub* pane, uti loquuntur *Lutherani.* Plurimæ sane rationes, quæ evertunt *Transubstantionem* Pontificiorum, faciunt etiam contra *Consubstantiationem* Lutheranorum.

CA-

## CAPUT XXIII.

### *De Miſſa Pontificiorum.*

*Miſſa non eſt ſacrificium.*

I. EX iis quæ dicta ſunt manifeſto patet, quam vanum ſit commentum *Pontificiorum*, qui *Sacramentum* S. Cœnæ convertunt in merum *Sacrificium*. Docent enim Chriſtum inſtituiſſe *Miſſam*, tanquam ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, quod quotidie deberet offerri à *Sacerdote*, pro expiatione peccatorum. Hæc autem quam ſint falſa, patet (1. quia *Miſſa*, nec quoad *vocabulum*, nec quoad *ſenſum*, in S. Scriptura reperitur. Multo minus à Chriſto eſt inſtituta. Nam מסה Deut. 16: 10. non ſignificat *Sacrificium*, ſed *Tributum*, quod ad ſacrificia coemenda contribuebatur. At ſi vel maxime ſignificaret *Sacrificium*; id non haberet locum ſub Novo Teſt. Nec poſſet ſignificare *Miſſam* Pontificiorum: cum ſub Veteri Teſt. ipſum corpus Chriſti non fuerit oblatum, niſi in pictura, per ſacrificia, quale ſacrificium hodie *Pontificii* nollent offerre, multo minus concedent, *miſſam* tale eſſe *ſacrificium*. Eſt igitur *Miſſa* Vocabulum *Latinum*, in Eccleſia Chriſtiana demum auditum, circa quartum ſæculum: quando Diaconus dimittebat Catechumenos ante Cœnam, vel etiam ipſos Communicantes poſt cœnam, dicendo: *Ite miſſa eſt.* (2. In prima inſtitutione cœnæ non fuit ſacrificium, ergo nec in noſtra Cœna, cum hodie eandem celebremus, eodem modo & ad eundem finem, prout à Chriſto fuit inſtituta. Nam 1. in prima cœna Chriſtus dedit *panem* & *vinum*, non *corpus*, uti ſupra oſtendimus. II. Dedit Panem & Vinum *diſcipulis* ſuis, non *Patri*. III. Corpus ſuum *obtulit* Patri in *Cruce*, non in Cœna. IV. Inſtituit cœnam in *commemorationem* ſui, quamdiu ſecundum humanam naturam eſſet abſens, *donec venerit*; non autem ut eſſet præſens, & ut in Sacrificium offerretur. (3. In omni Sacrificio expiatorio debet eſſe effuſio ſanguinis: nam *ſine effuſione ſanguinis, non fit remiſſio peccatorum.* Hebr. 9: 22. At ſanguinem Chriſti effundi in Miſſa, *Pontificii* non audent adfirmare. Ergo non eſt Sacrificium in remiſſionem peccatorum. (4. In omni Sacrificio debet eſſe res quædam externa & viſibilis, quæ Deo offeratur; ſed tale quid in Miſſa non reperitur. (5. Sacrificium eſt id quod à ſacerdote Deo conſecratur, & ad ſanctiorem uſum deſtinatur,

*מסה quid?*

*Miſſa eſt vocabulum Latinum. Unde?*

natur. Sed Christus est sanctissimus, nec ab homine consecrari & Deo offerri potest; sed omnes fideles ab ipso Christo consecrantur & Deo offeruntur. (6. Omne Sacrificium debet *destrui*; sed corpus Christi in Missa non destruitur. Inepte excipiunt; *Christi esse Sacramentale destrui, non naturale.* Nam 1. Christus unicum tantum habet *esse*; ut futilis sit distinctio inter *esse Sacramentale* & *naturale.* 2. In Sacrificiis requiritur destructio *esse naturalis*, non *Sacramentalis.* 3. *Esse Sacramentale* demum in stomacho destruitur; ergo Christus in stomacho demum offertur. 4. Id quod destruitur, id ipsum offertur; sed nihil destruitur, præter species Panis & Vini, secundum *Pontificios*; Ergo Deo nihil offertur præter species Panis & Vini. (7. In sacrificio Christi ipse Christus fuit *Sacerdos, Altare* & *victima*; sed in *Missa* alius est *Sacerdos*, aliud *altare*, & alia *victima.* Ergo & aliud Sacrificium. (8. Christus *unica oblatione consumavit omnes qui sanctificantur.* Hebr. 10: 14. Ergo non opus est ut multoties offeratur (9. *Ubi est ἄφεσις, ibi non est oblatio pro peccatis.* Hebr. 10: 18. Sed sub Novo Test. est ἄφεσις. Ergo nullum sacrificium. (10. Certum est Christi sacrificium esse ejus passionem & mortem; At semel tantum debuit pati & mori, ergo semel tantum sacrificari, non sæpius Hebr. 9: 26. Vide Cap. 9. & 10. (11. Christus, peracto sacrificio, debuit *intrare in Sancta Sanctorum, ubi in perpetuum sedet ad dextram Dei.* Hebr. 10: 1, 2.... 14. ut, *si esset in terra, ne sacerdos quidem noster esse posset.* Hebr. 8: 4. Ergo in terra offerri non potest, cum sit in cœlo. (12. Sub Novo Testamento cessat *Sacerdotium, Sacerdotes, Templa, Altaria* & *victima*: cum Christus solus sit Novi Test. sacerdos, altare & victima. Vide Ps. 110. Hebr. 7. & 13: 10. nec usquam legatur Christus aliud sacerdotium instituisse.

*Esse Sacramentale quid?*

*Pontificiorum exceptiones.*

II. Inepte dicunt 1. *Per Missam nobis applicari sacrificium Christi.* Inde enim sequitur *Mißam* ipsam non esse Sacrificium, sed Sacramentum tantum, nam Sacramentorum est sacrificium Christi obsignare & applicare. II. *Primum sacrificium in cruce fuisse Primarium propitiatorium & cruentum: sed in Missa esse secundarium, commemoratorium & incruentum.* 1. Ista enim distinctio est ficta, & vero Sacrificio Christi probrosa. 2. Sacrificium Missæ debet esse idem quod Christus obtulit, aut nullum est. Ergo nulla distinctio. 3. *Commemoratorium* Sacrificium sub Novo Testam. non datur. Nec tale esse potest Sacrificium Christi, cum sit *expiatorium*, fatentibus ipsis *Pontificiis.* 4. Christi Sacrificium erat *cruentum*; Ergo si missa est

eſt *incruenta*, ſequitur eam non eſſe Sacrificium, multo minus Sacrificium Chriſti, cum ſanguinem effuderit, & quia *ſine effuſione ſanguinis non datur remiſſio peccatorum.* Hebr. 9: 22. Vanum eſt quod regerant: *Melchizedecum obtuliſſe panem & vinum.* Gen. 14. *Ergo & Sacrificium incruentum; nam* 1. non obtulit *Deo* panem & vinum in *Sacrificium*, ſed *Abrahamo* ad *convivium.* 2. Chriſtus non obtulit *panem* & *vinum*, ſed *corpus* & *ſanguinem* ſuum. 3. Ipſi Pontificii non auderant adfirmare, Sacerdotes ſuos nihil offerre præter *panem* & *vinum*; contendunt enim ſe offerre ipſum corpus Chriſti: ut oblatio Melchizedeci fruſtra adducatur.

*Exceptio.*

III. Vaniſſima ſunt eorum argumenta, quibus conatur fictum Sacrificium *Miſſæ* probare. Veluti I. *Ipſe Chriſtus juſſit; Hoc facite, id eſt* SACRIFICATE; *cum* facere *ſignificet SACRIFICARE.* Nam I. etiamſi concederemus *facere* nonnunquam ſignificare *Sacrificare*: tamen hoc non ſignificat in verbis Chriſti, cum Chriſtus ſe explicet, quomodo *faciendum* ſit, nempe in memoriam ſui: *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem.* Supra jam oſtendimus, ſub Novo Teſt. non dari Sacrificium *commemorativum.* 2. Ut Chriſtus per iſta verba non egit *Sacerdotem*, ita etiam per ea non inſtituit *Sacerdotium*, ſed *Sacramentum*, cujus eſt *commemorare.* 3. Ipſe Paulus verba Chriſti explicat de *Cœna*, non de *Sacrificio.* 1. Cor. 10: 16. & 11: 25, 26. 4. Quod Chriſtus fecit, id jubet verbis iſtis ut & nos faceremus. Sed Chriſtus non ſacrificavit; (obtulit enim ſe poſtea in cruce) ergo ibi non jubet, ut ſacrificaremus: ſed inſtituit & celebravit Sacramentum, tanquam ſignum & ſigillum mortis & ſacrificii corporis & ſanguinis ſui, in remiſſionem peccatorum. Hoc igitur vult & nos *facere;* id eſt Sacramentum illud celebrare, ut *mors ſua nobis obſignetur.* II. Sub *Novo Teſtamento, etiam in Ægypto, id eſt ubique locorum, offerri debent Sacrificia & oblationes.* Eſ. 19: 21. & *Sacrificium juge.* Dan. 8: 11. Malach. 1: 11. Sed loca iſta ſunt intelligenda de ſacrificiis *ſpiritualibus*, quæ ſola mente & corde offeruntur, non manibus. Jam oſtendimus, ubi de oblationibus Veteris Teſt. egimus, etiam omnia ſacrificia, & Templa, & altaria, & victimas, & ſacerdotes debere finiri. III. Verba Pauli Hebr. 13: 16. *Hæ ſunt hoſtiæ Deo acceptæ*, nihil minus docent, quam Sacrificium *Miſſæ;* cum ibi intelligantur ſacrificia *ſpiritualia* cordis; vel *eleemoſynæ*, quæ Deo gratæ ſunt, non minus quam olim hoſtiæ: cum hodie nullas habeamus hoſtias, præter unicam Jeſu

*Pontificiorum argumenta ad probandum Miſſam.*

Christi. IV. λειτουργεῖν Act. 13: 2. non significat *Sacrificare*, sed *Deo servire*, quolibet cultu quem Deus instituit. Vide Luc. 1: 23. Hebr. 9: 21. & alibi, significat *sacrificare*. Quemlibet cultum Dei notare, vide Hebr. 1: 14. ubi de *Angelis*, qui non possunt *Sacrificare*. De *Magistratibus*. Rom. 13: 6. Ita *Epaphroditas* dicitur λειτουργεῖν *necessitatibus Pauli*. Philipp. 2: 25, 30. Vide Rom. 15: 27. V. Non sequitur; *si Paulus comparat mensam Domini, cum altari Idololatrarum*: 1. Cor. 10: 21. *Ergo in mensa Domini debent offerri sacrificia, quemadmodum in mensa, vel altari Idoli solebant sacrificari*. Non enim fit comparatio nisi ratione *Communionis*, ut, quemadmodum Idololatræ, qui comedebant de sacrificiis Idoli, communionem habebant cum Idolo, ita qui comedunt de S. Cœna, communionem habent cum Christo. Ergo qui vult habere communionem cum Christo, debet abstinere à sacrificiis Idoli. Non autem est quæstio de modo communicandi per sacrificia. VI. Vane argumentantur ex loco Joh. 4: 20. *Veri adoratores adorant in Spiritu & veritate. Ibi quæstio erat de sacrificio, de quo loquebatur Samaritana. Ergo Christus intelligit sub Novo Test. aliud fieri debere sacrificium, quam sub Veteri*. Nam etiamsi concederemus ibi agi de *sacrificio*, intelligeretur tamen *sacrificium Spirituale*, quod fit corde, ut ad arg. 3. dictum est. Sed tale Sacrificium non est *Missa*, quia sacrificulus non *Spiritum* suum, sed ipsum *corpus* & *sanguinem* Christi offerre dicitur. VII. *Non potest esse Religio sine sacrificio. Ergo & in Novo Test. debet esse sacrificium*. Hæc propositio falsa est. 1. Nam in fœdere operum, ante lapsum, fuit Religio, tamen nullum fuit *sacrificium*. 2. Negatur consequentia Majoris: quamvis enim non habeamus hodie sacrificium *Mysticum*, habemus tamen unicum sacrificium, quod reliquorum omnium est complementum. Tale est sacrificium Christi oblatum in cruce. VIII. Nunquam probabunt: *Sacrificia Veteris Test. fuisse typos Sacrificii Eucharistici, sive Missæ*. Fuerunt enim typi *Sacrificii Christi*, non *Missæ*, nec Sacramentorum Novi Test. ut ostendimus, ubi egimus de Sacramentis in genere. IX. *Si nonnulli Patrum olim S. Cœnam appellarunt Sacrificium*: id factum est 1. quia erat sacrificii Christi commemoratio: ut calix vocatur *Testamentum*, panis *corpus*, & vinum *sanguis Christi*, quod *panis* substituatur loco *corporis*, quemadmodum in sacramentis fieri solet, ut signo detur nomen rei signatæ. 2. Patres etiam *preces* vocabant *Sacrificium*. 3. Olim solebant offerre panem & vinum, post Cœnam, ad celebrandam Cœnam, & ad alendos Pauperes.

IV. Se-

IV. Sequitur igitur Sacrificium *Missæ*, non tantum esse figmentum, sed & opprobrium unici sacrificii J. Christi, quod transformarunt *Pontificii* in meram superstitionem, & histrionicam adorationem *panis* & *vini.* Hodie enim totum istud Sacramentum, sive *Missa* consistit in, nescio qua, externa *pompa*, in verborum *murmure* & *incantatione*, in *elevatione panis & vini*, in infinitis *gesticulationibus* sacrificuli, in *genuflexione* & *adoratione* populi: ut panem & vinum offerant *adorandum*, non ut essent *Sacramentum* & *sigillum* ad *obsignandam mortem J. Chr.* in remissionem peccatorum nostrorum. Non ut panem & vinum ederemus & biberemus *in commemorationem sui, donec ex cœlo venerit*, sed ut eum *ipsum comedamus* & adoremus, quod ipsius Apostoli cum eo mensæ assidentes facere non poterant. Adde quod ipsi *Pontificii* semper cogantur hærere dubii, & ignorare, utrum *panem* an *Christum* ipsum adorent, cum nesciant utrum revera facta sit *consecratio.* Si enim sacrificulus non habuit *intentionem consecrandi*, dum pronunciabat verba consecrationis: *Hoc enim est corpus meum*, nulla erit consecratio panis. Ergo merum panem adorant, Adeoque, ut *Samaritani*, ignorant quid adorent. Nec impietate caret, ut aliquis comedat quod adorat, aut adoret quod comedit, à qua superstione ipsi *Ethnici* olim sibi caverunt.

*Missa est opprobrium unici Sacrificii J. Chr.*

V. Non quemadmodum *baptismus*, ita & *S. Cœna* semel tantum per totam vitam celebrande est; sed sæpius est repetenda. (1. quia est Sacramentum *nutritionis*, sed nutrimento sæpe opus habemus; cum baptismus, sit Sacramentum *nativitatis*, ut fidelis semel tantum baptizetur, quemadmodum semel tantum nascitur. (2. Exsertis verbis repetitio jubetur. *Quotiescunque panem hunc comederitis.* &c. 1. Cor. 11:24. &c. Luc. 22:19. (3. *Apostoli quotidie panem frangebant.* Act. 2: 24 &c. Quoties autem singulis annis cœna celebrari debet, quibusque diebus? Utrum die *Paschatis*, *Pentecostes*, *Nativitatis* &c. an aliis, id relinqui debet libertati & ædificationi cujuslibet Ecclesiæ.

*S. Cœna sæpe repetenda.*

*Quoties celebranda sit.*

VI. Tempore Apostolorum S. Cœna celebrata fuit in privatis ædibus, *frangebant panem domatim.* Act. 2:46. Ita & Christus primam Cœnam celebravit in privata domo. Matth. 26:18. Marc. 14: 13, 14, 15. Tamen istæ ædes debent spectari tanquam loca, non privata, sed communia, cum non haberent templa. *Conveniebant enim, ut Cœnam domini comederent* 1 Cor. 11: 20,33. 1. Cor. 10 16.

*Tempore Apostolorum celebrabant Cœnam in privatis ædibus.*

*Tamen ut loca publica spectanda sunt.* Hodie cum habeamus loca publica, in iis quoque celebrari debet, non in locis privatis, est enim symbolum fidei & communionis; sed communio est plurium. Ut peccent *Pontificii* & *Lutherani*, qui privatas habent Cœnas apud ægrotos & intra privatos parietes: qui tamen error ex alio natus est, nempe ex absoluta necessitate Sacramentorum, quam sententiam refutavimus supra, ubi de *Sacramentis in genere* egimus.

# LOCUS XXII.

## *De Ecclesia sub Novo Testamento, Regimine Ecclesiastico, De Ministris Ecclesiæ, Classibus, Synodis, sive Conciliis, De Lege & Disciplina Ecclesiastica.*

## CAPUT XXIV.

### *De Ecclesia.*

*Vox Ecclesia unde? Dicitur ἐκκλησία קהל/עדה συναγωγὴ Ejus significatio.*

I. VOx *Ecclesia* est Græca, quamvis origine sit Hebræa, fit enim ἐκκλησία à καλέω, & hoc ab Hebræo קהל *vocavit*, quod Ecclesia sit quasi *convocatio* hominum. Dicitur etiam עדה. Prov. 5: 14. Lev. 4: 13. Nam à septuaginta interpretibus utrumque vertitur per συναγωγὴν, quasi perinde esset, sive קהל sive עדה dicas. Vide Lev. 4: 13, 14. Hodie קהל & קהלה significant integram societatem Judæorum in aliquo loco habitantium: at *Synagoga* notat sæpe quosdam tantum, ex istis congregatos, quo sensu etiam videtur sumi vox עדה pro iis, qui ex tota קהלה congregati sunt. A septuaginta interpretibus קהל etiam vertitur per ἐκκλησίαν & עדה per συναγωγὴν, veluti Prov. 5: 14. בתוך קהל ועדה ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ϗ συναγωγῆς. Sed & Christianorum Cœtus dicitur *Synagoga*, Jacob. 2: 3. ἐὰν εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν. In Novo Testamento Græce dicitur ἐκκλησία, πανήγυρις. Hebr. 12: 23. συναγωγή. Jacob. 2: 2, 3. & ἐπισυναγωγὴ, Hebr. 10: 25. Nihilominus tamen usus voluit, *Ecclesia Christiana* sub Novo Test. magis ἐκκλησία, sed cœtus *Judæorum* συναγωγὴ diceretur.

II. Apud auctores Græcos *Ecclesia* etiam sumitur, pro *loco*, in quo Ecclesia sive populus congregatur. *Lucian.* Dial. Mercurii & Majæ:

Majæ: dicit, σπείρειν τὴν ἐκκλησίαν *vertere Ecclesiam.* Eodem sensu nonnunquam sumitur à *Pontificiis*, maxime à Gallis, qui per *Eglise* intelligunt & S. ædem & populum congregatum. Eodem sensu sumitur à Germanis, Anglis & Belgis vocabulum *Kirche*, *Churche*, & *Kercke*, quasi diceres κυριακὴ οἶκος. Notat enim templum, & ipsum cœtum in templo congregatum. Eodem sensu in Scriptura Sacra sumi vocem ἐκκλησίαν non est probatum.

*Ecclesia an sumatur pro loco.*

III. Aliquando *Ecclesia* sumitur pro qualibet *congregatione hominum*, etiam *impiorum*, veluti Act. 19. Ubi totus confluxus populi, qui magna voce clamabat: *Magna est Diana Ephesina:* & ἐκκλησία συγκεχυμένη *confusa* dicitur. vers. 35, 39, 40. Idem confluxus populi impii dicitur ἀγορὰ ibidem. Maxime autem sumitur in Scriptura Sacra pro Cœtu eorum qui profitentur fidem in Jesum Christum, quo sensu hic de *Ecclesia* agitur.

*Ecclesia significat quamlibet congregationem hominum.*

IV. Distinguitur *Ecclesia* in *particularem* & *universalem.* *Particularis* est societas quorundam qui fidem in Christum profitentur, restricta ad certum aliquem locum. Ita quælibet urbs, quilibet pagus suam habet Ecclesiam. Talis erat Ecclesia *Romana*, *Colossensis*, *Corinthiaca*, *Ephesina*, *Constantinopolitana*, & sic alibi. Ita mentio fit de *Ecclesia in domo Aquilæ & Priscillæ.* Rom. 16: 5. & *in domo Nimphæ.* Col. 4: 15. Ita Paulus epistolas mittit ad Ecclesias *Corinthi* & *Tessalonicæ* 1. Cor. 1. & 1. Tessal. 1. & Johannes scribit epistolas ad *septem Ecclesias Asiæ*, Apoc. 1: 20. quæ omnes sunt Ecclesiæ *particulares.* At vero *Universalis* est cœtus omnium fidelium, per totum terrarum orbem. Uno verbo, sunt omnes Ecclesiæ particulares, tanquam unum corpus componentes. Hoc sensu sumitur à Paulo 1. Tim. 3: 15. *Ut scias quomodo versandum sit in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis.* Ita & 2. Tim. 2: 20. Ecclesia comparatur cum *magna domo*, in qua sunt vasa ad *decus* & ad *dedecus*, *aurea*, *argentea*, *lignea* & *testacea.* Comparatur cum *rete* Petri, Luc. 5. & agro in quo crescit triticum & zizania. Marc. 13.

*Ecclesia varie distinguitur.*
*I. Est Particularis.*
*II. Universalis.*

V. Deinde distinguitur in Ecclesiam *Visibilem* & *invisibilem.* *Visibilis* dicitur propter prædicationem verbi, & administrationem Sacramentorum, quæ incurrunt in sensum. Est autem quilibet cœtus, qui publice profitetur doctrinam Euangelicam. Et hoc sensu præcipue videtur sumi à Paulo, 2. Tim. 2: 20. ubi eam vocat *magnum domum*, quæ continet vasa *testacea*, & *lignea*, non minus quam *aurea* & *argentea*, ad *dedecus* æque ac *decus.* Non male com-

*III. Visibilis*

paratur cum agro in quo est *zizania*, non minus quam *triticum*, ubi sunt homines boni & mali, pii & impii. Matth. 13. Talis est omnis Ecclesia quæ externa conspicitur, sive particularis, sive universalis dicatur. Ut nunquam dici possit, omnem Ecclesiam esse repurgatam omni infideli & hypocrita.

*IV. Invisibilis.*

VI. Ecclesia *invisibilis* est cœtus *electorum*, quos Deus vocavit in æterno suo Consilio ad cognitionem veritatis, ad participationem gratiæ, & ad possessionem gloriæ æternæ. Estque corpus Christi mysticum, quod constat ex solis electis, ab omni infideli & hypocrita repurgatum. Hoc sensu *filia Regis dicitur tota gloriosa introrsum*. Ps 45: 14. *Qui in occulto est Judæus, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Rom. 2: 29. *Qui vicerit dabo ei comedere de manna occulto, & calculum dabo album in quo nomen novum scriptum; quod nemo novit, nisi qui accepit.* Apoc. 2: 17. Ideo *vita sanctorum abscondita* dicitur *in Christo.* Col. 3: 3. De hac etiam intelligenda sunt omnia bona, quæ Christus dicitur peperisse Ecclesiæ. Hæc est *Ecclesia quam Deus sanguine suo redemit.* Act. 20: 28. Hanc *Ecclesiam amavit, & seipsum pro ea tradidit.* Ephes. 5: 25. Hæc est ejus *corpus quod servavit.* vers 23. & cap. 4: 4, 12, 16, 30. Christus hujus est *caput*. Ephes. 1: 22 & 5: 23. Tam grandia non possunt dici, nisi de Ecclesia *invisibili*, non autem de *visibili*, & tantum ratione electorum; quemadmodum honorifica quædam dici solent, de tota Civitate, propter paucos Cives excellentes.

*Eadem Ecclesia dicitur visibilis & invisibilis, sed diverso respectu.*

VII. Una eademque Ecclesia dici itaque potest *visibilis* & *invisibilis*, sed diversa ratione. *Visibilis* dicenda est, non tantum quod homines, qua homines, sint visibilis; sed quod externe profiteantur veritatem Euangelicam, & celebrent Sacramenta, secundum legitimum usum, propter quem à Deo sunt instituta. *Invisibilis* dici debet ratione spiritus & veræ fidei, quæ in sola mente residet, quam nemo hominum videre potest, sed quam solus Deus novit. Is enim *novit qui sint sui.* 2. Tim. 2: 19. & *ante ejus oculos omnia sunt patentia.* Hebr. 4: 13. Sola fide Christi corpori unimur tanquam membra Ecclesiæ. *Invisibilis* etiam dici potest ob certas quasdam circumstantias, loca & tempora, quando, propter tyrannidem, ipsa confessio veritatis supprimitur, ita ut fideles publicam professionem veritatis edere non audeant, sed lateant in occulto inter infideles: quemadmodum tempore *Eliæ* factum est, ut crediderit se solum, ex omnibus fidelibus, reliquum esse, cum tamen septem millia fuerint,

rint, qui genua coram Bahalo non flexerunt. 1. Reg. 19. Idem sæpissime accidit Ecclesiæ sub Novo Test. per tyrannidem Imperatorum Romanorum, per alios Ethnicos, & per Antichristum, usque ad Reformationem, ut multoties coacta fuerit aufugere in desertum. Apoc. 12. & se abscondere in *fissuris petrarum*. Cant. 2: 14.

*V. Militans.* VIII. Tandem distinguitur Ecclesia in *militantem* & *triumphantem*. Ecclesia *militans* est cœtus fidelium in hac terra, qui tanquam bellum gerunt perpetuum contra Diabolum, carnem & omnes hostes Ecclesiæ. Ephes. 6: 12. &c. *Triumphans* est cœtus fidelium, qui, devictis omnibus hostibus, gloria æterna fruuntur in Cœlis. *Triumphans.*

*Vera Ecclesiæ quæ?* IX. Si vocabulum Ecclesiæ tam late sumatur, prout revera sumi debet, patet Ecclesiam non posse definiri, per ullam Ecclesiam particularem: ut ad hanc quæstionem; *quænam est vera Ecclesia?* non possit responderi: Est *Ephesina*, *Tessalonicensis*, vel *Romana*. Nam omnes istæ Ecclesiæ, aut quæcunque aliorum Regnorum & Civitatum, non sunt ipsa *Ecclesia*, sed *partes* tantum Ecclesiæ: cum vera Ecclesia composita sit ex omnibus Ecclesiis, sive cœtibus fidelium, per totum mundum dispersis. Inepte igitur *Pontificii* nobis vellent persuadere Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, cum tantum sit pars Ecclesiæ. Perinde sane ac si sumerent brachium pro toto corpore.

*Membra veræ Ecclesiæ.* X. *Membra* Ecclesiæ non sunt *Angeli*, ut ut inter electos numerentur. 1. Tim. 5: 21. & Christus eorum sit Dominus: cum non sint electi in Christo Redemptore, nec ab eo vendicentur. Hebr. 2: 16. Nec omnes homines sunt membra Ecclesiæ. Excluduntur enim *reprobi* & *hypocritæ* omnes, qui vera fide destituuntur. (1. quia *nemo potest placere Deo sine fide.* Hebr. 11. *Quicquid non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14: 23. Sed Deus nullam habet communionem cum peccatore. Es. 59: 2. (2. Christus eos à se depellit, testaturque se eos *non novisse*. Matth. 7: 23. Absurdissime igitur *Pontificii* docent, omnes, qui externe profitentur fidem in Christum, modo papam agnoscant caput Ecclesiæ, etiam vera esse membra Ecclesiæ, ut ut alias sint sceleratissimi & pessimi hypocritæ. Sane etiamsi *impii & hypocritæ profiteantur fidem in Christum, & quamvis in Ecclesia, ut membra ejus vivant, quoad externa*; tamen non sunt in Ecclesia, nisi per nudam professionem externam, at cor- *Non impii nec hypocritæ.*

pori

pori Christi non sunt agglutinati, per formam & per vinculum internum, scil. per veram fidem, per quam solam Christo unimur. *Habitat* enim *Christus in corde nostro per fidem.* Ephes. 3: 17. Sunt in Ecclesia ut *Agar* in domo Abrahami, tanquam *serva*, non ut *heres*, ut *proditores* in civitate, non ut veri ejus *cives*; ut pes aut brachium *ligneum* quod corpori humano externe alligatum est, immo ut *pili*, *ungues*, *pus*, *struma*, *excrescentia* & *gangrana* in corpore humano. Hinc Apostatæ optime dicuntur *exiisse ex nobis, quamvis non fuerint ex nostris.* 1. Joh. 2: 19. Ipsi quoque *Bellarminus*, *Thomas*, *Soto*, *Canus aliique Pontificii* fatentur hypocritas non esse vera & viva membra Christi, sed *mortua* & *æquivoce*, *secundum apparentiam & putative*.

*Sed soli Electi.* Soli igitur *electi*, qui sincera fide donati sunt, vera membra Ecclesiæ dici debent. Ut Ecclesia nihil aliud sit, quam *societas omnium electorum, qui Christum vera fide amplectuntur, & salutem æternam certissime obtinent.* Uno verbo, est *concio primogenitorum, quorum nomina scripta sunt in cœlis.* Hebr. 12: 23. Est Ecclesia quam *Christus sanguine suo redemit.* Act. 20: 28. Vide quæ dicta sunt de Ecclesia invisibili.

*Etiam infantes.* XI. Ipsi *infantes* fidelium, etiam ante baptismum, non minus quam adulti, sunt membra Ecclesiæ: non enim gratia Dei alligatur Sacramentis & elementis externis, quemadmodum contra *Pontificios* supra jam ostendimus. Sed omnes fideles, quicunque servati

*Et fideles sub Vet. T.* sunt, sub *Promissione* & sub *Vet. Testamento*, non minus quam sub Novo Test. pertinent ad Ecclesiam Christi. (1. quia *extra Christum nulla est salus.* Act. 4: 12. (2. Christus *omnes reconciliavit*, qui *erant in cœlis* tempore Apostolorum, æque ac eos, qui *sunt in terris*, id est qui vivunt sub Novo Testamento: omnes enim *purificavit*, *sanctificavit*, *vivificavit & nutrivit.* Vide Col. 1: 20. 1. Cor. 15: 22. 1. Cor. 10: 2, 3, 4. (3. Ipsi fideles, veluti *Abrahamus desideravit videre diem Christi & vidit & gavisus est.* Joh. 8: 56. (4. Ethnici fuerunt *extra Christum*, quia fuerunt *abalienati a Republica Israelis.* Ergo *Judæi* fuerunt in Christo. Ephes. 2: 12. Vide quæ dicta sunt *de fide Patrum* sub Promissione. Parte IV. Cap. IX. th. 16.

*Consideratur hic præcipue Ecclesia militans. Estque Ovium vel Pastorum.* XII. Quæstio nunc est maxime de Ecclesia *militante*, & sub Novo quidem Testamento. Et hæc etiam solet distingui in Ecclesia *Pastorum* & *Ovium*. Sed male: cum & oves & pastores sub Novo Test. æque sint membra Ecclesiæ, sine ullo discrimine Sanctitatis, aut præeminentiæ. Hinc patet nullam sub Novo Test. esse Eccle-

Ecclesiam *repræsentativam*, quæ sit vel *Papa*, vel *Concilium* cum *Papa*; vel *Concilium* solum sine Papa, vel *Pastores* & *Presbyteri*, *Synedria*, *Classes*, aut *Synodi*; quæ pro auctoritate totam Ecclesiam repræsentet, de rebus controversis judicet, & suo judicio reliquos omnes subjiciat. (1. quia sub Novo Test. nulli sunt *domini*, *magistri*, & *legislatores*, nec ulla Cathedra, in rebus spiritualibus. Matth. 23. (2. Omnes *sumus edocti a Deo*, omnibusque traditæ sunt *claves scientiæ*: ut *frater fratrem non amplius doceat* ex auctoritate, & sibi peculiari modo tradita scientia. Adeoque (3. quia par in parem non habet imperium. (4. quia nemo alteri præponitur, nisi ex *delegatione magistratuum* aut *fœderata disciplina*.

*Nulla sub Novo Test. Ecclesia repræsentativa.*

XIII. Cum Ecclesia constet ex solis electis, quæ & *invisibilis* dicitur, certum est, eam esse *infallibilem*, nec à fide & veritate *totaliter* & *finaliter* deficere posse. (1. quia fides nunquam amittitur. Vide Parte III. Cap. 18. *De Constantia Fœderis Gratiæ*, sive de *Perseverantia Sanctorum*. (2. Ædificata est supra Christum, qui est *Petra salutis*, contra quem nihil possunt portæ inferni. Matth. 16: 11. Ast Ecclesia *externa* & *invisibilis*, quælibet particularis à fide deficere potest tractu temporis, præsertim quoad formam & professionem externam, quod male negant *Pontificii*. Nam (1. fieri potest ut talis Ecclesia constet ex meris hypocritis. (2. Habemus manifesta exempla in Veteri Test. 1. Reg. 19. ubi Elias quæritur, se solum superesse ex vera Ecclesia. (3. Tempore Christi vix ulla exstabat Ecclesia, uti ex Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, Senioribus, & ex toto populo, qui Christum tradiderunt constat. Vide Matth. 5. & 23. (4. Sub Novo Test. coacta est auffugere in desertum, & se abscondere in *fissuris petrarum*, Apoc. 12. Cant. 2: 14. Vane excipiunt Pontificii; *aliam promissionem habere Ecclesiam Novi Test. scilicet eam esse ædificatam supra petram, ut portæ inferni contra eam non prævaleant.* Matth. 16: 18. Cum hæc verba Christi non contineant speciale privilegium Ecclesiæ Novi Test. sed promissionem curæ erga omnes fideles. Non etiam major est hæc promissio, quam ea quæ facta est Abrahamo: *ero clypeus tuus.* Gen. 17. Deinde experientia docet, hanc promissionem non magis respicere Ecclesiam Novi, quam Veteris Testam. cum sub Novo Test. integræ Ecclesiæ erraverint, ut ipsa Ecclesia *Romana*, *Constantinopolitana*, *Ephesina*, *Corinthiaca* &c. fatentibus ipsis *Pontificiis*. Igitur verba Matth. 16: 18. tangunt Ecclesiam veram J. C.

*Quo sensu Ecclesia sit infallibilis.*

*Ecclesia externa & visibilis non est infallibilis.*

Kkkk quovis

quovis tempore, quæ constat electis, contra quos *portæ inferni* nihil valent.

*Respondetur ad Argumenta Pontif.*

XIV. Errorem suum de *infallibilitate Ecclesiæ* non probabunt *Pontificii*. 1. Verbis Christi, Matth. 28: 20. *Ero vobiscum usque ad consummationem sæculi.* & Joh. 14: 17. *Spiritus veritatis manet in ipsis.* Hæc enim tangunt solos *Apostolos*, aut dicuntur de veris electis, quatenus sunt vera fide præditi; adeoque perseverantiam sanctorum ponunt, non autem infallibilitatem ullius Ecclesiæ particularis. II. *Labia Sacerdotis servant scientiam, ut legem requirant ex ore ejus.* Mal. 2: 7. Sed quid hæc faciunt ad *infallibilitatem* Ecclesiæ Novi Testamenti? cum tantum notent *officium speciale Sacramentum sub Test. Veteri*. III. *Ecclesia* dicitur quidem *columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3: 15. Sed hoc intelligendum est de Ecclesia in genere, quæ constat ex veris electis, non autem de ulla *particulari*: nam Ecclesia Christi nunquam plane deleta est, nec in æternum omnino deleri potest, etiamsi ei *aufugiendum* sit in *desertum* & in *petrarum fissuras*, ut à nemine conspiciatur, quemadmodum tempore *Eliæ* factum est, qui putabat se solum reliquum esse, ut ut adhuc septem millia fidelium latuerint. Nota quod & ipse Petrus *Columna* fuerit, & tamen erraverit. Gal. 2: 9. IV. Quamvis Ecclesia dicatur *corpus Christi*, & Christus ejus *caput*. Ephes. 5: 23. & 1: 31. Non sequitur tamen *eam non posse errare.* Nam *corpus Christi* est *cœtus electorum*; sed illi qui in hæresin delabuntur non sunt verum *corpus Christi*, nec unquam fuerunt, nisi *externe* tantum & ex opinione. Multo minus sequitur, *ipsum Christum tanquam caput istius Ecclesiæ errare*: cum Christus non sit caput istius Ecclesiæ, quæ in hæresin delabitur. Deinde etiamsi veri fideles aliquando in quibusdam errent, non sequitur tamen ipsum Christum eorum caput errare; potest enim infligi vulnus manui, quod capiti tamen non infligitur ut ut caput etiam propter idem vulnus doleat. V. *Ecclesia audienda* quidem *est*. Matth. 18. sed quamdiu non errat, ubi autem deprehenditur errasse, non amplius est audienda, non est audienda, nisi ubi conscientiam convincit ex verbo Dei; sed ubi errat, conscientiam convincere non potest. VI. Ecclesia quæ est *sine ruga & macula*. Ephes. 5. est vera Ecclesia electorum, non quælibet particularis, & visibilis, quæ errare potest, ut ipsi turpissima macula inducatur. VII. Locus Matth. 16. *portæ inferni nihil prævalebunt contra Ecclesiam*, nihil probat: cum intelligendus sit de ve-

veris electis, non de qualibet Ecclesia particulari. Vide Thes. 13.

XV. Cum omnes Ecclesiæ particulares errori sint obnoxiæ, sequitur & Ecclesiam *Romanam* errare potuisse. (1. quia nullum speciale privilegium, à Christo sibi concessum, ostendere possunt. (2. quia experientia docet, eam turpiter à doctrina Apostolorum defecisse. Ineptissime gloriantur I. *Urbem Romam esse metropolim & sedem Religionis*; cum ex Scriptura S. probari non possit, nec talem urbem ac sedem Religionis permittat OEconomia Novi Testamenti. II. Idem dicendum est, quando urbem *Romam* vocant *urbem æternam*; est enim vanus titulus Ethnicorum. III. *Fides Romana prædicata est per totam terram.* Rom. 1: 8. Sed hoc nullam adfert infallibilitatem; cum & fides *Romana* & *Corinthiaca*, & *Tessalonicensis* aliorumque Civitatum sit eadem. Istis temporibus fides erat pura, at non sequitur, Romanos non posse errare. IV. Non sequitur; *nullam fuisse Ecclesiam ante tempora Calvini, si Ecclesia Romana erravit*, multo minus *promissiones Christi fuisse vanas.* Matth. 28: 20. Matth. 16: 18. fuit enim semper Ecclesia vera, quæ doctrinam Christi, Apostolorum & Calvini professa est. Prioribus quatuor sæculis Ecclesia satis pure conservata est, postea aliquando *corrupta*, sed non plane est *depravata.* Quamvis seculis 10, 11, 12, 13, 14, 15. Ecclesia Romana fuerit corruptissima, Christus tamen semper habuit fideles in Asia, Africa; immo & in medio Ecclesiæ Romanæ multi fuerunt, qui fidem & veritatem servarunt. Testes sunt *Berengarius*, *Wiclefius*, *Johannes Hussius*, *Hieronymus Pragensis*, *Bohemi*, *Waldenses*, & ejusmodi alii multi. Testes sunt innumeri *martyres*, qui ante Calvinum & Lutherum mortem obierunt, quod Papæ ejusque erroribus restiterint, & veritatem docuerint. Videantur Martyrologia. Tandem Ecclesia Romana nullam adfert rationem, cur credamus eam remansisse sine errore, magis quam Ecclesiam *Græcam*, aut *Moscoviticam.*

*Ecclesiam Romanam potuisse errare.*

*Respondetur ad argumenta.*

*Fuisse fideles in ipsa Ecclesia corrupta Romana ante Lutherum.*

XVI. Delirant Pontificii, cum doceant, *Scripturam Sacram examinandam esse ad Ecclesiam, non autem Ecclesiam ad Scripturam*, quamvis contrarium sit verissimum. Non enim Scriptura est habenda vera, ideo quod sit *conformis sententiæ Ecclesiæ*; sed *sententia Ecclesiæ* vera est, si sit conformis *Sacræ Scripturæ.* Nam Spiritus probari debent ex *Scriptura.* 1. Joh. 4: 1. Adeoque *notior est Scriptura S.* quam *Ecclesia*; ut Ecclesia probari debeat per Scripturam, non autem Scri-

*Ecclesiam esse examinandam ad Scripturam.*

ptura per Ecclesiam. De hisce plura vide Vol. I. Part. I. Cap. II. Thesf. 13.

*Vera Ecclesia ex Scrip. cognoscitur.*

XVII. Hinc etiam sequitur veram Ecclesiam innotescere ex Scriptura Sacra. Sunt autem *notæ* veræ Ecclesiæ duæ præcipuæ. 1. Primaria est *integritas doctrinæ:* ubicunque enim doctrina Christi & Apostolorum pure & caste prædicatur, ibi est vera Ecclesia. Nam oves Christi ejus *vocem audiunt*, *& eum sequuntur.* Joh. 10: 27. II. Altera & secundaria nota est *Administratio Sacramentorum* secundum legitimum usum, eoque ritu & fine prout à Christo sunt instituta & ab Apostolis usurpata. Hæ duæ notæ occurrunt, Act. 2: 42. *Perseverarunt (1) in doctrina Apostolorum, (2) & in Communione & fractione panis.*

*Notæ veræ Ecclesiæ.*

*Falsæ notæ Ecclesiæ.*

XVIII. Falsæ igitur Ecclesiæ sunt *notæ*, quas adferunt *Pontificii*, veluti 1. nomen *Catholicum.* 2. *Antiquitas.* 3. *Duratio.* 4. *Amplitudo.* 5. *Successio Episcoporum*, 6. *Conformitas doctrinæ* cum Ecclesia Veteri. 7. *Unio membrorum* inter se. 8. *Doctrinæ efficacia.* 9. *Sanctitas vitæ* eorum qui Religionem Christianam fundarunt. 10. *Miracula.* 11. *Lumen Propheticum.* 12. *Adversariorum Confessio.* 13. Eorum *infœlix exitus.* 14. *Fœlicitas temporalis.*

*Falsæ notæ refutantur.*

XIX. Has non esse *notas* veræ Ecclesiæ patet. 1. *Nomen Catholicum* non est *nota* Ecclesiæ. (1. quia nulla Ecclesia particularis quæ in sensus incurrit, (de qua hic est quæstio) potest dici *Catholica:* cum sit *particularis* tantum. (2. Nomina non semper conveniunt rebus. (3. Omnes Ecclesiæ hæreticæ etiam se dicunt *Catholicas.* (4. In Scriptura S. istud nomen tacetur. (5. Nomen *Catholicum* etiam aliis rebus convenit, veluti toti mundo. II. *Antiquitas* non potest esse nota Ecclesiæ. (1. quia multis aliis rebus convenit. (2. *Diabolus* est antiquior *Ecclesia fœderis gratiæ.* (3. Ecclesia *Romana* est *Nova:* cum *antiquitas* ex *dogmatibus* æstimanda sit, & dogmata ex S. Scriptura, cum qua non conveniunt dogmata Ecclesiæ *Romanæ.* (4. Omnes hæretici crepant *antiquitatem.* III. *Duratio* perpetua nulli competit Ecclesiæ particulari, sed soli Ecclesiæ universali & invisibili; ut duratio non semper sensibus percipiatur. Deinde quæ Ecclesia *à doctrina* Christi *defecit*, illa non potest dici *durasse* sine interruptione; at Ecclesia *Romana* turpiter defecit. Tandem *duratio* pluribus rebus convenit, ut *Ethnicismo*, immo toti mundo. IV. *Amplitudo* non est *nota Ecclesiæ.* (1. quia multis aliis rebus convenit. *Mundus* est amplior; immo *Mahumedanismus* & *Gentilismus* ampliores sunt. (2. Vera Ecclesia aliquando *restrictior*, aliquando *amplior* est. Tempore

*Aposto-*

*Apostolorum* non erat ampla. Tempore *Arrianorum* totus mundus stupebat, se factum esse Arrianum. (3. Ecclesia non dicitur *ampla*, sed *parvus grex*. Luc. 12: 32. V. *Successio Episcoporum* non est *nota Ecclesiæ*. (1. quia etiam falsis Ecclesiis convenit. (2. Veri Episcopi & Ecclesiæ doctores sæpe in occulto latere coacti fuere, tempore persequutionis. (3. Ipsa Ecclesia *Romana* fuit aliquando sine Papa; aliquando duos vel tres habuit, ut sæculo 14. & 15. VI. *Conformitas doctrinæ cum Ecclesia Veteri*, non est *nota* Ecclesiæ. (1. quia ipsa Ecclesia vetus suam doctrinam probare debet, per alias notas ex Scriptura S. (2. Doctrina Ecclesiæ Romanæ non est conformis cum doctrina Ecclesiæ Apostolorum, quæ est Ecclesia vetustissima. VII. Nec *unio membrorum* est *nota* Ecclesiæ. (1. quia omnibus societatibus convenit, immo Turcis & aliis. (2. Vera unio membrorum inter se, & cum capite suo Jesu Christo est mystica. Sed hæc est *invisibilis*. Ergo non potest esse *nota* Ecclesiæ visibilis. VIII. Nec *doctrinæ efficacia*. (1. quia doctrina *Ethnica*, *Turcica*, *Arriana* aliaque non minus quam *Romana* est efficax; *dat* enim *Deus efficaciam deceptionis & errorum*. 2. Thess. 2: 11. (2. Vera doctrina non est *efficax*, in iis *qui pereunt*. 2. Cor. 4: 3, 4. IX. Nec *Sanctitas vitæ*. (1. quia si intelligatur sanctitas primorum Christianorum, ea nihil faciet ad vitam & sanctitatem eorum, qui hodie vivunt. Si intelligatur sanctitas eorum qui nunc sunt in vivis, non potest esse Ecclesiæ nota; cum pessimi hypocritæ sanctitatem sæpissime mentiantur. X. Nec *Miracula*. (1. quia *miraculis* post obitum Apostolorum, & post stabilitam Religionem, non opus est. (2. donum miraculorum cessat. (3. Ipse Antichristus miracula mentitur, *ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψευδοῦς*. 2. Thess. 2: 9. XI. Nec *Prophetia*. (1. quia nulla Prophetia hodie datur extra verbum Dei. (2. Impii etiam prophetarunt, ut Balaam, Cajaphas & alii. (3. Et hypocritæ ultimo die dicent: *Prophetavimus in nomine tuo*. Matth. 7: 22. XII. Nec *adversariorum Confessio*. (1. quia adversarii contrarium clamant. (2. Adversarii plerumque sunt mendaces, quibus non facile credi debet. XIII. Nec *infelix exitus* hostium Ecclesiæ. (1. quia de rebus non est judicandum ex eventu. (2. Ipsi fideles sæpe habent exitum tristissimum, in hoc mundo. Testes sunt tot florentes Ecclesiæ in Asia & Africa. Tandem XIV. *felicitas temporalis* non potest esse nota Ecclesiæ. (1. quia infidelium & falsæ Ecclesiæ sæpe major felicitas, veluti Turcarum, multo-

rumque Ethnicorum. (2. *Per multas afflictiones ingrediendum est in Regnum Cœlorum.* non per felicitatem. Act. 14:22. 2. Tim. 3:12.

*Ecclesia dicitur. I. Una.*

XX. In Symbolo Apostolorum Ecclesia dicitur I. *Una.* II. *Catholica.* III. *Sancta.* Dicitur quidem I. *Una:* quod omnes electi unicum tantum corpus constituant mysticum, cujus caput est Christus, Ephes. 5. Ideo & *unica columba*, *unica illa apud matrem vocatur.* Cant. 6: 8. Deinde quod *unicum* tantum habeat *caput* Jesum Christum, quod sit *unicus Mediator*, & *una fides.* 1. Tim. 2. Ephes. 4. 4, 5, 6.

*II. Catholica.*

II. vocatur *Catholica.* (1. quia opponitur Ecclesiæ *Veteris Testamenti*, quæ ad solum *Israelem* erat restricta. Sed sub Novo Test. ex omnibus populis colligitur. (2. quia est *Orthodoxa*, prout apud Patres *Catholicum* sumitur pro *Orthodoxo.* Ridicule igitur Ecclesia *Romana* sibi soli arrogat titulum *Catholicæ.* (1. cum sit tantum *pars* Ecclesiæ *Catholicæ.* (2. cum olim omnes Ecclesiæ particulares *Catholicæ* dicerentur, veluti *Alexandrina*, *Constantinopolitana*, *Antiochena*, & aliæ, ad indicandam Orthodoxiam earum, uti ex *Epistolis Constantini Magni*, & ex *inscriptionibus* quorundam Episcoporum constat.

*III. Sancta.*

III. Dicitur *Sancta.* (1. quia ejus caput Jesus Christus est *Sanctus.* (2. habet Spiritum Sanctum, per quem purificatur & Sanctificatur. (3. Fideles in Ecclesia habent fidem, quæ *corda purificat.* Act. 15. (4. A prophanis separantur & ad cultum Sacrum Dei consecrantur. Vide de *Sanctificatione.*

## CAPUT XXV.

### *De Regimine Ecclesiastico.*

I. Cum Ecclesia sit *Civitas* quædam spiritualis, sequitur in ea obtinere aliquod *Regimen*, quod vocari solet *Ecclesiasticum.* Quemadmodum autem omnis Respublica constat ex *Principe* & *subditis*, ita & Ecclesia. *Subditi* hujus Civitatis sunt *fideles*, qui Christum vera fide amplectuntur. Vide Cap. præced. paragr. 10, 11.

*Caput Ecclesiæ est Christus.*

II. *Princeps* & *Caput* Ecclesiæ est *Jesus Christus*, Mediator & Redemptor ejus. *Omnia enim pedibus ejus subjecta sunt, & dedit eum pater caput Ecclesiæ.* Ephes. 1: 22. Vide Cap. 4: 15, 16. & 5, 23. & Col. 1: 18. & 2: 10. Eam *sanguine suo redemit.* Act. 20: 28.

III. Quem-

III. Quemadmodum Christus est *Caput Ecclesiæ*, ita & *solus* est illius Caput. (1. quia inter caput & membra est arctissima & intima unio, quam non possumus habere, nisi cum Christo solo. Ephes. 4: 15, 16. (2. Caput mittit spiritus & vitam ad omnes corporis partes. *Sicut palmes non potest ferre fructus a seipso, nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis.* Joh. 15: 4. Ideo per eum *vivere* dicimur. 1. Joh. 4: 9. Et *Christum in nobis vivere* testatur Paulus. Gal. 2: 20. (3. *Caput* est is qui est *primus, Dominus* & *Princeps.* Sed Christus solus est noster *Princeps, Rex, Judex, Legislator,* & *Dominus.* Es. 33. Ezech. 37: 22. *Et faciam eos gentem unam, & Rex unus erit omnibus.* Vide 1. Cor. 8: 6. & 12: 4, 5, 6. Matth. 23: 8. (4. Omnes sumus *fratres*, & unicum tantum habemus fratrem primogenitum Jesum Christum: adeoque omnes sumus pares. Sed par in parem non habet imperium; ut nemo alteri dominari possit, sub Novo Test. Luc. 22: 25, 26.

*Papa non est Caput Ecclesiæ.*

IV. Facescat igitur *Papa*, qui sese nobis vellet obtrudere tanquam *caput* & *supremum Principem* Ecclesiæ; aut saltem tanquam Christi *vicarium*, Caput *ministeriale*, & *secundarium*, dum Christus sit *fundamentum*, Caput *primarium* & *principale.* Sed talem *vicarium*, Caput *secundarium* & *ministeriale* Christus ferre non potest. (1. quia Christus se habet ad Ecclesiam, ut *sponsus* ad *sponsum.* Ephes. 5. Sed quemadmodum sponsus non potest ferre *Vicarium sponsum*, ita nec Christus. (2. Christus vicario non indiget; cum opus sit vicario & vice Rege, ubi Rex ipse non potest esse præsens, ut ipse rerum suarum curam habeat. Sed Christus est ubique præsens, etiam cordibus nostris, quod de nullo homine dici potest. *Ero vobiscum, usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28: 20. (3. Papa non est vicarius *Christi*, sed *Petri* tantum, ut Papa seipsum vocat. (4. Nusquam legitur Christus talem Vicarium instituisse. (5. Ipsi *Pontificii* inter se disputant, utrum suprema potestas sit penes *Papam*, an penes *Concilium* & *Papam*, simul. (6. Repugnat OEconomiæ Ecclesiæ Novi-Testamenti, ubi Christus non amplius est velatus *Principatibus* & *Dominationibus*, *Moschelim*, *Mechokkekim*, *Dominis*, *Magistris*, *Patribus carnis*, *Pædagogis* & *Curatoribus*; omnes enim *exuit*, & tanquam vetus & inutile vestimentum à se deposuit. Col. 2: 15. solus est noster *Rex*, noster *Judex*, & *Legislator.* Es. 33: 22. Ezech. 37: 22. Solus noster *Dominus.* Ephes. 4: 5. 1. Cor. 8: 6. & 12: 4, 5, 6. Matth. 23: 8. Luc. 22: 25. Ut unus datur *grex*, ita & *unus*

*unus Pastor*, Joh. 10: 16. adeoque solus audiendus est. Matth. 17: 5. Luc. 9: 35. Joh. 10.

*Refutantur Pontif. Argumenta.*

V. Vanæ sunt argutiæ *Pontificiorum*. 1. *Regnum Monarchicum esse optimum; ergo & Christi Regnum in Ecclesia debere esse Monarchicum.* Nam 1. Nondum probatum est, *Regnum Monarchicum esse optimum:* Deus enim populo suo non dedit Regem nisi *in ira* sua. 2. Etiamsi Monarchicum esset optimum, non sequeretur tamen totum mundum per unum hominem regi posse. 3. Si Ecclesia *Monarcham* haberet, is esset (uti est) solus *Christus*, qui eam regit per *Ministros*, non per *Monarcham Vicarium*. II. Quamvis *corpus humanum habeat caput visibile*, non sequitur; *ergo & Ecclesiam tale caput habere, cum etiam sit corpus.* Ecclesia enim est corpus mysticum: ergo & *caput* est *mysticum*, scil. Jesus Christus. III. Inepte dicunt, *regimen Angelorum esse Monarchicum:* cum I. de *hierarchia Pontificii* multa quidem nugentur, sed nihil probent: quare ex ipsis Pontificiis, *Bannes* & alii de hierarchia dubitari permittunt. 2. Princeps Angelorum est ipse Christus. IV. *In Ecclesia geritur* quidem *militia spiritualis.* Non sequitur tamen, *ergo debet habere Imperatorem visibilem.* Nam qualis *militia*, talis est *Imperator:* sed *militia* est *spiritualis*. Ephes. 6: 10, 11. ergo & *Imperator* Jesus Christus. V. *Christus, quamdiu in terris vixit*, se non gessit, *ut visibile caput*, alias tunc duo fuissent capita. α *Pontifex Max.* Judæorum, secundum *Pontificios*. β *Christus*. Deinde quamdiu Christus in terra vixit, non apparuit ut *Monarcha visibilis* μετὰ παρατηρήσεως, Luc. 17: 20. sed magis *Minister*, quam *Monarcha* videbatur. Luc. 22: 27. Hinc & *Servus* dictus est. Es. 53: 11. & 42: 1. & 49: 7. Phil. 2: 7. VI. Est ψεῦδος *Parochiis debere præesse Episcopum*, *Episcopis Archiepiscopos*, *Archiepiscopis Patriarcham*, & *Patriarchis supremum aliquem Pontificem:* Nam 1. possumus carere Episcopis, Archiepiscopis & Patriarchis; ita & ipso Summo Pontifice. 2. Ipsi Episcopi non habent Patriarchas, ubique in Ecclesia *Romana*, ut in Gallia, Hispania, Polonia, Germania & alibi. VII. Quamvis *Pastores mitti debeant ad prædicandum.* Rom. 10: 15. Non sequitur *eos a Papa debere mitti:* cum ipse Christus eos mittat, quoties Pastores vocantur per totam Ecclesiam, aut per eos, qui, ex fœderata disciplina, ad vocandum & mittendum delegati sunt: adeoque ipse Christus est *dominus messis, qui mittit operarios in messem suam.* Matth. 9: 38. VIII. Non *opus est judice controversiarum, ad colendam pacem Ecclesiæ;*

*sia*; 1. Cum talis *judex generalis* totius Ecclesiæ non sit institutus à Christo, nec talis dari possit, sed *conscientia* cujuslibet fidelis sit *judex particularis* controversiarum. 2. Papa Romanus multum facit ad augendas lites, sed non ad componendas, ut experientia docet. Non paucæ enim hodie exstant lites in Ecclesia *Romana*, immo de ipso hoc *judice*, ejusque auctoritate. IX. Falsum est, *Testamentum Vetus fuisse figuram Novi Test. & sub Vet. Testamento fuisse regimen Monarchicum sub summo Pontifice.* Nam 1. Vetus Testamentum non in omnibus fuit figura Test. Novi. 2. Typi & figuræ Veteris Test. non depingebant *hominem* aliquem, sed *Christum*, qui est verus noster Pontifex & summus Sacerdos. 3. *Pontifex Max.* Veteris Test. non fuit Pontifex *totius mundi*, sed solius populi Judaici. 4. Pontifex Max. Veteris Test. non fuit *Monarcha*, sed membrum tantum magni Synedrii, à quo etiam judicabatur. Cod. Sanhedr. cap. 2. §. 1. Immo aliquando ob ignorantiam, ne membrum quidem M. Synedrii esse poterat. Tandem nullam habuit potestatem condendi leges, controversias quaslibet decidendi, aut ulli imperandi; sed ipse legibus subjectus fuit.

*Fons errorum Pontificiorum de Monarcha Ecclesiæ.*

IV. Fons & scaturigo errorum circa Monarchiam *Papæ* est, quod credant, Christum instituisse *Petrum Vicarium*, Petrique successorem esse Papam Romanum. Quam falsum autem hoc sit, facile patebit, ubi ostenderimus. I. Hactenus nondum fuisse probatum, *Christum instituisse vicarium.* II. Nec, si Christus instituit, eum *fuisse Petrum.* Nec III. si Petrus fuit Vicarius eum *habuisse successores.* Nec IV. si habuit successores, eos debere *esse Papas Romanos.*

*Christus non instituit vicarium.*

VII. Quod attinet I. Certum est, Christum non instituisse *Vicarium.* Hoc manifesto patet ex iis, quæ hactenus de *Vicario* Christi, deque *Regimine Monarchico diximus.* Et hoc sufficeret ad convellendam totam auctoritatem Papæ.

*Nec Petrum.*

VIII. Nihilominus dicimus. II. Si vel maxime Christus instituisset *caput* & *vicarium visibilem*, non tamen probari posse, eum fuisse *Petrum.* (1. quia omnes Apostoli ipsi fuerunt pares. Erant enim omnes *Apostoli.* Sed *Apostolatus* erat primum munus in Ecclesia. Ephes. 4: 11. 1. Cor. 12: 28. Omnes erant missi ab ipso Christo (non ab alio superiore) ad docendum. Matth. 28: 19. & 10: 2, 5. Omnibus data est potestas *ligandi & solvendi* ab eodem Christo. Matth. 18: 18. Tandem omnes sunt *fundamentum* Ecclesiæ. Ephes.

LIII 2: 20.

2: 20. Apoc. 21: 14. (2. Paulus se non minorem existimat quam reliquos omnes Apostolos. 2. Cor. 11: 5. & 12: 11. Ipsi *concreditum fuit Evangelium Præputii*, quemadmodum Petro *Circumcisionis*. Gal. 2: 7. Id est eandem auctoritatem habuit in *gentes*, ac Petrus in *Judæos*. Paulus *plus quam omnes operatus est*. 1. Cor. 15: 10. Uno verbo *à nullo hominum Apostolatum accepit*. Gal. 1: 1, 12, 17. Ergo non à *Petro* nec ab ullo *Papa*. (3. Paulus reprehendit *Petrum*, quod non rectè incesserit. Gal. 2: 11. (4. *Petrus* æque ac Johannes mittitur Samariam ab Apostolis. Act. 8: 14. (5. Non legimus *Petrum* fuisse Præsidem conventus Apostolorum. Act. 15. (6. Christus dixit: *Dic Ecclesiæ*. Matth. 18: 17. Non autem, *Dic Petro*. (7. Alius se dixit *Pauli*, alius *Apollo*, alius *Cephæ*. 1. Cor. 1: 12, 13. Si *Petrus* fuisset *Monarcha*, omnes se dixissent *Cephæ*. (8. *Jacobus* nominatur ante *Petrum*, & non minus Jacobus & Johannes vocantur *columnæ*, quam Petrus. Gal. 2: 7, 8, 9. (9. Ipse *Petrus* se nunquam vocavit *Monarcham* sed *Apostolum*, immo & συμπρεσβύτερον. 1. Petr 1: 1. & 5: 1. 2. Petr. 3: 2. (10. Apostoli altercantur de *Primatu*, quod fieri non potuisset, si Petrus primus fuisset. Vide Matth. 20. Luc. 22.

*Respondetur ad Argumenta de Primatu Petri.*

IX. Nihil pro primatu Petri facit, I. quod *Primus dicatur*, Matth. 10: 2. Cum primus dicatur tantum ratione *ordinis*, non *dignitatis* & *auctoritatis*. II. Ita & *primo loco nominatur ante reliquos Apostolos*: sed non semper, nam & *Jacobus* ante *Petrum* nominatur. Gal. 2: 7, 8, 9. Vide 1. Cor. 1: 12. & 3: 22. & 9: 5. III. Si aliquando *Primus verba fecit*; id factum est, ex peculiari zelo, non tanquam à Principe reliquorum. IV. Si *Christus nomen ejus mutavit*, Mat. 17: 25. 2. Petr. 1: 1. nullam tamen potestatem inde consequutus est; alias enim *Jacobus* & *Johannes* etiam essent Monarchæ, cum & eorum nomina mutata sint, vocavit enim Christus eos *Boanerges*. Marc. 3: 17. Deinde Christus non *mutavit* nomen Petri, sed novum ei tantum *addidit*. V. Si *Christus didragma solvit prò Petro*; Matth. 17: 24. Non opus erat ut pro aliis solveret. Sed quid didragma facit ad Pontificatum? VI. Falsum est, *Christum cum solo Petro piscatum esse*. Luc. 5: 4. VII. Si *Petro dictum est*, *pasce oves meas*, Joh. 21: 17. idem reliquis omnibus mandatum est, aliis verbis. Matth. 28: 19. *Ite, docete*. &c. VIII. Etiamsi *Petro soli dictum sit*: *Beatus es*, Matth. 16: 17. id tantum factum est propter confessionem & veram fidem, qualem & reliqui habent, & *beati sunt*.

IX. *Pe-*

IX. *Petrus* non *solus confessus est Christum*: Nam & reliqui omnes eum confessi sunt. Joh. 1: 45, 50. Matth. 14: 33. Joh. 6: 68, 69. X. Quamvis *Christus post resurrectionem primo apparuisset Petro; ejus pedes primo lavasset; quamvis solus ambulavisset super aquis; & peculiarem habuisset revelationem.* Matth. 16. *multas alias diceretur habuisse prærogativas*; tamen non sequeretur ei datam fuisse supremam potestatem. Deinde multa, quæ à *Pontificii* recensentur tanquam prærogativæ Petro concessæ, sunt falsa, multa Superstitiosa, multaque reliquis Apostolis communia.* XI. Fatemur *Christum dixisse Petro: tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Sed 1. *Petra* cui *inædificatur Ecclesia* non est *homo*, sed ipse *Christus*, qui est vera *Petra*. 1. Cor. 10. Ideo solus Christus vocatur *fundamentum*. 1. Cor. 3: 11. 2. Potest etiam intelligi hæc confessio Petri: *Tu es Christus, filius Dei viventis.* Nam hac confessione ædificatur & stat Ecclesia Christi: *Sanctissimæ nostræ fidei superædificantes vos ipsos, in Spiritu S.* Jud. vers. 20. Distinguit Christus inter *Petrum*, & *Petram*. Alloquitur quidem *Petrum*, (*tu es Petrus*) sed de *Petra*, id est de *Christo* vel de seipso loquitur. Est igitur in verbis istis elegantissima antinomasia, & allusio ad nomen *Petri*, qui istam confessionem nomine omnium Apostolorum ediderat. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 3. Si vel maxime concederemus, *Petrum* vocari *Petram*, cui inædificatur Ecclesia, id non nisi metonymice esset intelligendum; ut esset *Petra* ex parte cum reliquis Apostolis. Nam ejusmodi *inædificatio* & *fundamentum* dicitur de reliquis Apostolis omnibus; ita tamen ut *angularis* lapis sit Jesus Christus. *Inædificati in fundamento Apostolorum & Prophetarum, ita ut angularis, summus lapis J. Christus.* Ephes. 2: 20.

X. Non negamus tamen, *Petrum* fuisse virum insignem: ut non nunquam primo loco recenseretur, quamvis non semper; immo *primus* dicatur., *ordine*, non *auctoritate*, quod ob insignem Zelum etiam ante reliquos & pro reliquis loquutus sit; tandem quod non parum præstiterit, ad fundandam Ecclesiam inter *Judæos*, præsertim die Pentecostes, Act. 2. immo inter ipsos quoque *gentes*, quarum quasi primus fuit Cornelius. Vide Act. 10: 10. &c. & 15: 7.

*Petrus fuit vir insignis.*

XI. III. Quamvis Petrus fuisset *caput* & *Monarcha* Ecclesiæ, sive *vicarius Christi*, (quod falsum esse probavimus) tamen non se-

*Etiamſi Petrus fuiſſet vicarius Chriſti, non ſequitur eum habuiſſe ſucceſſorem.*

queretur eum habuiſſe *ſucceſſorem*. (1. quia non omnes, qui munere aliquo publico functi ſunt in Eccleſia, habuerunt ſucceſſores; nam *Prophetæ* nullos habuerunt. (2. *Apoſtolorum* nullus habuit ſucceſſorem, ergo nec Petrus. Nec poteſt dici, habuiſſe ſucceſſorem, non qua *Apoſtolum*, ſed tantum qua *Paſtorem*, ad prædicandum verbum & ad adminiſtranda Sacramenta, nam hoc ſenſu & reliqui omnes Apoſtoli haberent ſuos ſucceſſores. (3. De *Succeſſore Petri* in S. Scriptura altum eſt ſilentium. Futile eſt quod dicunt:

*Exceptio.*

*Pontificem Max. ſub Vet. Teſt. habuiſſe ſucceſſorem*: cum *Monarcha* non fuerit Pontifex Max. uti ſupra oſtendimus: ut alium ſucceſſorem non habuerit, niſi tanquam Pontifex ad miniſterium Templi,

*Exceptio.*

quia depingebat Chriſtum, qui adhuc venturus eſſet. Quod porro *Pontificii* addunt, de *unitate Eccleſiæ*, quæ unicum tantum poſtulet caput, de *viſibili Eccleſia*, quæ exigat viſibilem aliquem vicarium; illa, inquam, nimis diluta ſunt, quam ut reſponſionem mereantur: cum *unicum* iſtud *caput Eccleſiæ* ſit *Chriſtus* ipſe; quandoquidem vera Eccleſia non ſemper eſt *viſibilis*, ut ſuo loco oſtendimus; immo ſi vel maxime eſſet *viſibilis*, tamen regi poſſet per *caput inviſibile* Jeſum Chriſtum qui alios habere poteſt miniſtros, quam unicum hominem.

*Papam non eſſe ſucceſſorem Petri.*

XII. Tandem IV. Si Petrus vel maxime ſucceſſorem habuiſſet, negamus tamen eum fuiſſe *Papam*, vel *Epiſcopum Romanum*. (1. quia plures, non *unicus* tantum, potuiſſent eſſe ejus ſucceſſores, quemadmodum revera pluribus Apoſtolis pluribuſque Euangeliſtis plures

*Exceptio.*

ſucceſſerunt Paſtores, ſuo modo, ut poſtea patebit. Non ſequitur, *ſi ſolus Petrus Eccleſiam gubernare potuit*, (quod tamen falſum eſt) *ergo & alius aliquis unus ſolus eam hodie gubernare poteſt, per totum terrarum orbem*. (2. Nuſquam legimus Chriſtum *Petro* talem ſucceſſorem dediſſe. (3. Nuſquam legimus Petrum ſucceſſorem ſibi ſubſtituiſſe. (4. qui non docet *doctrinam Petri*, non poteſt eſſe ejus ſucceſſor. Sed Papa ejus doctrinam non docet, immo plane contrariam nobis vult obtrudere. (5. Si *Petrus* ſucceſſorem habuiſſet, magis eſt credibile, ejus ſucceſſorem fuiſſe aliquem ex ipſis Apoſtolis, qui poſt Petrum vixerunt. Cur non potius fuiſſet Apoſtolus *Johannes*, Chriſto dilectiſſimus, quam Epiſcopus Romanus? An ipſi *Pontificii* auſint adfirmare reliquos omnes Apoſtolos minores fuiſſe Epiſcopo Romano eique ſubjectos fuiſſe? Sequitur itaque de *jure* Papam non poſſe dici ſucceſſorem Petri.

XIII. Nec

XIII. Nec de *facto* ejus *successor* dici potest. (1. quia non obit munera Petri, id est *non pascit oves:* sed magis curat *politica*, quam *Ecclesiastica*, magis agit *Regem*, quam *Pastorem*, qualis fuit Petrus. Vane excipuunt, *Papam habere impedimenta*, & per alios omnia curare. Nulla enim impedimenta admittere debet, cum ea possit evitare; nec per alium curare debeat ullus, quæ sunt officii sui. (2. Nusquam probatur ex S. Scriptura, Papam fuisse successorem Petri. (3. Nec ex ulla antiquitate, cum adhuc sub judice lis sit, utrum *Linus*, an *Clemens*, an *Cletus*, an vero *Anacletus*, primus fuerit; & quo ordine successerint ignoretur. Quot capita, tot sententiæ. (4. Nullus Episcopus Romanus, tribus prioribus sæculis, unquam sustinuit, se fuisse caput & Monarcham totius Ecclesiæ; multo minus per aliquot sæcula ullus Episcopus ejus imperio sese subjecit. (5. *Johannes* Episcopus Constantinopolitanus primus fuit, qui se ausus fuit dicere *Episcopum Generalem:* quare à *Gregorio Magno*, Episcopo Romano, *Antichristus* dictus est: ut Romani & Constantinopolitani Episcopi diu multumque de Primatu disceptaverint. (6. *Bonifacius tertius*, Episcopus Romanus, demum anno 606. primus obtinuit, ut Episcopus *Generalis* & *caput Ecclesiæ* diceretur; quod non est consequutus, nisi per fraudes, malas artes, atque horrenda scelera, quæ ab eo approbata sunt, quum adularetur Imperatori Phocæ, Parricidæ, qui Imperatorem atque Dominum suum Mauritium, scelestè trucidaverat: ut non nisi in turbido, & quidem in sanguine & cædibus, fictus iste successor Petri, *Primatum* piscatus sit. (7. Ipsi primi Papæ eandem auctoritatem non habuerunt, qualem hodie eorum successores sibi arrogant. Debebant enim ab Imperatore confirmari. Nullam habebant potestatem sæcularem, aut primatum ad multa sæcula, donec tandem ab Imperatorum potestate se liberaverint, ipsis Regibus & Imperatoribus leges præscribere, & Regna ex una familia in aliam transferre ausi sint, seque prætulerint ipsi *Imperatori*, quantum *Sol superat Lunam.* (8. Ipsi *Pontificii* inter se digladiantur: utrum Papa Romanus sit successor Petri, *jure divino*, id est ex institutione Christi; an vero *jure humano & Ecclesiastico*, & an successio ista ab eo non possit *transferri* ad alium Episcopum. (9. Hactenus nondum est probatum, utrum Petrus unquam Romæ fuerit; immo probabilius est, eum Romæ nunquam fuisse; ut ibi non potuerit fuisse Episcopus, nec habuisse successorem. Nam 1. *Paulus* 2. Tim. 4: 16,

*Papa non potest esse Successor Petri. II. De facto.*

4: 16, 17. conquæritur, se Romæ ad omnibus desertum fuisse. Unde sequitur Petrum *Romæ* non fuisse, Paulum enim non deseruisset. 2. Petrus legitur vitam transegisse *Hierosolymis*, *Samariæ*, *Damasci*, in *Judæa*, *Antiochiæ*, *Babylonis*, & forte alibi, sed cum *Romæ* fuisse, nusquam legitur. 2. Non est credibile Petrum *Romæ* sedisse: cum fuerit missus ad *Circumcisionem*, id est ad *Judæos*, ad *Gentes* vero Paulus. Gal. 2: 7. Credibile itaque magis est, si ullus fuit Episcopus Romanus, tempore Apostolorum, cum fuisse *Paulum*, non *Petrum*. Ideo à nonnullis *Paulus* dicitur Episcopus Romanus.

*Regimen Ecclesiasticum I. Internum.*

XIV. Est igitur *Regimen Ecclesiasticum*, vel *internum*, vel *externum*. *Internum* est illud ipsum quod Christus per virtutem Spiritus sui exercet, in cordibus electorum. Hoc autem est Regnum *Monarchicum*: cum exerceatur ab ipso Christo, & ab eo solo, qui verus est Monarcha, unicus & supremus Princeps & Caput Ecclesiæ. De hoc nulla hic est quæstio. *Externum* est illud, quod exercetur per homines *externe*, per *prædicationem verbi* & *administrationem Sacramentorum*.

*II. Externum.*

XV. *Externum* hoc Regimen neutiquam dici potest *Monarchicum*; cum per unum hominem exerceri non possit. *Democraticum* etiam vocari nequit, ut *fanatici* contendunt; nam omnes fideles, etsi idem habeant jus & eandem libertatem in Novo Testamento, & quamvis *claves cognitionis* nemini ex manibus extorqueri possint, tamen non habent eadem dona, ad obeundum ministerium, quare ad illud exercendum non omnes vocati dici possunt. Vide 1. Cor. 12: 28. Ephes. 4: 11, 12. Est igitur Regimen Ecclesiasticum externum omnino *Aristocraticum*, quod exerceri debet à Pastoribus & Senioribus, qui donis necessariis donati, & secundum fœderatum disciplinam, ad id exercendum vocati sunt.

*Regimen Ecclesiasticum consistit non in Dominio, sed in Ministerio.*

XVI. Cum autem sub Novo Testamento, quoad Regimen Ecclesiasticum externum, nullum habeamus *Dominum*, *Regulatorem*, *Judicem*, & cum Ecclesia Christi nunc nullis creaturis, nec Angelis, nec hominibus, subjecta sit; ita ut nemo *Dominus*, sed *omnes fratres simus*. Matth. 23: 8. & tanquam *fratres una sedeamus*. Ps. 133. sub uno communi *Domino Jesu Christo*. Matth. 23: 7, 8. Ephes. 4: 5, 6. 1. Cor. 8: 5, 6. sequitur *Regimen Ecclesiasticum* magis esse *ministerium*, quam *Regimen*, & non consistere tam in aliqua *potestate*, *jurisdictione* aut *dominio*, quam in munere *docendi*, *exhortandi*,

moneu-

*monendi* & *fraterno reprehendendi.* Ideo διακονία *ministerium* dicitur. 1. Cor. 12:4, 5. & 8: 9, 10. Ita & διάκονοι, sive *Ministri* vocantur ii, qui ad ædificationem Ecclesiæ admoti sunt. *Sic de nobis reputet quisque, ut de Ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4: 1. *Quum Ministerium hoc habeamus.* 2. Cor. 4: 1. quod, cum dicatur de ipsis Apostolis, maxime de reliquis Pastoribus est intelligendum. *Quicunque inter vos volet magnus fieri, esto vester Minister.* Matth. 20: 26. Luc. 22: 25, 26. *Pascite gregem, non dominantes, sed ut qui sitis exemplaria gregis.* 1. Petri 5: 1, 2, 3.

## CAPUT XXVI.

### *De Ministris Ecclesiæ sub Novo Testamento.*

I. CUm Regimen Ecclesiasticum *externum* non sit *Monarchicum*, ut docent *Pontificii*, nec *Democraticum*, ut volunt *Fanatici*; sed magis *Aristocraticum*: videndum erit quinam sint illi, qui ad ejus regimen & ædificationem maxime admoti sunt? Illi autem, uti dictum est, sunt, non *Domini*, sed *Ministri* Jesu Christi.

*Ministri Ecclesiæ Extraordinarii Veteris Test. I. Moses.*

II. Sunt autem *Ministri* Ecclesiæ, vel *Extraordinarii*, vel *Ordinarii*. *Extraordinarii* sunt illi, qui à Deo ad ædificationem vocantur, modo aliquo extraordinario, & qui donis extraordinariis sunt instructi; vel ad erigendam primitus Ecclesiam; vel ad eam confirmandam, vel denique ad eam collapsam restituendam. Sub Veteri Testamento ministri *extraordinarii* fuerunt 1. *Moses*, & 2. *Prophetæ*. I. *Moses*, cum à Deo immediate & extraordinarie vocatus fuerit, ad stabiliendam *novam* fœderis Gratiæ *OEconomiam*, per novas leges cærimoniales & forenses. Hinc *Propheta* dicitur, modo speciali. Deut. 18. II. *Prophetæ* reliqui etiam extraordinarii fuerunt ministri; cum à Deo immediate, vel viva voce, vel instinctu acti fuerint, ad prædicandas res futuras, & ad curanda alia, quæ ad ædificationem Ecclesiæ peculiari modo requirebantur. Sub Novo Testamento Primus Ministrorum extraordinariorum fuit *Johannes Baptistes.* Huic successit Christus ipse, *annunciavit* enim *nomen Dei inter fratres* suos, Ps. 22. quamvis tamen Christus magis *Dominus*, *Monarcha* & *Caput* Ecclesiæ dicendus sit, si operationem ejus *internam*

*II. Prophetæ.*

*Novi Test. Primus Minister Extraordinarius fuit Johannes.*

spe-

*Huic successit Chr.* spectemus. Tamen quoad functionem *externam*, non tam *Dominum*, quam *Servum* & *Ministrum* egit. Phil. 2: 9.

*Ministri extraordinarii N. Test. sunt. I. Apostoli.* III. Ministri *Extraordinarii* Ecclesiæ, sub Nov. Testamento, sunt *Apostoli*, *Prophetæ*, & *Euangelistæ*, quibus annumerari possunt certi quidam *doctores*. *Dedit enim alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores & Pastores.* Ephes. 4: 11. 12. 1. Cor. 12: 28, 29. Rom. 12: 5.

IV. *Apostoli* fuerunt sancti quidam viri, ab ipso Christo electi, qui eum in terris *viderunt*, ut de ejus *nativitate*, *vita*, *morte*, *resurrectione* & *ascensione* testarentur. Ut essent *Apostoli*, debebant I. Christum *vidisse*, & in *carne novisse*. *Eritis mihi testes, in Judæa & Samaria, usque ad fines terræ.* Act. 1: 18. *Oportebat ut essent ex viris, qui, quamdiu in terra vixit, cum eo ambularent.* Act. 1: 21, 22. *Nos qui bibimus & edimus cum eo, postquam ex mortuis resurrexit.* Act. 10: 41. Ideo Christus dixit Paulo: *eris ipsi testis erga omnes, omnium rerum quas vidisti & audivisti.* Act. 22: 15. Et Paulus; *nonne sum Apostolus, nonne Vidi Dominum Jesum Christum?* 1. Cor. 9: 1. II Debebant ab ipso Christo immediate ad tale munus vocari. Vide Joh. 20: 21. Gal. 1: 1. 2. Cor. 5: 20. Ephes. 4: 11. III. Debebant esse *instructi donis extraordinariis*, & à Spiritu Sancto acti, ut veritatem Euangelicam infallibiliter prædicarent. Vide Joh. 20: 22. Gal. 1: 12. Luc. 24: 49. Act. 1: 5, 8. & 2: 1. Joh. 14: 26. & 16: 13. IV. Debebant habere potestatem Spiritum S. aliis *communicandi*, per impositionem manuum, eosque *mittendi* ad S. Ministerium exercendum. Act. 8: 6, 7, 15, 16. &c. 19: 6. V. Habebant donum miraculorum, quemadmodum ipse Moses & Prophetæ, extraordinario missi. Hebr. 2: 4. Marc. 16: 20. Rom. 15: 18, 19. & alibi. Debebant enim doctrinam, quæ, quoad externa, plane nova videbatur, non tantum annunciare, sed & miraculis confirmare. Ut inepte *Pontificii* à Primis Reformatoribus exigant miracula, cum non novam, sed antiquissimam Apostolorum doctrinam prædicaverint. Et quamvis *Apostoli multa ignoraverint, immo & in peccata inciderint*, ut *Petrus* qui Dominum abnegavit. Matth. 26: 70. &c. Gal. 2: 11. *Exceptio.* Nihilominus tamen non peccarunt in *officio Apostolatus*, sed ut *homines* tantum. Nec unquam allegarunt Apostolatum, in istis actionibus humanis, sed quotiescunque Apostolatum allegarunt, divinitus erant inspirati, adeoque in eo infallibiles.

V. *Apostolis* datæ sunt *Claves Regni Cœlorum*. Matth. 16. 19 & 18: 18. Joh.

18. Joh. 20: 23. id est *potestas prædicandi Euangelium* omnibus gentibus *Judæis* & *Gentibus*, (quibus antea quasi clausum fuerat.) ut omnes nunc possent intrare in *Ecclesiam*, quæ est verum *Regnum Cœlorum*; sub Novo Testamento: ut illis, qui intrarunt in Ecclesiam, peccata remitterentur, illis vero, qui in credulitate remanserunt, peccata retinerentur, nullamque consequerentur remissionem peccatorum. Habebant etiam potestatem *ligandi* & *solvendi*. Id est quicquid declararent *licitum*, id nunc sub Novo Test. esse *licitum*, quemadmodum nunc revera omnia sunt *licita*, quæ per legem cærimonialem & forensem olim erant *illicita*: & quicquid declararent *illicitum*, illis *illicitum* remaneret, qualia sunt omnia peccata contra legem moralem. Hæc Talmudici solent exprimere per אסר & התיר *vincere* & *solvere*. Hac *clave* maxime usi sunt Apostoli die Pentecostes. Act. 2. & 10: 28: 44. Sed istis clavibus non tantum *licita* declarabant, quæ hactenus erant *illicita*, sed & *vindictam Dei excerebant* in impios. Exempla habemus in *Anania* & *Saphira*. Act. 5. & in *Elyma*. Act. 13: 8. &c. Hinc & *virgam* habuisse dicebantur. 1. Cor. 4: 21. Et *Satanæ tradidisse*, nempe ut *corpus affligeretur*, *ad servandam animam*. 1. Cor. 5: 3, 5. Hoc munus excellentissimum omnium fuit, ut primi ponerentur Apostoli. Ephes. 4: 11. 1. Cor. 12: 28. Ideo dicuntur *sedere super duodecim thronis*. Matth. 19: 28. Luc. 22: 29, 30.

*Apostolis datæ sunt Claves Regni Cœlorum.*

VI. *Euangelistæ* erant illi, qui vel ab ipso Christo vel *Apostolis* mittebantur, ad propagandum Regnum Christi, per prædicationem Euangelii, sive verbis, sive scriptis. Tales sunt *Marcus*, *Lucas* & alii.

*Euangelistæ qui.*

VII. *Prophetæ* sub Novo Test. erant ii, qui peculiari dona Scripturam explicabant, & futura exponebant: de quibus vide Ephes. 2: 20. 3: 5. & 4: 11. 1. Cor. 12: 28. Act. 11: 27. & Act. 13: 1. & 15: 32. & 21: 10, 11. 1. Tim. 1: 18. & 4: 14. ubi fit mentio de variis *Prophetis*.

*Prophetæ qui.*

VIII. Hi omnes, præsertim *Apostoli*, successores non habent; cum hodie nemo vivat, qui viderit Christum in carne; qui immediate à Christo vocatus sit, tantamque habeat revelationem, qui sit *infallibilis*, & qui edat miracula. Nec *Apostolis* post eorum mortem opus est: cum doctrina Euangelica jam abunde sit patefacta, & confirmata. Ut si etiam Angelus è Cœlo aliud vellet annunciare Euangelium, quam illud quod per Apo-

*Non habent Successores.*

ſtolos & Euangeliſtas eſt annunciatum, ſit anathema. Gal. 1: 8.

IX. Miniſtri *extraordinarii* variis nominibus veniunt in Novo Teſtamento. Dicuntur enim *Paſtores*, *Doctores*, *Duces*, προεστῶτες, ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι, & διάκονοι; quæ nomina fere omnia deſumpta ſunt, vel à dignatibus & muneribus politicis, vel à Primoribus & gubernatoribus Synagogæ.

*Epiſcopus quid?*

X. *Epiſcopus* ſignificabat Præfectum aliquem, & gubernatorem in Provincia; quo ſenſu apud Ciceronem legimus: *Campania & maritima ora me habent Epiſcopum.* Idem hodie apud Gallos ſignificat *Intendant*: nempe *Inſpectorem* ærarii, juſtitiæ, militiæ, aut aliarum rerum politicarum. Hoc ſenſu & hodie tolerari poſſunt in Eccleſia vocabula *Epiſcopi*, *Inſpectoris* & *Superintendentis.* Præcipue ſignificabat, apud *Judæos*, eum, qui curam habebat lectionis legis, ut accurate in Synagogis legeretur; quare adſtabat Lectori, librum inſpiciebat, ut, ſi forte male legiſſet, eum moneret. Hinc etiam חזן *Inſpector* id eſt *Epiſcopus* à *libro inſpiciendo* dictus eſt. Verbum enim חזה ſignificat *videre.*

*Doctores qui?*

XI. Διδάσκαλοι ſive *Doctores* apud *Judæos* erant חכמים & רבי / qui in Scholis docebant legem, & omnem ſapientiam exponebant. Sub Veteri Teſtamento docebant, non tantum per ſanam rationem & per demonſtrationes ex verbo Dei, ſed & ex auctoritate, modo nihil docerent contra legem. Ut diſcipuli ex magiſtri ac doctoris ore penderent, ac magis per *traditiones* quam per *demonſtrationes* erudirentur. Sedebant enim in Cathedra Moſis, & quicquid dicebant, illud credendum & faciendum erat: quare non tantum *doctores*, ſed & ſimul *Magiſtri*, *Domini* & *Legislatores* dicebantur. At ſub Novo Teſtamento ejuſmodi *doctores* nullos habemus, qui ex *ſola auctoritate* doceant & dogmata præſcribant, præter ſolum Chriſtum, qui unicus audiendus eſt. Matth. 23: 8. Luc. 9: 35. Hodie doctores nullam aliam habent auctoritatem, quam ut verbum, in S.

*Auctoritas Paſtorum ſub Nov. T.*

Scriptura revelatum, *dilucide exponant*, ad convincendam Conſcientiam auditorum ex verbo Dei, non ad *imperandum* ex auctoritate. *Nemo* amplius *proximo ſuo dicit* ex auctoritate, & pro imperio: *cognoſce Jehovam.* Jerem. 31: 34. Nemo hodie habet peculiarem *revelationem*, aut *cognitionem*, quam non omnes poſſint habere ex eodem verbo Dei, quemadmodum olim *Sacerdotes*, quorum *ora conſulenda* erant. Mal. 2: 7. Sed hodie ſub Novo Teſt. *omnes ſumus a Deo edocti.* Jer. 31: 34. & Joh. 6: 45.

XII. *Duces*

XII. *Duces* dicebantur à *duce exercitus*, quem præeuntem totus exercitus sequebatur. Ita & Magistratus & Principes præire solebant subditis, ut legibus & auctoritate populum ducerent. Ita in *Synagogis* & *Scholis* habebant qui doctrina, auctoritate & probitate reliquis præibant eosque ducebant. Eo magis cum ejusmodi duces ac doctores solerent esse ex Primoribus populi, qui pollebant auctoritate, non tantum in sacris, sed & in rebus politicis.

*Duces qui?*

XIII. *Pastores* solebant vocari *Reges* & supremi Principes, non tantum qui curam habebant animalium; sed & illi, qui populos regebant. Quæ appellatio frequens apud Græcos, æque ac apud Hebræos est. Hodie nonnulli male distinguunt *Doctores* à *Pastoribus*, quasi hi *Ministri* Ecclesiæ, illi autem Scholarum *Professores* essent. Junguntur enim *Pastores* & *Doctores* tanquam iidem. Ephes. 4: 11. Deinde Paulus, 1. Cor. 12. 28, 29. de solis διδασκάλοις loquitur, non de *Pastoribus*: quod sint iidem.

*Pastores qui?*

*Doctores à Pastoribus an distincti?*

XIV. Προεστῶτες 1. Tit. 5: 17. sunt *Præsides* & *Principes urbium* aut Populorum, apud *Platonem* & alibi. Hinc & Ministri sacrorum ita dicti sunt; quare & apud Romanos vocantur *Antistites*.

*Προεστῶτες.*

XV. Πρεσβύτεροι *Seniores*, & apud Hebræos זקנים significant etiam, si originem & vim vocis spectes, ætate profectiores. Sed cum ex iis solerent desumi Magistratus & Primores urbium, qui ob ætatem majorem haberent cognitionem, &, in rebus agendis, peritiam atque auctoritatem, omnes fere Proceres & supremi Principes ita dicti sunt, sive in rebus *politicis*, sive in rebus *Ecclesiasticis*. Hinc apud Romanos *Senatores*, & *Senatus*; apud Gallos, Hispanos & Italos *Seigneur*, *Signori*, quod est ipsissimum *Senior*, sive *presbiter*: hinc apud Germanos & Anglos *Olderman*. Inde quoque Gallorum *Sieur*, & *Monsieur* sunt Vocabula honoris & auctoritatis. Quid? Summus titulus Regis Galliarum, ad exprimendam supremam Majestatem, & soli Regi peculiaris, est *Sire*, & apud Anglos *Sar*; quæ sane non tam ab Hebræo שר *Princeps* derivantur, quam à Latino *Senior*. Inde igitur factum est ut πρεσβύτερος adhibitum sit, ad notandum Ministrum Ecclesiæ. Hinc & Gallice *Prestre*, & Germanice *Priester*; quamvis Germani & Galli istis vocabulis abutantur: cum per ea intelligant specifice *Sacrificulum*, qualem apud veteres nunquam significavit, & quales hodie sub OEconomia Novi Test. nulli sunt. Duo fuerunt olim genera *Presbyterorum* in Synagogis Judaicis. I. Qui res *politicas* & reliqua, quæ bonum Populi &

*Seniores qui?*

Synagogæ ſpectabant, curarunt. II. Qui præterea Legem explanabant, ſingulari eruditione pollentes. Ita & in Eccleſia Apoſtolica, alii curabant bonum Eccleſiæ, ad conſervandos cœtus Chriſtianos in pace & tranquillitate; alii verbum Euangelii prædicabant. Hanc differentiam proponit Paulus 1. Tim. 5: 17. ubi poſtremos vocat *operantes in ſermone, & doctrina:* priores, qui tantum *præſident.* Hæc differentia inde orta eſt, quod non omnes haberent aptitudinem docendi, quare ad Prædicationem verbi non admovebantur. Quoad reliqua, commune fuit munus. Ejusmodi autem Presbyteri apud *Judæos*, ſi inter *Gentiles* viverent, ante omnia curabant, ut unio & pax inter fratres conſervaretur. Ideo & lites omnes, quam maxime poterant, inter fratres ſubortas componebant, ne cogerentur ad Magiſtratus Ethnicos recurrere; ut etiam dira pronunciarent in eos, qui Seniores Synagogæ audire nollent, & qui ad tribunalia infidelium ſtatim confugiebant; quod & hodie *Judæi*, inter Chriſtianos habitantes, obſervant, quantum poſſunt. Idem tempore Apoſtolorum ab ipſis Chriſtianis obſervatum fuiſſe, patet ex 1. Cor. 6: 1.

*Diaconus quis?*

XVI. Διάκονος idem videtur ſignificare ac Hebræorum שמש & שמש. Notabat enim *Miniſtrum Synagogæ*, vel *vicarium* Summi Pontificis, immo quemlibet *Miniſtrum Dei*, qui Deo ſerviebat, & res Sacras peragebat.

*Doctores, Paſtores, Duces, Epiſcopi, Seniores & alii quomodo differant?*

XVII. Secundum ſtilum Scripturæ S. & ex inſtitutione ac ſcopo Spiritus S. non differunt *Paſtores, Doctores, Duces, Præſides, Antiſtites, Epiſcopi, Presbyteri*, & *Diaconi.* Omnia enim iſta vocabula ſignificant Miniſtros Eccleſiæ, quemadmodum & *Primos* in Civitate. Ideo ſæpe confunduntur, & hoc pro illo ſumitur. Sic iidem qui *Presbyteri* dicuntur, etiam vocantur *Epiſcopi.* Act. 20: 17, 28. Et Tit. 1: 5. *Ut conſtituas oppidatim Presbyteros*, ſtatim verſu 7. eoſdem *Presbyteros* vocat *Epiſcopos: opportet enim Epiſcopum eſſe inculpatum.* Ita & 1. Petr. 5: 1, 2, 3: *Presbyteri* dicuntur ἐπισκοποῦντες. Ergo *Epiſcopi* à *Presbyteris* non diſtinguuntur. Sic & *Epiſcopi* vocantur *Diaconi.* Phil. 1: 1. Cum ipſi *Epiſcopi* nihil aliud ſint quam *Diaconi*, Eccleſiæ Chriſti Miniſtrantes, *Miniſtri*, inquam, non autem *Domini*, quales Eccleſia Novi Teſtamenti non fert.

*De Cœlibatu Paſtorum nulla lex.*

XVIII. *Miniſtri* in Eccleſia Dei nunquam ad *Cœlibatum* obligati fuerunt, ut peſſime docent *Pontificii*, nec ſub Veteri, nec ſub Novo Teſtamento. De Veteri Teſtamento extra controverſiam

eſt.

est. De Novo etiam constat. (1. quia de *Cœlibatu* pastorum nulla lex. (2. Matrimonium dicitur *honoratum in omnibus.* Hebr. 13: 4. Ergo & in *pastoribus.* (3. *Unusquisque suam debet habere uxorem, ad evitandam scortationem.* 1. Cor. 7: 2, 5, 6. (4. Ipse *Episcopus debet esse unius uxoris vir.* 1. Tim. 3: 2, 4. Tit. 1: 6. (5. *Fratres Domini*, & *Cephas*, reliqui Apostoli habebant *uxores.* 1. Cor. 9: 5. (6. *Paulus* & reliqui *Ministri Ecclesiæ* habuerunt omnes eandem *potestatem ducendi uxores.* Ibidem. (7. In Ecclesia primitiva matrimonium Pastoribus erat permissum, usque ad Papam Calixtum. *Hist. Concil. Trident. lib.* 7. & 8. (8. Lex de *Cœlibatu* est character Antichristi. Dan. 11: 37. 1. Tim. 4: 1, 3. Vanum est quod dicant Pontificii. I. *Bonum est ut homo uxorem non tangat.* 1. Cor. 7: 1. & Com. 8. *ubi Paulus dat Concilium virginibus & viduis, ut maneant sicut ipse, id est extra matrimonium.* 1. Paulus enim non præscribit Legem ad prohibendum matrimonium; sed proponit tantum Consilium iis qui habent donum continentiæ: alias jubet, ut quilibet habeat propriam uxorem. Videatur idem caput. Sed & necessitas istius temporis videbatur persuadere *cœlibatum*, sed ad tempus tantum propter persequutiones. Vide comma 26. Tandem 2. istud Consilium *Pauli* respicit non tantum pastores, sed omnes fideles in Ecclesia. Ergo, si verba ista stringerent, secundum *Pontificios*, contra matrimonium *clericorum*, etiam nemo *laicorum* deberet matrimonium contrahere. II. Imperitiam suam produnt, quando dicunt: *Sacerdotes sub Vet. Test. quamdiu sacrificabant, abstinebant ab uxoribus: multo magis id debet fieri hodie, ubi non typum, sed ipsum Christum offerunt.* Nam 1. sub Veteri Testamento erant Sacerdotes, sub Novo Testamento nulli sunt, præter solum Christum. 2. Sub Veteri Test. Sacerdotes ex variis Regionibus ascendebant Hierosolymas, & in Templo ministrabant, quo uxores cum familiis suis ducere, & incommodum, & contra legem fuisset. 3. Non diutius hærebant in templo, quam per unicam hebdomadam tantum, & non nisi bis solummodo per annum, hebdomade vero elapsa, ad uxores & liberos redibant. Hæc nihil habent commune cum *Cœlibatu.*

*Pastorum munus.*
*I. Prædicare verbum.*

XIX. Munus Ministrorum Ecclesiæ sub Novo Test. est. I. verbum prædicare. II. Sacramenta administrare. III. Publice preces fundere in Ecclesia pro populo. Et IV. Disciplinam exercere Ecclesiasticam, omneque decus observare in Ecclesia. I. *Verbum*

ab iis *prædicari* publice debere, patet: quia à Christo missi sunt *ad docendum.* Matth. 28. *Ite, docete;* quod non minus de omnibus *Ministris* Ecclesiæ, quam de *Apostolis*, intelligendum est. (2. *Episcopus debet esse* διδακτικὸς *aptus ad docendum.* 1. Tim. 3: 2. Debet esse *affixus sermoni, secundum doctrinam, ut valeat in doctrina sana, & ut contradicentes redarguerentur.* Tit. 1: 9. Debet *præcipue operari in sermone & doctrina.* 1. Tim. 5: 17. (3. Præcipuum munus Ministri est, Ecclesiam Dei *ædificare.* Ephes. 4: 11, 12, 13. Ædificatur autem Ecclesia, quando fides ingeneratur: sed *fides propagatur per prædicationem Euangelii.* Rom. 10: 17. II. Eosdem & *Sacramenta* debere *administrare*, patet. (1. quia Christus eos misit, non tantum ad *docendum*, sed & *baptizandum.* Matth. 28: 19, 20. (2. Sunt *dispensatores mysteriorum.* 1. Cor. 4: 1. Hoc autem de Sacramentis etiam intelligi debet. (3. Sunt *Pastores;* sed oves Christi pascuntur non minus per *Sacramenta*, quam per *prædicationem verbi.* III. Publice debent *preces concipere* pro toto populo. (1. Cum sint *duces*, ut reliquos, qui minus sunt periti, in oratione, ducerent. (2. Pastoris est gregrem tueri; sed non possunt oves tueri efficacius, quam per precationes ad Deum. IV. *Exercere* debet *disciplinam Ecclesiasticam.* Sed cum hanc non unus solus exerceat, sed totum Presbyterium. De ea postea agemus.

*II. Administrare Sacramenta.*

*III. Preces concipere publice.*

*IV. Exercere disciplinam Ecclesiast.*

*Minister publicus Ecclesiæ debet vocari.*

XX. Quandoquidem Ministri Ecclesiæ sunt personæ publicæ; sequitur eos etiam ad hoc officium peragendum publice debere admoveri; quod sine publica *vocatione* fieri non potest. Verum est, sub Novo Testamento omnes fideles esse θεοδίδακτυς. Jer. 31: 34. Joh. 6: 45. ut *nunc pro temporis ratione omnes debeamus esse doctores.* Hebr. 5: 12. & quilibet fratrem suum debeat docere (non cum *auctoritate* & ex *Imperio*, ita enim hodie *nemo fratrem suum docere potest.* Jer. 31: 34.) sed per claram demonstrationem veritatis, ad convincendam conscientiam, &, quicquid potest, debet conferre ad ædificationem Ecclesiæ Christi. Sed quod quilibet præstare potest, erga privatos, id tamen non debet suscipere in publico & coram toto Cœtu. Cum hoc fieri non posset, sine confusione, contentione & dissidiis. Nec publico munere quisquam fungi potest, nisi publice ad illud sit vocatus. Privatus enim in publicum nullum habet jus. Debent igitur Ministri Ecclesiæ publice vocari ad Ministerium, ut habeant potestatem faciendi publice, quod singulo erga privatum concessum est. (1. quia *non possunt prædicare, nisi*

*mit-*

*missi sint.* Rom. 10: 15. (2. *Nemo sibi attribuat hunc honorem, nisi is qui vocatur a Deo, ut Aharon.* Hebr. 5: 4.

XXI. *Ministerium* sub Novo Test. plane alterius est naturæ ac sub Testamento Veteri, ita & *Vocatio. Ministerium* sub Veteri Test. quod attinet. 1. Maxime consistit in *Sacerdotio*, in *judicio de mundo & immundo*, & in *expositione legis*, de *munditie* & *immunditie* rerum, de *licito* & *illicito*. 2. *Prædicatio* verbi, *administratio Sacramentorum*, & *exercitium disciplinæ Ecclesiasticæ*, non erant *munera Sacerdotum*: sed omnium doctorum cujuslibet ordinis, modo esset peritus, præsertim autem Senatorum & Præfectorum Synagogæ. Quilibet infantem *circumcidere* poterat, modo istius rei esset peritus. Quilibet pater familias *Pascha distribuere* poterat in sua familia. Quilibet Legem in Synagoga legebat, immo & *Conciones* habebat, modo ad hoc peragendum evocatus fuisset, à Synagogæ primoribus. 3. Sæpissime qui ad legendam Legem, aut ad habendam concionem vocatus fuit, illud semel tantum præstabat, quamvis non esset *Minister publicus* & ordinarius in Synagoga. Aut si iterum legem vellet legere, aut concionem habere, debebat exspectare donec iterum in illud peragendum à Præfectis Synagogæ admitteretur. Aliter sane res sese habet sub Novo Testamento: cum enim *Sacerdotium* cesset, non datur aliud ministerium, nisi circa *prædicationem verbi*, *administrationem Sacramentorum*, & *exercitium Disciplinæ Ecclesiasticæ*.

*Ministerium sub Novo T. alterius est naturæ ac sub Veteri.*

*Ministerium sub Vet. Test. qua in re consistebat?*

XXII. Ita quoque plane aliter sese habebat *vocatio* sub Veteri Testamento. 1. Sub Veteri Testamento *sola familia Aharonis* vocata fuit ad Sacerdotium. 2. Vocabantur ab ipso Deo *immediate*: quum enim Deus vocaret Aharonem. Hebr. 5: 4. Simul omnes ejus filios vocavit. Exod. 28. 3. Erat in Sacerdotibus certa quædam *sanctitas legalis*, soli isti ordini peculiaris, supra reliquas tribus omnes. Erat in eis certa quædam *scientia hæreditaria*, quam reliqui Israelitæ non habebant. At sub Novo Test. non una & certa tantum familia vocata est, sed ex omnibus tribubus ac conditione vocantur: quia *in Christo Jesu nulla est differentia.* Gal. 3: 28. Nec ullus hodie vocatur à Deo *immediate*, sed per homines tantum, quibus ex *fœderata disciplina* jus vocandi concessum est. Nec ulla hodie est *sanctitas* major in *Ministris* Ecclesiæ, quam in reliquis fidelibus omnibus. *Nulla enim est differentia.* Gal. 3: 28. Omnes sumus *Sancti, Reges & Sacerdotes.* Apoc. 1: 6. Nulla *scientia* ad certam familiam est adstricta:

*Alia erat vocatio ad Ministerium, sub Vet. Test. alia sub Test. N.*

adstricta: sed omnes sunt θεοδίδακτοι. Jer. 31: 44. Joh. 6: 45. Ut, quamvis *Episcopatus* sub Novo Test. sit *bonum opus*. 1. Tim. 3: 1. & quamvis ille, *qui in sermone & doctrina operatur, duplo honore dignus sit*. 1. Tim. 5: 17. propter singularem sapientiam, propter labores, ac munus, prout publica munera aliquem honorem necessario conciliant, tamen nullam sibi possit arrogare *sanctitatem* supra reliquos: quoniam omnes sumus *fratres*.

*Sub Vet. T. duplex erat vocatio. I. à Deo*

XXXIII. Duplex igitur sub Veteri Test. fuit *vocatio*. Altera ad *Sacerdotium*, quæ fiebat *immediate a Deo*, & peculiarem aliquam *sanctitatem* sibi junctam habuit. Hæc fuit *vocatio* plane *divina*, & proprie sic dicta. Nunc autem sub Novo Test. plane est abrogata. Altera vocatio fiebat ad *Lectionem* & *Expositionem* legis publice in Synagoga, coram toto cœtu & sæpe etiam ad curandum bonum totius Synagogæ. Hæc non fiebat à Deo *immediate*, sed per Synagogæ duces, jure *humano*, non *divino*, cum ejus nullum à Deo habuerint mandatum. Nullam hæc adferebat *sanctitatem*. Hujusmodi vocatio hodie videtur obtinere, quamvis tamen cum aliquo discrimine. Nam illi ad *lectionem* & *expositionem legis*, aut ad *habendam concionem* & ad *exercendam disciplinam Ecclesiasticam* vocabantur, immo & non raro *res politicas curabant*. Cum hodie *Ministri* vocentur tantum ad *prædicationem verbi*, *administrationem Sacramentorum*. (quæ sub Veteri Test. fiebant partim à Patre familiæ, partim à quolibet, modo ad id esset idoneus) & ad *exercendam disciplinam Ecclesiasticam*.

*II. ab hominibus*

*Vocatio sub Novo Test. Legitima vocatio quæ?*

XXIV. *Vocatio* igitur ad ministerium Ecclesiæ sub Novo Test. est, quando is, qui aptus est, à toto cœtu, vel ab iis, qui ex *fœderata societate* & *disciplina* vocandi jus habent, ad munus illud in nomine Dei invitatur. Tria igitur hæc præcipue ad legitimam vocationem requiruntur. I. Ut is qui vocatur ad istud munus exercendum *aptus* sit. II. Ut vocetur *a toto cœtu*, vel ab iis, *quibus* à toto cœtu ista *potestas concessa* est. III. Ut vocatus de sua aptitudine sit *persuasus*, & habeat *voluntatem* istud munus obeundi.

*Jus Patronatus.*

XXV. Circa *vocationem* Ministrorum considerandum quoque venit *Jus Patronatus*; quod nihil aliud est, quam *jus & potestas certis quibusdam concessa, ut Pastorem eligant, ad certam aliquam Ecclesiam curandam*. Originem plerumque inde habet, quod quidam viri pii, aut ipsi Magistratus & Principes Templa fundaverint, eisque præviderint honestis stipendiis, ad alendos Pastores, sub hac conditione, ut jus vocandi sibi familiæque suæ remaneret, quod à Papa solebat

lebat confirmari. Cum ejusmodi jus inter ipsos *Reformatos* remanserit, & in pluribus locis exerceatur cum ædificatione Ecclesiæ, non temere abrogandum erit, quamvis approbatio Papæ non requiratur.

XXVI. In vocandis Ministris Ecclesiæ summopere evitandum est omne *mercimonium*, *prensationes*, & *largitiones*; quæ vocari solent *Simonia*, ita dicta ab impietate *Simonis Magi*, qui *dona Spiritus S. pecunia emere* volebat. Act. 8. *Simonia* tamen proprie loquendo, hodie committi non potest: cum *donum distribuendi Spiritum S.* hodie cesset, adeoque nec *emi*, uti volebat emere Simon, nec *vendi* potest. Nihilominus tamen per aliquam similitudinem omne *mercimonium*, circa *res Spirituales*, ad obtinenda munera Ecclesiastica, hodie *Simonia* dicitur.

*Simonia quid? Hodie committi non potest.*

XXVII. Opportet etiam ut ii, qui vocantur, sint dignissimi, doctrina & vita maxime conspicui, ne favor prævaleat meritis. Ut autem Orthodoxia sarta tectaque servetur, opportet ut præcedat *examen*, quod fieri debet ab iis, qui in dogmaticis, & cognitione S. Scripturæ maxime sunt versati: quales sunt Theologi, Professores & Pastores. *Hi probentur prius, postea ministrent.* 1. Tim. 3: 10. *Nec temere manus cuiquam imponendæ sunt.* 1. Tim. 5: 22.

*Examinandi Ministri Ecclesiæ Nov. Test.*

XXVIII. Ut autem aliquis in Conscientia sua *sit persuasus*, se ad ministerium Ecclesiæ ab ipso Deo esse vocatum, & ut id publice coram toto cœtu, bona Conscientia testari queat, ubi talis confessio ab eo petitur: non debet sibi imaginari, se à Deo *immediate* vocatum, & *Spiritu S. actum* esse ad tale munus, ut olim vocati fuere *Prophetæ* & *Apostoli*: cum ejusmodi vocatio magis fuerit *extraordinaria*, quam *ordinaria*. Quicunque talem *instinctum* se habere gloriaretur, is Spiritum *enthusiasticum* creparet. Hisce itaque notis persuasus esse potest, se ab ipso Deo legitime esse vocatum. I. Si ad Ecclesiæ Ministerium vocatus est, secundum *ritus receptos*, absque malis artibus, & sine *prensatione*. II. Si in *Conscientia sua persuasus* est se habere sufficientem eruditionem, & aptitudinem requisitam, ut munere isto cum ædificatione fungi possit, quantum id permittit humana infirmitas. III. Si habeat voluntatem ejusmodi vocationem amplectendi, munusque illud obeundi. Sane quicunque tria ista χεϱτήϱια in se animadvertit, tuto dicere potest, se ab ipso Deo vocatum esse legitime: cum ejusmodi vocatio non nisi à Deo (qui vult ut omnia ordine fiant in Ecclesia. 1. Cor. 14,) Rectore

*Quomodo quis possit esse persuasus se legitime vocatum?*

fieri possit: adeoque bona Conscientia ministerium aggredi potest.

*Ordinatio Ministrorum.* *Aprobatio Magistratuum.*

XXIX. Vocationem sequitur *Ordinatio.* Antequam Minister ita legitime vocatus, ordinari possit, opportet *Magistratus* istius loci *consensum* præbeant: cum futurus sit non tantum *Pastor* Ecclesiæ, sed & *civis Reipublicæ*, adeoque legibus civitatis se submittere debeat: præterquam quod Magistratibus incumbat cura Ecclesiæ; maxime autem, cum Magistratibus sit curandum, ut cives sint boni viri, non turbones, declamatores, & concionatores ad seditionem proni, sed quieti & ad conservandam tranquillitatem Reipublicæ.

*Ministrorum inauguratio.*

XXX. Cum Ministerium sit munus publicum, sequitur Ministrum vocatum etiam publice debere *inaugurari.* Per quos autem illud fieri debeat, & quibus ritibus, id in Verbo Dei non exprimitur. Sufficit ut fiat ordine & eo modo, ut in tali Ecclesia fieri solet, sine turba, sine confusione, & absque superstitione. 1. Cor. 14: 40.

*Impositio manuum.*

XXXI. Tempore Apostolorum, ii, qui ad Ministerium vocati fuerunt, solebant initiari per manuum *impositionem.* 1. Tim. 4: 14. & 5: 22. 2. Tim. 1: 6. Act. 13: 3. Idem de *Diaconis* legitur Act. 6: 6. Hebr. 6: 2. Ritus autem iste ortum habet ab ipsis *Patriarchis.* Jacobus enim imposuit manus nepotibus suis, filiis Josephi. Genes. 48: 14. Solebant etiam imponi manus. I. *victimis* quæ pro toto cœtu immolabantur, ut Deo consecrarentur, & ut simul testarentur peccata sua esse imposita victimis. Exod. 29: 10, 15, 19. Lev. 1: 4. & 16: 21. 2. Chron. 29: 23. II. *Reis*, ad testandum omnem culpam & pœnam in eos rejici, cum ipsi peccaverint. Lev. 24: 14. III. *Ægrotis*, ut sanarentur. 2. Reg. 5: 11. quod & sub Novo Testam. obtinuit tempore Apostolorum. Matth. 8: 15. 9: 18. & Marc. 5: 23. & 6: 5. Act. 9: 12, 17. &c. IV. *Magistratibus*, quum publice inaugurentur. Num. 27: 18, 23. Deut. 34: 9. & Levit. Num. 8: 10. Hinc & in Novo Testam. ordinandis Ministris Ecclesiæ imponebantur manus. 1. Tim. 4: 14. & 5. 2. Tim. 1: 6. Act. 13: 3. & 6: 6. Hebr. 6: 2. Solebant autem manus olim imponi ab Apostolis in signum, quod conferrent dona Spiritus S. & majorem aptitudinem ad obeundum istud munus. Act. 8: 17, 18, 19. & 19: 6. 1. Tim. 4: 14. 2. Tim. 1: 6. ut χειροθεσία fuerit signum & symbolum collationis donorum Spiritus S. Cum autem hodie donum miraculorum cesset, & à nobis

*Unde.* *Quo fine Apostoli manus imposuerunt.* *Cur hodie imponantur.*

bis dona Spiritus S. nemini conferri possint: sequitur manus eodem fine non amplius esse imponendas Ministris Ecclesiæ. Imponuntur igitur tantum more recepto, tanquam signum confirmationis, & quod dona Spiritus S. ejusque auxilium à Dei super confirmando petatur, ut munus tam sanctum, tamque arduum rite obire queat. Unde sequitur impositionem manuum ad confirmationem non esse absolute necessariam, nec esse de essentia Ministerii.

*Non opus est Episcopo, nec ad vocationem, nec ad ordinationem.*

XXXII. Ex iis quæ dicta sunt patet, non opus esse, nec ad *vocationem* nec ad *Ordinationem*, aliquo *Episcopo*, aut alio aliquo *uncto*, qui sacrum ordinem propaget. (1. quia Christus ejusmodi Episcopos & unctos nusquam instituit. (2. Nihil aliud in Verbo Dei præscriptum est, nisi quod omnia *fieri debeant ordine in Ecclesia.* 1. Cor. 14. (3. Ordinatio fieri potest per alios quam per Episcopos, scil. per ordinarios Pastores Ecclesiæ, uti ostendimus. Qualis igitur ordo receptus est in qualibet Ecclesia ad propagandam veritatem, ad conservandam pacem Ecclesiæ, & per quem nulla infertur vis libertati Christianæ, ille servandus est. Quicunque secundum talem ordinem vocatus & consecratus est, ille proculdubio est legitimus Minister Jesu Christi.

*Vocatio extraordinaria quomodo hodie fieri possit.*

XXXIII. Si autem *Colonia*, aut *Societas* in *insula* aliqua apud Indos, & in medio hostium Ecclesiæ, nullum haberet Pastorem, poterit ista *Societas* inter se convenire, & aptissimum dignissimumque inter se eligere. Nec opus erit alia electione aut consecratione, in tali casu, quam ut à toto cœtu rebus sacris curandis admoveatur in nomine Dei. Quilibet enim privatus illud habet jus fratrem suum ædificandi, docendo & admonendo. Sed quale jus quilibet privatus habet erga privatum, tale potest habere erga totum cœtum & publice, si illud ei à toto cœtu conferatur. Sane hæc vocatio divina esset, non minus quam quælibet alia. Ejusmodi vocationem in India habuerunt *Ædesius* & *Frumentius.*

*Primi Reformatores habebant vocationem.*

*I. Ordinar.*

XXXIX. Hinc facile responderi potest, ad quæstionem Pontificiorum, *quam vocationem habuerint primi nostri Reformatores?* Potest enim responderi eos habuisse vacationem aliquo sensu *Ordinariam* & alio aliquo sensu *Extraordinariam. Ordinaria* dici potest. I. quod ab ipsa Ecclesia *Romana* vocati fuerint. Fuerunt autem vocati ad prædicationem veritatis Euangelii & ad extirpandos errores. (quod ipsi *Pontificii* negare non audent) Ergo ipsos errores Ecclesiæ Romanæ oppugnando, & Veritatem ex verbo Dei do-

cendo, fecerunt quod ex conscientia, & vi vocationis suæ facere debebant. Ergo & vi vocationis *Ordinariæ*. II. Multi vocati sunt in Ecclesia Romana, non quidem à Clericis, sed more in istis locis recepto, à piis Magistratibus, aut ab integro Populo, quemadmodum Tiguri *Zwinglius*, & alii alibi vocati sunt. Et hi vocati sunt ad *prædicandum Euangelium*, ad *administranda Sacramenta* secundum institutionem Jesu Christi, & ad *extirpandos errores*. Et hactenus eorum vocatio iterum erat *Ordinaria*. Cum igitur ita vocati fuerint *Lutherus*, *Zwinglius*, *Calvinus* aliique viri sancti; & cum verbum Dei pure prædicaverint, & errores oppugnaverint, ut contrarium fecisse ex Scriptura S. convinci non possint, sequitur, hoc sensu, eorum vocationem fuisse *ordinarium*. Immo vi vocationis *Ordinariæ* eos oppugnasse errores Ecclesiæ Romanæ, & veritatem prædicasse.

*II. Extraordinaria.*

XXXV. Tamen hæc eorum vocatio aliquo sensu etiam dici potest *extraordinaria*, si nempe respiciatur ad mirabile opus quod aggressi sunt, & quod perfecerunt, nempe *Reformationem* Ecclesiæ. Cum enim tempore ista fuerint turbida, omniaque superstitione, idololatria & spissisimis tenebris repleta, *extraordinaria* quædam medela adhibenda fuit, & quum non docerent, ut reliqui, ordinariam superstitionem, idololatriam cæterosque errores, qui tunc in Ecclesia Romana doceri solebant; sed ipsam *veritatem Euangelicam*, quod turbidis istis temporibus *extraordinarium opus* videbatur, eatenus, inquam, eorum Ministerium atque *vocatio* dici potest *Extraordinaria*. Non quidem *Extraordinaria* dicenda est, quasi *nova* quædam & *extraordinaria doctrina* fuisset ab iis prædicata, antea nunquam in Ecclesia Christi audita; sed tantum quod eandem doctrinam, veritatem & cultum Dei prædicarent, qui à Christo & Apostolis fuit institutus & prædicatus, sed jam a longo tempore depravatus per superstitiones, idololatriam & crassos errores, ut candelam sub modio latentem retraherent, & mensæ imponerent, ut toti domui luceret. Inepte igitur *Pontificii* à Primis *Reformatoribus* petunt *miracula*, ut *extraordinariam* vocationem suam probarent, quemadmodum *Moses*, *Christus* & *Apostoli* doctrinam suam confirmarunt per miracula: Cum non prædicaverint novam doctrinam, saltem quo ad cultum externum, quemadmodum Moses, Christus & Apostoli; sed eundem cultum, & quoad interna, & quoad externa, prædicarunt, quem prædicaverant & miraculis suis jam con-

*Non prædicarunt Novam doctrinam.*

*Reformatores non opus habebant Miraculis.*

confirmaverant Christus & Apostoli. Ut *novis miraculis* opus non fuerit.

XXXVI. *Sacrificuli* in Ecclesia *Romana* dici possunt legitime vocati, si respiciamus præcipuum vocationis suæ finem, quod vocati sint, ad prædicationem Euangelii, & administrationem Sacramentorum. Et hæc quidem ratio est, quare eorum baptismum ratum habeamus, nec baptizatos rebaptizemus. Tamen illegitima est eorum vocatio, eatenus quod vocentur ad *Sacerdotium*, quod sub Novo Test. nullum habet locum, & ad propagandam superstitionem, ad augendum Regnum Antichristi. Et hæc est ratio quare, si, deserto Papatu, ad nos accedant, iterum à nobis, secundum ritus in Ecclesiis nostris receptos, vocentur & ordinentur, antequam ad ministerium intra nos admittantur: ut nempe, abjuratis erroribus, superstitionibus, tyrannide Papæ, & ficto Sacerdotio, soli veritati prædicandæ, Sacramentis administrandis, iisque, quæ unice ædificationem Ecclesiæ Christi tangunt, in posterum incumbant.

*Vocatio Sacrificulorum in Ecclesia Rom. quo sensu legitima? Quo sensu illegitima.*

XXXVII. Ex his, quæ dicta sunt, manifestum est *Electionem* & *Vocationem* non differre, ut inepte docent *Pontificii*. Nam is, qui vocatus est, eo ipso, quod *vocatus* sit, etiam est *electus*.

*Vocatio & Electio non differunt.*

XXXVIII. Cum *Pastor* & *Grex* sint relata, ut nullus *pastor* concipi possit, qui non habeat Ecclesiam, aut *gregem* quem pascat, sequitur errare *Pontificios* aliosque qui creant *Pastores*, quamvis ipsis non dent *gregem*. Non enim *Pastoratus* est aliquis *honor* & *gradus* Academicus, quemadmodum hodie *doctoratus* eorum, qui apti & digni renunciantur ut doceant, quamvis hactenus neminem habeant quem doceant. Si tamen *Pastor* aliquis ad tempus *gregem deserere* coactus sit, non ideo amittit honorem, qui semel ei collatus fuit, nisi sua culpa se reddat indignum.

*Nullus Pastor sine grege.*

XXXIX. Cum *pastores* Ecclesiæ sint publici Ministri totius cœtus, sequitur eos honestis *stipendiis* alendos esse, a toto cœtu. Is enim, qui publico inservit, à publico alendus est. 1. Cor. 9: 7 &c. 1. Tim. 5: 17, 18. 2. Tim. 2: 4. 6. Matth. 10: 10. Ut *Anabaptistæ* aliique male contrarium doceant. Prorsus nihil facit, ad stabiliendum eorum errorem; quod *Paulus sine stipendio Ecclesiæ Corinthiacæ ministraverit.* 2. Cor. 11: 6, 7, 8, 9. Apostolus enim non judicat illud esse prohibitum; immo contrarium inculcat. 1. Cor. 9: 4. &c. Sed Ecclesiæ pauperi nolebat esse oneri, cum se aliunde sustentare posset.

*Pastores honestis stipendiis alendi.*

 XL.

*Reditus Sacrificulorum alendis doctoribus & Pastoribus impendi possunt.*

XL. Cavere tamen sibi debent Ecclesiastici, ne sub prætextu pietatis & Religionis integras Provincias inglutiant, ad dominatum magis quam ad Ministerium, ut in *Papatu* factum est. Pii Magistratus, fugato errore atque superstitione *Pontificiorum*, possunt eorum *redditus* convertere ad alendos doctores ac Pastores in Scholis & Ecclesiis. Cum enim ad pium usum destinati sint, ad pium usum etiam possunt converti. Ut inepte contrarium doceant *Braunistæ* & *Anabaptistæ*. Quamvis tamen liberum sit Magistratibus, ut redditus Ecclesiasticos impendant ad defendendam Patriam & Ecclesiam; modo sese ostendant veros Ecclesiæ nutricios, parum refert unde habeant stipendia, quæ solvuntur Pastoribus.

*Adhibendi Seniores.*

XLI. Cum *Regimen Ecclesiasticum externum* non sit *Monarchicum*, sed *Aristocraticum*, ad evitandam tyrannidem, Pastoribus Ecclesiæ adjungi debent alii ex fratribus, qui ministros adjuvent in exercenda disciplina Ecclesiastica. Hi autem vocantur *Presbyteri*, sive *Seniores*, & videntur distingui ab iis, qui in doctrina & sermone operantur. 1. Tim. 5: 17. quique *gubernatores* vocantur. 1. Cor. 12: 28. Quamquam *Presbyteri*, de quibus fit mentio in S. Scriptura, aliam habuerint auctoritatem, & forte etiam *res politicas* curaverint, uti supra, ubi de *Presbyteris* dictum est, ostendimus, nonnunquam etiam *Pastores* & *Episcopi* ipsi simul fuerint; nihilominus tamen *Seniorum* ordo, prout hodie in Ecclesia *Reformata* receptus est, perquam est utilis & necessarius. Utrum autem hi *Seniores* sint *perpetui* in Ecclesia, an vero *annui*, qui singulis annis mutantur, prout in quibusdam Ecclesiis reformatis fieri solet, illud libertati cujuslibet Ecclesiæ relinquendum est.

*Presbyteri sub Vet. T etiam res politicas curarunt.*

*Seniorum ordo hodiernus non rejiciendus.*

*Diaconi.*

XLII. Præter *Presbyteros* requiruntur & *Diaconi*, qui maxime curam habeant ægrotorum, senum, peregrinantium, orphanorum aliorumque pauperum, si hoc à Pastoribus & Senioribus præstari non possit. Vide Act. 6. Immo & *Diaconissæ*, id est *Ministræ fœminæ* ad hunc usum adhiberi possunt, & sæpe, propter sexum, adhiberi debent. 1. Tim 5: 9, 10. Rom. 16: 1. Non male igitur ex *Pastoribus* & *Senioribus*, immo & ex *Diaconis*, si ita Ecclesiæ visum fuerit, sit quasi *Senatus Ecclesiasticus*, ad observandum decus & ordinem in Ecclesia. Hujusmodi *Senatus*, unius alicujus Ecclesiæ particularis, dicitur *Presbyterium*, sive *Synedrium*, sive illud constet ex *pluribus Pastoribus* & *Senioribus*, sive ex *uno Pastore & pluribus Senioribus* atque *Diaconis*.

*Diaconissæ.*

*Presbyterium.*

---

CAPUT

# CAPUT XXVII.

## *De Classibus & Synodis, sive Conciliis.*

I. CUm *unica* tantum sit Ecclesia, sequitur omnes Ecclesias particulares *unicum* tantum constituere *corpus*: quare si fieri posset, omnes in *unum* tantum *cœtum* congregari deberent. Sed quandoquidem locorum *distantia*, & *ratio politica* diversorum Principum id non permittit, illæ saltem convenire possunt, ubi nullum est obstaculum. *Conventus* autem isti Ecclesiastici ex pluribus Ecclesiis dicuntur vel *Classes*, vel *Synodi*, aut *Concilia*. *Omnes Ecclesiæ unum sunt corpus.*

II. *Classis* continet certum numerum Ecclesiarum particularium sub certa aliqua ditione, quæ in unum conveniunt, ut se mutuis Consiliis adjuvarent, in rebus Ecclesiasticis. *Synodus* est conventus plurium Classium, ad componendas res graviores, & quæ tangunt omnes Ecclesias ejusdem Synodi. *Classis quid? Synodus quid?*

III. *Synodus* dicitur vel *Provincialis*, vel *Nationalis*, vel *OEcumenica*: *Provincialis* componitur ex omnibus Ecclesiis, sive Classibus ejusdem Provinciæ. *Nationalis* constat ex omnibus Ecclesiis sive Synodis ejusdem Nationis, quæ plures continet Provincias, veluti Synodus Germanica, Gallica, Hispanica, Anglica, Belgica &c. *OEcumenica* est Conventus omnium Ecclesiarum, per totum terrarum orbem, sive omnium Synodorum Nationalium, quare & *generalis* dicitur. *Provincialis. Nationalis. OEcumenica*

IV. *OEcumenica* Synodus hactenus nunquam visa est, nec facile conspicietur, rebus sic stantibus, sub Principibus tam diversæ Religionis, & tam procul à se dissitis, qui nunquam permittent, ut Orthodoxi in eodem loco conveniant; ut quamvis sit *unio* & *communio interna* omnium Ecclesiarum, tamen non facile speranda sit ejusmodi unio *externa*. *Nunquam visa est OEcumenica.*

V. Christus nullas *Synodos* aut *Concilia* instituit, sed omnes Ecclesias sui juris reliquit. *Classes* igitur *Synodi* & *Concilia* non sunt juris *divini*, sed *humani* tantum, ex communi consensu & fœderatione Ecclesiarum, annuentibus & permittentibus Magistratibus. Nullo enim alio fundamento nituntur, quam generali isto præcepto, 1. Cor. 14: 4. *Omnia ordine fiant in Ecclesia:* ut si necessitas postulet, *Christus nullas Synodos instituit.*

& Ec-

*Ideo sunt juris humani. Earum fundamentum.* & Ecclesia maxime ædificetur per ejusmodi societates, scilicet *Classes* & *Synodos*, eæ tunc introducendæ sint. Si alia ratione & ordine Ecclesia regi potest, ut fit in quibusdam locis, tunc iste ordo observandus est, modo nulla vis inferatur libertati Christianæ. Quare ineptissime in hujusmodi societates debacchantur *Independentes*, eas traducendo tanquam *tyrannicas* & characterem referentes Antichristi.

*Argumenta pro Conciliis.* VI. Pro *Conciliis* tamen militat ipsa conditio Christiana. (1. quia singulus habet illud jus in fratrem suum, ut eum de veritate & pietate ex Sacra Scriptura edoceat, & officii sui moneat, si eum forte errantem animadvertat. Sed non minus integer cœtus edocendus & admonendus est, si erret, quam quilibet privatus, eo magis, cum agatur de salute plurium animarum. Sed cum privatus nullum habeat jus in publicum, sequitur id fieri debere ab integro aliquo cœtu, aut saltem ab iis, quibus ex *fœderata disciplina* auctoritas publica & totius cœtus concessa est, quales sunt *Classes* & *Synodi*. Ergo (2. hac ratione fratres errantes facilius convincuntur erroris, & in veritate edocentur, ad supprimendos errores & hæreses. (3. Regnum Christi efficacius propagatur Consilio & opere integri Concilii, aut Classis. (4. Melius conservatur *fraternitas*, & *pax* in Ecclesia atque in Republica.

*Argumenta Contraria.* VII. Nihil faciunt ad evertenda *Classes* & *Concilia*, quæ ab *independentibus* solent adferri. 1. *Ecclesia sub Novo Test. est Regnum cælorum, & soli Deo subjecta, nullis Patribus carnis, nullis judicibus, Legislatoribus, Pædagogis, Dominis, Diis dictis; nec servitus & jugum Veteris Test. introducendum est*: cum *Classes*, *Synodi* & *Concilia* non sint *Patres Carnis*, qui castigarent secundum *beneplacitum suum*. Hebr. 12. Nulli sunt *Judices*, *Legislatores*, *Pædagogi*, *Principes* & *Dii dicti*, qui ex auctoritate judicent, leges præscribant, & cogendi puniendique potestatem habeant: sed qui dent consilia, Conscientiam ex Verbo Dei edoceant atque convincant. Quare Ecclesia semper soli Deo, tanquam supremo Judici & Legislatori, in verbo suo loquenti, subjecta manet. II. Fatemur quoque *parem in parem non habere imperium, nec ullam dari subordinationem, ubi omnes Ecclesiæ sunt pares.* At per Synodos non fit *subjectio* nec *subordinatio*, sed tantum *coordinatio* & *unio* Ecclesiarum, ut ex pluribus quasi *unicum* tantum fiat *corpus*, ubi quælibet Ecclesia particularis liberum & ejusdem ponderis habet votum. Ubi autem est idem jus, ibi nulla est subjectio.

VIII.

VIII. Primus *conventus Ecclesiasticus* inter Christianos fuit *Hierosolymis*, de quo Act. 15. qui tamen non tam *Concilium* fuit, quam *Colloquium*; cum non omnes Ecclesiæ, sed Hierosolymitana tantum, cum quibusdam doctoribus Ecclesiæ Antiochenæ congregati fuerint.

*Primus Conventus Ecclesiasticus Hieros.*

IX. Ante tempora *Constantini Magni*, cum Ecclesia adhuc esset sub imperatoribus Gentilibus, non nisi *Provincialia*, aut vix Provincialia Concilia habebantur; ex paucis enim Ecclesiis constabant. Pace autem Ecclesiis data, per *Constantinum Magnum*, etiam *OEcumenica*, sive *Generalia* haberi inceperunt, ex omnibus Ecclesiis sub imperio Romano.

*Ante Const. M. erant Concilia Provincial. Postea OEcumenica.*

X. *Convocabantur* Concilia, sub Imperatoribus Christianis, ab ipsis *Imperatoribus*, qui & *Moderatores* Conciliorum fuerunt, per *præfectos* suos. Postea *Papa* sibi omnem auctoritatem circa Concilia arrogavit. Ut ipse quoque *Bellarminus* fateatur *Imperatorem*, aut ejus Legatum *præsedisse*; quod inepte conatur incrustare, dicendo *Papam noluisse præsidere, ob Imperatorem, cui nolebat cedere.* Insulsa sunt quæ *Bellarminus* adfert, ut probaret Papam solum habere jus *convocandi* Concilia, & in iis *præsidendi*. Veluti. I. *Christus in cœlum ascendens non commisit regimen Ecclesiasticum Tiberio, sed Petro.* Nam 1. nec *Petro*, nec ulli *Apostolorum* commisit, sed *omnibus* Apostolis & Pastoribus; tunc nullus fuit *Papa* Romæ. 2. *Tiberius* habuisset potestatem convocandi Concilium, si voluisset, non minus quam *Cyrus*, quum procurasset reditum & conventum Judæorum. Esdræ 1. II. Falsum est *Papam esse Pastorem Imperatorum & Regum, adeoque eos tanquam oves debere regere.* Nam. 1. etsi *Pastores* aliquo sensu pascant ipsos *Imperatores*, tamen ejusmodi potestas non est date *Papa*, supra reliquos Pastores. 2. Etiam *Imperator* est *Pastor* subditorum, habet curam animarum, habetque potestatem congregandi omnes Pastores in Concilium, ut de bono Ecclesiæ deliberent. III. Falsum etiam est, *Petrum præsedisse in Concilio Hierosolymitano.* Act. 15: 1. Cum credibilius sit Jacobum præsedisse, quia *Jacobus* egregiam habuit orationem, non minus quam *Petrus*, & sententiam pronunciavit. 2. Si vel maxime tunc præsedisset, non sequitur id ab eo *semper* factum fuisse. 3. Istud Concilium non fuit *œcumenicum*, uti supra ostendimus. Quod porro *Pontificii* nugentur de *Antiquis Canonibus* & *Constitutionibus*, ut & de *exemplis* quibusdam, ea nullius sunt momenti: cum omnia ista nitantur *auctoritate humana*, non autem *divina*. Consiliorum igitur

*Convocabantur ab ipsis Imperatoribus. Postea à Papa.*

*Argumenta Pontificiorum.*

*Præsides* elegi debent, vel à supremo *Principe*, vel ab ipsis Concilii membris, ut *Papa* majorem auctoritatem de jure non habeat, quam reliqui omnes in Synodum congregati.

*Concilium componi debet à Pastoribus & Presbyteris.*

XI. Debet etiam *Concilium* componi ab iis quibus ministerium Ecclesiæ præcipue mandatum est: quales sunt *Pastores* & *Presbyteri, Laici*, uti vulgo vocantur, quamvis in verbo & doctrina non operantur. (1. quia sub Novo Test. omnes fideles *sedent ut fratres una*. Ps. 133. Nulli autem sunt, qui sedent in *Cathedra Mosis*, ut sub Test. Veteri. Matth. 23. (2. Omnes *Pastores* sunt *Episcopi*. (3. Par in parem non habet imperium, adeoque nulla societate excludi potest. (4. *Episcopi*, quales sunt in Ecclesia *Romana*, nulli sunt nisi de jure *humano*. Pessime igitur docent *Pontificii*, solos *Prælatos*, *Archiepiscopos*, *Episcopos*, & ex speciali concessione, etiam *Cardinales*, *Abates*, & *Ordinum Generales* posse esse membra Synodorum, non autem reliquos pastores. Nihil facit ad rem, quando dicunt: *quemlibet ex plebe non habere votum in rebus politicis, multo minus debere votum habere in rebus Ecclesiasticis.* Nam non ideo conceditur *cuilibet* ex plebe votum in rebus Ecclesiasticis; sed *præcipuis* tantum, qui apti habentur, ut etiam fieri solet in rebus Politicis. Præterquam quod maxime in rebus Religionis omnes simus *fratres* & *pares*, modo eandem habeamus aptitudinem, & à toto cœtu, vel ab iis, quibus ea potestas ex *fœderata disciplina* concessa est, ad agendas res Ecclesiæ, vocati simus.

*Error Pontificiorum circa membra Conciliorum.*

*Argumentum Pontificior.*

*Synodi auctoritas.*

XII. *Synodi* & *Concilia* nullam habent auctoritatem *prætoriam* & *absolutam*, tanquam *judices*, quibus credendum sit ob auctoritatem, sed tantum *ministerialem*, qui ex Scriptura S. doceant, quid sit credendum & agendum, tanquam *doctores*, non tanquam *Domini* & *Legislatores*. Ideo eorum judicia non obligant conscientiam, nisi quatenus ex verbo Dei probantur, & conscientiam convincunt; quamvis quoad ordinem externum, ad conservandam pacem ligent, quamdiu nihil jubent quod fidei & libertati Christianæ est contrarium. *Spiritus Prophetarum prophetis quidem subjiciuntur*, 1. Cor. 14: 32. Sed hic locus nullam dat potestatem Synodis, aut ulli cœtui Ecclesiastico, quasi tanquam supremi domini atque judices conscientiam ad amplectenda dogmata constringere possent, sola sua *auctoritate*. Immo potius fictam istam potestatem evertit. Apostolus enim vult; omnes fideles esse prophetas atque prophetare, Joel. 2. Act. 2. adeoque alterum debere alterum audire, quid habeat ad in-

*Exceptio.*

instructionem & consolationem Ecclesiæ. Si igitur *privatus* aliquid habeat, Ecclesia eum audire debet, non minus ac ipse tenetur audire Ecclesiam. Et si forte *privatus* totum *Concilium* convincere posset ex verbo Dei, sane tunc totum Concilium deberet subjici isti privato, propter convictionem *Conscientiæ*, propter quam & privatus concilio subjicitur. Nullum igitur habet concilium sive classis & synodus judicium *auctoritativum* & *prætorium* in rebus fidei, ut Conscientiæ ullum dogma obtrudere possit credendum, ex sola *auctoritate*, sed *Doctorem* tantum *agere potest* convincendo Conscientiam per valida argumenta, ex Scriptura Sacra desumpta.

*Concilia possunt errare.*

XIII. *Concilia* posse *falli* ac *errare*, immo sæpissime *errasse* gravissime, statuimus contra *Pontificios*. (1. Quia *Sacerdotes* Veteris Test. sæpe accusantur *ignorantiæ* & *erroris*. Es. 56. Jer. 6. & 14. Ezech. 22. Hos. 9. quod inepte *Bellarminus* intelligit de *quibusdam* tantum: cum de *omnibus* dictum sit; præterquam quod sufficiat, ut *major pars* erret. Nec tantum *Sacerdotes* errarunt *separatim*, quamvis & talis error sufficiat; nam qui *separatim* errant, iidem etiam errant, quando erunt in Concilium congregati: sed & *congregationes Sacerdotum* accusantur. Hos. 6: 9. 2. 6: 6. Jer. 26: 7, 8, 9. (2. Prædictum fuit falsos futuros doctores in Ecclesia. 1. Pet. 2. Act. 20. Verum est, hæc de *paucis* intelligi posse; sed potest etiam intelligi de *pluribus*, & de majori parte ex quibus componitur Concilium. (3. Tempore Christi *magnum Synedrium* miserrime corruptum fuit: *Cajaphas* enim cum suo Concilio impie contra Christum erravit. Act. 4. Et non tantum præsente Christo, sed etiam eo absente errarunt, contra quam ineptit *Bellarminus*. Vide Matth. 5. & 21. & 23. Idem testatur Stephanus. Act. 17. (4. Sub Novo Test. *integra Concilia*, ex aliquot centenis Episcopis composita, turpiter errarunt, veluti *Milanense* constans trecentis sexaginta tribus Episcopis. *Armeniense* sexcentorum Patrum. Secundum *Ephesinum*, & tot alia. I. Etsi *Spiritus S. præsederit in Concilio Hierosolymitano*, Act. 15. non sequitur tamen, eum præsidere in qualibet congregatione, quæ Ecclesiastica vocatur. II. Nec ideo sequitur, *totam Ecclesiam in hæresin delabi, atque extingui posse*. Nam etiamsi *omnes Episcopi* errarent, posset Deus sibi quosdam conservare in vera fide; uti tempore *Eliæ* factum est. 1. Reg. 19. III. Nec ideo dici debet, Concilia hæretica *congregari in nomine Christi, ut sit in medio eorum*. Matth. 18: 20. cum hæc promissio facta sit veris *fidelibus*, non

*Exceptio Bellarmini.*

*Respondetur ad argumenta Adversariorum.*

*hæreticis*. Adde quod *Concilia* Ecclesiæ *Romanæ* congregentur magis in nomine *Papæ*, quam *Christi*; cum cogantur jurare, se nihil decreturos contra decreta & placita *Papæ*. IV. Idem dici debet, de *Spiritu veritatis*, qui manet in *fidelibus*, non in *hæreticis* vide Joh. 16. eo magis cum ista promissio facta sit omnibus *fidelibus*, non solis *Episcopis*. V. Si jubeamur *sequi doctores*; hoc de *Veris* tantum, non de *falsis*, est intelligendum. Ideo *Spiritus probandi* sunt, *utrum sint ex Deo*. Joh. 5: 1. Joh. 4: 1. 1. Thess. 5: 21. Tandem VI. Si *Patres commendant Concilia, ac monent ab eis non esse recedendum*, hoc intelligi debet de *veris* Conciliis tantum, non de *falsis*.

## CAPUT XXVIII.

### *De Lege & Disciplina Ecclesiastica.*

*Leges ad cultum Dei necessarias Concilium præscribere non potest.*

I. CUm Ecclesia sub Novo Test. sit *libera* ab omni servitute, sub nulla Pœdagogia & jugo legis, sequitur ei non temere debere præscribi *leges*. Omnes enim *Leges*, quæ ad cultum Dei absolute sunt necessariæ, illæ à Christo in verbo suo præscriptæ sunt. Igitur ejusmodi *leges* nullus homo, sive *Episcopus*, sive *Synedrium*, sive *Concilium* præscribere potest. (1. quia *Christus* solus est noster *Dominus Rex* & *Legislator*. Es. 33: 22. Videantur ea quæ dicta sunt, de OEconomia sub Novo Test. & de capite Ecclesiæ. (2. quia *pretio redempti sumus, ergo servi hominum fieri non debemus*. 1. Cor. 7: 23. (3. Hoc modo essemus *sub potestate alterius*. 1. Cor. 6: 12. Et *serviremus rudimentis mundi*. Gal. 4: 9. alii haberent *dominium in gregem Christi*, contra monitum Petri 1. Petr. 5: 2. adeoque Deum *frustra* coleremus, cum *doceremus doctrinas, quæ sunt mandata hominum*. Matth. 15: 9. Vide Col. 2: 23.

*Nec in rebus indifferentibus.*

*In rebus dubiis potest dare Consilium.*

*Leges potest præscribere in iis quæ spectant εὐταξίαν.*

II. Ex iisdem rationibus patet, multo minus *leges* ab ullo præscribi posse, in rebus *indifferentibus*. Cum id, quod sua natura est *indifferens*, non possit fieri *necessarium*. In rebus *dubiis* consilium dari potest, sed nulla potest præscribi *Lex*, nisi *dubium* ex ipso verbo Dei solvatur. In rebus quæ εὐταξίαν, *ordinem* & cultum externum spectant, *Synedria* & *Synodi* ex generali regula Pauli. 1. Cor. 14: 40. *Omnia decenter & ordine fiant*, certas regulas præscribere possunt, veluti de ritu celebrandi S. Cœnam; utrum stando, an sedendo, mane an vesperi? quoties per annum? Utrum baptismus uno, an

trina

trina aspersione fieri debeat? utrum matrimonia solenni benedictione in Templo, an coram solis politicis celebrandum sit? Quibus formulis omnia peragenda sint? & id genus alia.

III. Sed & hæc omnia atque ejusmodi alia, non debent juberi tanquam *essentialia.* Evitandum enim semper est omne *Dominium*, & *servitus* liberati Christianæ contraria. Nihil tanquam *Domini* & *Legislatores* debent *jubere*; sed tanquam *fratres* possunt *hortari* & *monere*: cum omnes *sedeamus una coram.Domino, tanquam fratres.* Ps. 133: 1. & cum Christus solus sit *Rex* & *Legislator.* Es. 33: 22. & Deus *qui regnat in Zione, coram senioribus ejus.* Es. 24: 23.

*Tamen nihil agendum contra libertatem Christianam.*

IV. In rebus *dogmaticis* & *fidei* nullos omnino possunt condere canones, nisi eos clare & solide probent ex S. Scriptura. Ipsi igitur *Canones fidei* & judicia omnium conciliorum subjecta sunt Conscientiæ & judicio cujuslibet privati, qui ex Verbo Dei dejudicare debet & potest, utrum Concilium de hoc dogmate recte judicaverit ex Verbo Dei. Et quamvis *privatus suum judicium privatum non possit, nec debeat reddere publicum, nec aliis id possit obtrudere amplectendum;* tamen ipse in Conscientia sua stare debet proprio atque privato suo judicio, magis quam judicio publico totius Concilii. Immo privati judicium, si in Conscientia mea convictus essem, illud Verbo Dei esse conforme, potius amplecti debeo, quam judicium Synodi, si illud falsum deprehendero. Ineptiunt igitur *Pontificii* & quicunque eorum premunt vestigia, qui *Papam* Monarcham, ac *Episcopos Principes Ecclesiæ* superbe vocant, aut conventibus Ecclesiasticis attribuunt *judicium infallibile* & *auctoritativum*, à quo nulla ratione recedendum sit; sed cui stari debeat etiam ex Conscientia.

*In rebus dogmaticis nihil possunt præscribere.*

*Exceptio.*

V. Multo minus competit Conventibus Ecclesiasticis *potestas coërcendi*, ut olim sub Veteri Test. ubi erant *pædagogi* & *Patres Carnis* qui *castigabant secundum beneplacitum suum.* Hebr. 12: 9. & 10: 28. Cum hodie nullam, proprie loquendo, habeant potestatem, imperium, aut jurisdictionem, nisi *ad docendum ex Verbo Dei*, ad *distribuenda Sacramenta*, & ad *arcendos a rebus sacris* eos qui contra fidem & bonos mores agunt. 1. Si Vero *Sacerdotes & seniores sub Veteri Test. habebant auctoritatem condendi lege, & coërcendi potestatem.* Deut. 17: 12. Non poterant tamen jubere contra legem Dei, vide Com. XI. Deinde sub Veteri Testamento talem potestatem habebant, quum tunc *sederent in Cathedra Mosis.* Matth. 23. qualis Cathedra

*Concilia non habent potestatem coërcendi.*

*Respondetur ad Argum. contraria.*

thedra ſub Novo Teſtam. non datur. Ergo nulla poteſtas condendi *leges*; ſed Chriſtus omnes iſtas *poteſtates exuit* & à ſe depoſuit. Col. 2: 15. ut ſolus ſit *Rex* & *Dominus*. Eſ. 33: 22. II. *Apoſtolis* quidem dicitur: *mitto vos, ut ego miſſus ſum.* Joh. 20: 21. ſed illud non eſt intelligendum de omnibus Miniſtris Eccleſiæ. Deinde mittuntur ad *prædicationem* Euangelii, ut *Miniſtri*, non ad *condendas leges* ut *Domini* & *Legislatores.* III. Quamvis *Apoſtoli dediſſent legem de ſanguine & ſuffocato, & de fornicatione.* Act. 15. Hoc factum eſt ab *Apoſtolis*, qui Spiritu S. acti fuerunt, quare & Spiritus S. allegatur; *viſum eſt nobis & Spiritui Sancto.* Eandem auctoritatem *Miniſtri* hodie non habent. Sed & iſta lex de *ſanguine* & *ſuffocato*, lata eſt ad tempus tantum, & propter certas quasdam rationes. Nec *onus* impoſuerunt Apoſtoli, ut nonnulli falſo loquuntur: contrarium enim patet ex eodem Capite. IV. *Apoſtolis* quidem *tradita ſunt claves Regni cœlorum & poteſtas ligandi & ſolvendi.* Matth. 16: 19. & 18. ſed 1. eadem poteſtas non eſt tradita eodem ſenſu omnibus *Miniſtris*, quæ olim data fuit *Sacerdotibus* & *Prophetis* ſub Veteri Teſt. & *Apoſtolis* ſub Teſt. Novo. 2. Iſta poteſtas non ſignificat auctoritatem novas leges condendi, dominium atque jurisdictionem exercendi, & jugum imponendi; ſed verbum annunciandi, Sacramenta adminiſtrandi, & ordinem in Eccleſia fraterne ſervandi.

*Diſciplina Eccleſiaſtica. Claves Regni Cœlorum quid?*

VI. Egimus de *Legibus Eccleſiaſticis*, nunc dicendum erit de *Diſciplina Eccleſiaſtica.* Cum enim Eccleſia ſit *Civitas* quædam Eccleſiaſtica, ſequitur in ea, ut in omni Civitate, diſciplinam eſſe obſervandam. Solet autem *Diſciplina Eccleſiaſtica* exprimi per *claves Regni cœlorum.* Matth. 16. Vel 1. ab *œconomia* alicujus familiæ; erant enim *claves* ſignum alicujus auctoritatis in familia aliqua. Ita Deus dicitur ponere claves Domus Davidis ſuper humeros Elia Kimi filii Hilkiæ. Eſ. 22: 22. Vel 11. à *Doctoribus*, qui clavium traditione creari ſolebant, quod crederentur habere clavem cognitionis, de qua Luc. 11: 52: hanc *clavem* ſub Vet. Teſtam. maxime habebant Sacerdotes cum per *Urim & Thummim occulta* aperirent; & quum judicarent de *lepra*, de *mundo* & *immundo* & ejuſmodi rebus abſtruſis, de quibus præter eos nemo judicare poterat.

VII. Male diſtinguuntur à *Pontificiis* in claves *ordinis* & *juriſdictionis*, quaſi *Presbyteris* competerent priores tantum, *Epiſcopis* autem poſteriores. Cum tamen inter *Presbyterum* & *Epiſcopum* Scriptura

Scriptura non distinguat, ut supra probatum est; nec ulla jurisdictio competat Ministris Ecclesiæ, quia non sunt *Domini*, sed *fratres* tantum. Ps. 133. & *Ministri.* Matth. 20: 26. 1. Petr. 5: 2. Missam quoque facimus distinctionem inter Clavem *Ministerii*, *ordinis* & *correptionis.* Ut ut sit, *Clavis* videtur significare imprimis auctoritatem prædicandi Euangelium; Deinde exercendi disciplinam Ecclesiasticam.

*Distinctio inter claves Ordinis & Jurisdictionis nulla.*

VIII. Quilibet *privatus*, uti supra dictum est, habet libertatem proximum suum docendi, eumque monendi, redarguendi, si forte peccet, adeoque annunciandi nomine Christi, Cœlum ei esse clausum, quamdiu in incredulitate & impœnitentia perstat, apertum autem esse, peccataque remissa, si vere credat & serio resipiscat. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur ei, quorum retinueritis retinentur.* Matth. 18: 18. Joh. 20: 23. quibus verbis Christus *claves* Regni Cœlorum committit, non tantum *ministris publicis*, sed & cuilibet *privato.* Tamen cum hoc officium publice exerceri maxime debeat, certis quibusdam personis publicis concessum est, ex *fœderata disciplina*, ut ab iis modo peculiari & publice exerceatur.

*Quilibet privatus habet claves Regni Cœlorum.*

*Maxime Pastores Ecclesiæ.*

IX. Ejusmodi *Disciplinam Ecclesiasticam* dari, probatur. (1. Ex ipsa natura, quæ postulat *ordinem* in Ecclesia, non minus quam in qualibet alia societate, teste Paulo. 1. Cor. 14: 40. (2. Ex mutua fœderatione & fraternitate, quæ in incredulitatem & impietatem ferre non potest. Sunt enim fideles omnes *fratres*, qui sedent una coram Domino. Ps. 133. Sed fratres esse non possunt, qui per eandem fidem, & per eundem Spiritum non sunt regeniti. Ergo increduli & impii arcendi sunt, tanquam ad familiam Christi non recepti. Debent ergo veri fratres recipi, foveri & ædificari; falsi autem arceri & rejici ex civitate Christi. Hoc autem fieri non potest, nisi à toto cœtu, aut ab iis quibus à toto cœtu *fœderata disciplina* concessa est potestas illud faciendi. (3. Christus ipse nos remittit ad Ecclesiam; *dic Ecclesiæ.* Matth. 18. quod non minus intelligi debet de Ecclesia *Christiana*, quam de *Judaica.* Vide Rom. 16: 17. 1. Cor. 5: 11. & 13. 2. Thessal. 3: 14, 16. Tit. 3: 10. Gal. 5: 10, 12.

*Disciplina Ecclesiastica probatur.*

X. *Censuræ* varii fuerunt *gradus* apud Judæos. נדוי *Niddui*, חרם *Cherem* & שמתא *Schammata.* נדוי Est species excommunicationis, qua aliquis ab omni Communione Ecclesiastica & politica

*Censuræ varii gradus. נדוי.*

litica arcebatur tempore triginta dierum, aut, si non resipuisset, ad sexaginta dies, aut ad nonaginta; si nondum resipuisset, excommunicabatur per *Cherem*. חרם *Cherem* est gravior excommunicatio, qua puniebatur impoenitens, post nonaginta dies impoenitentiæ; cum quo nullum habendum erat commercium, ut cum eo nec ederent, nec biberent, nec sapientiam discerent: quemque execrationibus onerabant. שמתא *Shammatha* est ultimum & gravissimum genus Excommunicationis, per quam peccator, ob grave peccatum, si impenitens remanserit, pœna divina dignus censetur, ejusque vindictæ ac judicio relinquitur, cum diris execrationibus. Sunt qui putent idem esse ac *Maranatha*, *Dominus venit*, 1. Cor. 16: 22.

*חרם*

*שמתא.*

*Excommunicatio varie exprimitur. Unde differt Excommunicatio Ecclesiastica à politica.*

XI. Solent autem *excommunicationes* exprimi, per ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, ἐκβάλλειν. Joh. 9: 22, 33. ἀφορίζειν. Luc. 6: 22. ἀναθεματίζειν. 1. Cor. 16: 22. Hinc Proculdubio *excommunicatio* pervenit ad Christianos, quæ hodie in Ecclesia exercetur, quamvis tamen *Judæorum* excommunicatio differat à *Christianorum*: cum illa fuerit *politica*, non minus quam *Ecclesiastica*; hæc *Ecclesiastica* tantum. Et sane hodie Regimen & Censura *Ecclesiastica* multum differt à regimine, sive potestate *civili*. I. *Ecclesiastica* exercetur erga solos fideles; *politica* etiam erga *infideles*, qui sunt extra Ecclesiam. II. *Ecclesiastica* circa res *spirituales*; sed *politica*, circa res *terrenas*. III. Illa intendit Ecclesiæ ædificationem; hæc reipublicæ pacem & securitatem. IV. Illa arcet scandala quælibet, & peccata leviora; hæc graviora quæ à judice politico puniri solent. V. Illa pœnitenti peccatori ignoscit, deque ejus conversione lætatur; hæc etiam pœnitentem punit. VI. Illa se habet tanquam Ministra, *docendo, monendo, hortando ex verbo Dei*, nullam autem habet vim coërcendi; hæc agit ex auctoritate, ut domina habetque vim *coercendi* & *cogendi*.

*Quo ordine in censura procedendum sit.*

X. Cum *omnia debeant fieri Ordine in Ecclesia*. 1. Cor. 14: 40. hoc modo in censura & correptione fraterna procedendum est. I. Is qui in nos peccavit corripi & officii admoneri debet, privatim corripiendus est. Si te non audiat, II. adsumendus est unus atque alter fratrum, ut coram eis corripiatur. Si nec hos audit, III. dicendum est Ecclesiæ, sive eis qui ab Ecclesia ad publicum ministerium vocati sunt. Si nec Ecclesiam audiat, IV. ab Ecclesia separandus, &, tanquam scabie infectus, habendus est pro *publicano* &

& *gentili*, id eſt pro eo qui vera fide caret, adeoque qui non eſt membrum Eccleſiæ & cum quo nullum commercium fraternum habendum eſt, monente Chriſto Mat. 18: 15. &c. *Sit tibi ut Ethnicus & publicanus.* & Paulo Tit. 3: 10, 11. *Rejice hæreticum, poſt primam & ſecundam admonitionem.* Vide Rom. 16: 17. 2. Cor. 2: 7. 1. Cor. 5: 11, 13. Joh. 16: 12. 2. Theſſ. 3: 14, 15. Pro ejuſmodi homine orandum eſt, ut Deus eum ad officia pietatis & charitatis adducat. Nec plane à ſocietate fratrum rejiciendus, ſed ad tempus ſeparandus eſt, non ut inimicus habendus, ſed ut frater monendus. 2. Theſſ. 3: 14, 15. Et hæc quidem dicitur *Excommunicatio minor*, alias *ſuſpenſio* à rebus ſacris. Si ad hæc omnia nondum convertatur, ſed obſtinate in peccato perſeveret, tunc V. tanquam membrum putre, quod totum corpus corrumperet, plane abſcindendus eſt. Et hæc vocatur *Excommunicatio major*, proprie ſic dicta, immo & *ἀνάθεμα*.

*Pro excommunicato orandum. E. Societate non excludendus.*

*Excommunicatio minor.*

*Major.*

XIII. Diris & *execrationibus* nemo excommunicari debet; nec *anathema* & *maranatha* ab hominibus ei dici debet; ſed tale judicium Deo relinquendum eſt. Novit enim ſolus Deus, qui ſint ſui. 2. Tim. 2: 19. Hinc & ipſe *Archangelus non auſus eſt Diabolo impingere notam maledicti.* Jud. Com. 9. Pro tali itaque ſemper orandum eſt; & ſi à peccato ſerio reſipiſcat, etiam poſt magna ſcelera, & poſt multos annos quibus impie vixit, tanquam Eccleſiæ membrum recipiendus eſt. Non enim noſtrum miniſterium tendit *ad deſtructionem*, *ſed ad ædificationem.* 2. Cor. 10: 8. & 13: 10. Multo minus excommunicatus, arcendus eſt ab auditu verbi, aut omne commercium, etiam in rebus humanis, & in vita civili, plane eſt interrumpendum, ut inepte volunt *Anabaptiſtæ*, quamvis ipſi præſcindatur commercium in rebus ſacris arctiorque familiaritas. De quibus Paulus. Rom. 16: 17. 1. Cor. 5: 1. 2. Theſſ. 3: 14. 2. Joh. 10. Nec per excommunicationem extinguuntur jura & officia, quæ natura ſemper poſtulat; non enim ei denegandum eſt alimentum & veſtimentum, eaque quibus ad vitam ſuſtentandam carere non poteſt. Nec *amor* inter parentes & liberos inter uxorem & maritum ſolvitur, ut impie docent *Pontificii* & *Anabaptiſtæ*; cum *maritus fidelis non debeat deſerere uxorem infidelem, nec uxor fidelis maritum infidelem, ſed debeat cum eo reconciliari.* 1. Cor. 7: 12, 13, 16. Vide Mat. 15: 4, 5. Et quamvis I. Paulus dicat: *Si ego aut Angelus è cœlo Euangelizet vobis præter id, quod vobis Euangelizamus, anathema ſit.*

*Anathema & maranatha nemini dicendum.*

*Si reſipiſcat ad Eccleſiam recipiendus.*

*Evitanda nimia ſeveritas.*

*Solvuntur argumenta.*

Gal. 1. 8. *Esto anathema, Maranatha.* 1. Cor. 16. 22. Non sequitur tamen *excommunicatum anathemate feriri posse aut debere.* Paulus enim non vult, ut Ecclesia peccatorum anathemate feriat, aut ei dicat *maranatha:* sed declarat tantum, quale judicium Deus in eum exerceat & quid mereatur peccator impœnitens. II. Quando Johannes dicit: *Est peccatum ad mortem, non dico ut pro tali ores.* 1. Joh. 5: 16. intelligit non esse orandum pro ullo reprobo. Sed cum nos lateat, qui reprobi sint, qui *peccatum ad mortem* committant, ideo pro omnibus hominibus orandum nobis est, quamvis in genere excipiamus reprobos, qui peccant ad mortem æternam.

*Excommunicatio obtinet in tota Ecclesia.*

XIV. Si quis legitime excommunicatus est, ista excommunicatio obtinet, non tantum in certo aliquo cœtu, sed in tota Ecclesia generali: est enim unicum tantum corpus, & unica Ecclesia, cujus omnes sumus membra, ut, quicunque ab uno cœtu est remotus, is quoque à reliquis omnibus arcendus sit. Vide Eph. 4: 4, 5, 6.

*Disciplina Ecclesiastica exercetur in quemlibet fratrum peccantium. Etiam in Principes.*

XV. Hæc *disciplina Ecclesiastica* non exercetur in quemlibet, sed in *fratrem peccantem*, qui est membrum Ecclesiæ. Si *frater tuus in te peccaverit.* Matt. 18: 15. &c. Si sit *Frater adulter, avarus, idolatra.* &c. 1. Cor. 4: 11. Hinc & ipse *Papa* disciplinæ subjectus est, si velit esse *Frater*, quod ipsius gnathones male negant. Ipsi quoque *Principes* & *Magistratus* officii monendi sunt, si per suam impietatem Ecclesiam ostenderint. Magna tamen circa hos utendum est prudentia & moderatione, immo cum aliqua veneratione agendum est, ac si filius cogeretur monere parentem.

*Nemo censura vexandus nisi ubi de facto constat.*

XVI. Nemo corripiendus, aut censura vexandus est, præsentim publice, nisi clarissime de facto constet, per probatos testes, aut per ipsam peccatoris confessionem. Non enim temere indulgendum est *conjecturis;* nec credendum *rumori*, aut vanæ alicujus hominis *garrulitati.* Nec quisquam corripiendus est *inauditus.* Ut impie ac ineptissime *Papa* anathemate ferire solet *animalia bruta*, homines *mortuos*, *absentes*, *inauditos*, *ignotos*, *integras nationes*, quo fit, ut innocentem Satanæ tradat, simul cum peccatore.

*Nec levi de causa.*

XVII. Nec levi de causa aliquis censura vexandus, multo minus excommunicandus est: sed propter manifestum peccatum, quod *meretur pœnam coram judice politico*, secundum Disciplinam Ecclesiasticam, ut habet Synodus Dordracena. Peccata autem illa re-

respiciunt. I. Vel *vitam.* II. vel *doctrinam.* Vide Catech. Heydelb. Domin. 31. Quæ vitam spectant, sunt *adulteria*, *scortationes*, *ebrietates*, & id genus alia, quæ in lege Dei prohibentur. Vide 1. Cor. 5: 11. Cum *adulteris*, *avaris*, *Idololatris* &c. ne *comedatis quidem cum tali.* Propter res *indifferentes*, & quæ expressa lege Dei non prohibentur, nemo excommunicari debet. Hoc enim esset tyrannidem exercere in Conscientiam, & jugum Veteris Test. imponere fidelibus, in statu libertatis.

*Non propter res indifferentes.*

XVIII. Si tamen aliquis ex fœderata disciplina se ultro subjecerit certis quibusdam observationibus, quæ maxime creduntur ædificare Ecclesiam illam cujus est membrum, & si eis subscripserit, is corripi potest, si forte contra eas peccaverit, ut ut res sua natura sit indifferens, & alibi censuram non mereatur. Ex. gr. si quis subscripserit formulis unionis in aliquo cœtu receptis, postea autem eas vellet negligere, & fratribus se fraterne monentibus obstinate resisteret, præsertim si neglectus istarum formularum Fratres offendat, nihilque faciat ad majorem profectum in cognitione rerum divinarum, & in sanctitate vitæ, is proculdubio censura esset dignissimus.

*Tamen si quis iis subscripserit, & postea neglexerit, censura dignus.*

XIX. Is qui in *doctrina* erraverit maxime corripiendus est. *Hortor vos fratres, ut caveatis ab eis qui faciunt partes, & scandala contra doctrinam, ut vos separetis ab eo.* Rom. 16: 17. Vide 1. Tim. 1: 20. Impie igitur negant *Sociniani*, hominem hæreticum esse excommunicandum; de quo etiam male dubitant *Remonstrantes.* Quamvis tamen concedamus non quemlibet censura vexandum aut condemnandum esse, propter quemlibet dissensum in doctrina; sed si recedat à Sententia cui ipse subscripserit, aut si doceat dogmata, quæ fidem manifesto evertunt. Alias si quæstio sit de aliqua sententia, quæ hactenus indecisa remansit, cui non subscripserit, forte de explicatione alicujus loci Script. S. aut in rebus quæ ex sana ratione, Philosophia, Historia, aut antiquitate decidi debent, nemini alterius opinio obtrudi debet. Si quis alteri velit obtrudere suam sententiam, is jugum Judaicum & tyrannidem Papalem in Ecclesiam Christianam introducit, *Patres Carnis* & *Papatum* postliminio revocat, & Antichristi mancipium agit.

*Hæreticus est excommunicandus*

*Non ob quamlibet sententiam excommunicatio exercenda.*

XX. Quilibet *Privatus* aliquo sensu Disciplinam exercere potest; sed *privatim* tantum, inter se & fratrem suum, cum corripiendo, increpando, & officii monendo. *Publice* vero Disciplina Ecclesia-

*Qui disciplinam exercere possint?*

ſtica exerceri non poteſt, niſi à *perſonis publicis*, qui ad id delegati ſunt, qualia ſunt *Presbyteria*, *Claſſes* & *Synodi*. Et ſane nemo à ſacris arceri, aut excommunicari poteſt, niſi à tota Eccleſia, aut ab iis, quibus iſta poteſtas ex *fœderata ſocietate* conceſſa eſt. Arcetur enim à communione totius Eccleſiæ; ergo à *tota Eccleſia*, non à *privato*, excommunicari debet.

## LOCUS XXIII.

*De Magiſtratibus eorumque Poteſtate Politica & jure circa res Sacras.*

## CAPUT XXIX.

*De Magiſtratibus eorumque poteſtate politica.*

I. CUm fideles in hac terra vivant vitam *politicam*, non minus quam *ſpiritualem*, ſequitur eos, ut reliquos homines omnes, debere in aliquam politiam coire; adeoque Rectoribus & Magiſtratibus Politicis ſubeſſe. De hiſce nunc agendum eſt.

*Societates non ex metu, ſed ex amore.*

II. Homines autem coeunt in Societates, non ex *metu*, ut nonnulli male docent, ſed ex *amore*. (1. fuiſſet enim Societas in ſtatu integritatis, ſi homines integri remanſiſſent, quamvis ibi nulla cauſa metus fuiſſet. (2. Societates fiunt ex civitatibus; Civitates ex familiis, familiæ ex conjugio: ut omnibus ſocietatibus originem dederit *Conjugium*; ſed conjugium eſt ex *amore*.

*Primus Rex Adamus, Noachus.*

III. Primus omnium Regum, qui & *Monarcha* totius terræ dici poteſt, fuit *Adamus*; Alter fuit *Noachus*. Fere uſque ad tempora Moſis, imperium cum Eccleſiaſticum, tum Politicum, fuit apud Patres familiarum, uti oſtendimus, ubi egimus de OEconomia ſub Promiſſione.

*Nimrod.*

Primus Rex poſt diluvium memoratur *Nimrod*, qui fuit *potens venator*. Gen. 10: 8, 9. Hinc fortaſſis Germanis *Rex* vocatur **Konig** à Græco κυνηγὸς quod venatorem notat: Dum enim animalia fera venabantur, adeo aſſueverunt trucidandis & ſpoliandis feris, ut paulatim aſſueverint trucidandis & ſpoliandis hominibus.

*Konig unde.*

*A venatoribus.*

Sed & omnes Principes, ad hunc uſque diem, venationi maxime ſunt dediti, ut ſint maximi *venatores*. Sunt tamen qui malunt vo-

vocem *Koning* derivari à *Kuhn*, *Prudens*, *sapiens*, scilicet quod *Rex* singulari debeat esse præditus prudentia, ad regendos populos: quemadmodum & Hebraice מלך *Rex* dicitur a מלך *Consilium init*, præsertim in niphal; hinc *Consul*, à dando *consilio*.

*A Prudentia.* מלך.

IV. Cum Deus creaverit totum genus humanum *ex uno sanguine* Act. 17:26. *suumque genus*, Act. 17:28. & *ad imaginem suam*. Gen. 1:26. sequitur *majestatem* supremamque potestatem esse apud totum populum, nec ullum *naturaliter* habere jus & imperium in alium. Nihilominus tamen propter *peccatum* homines exciderunt prudentia requisita ut se regerent: quare pauci ad gubernacula Reip. apti sunt, sed plerumque opus habent, ut regantur ab aliis, quibus Deus majorem prudentiam ac robur, ad regendum necessarium concessit, & quibus ab ipso populo majestas totius Reipublicæ traditur, ut totius populi curam gererent.

*Majestas naturaliter est apud populum.*

*Ob peccatum ad aliquem devolvitur.*

V. *Magistratus* igitur *sunt personæ publicæ à toto populo delegatæ, ad gubernandam Rempublicam, ad conservandam tranquillitatem publicam, cum contra hostes externos, tum contra intestina scelera, per legem moralem & politicam, sive civilem.*

*Quid Magistratus.*

VI. *Magistratus* & *Principes*, qui à populo libero & suffragiis liberis eliguntur, illi omnimodo legitimi dicendi sunt. Si autem *Principes* à populo aliquo lacessiti sint, eundemque populum justo bello sibi subjecerint, non minus sibi acquisiverunt jus & majestatem istius populi victi, ac si populus libera voluntate se submisisset. Est enim ista amissio libertatis & majestatis, justa pœna violatæ pacis. Et hi quidem majestatem & jus possidere dicuntur *jure belli*. At vero *Principes*, qui *malis artibus*, largitionibus, corruptionibus, ambitione, fraude & injustis bellis, sola libidine dominandi, principatum optinent, majestatem & Principatum, non nisi injusto titulo, possident.

*Principes Legitimi.*

*Illegitimi.*

VII. Nihilominus cum hæc omnia non fiant, nisi Deo rectore, justoque illius judicio, ad puniendos populos; illi, qui subjecti sunt, fidemque suis Principibus jurarunt, omnem fidem atque obedientiam eis præstare debent: donec Deus ipse ultro dederit exitum, & pristinam majestatem populo restituerit. Inde fit, ut omnes *Magistratus*, quacunque via rerum potiantur, & quocunque titulo, *à Deo ordinati* dicantur. (1. Deus enim ex tenebris educit lucem. (2. Deus justo judicio populos punit ob peccatum, ideo sæpe permittit, ut incidant in servitutem. Hoc sensu (3. Deus dicit, *Per*

*Illegitimis tamen obediendum est.*

*me reges regnant, & dominatores decernunt justitiam.* &c. Prov. 8: 15, 16. *Ipse transfert Reges, & erigit Reges.* Dan. 2: 21. *Omnis anima potestatibus superioribus subjiciatur; Non enim est potestas nisi a Deo.* Rom. 13: 1. vide 1. Petr. 2: 13. Ipsis itaque *Tyrannis* etiam obediendum est, nec temere arma movenda sunt: sed ad *Deum* potius *lachrymis* & *precibus* confugiendum est, magis quam ad *arma* & ad *bella*.

*Etiam Tyrannis.*

*Quæ forma Reip. optima?*

*Democratia in natura fundata est.*

*Multa tamen patitur incommoda.*

VIII. Quæ forma regiminis in Republica sit optima, Utrum *Monarchica*, *Aristocratica*, an vero *Democratica* inter politicos disquiritur. I. *Democraticam* in ipsa natura esse fundatam certum est, patetque ex eo quod diximus de *majestate*, quam ostendimus residere apud *populum*: tamen propter corruptionem hominum, eam multa pati incommoda, adeoque eam optimam non esse, patet. (1. quia non totus populus, sed *pauci* apti sunt ad Reip. gubernacula. (2. *Democratia* in hoc statu peccati confusionem neutiquam evitare potest. (3. Hinc populus necessario præcipuam curam eorum, quæ sunt maximi ponderis, certis quibusdam, qui prudentiores habentur, demandare debet. Unde fit ut regimen sit *Aristocraticum*, magis quam *Democraticum*. II. *Monarchicam* formam non esse optimam, patet. (1. quod Deo minime placuerit; ut etiam populum suum serio monuerit, ut sibi à Regibus caveret: immo non nisi *in ira* sua ei primum Regem dederit. 1. Sam. 8. (2. Impossibile est, ut unus homo, etiamsi prudentissimus, integrum Regnum, quoad Politica, Civilia, Criminalia, Bellica, & in rebus Religionis, solus gubernare & regere possit. Omnia igitur gubernantur per plures Ministros, qui, quum aptissimi habeantur, & sint proceres Regni, videntur constituere formam Regiminis *Aristocratici*; ut ultro quasi delabantur ad *Aristocratiam*, si abesset nomen *Regis*, quo facile carere possent, modo inter se concordes essent. III. Ergo *Aristocratica* forma videtur optima; cum & *Democratia* & *Monarchia* regi non possit, nisi per *optimos*, atque *prudentiores*, adeoque utraque ultro ad *Aristocratiam* delabatur; præterquam quod *Aristocratia* ad libertatem, qua genus humanum nihil habet carius, maxime sit composita.

*Democratia & Monarchia ultro delabuntur ad Aristocratiam.*

*Ergo Aristocratia.*

*Libertas non est prodenda.*

IX. In libera Republica, ubi obtinet *Aristocratia*, Magistratus, quibus Reipublicæ cura commissa fuit, si jura populi, privilegia & libertatem uni tradant, ut ipsi per eum regnent, & majorem obtineant potestatem, honores & divitias, quæ pestis genus humanum pessum dare solet, vix differunt à Patriæ proditoribus,

qui

qui civium vitas, opes, jura, & libertatem quasi divendunt. Eo magis sunt detestandi, quod liberos homines cogant ad servitutem, quæ ipsa morte est deterior. Quicunque igitur ex Magistratibus jura & libertatem populi non tuentur, sed suis commodis eam postponunt, indignos isto honore se reddunt, & justam Dei vindictam in se concitant.

X. Potestatem & jura, quibus populus se non abdicavit, nec in alium transtulit, per contractum & jus jurandum, postliminio revocare potest, prima data occasione: cum nemini fiat injuria, si ab eo repetatur, quod ei nunquam concessum fuit.

*Papa inepte se dicit Dominum mundi.*

XI. Ex iis quæ dicta sunt patet, quam inepte *Papa* se dicat supremum Principem & dominum totius mundi, supra omnes Reges, omniumque Regnorum arbitrum ac dispensatorem. (1. quia, non *Monarchia*, sed *Aristocratia*, uti diximus, est optima forma regiminis. (2. Talis potestas *Papæ* nunquam concessa est: nec jure *divino*; nec jure *humano*. I. Non jure *humano*: nullam enim potest exhibere *concessionem*, *conventionem* & *contractum*. II. Non jure *divino*; cum ipse Christus, cujus se jactat *vicarium*, *Regnum mundanum non habuerit*. Luc. 22: 25. & *gregi Christi* nemo debeat *dominari*. 1. Pet. 5: 2. (3. *Omnis anima*, adeoque ipse *Papa*, cum suis gnathonibus, *subesse debet supremis potestatibus*. Rom. 13: 1. (4. Ipsi primi *Papæ* Romani olim Episcopatum ab Imperatoribus acceperunt. (5. Ipse *Papa* gloriatur, ut ut vane, se habere *Patrimonium Petri*, à *liberalitate* & *donatione Constantini Magni*. Ergo nec à *Christo*, nec ab ullo alio talem potestatem obtinuit justo titulo.

*Christianus bona Conscientia potest fungi munere Magistratuum.*

XII. Qui autem legitime ad honores Magistratuum pervenerunt, isto munere, inepte contradicentibus *Anabaptistis*, bona conscientia fungi possunt, ipsi etiam *Christiani*. (1. quia Magistratus ab ipso Deo instituti sunt, uti supra ostendimus. (2. Tanta est depravatio humana, ut nulla societas subsistere posset, nisi essent qui scelera punirent, & justitiam exercerent. (3. Ipsi etiam *Anabaptistæ* fatentur necessitatem magistratuum. Nulla autem dari potest ratio, quare isto munere non fungerentur potius *Christiani*, quam *infideles*. (4. Inter ipsos Christianos dantur *servi* æque ac *domini*, Ephes. 6. Col. 4. ut ipsi *Anabaptistæ* servos suos habeant. Cur ergo non darentur & *Principes* & *subditi*? (5. Pro *principibus* orandum est. 1. Tim. 2: 1. 1. *Judæos Deum sprevisse*, quam

Re-

*Regem elegissent.* 1. Sam. 8: 7. verum est; sed 1. illi fecerunt contra expressum mandatum Dei. 2. Etsi non elegissent Regem, habuissent tamen suos Magistratus, sed alia fuisset forma Regiminis. II. Si *Christus noluit fungi munere Magistratus.* Joh. 6: 15. & 18: 36. non est mirum, cum fuerit in statu *exinanitionis*, ut *servus.* Phil. 2: 9. Non autem *gloria*, ut *Dominus* & *Rex.* III. Nec mirum est quod *Christus prohibuerit ne discipuli sui Magistratum gererent. Reges gentium dominantur. Vos ita non facietis. Sed qui volet esse maximus, sit minimus, & is, qui ducit, ut* servus; Luc. 22: 25, 26. cum vocati fuerint, ut exercerent *ministerium* in Ecclesia, non autem *dominatum* in Republica, quemadmodum *Patres Carnis* sub Veteri Testamento. IV. Paulus 1. Cor. 7: 23. his verbis: *ne sitis servi hominum*, prohibet tantum jugum & servitutem in rebus Religionis, qualis obtinebat sub Veteri Test. per *Spiritum servitutis & timoris.* Rom. 8: 15. Deinde ipsi *Anabaptistæ* Magistratus dominos suos agnoscunt, seque iis submittunt. Tandem ipsi *Anabaptistæ* sæpe serviunt dominis privatis, adeoque sunt *servi hominum.* V. *Magistratus, sive sint Reges, sive Duces,* dicuntur quiden *humana creatura.* 1. Petr. 2: 13, 14. quia inter homines & ab hominibus ordinantur, quamvis non nisi Deo sic dirigente per divinam suam Providentiam. ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ. Ut ibidem Petrus loquitur. vers. 15. Sed & Paulus eos *a Deo ordinatos* dicit. Rom. 13. 1.

*Solvuntur Argumenta adversariorum.*

*Munera Magistratuum.*

XIII. *Munera* Magistratuum præcipua sunt sex. I. Ut jus dicant & justitiam administrent populo. II. Ut reos pro gravitate delicti puniant. III. Ut urgente necessitate bella gerant. IV. Ut tributa imponant. V. Ut fœdera pangant ad tutelam Reipublicæ. VI. Ut subditis jastas præscribant leges.

*I. Administrant justitiam.*

XIV. A Magistratibus, tanquam Judicibus 1. Administrandam esse justitiam patet. Deut. 16: 18. & 17. & 19. 2. Chron. 19: 6 Matth. 5: 25, 26. Inepte hoc negant *Anabaptistæ.* Nec errorem suum probabunt. I. Ex Verbis Christi. Matth. 5: 40. *Ei, qui volet tecum contendere ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium:* Christus enim ibi prohibet tantum vindictam privatam, non judicium publicum. II. Si *Paulus vituperat eos, qui ad judices recurrunt;* 1. Cor. 6. Non prohibet judicia publica, ad dirimendas lites, sed vituperat eos, qui levi de causa recurrebant ad tribunalia *gentilium*, uti istis temporibus sæpe fieri solebat; cum tamen ipsi *fideles* lites inter se facile componere potuissent, ad evitanda scandala. III. Si

*Chri-*

*Christus commendet perfectam charitatem sub Novo Test.* Matth. 5. eadem *charitas* etiam mandata fuit sub Test. Veteri; adeoque judiciis publicis non adversatur.

XV. Secundum munus *est Reos plectere*, immo & morte punire, pro gravitate delicti. (1. *qui sanguinem effuderit, ejus sanguis effundetur.* Gen. 9: 6. Vide Exodi 21: 12. *Qui gladium accepit, gladio peribit.* Matth. 26: 52. Vide Rom 13: 4. 1. Pet. 2: 13, 14, 15. (2. Ipsa natura postulat, ut sit proportio inter culpam & pœnam. Ubi igitur culpa est capitalis, ibi & pœna talis esse debet. Ergo qui vitam proximi auffert, dignus est ut vitam amittat. Si leviorem culpam commiserit, leviorem pœnam luet. Non obstat 1. Locus Matth. 5: 39, 40. *Ne obsistite improbo.* Prohibetur enim *vindicta privata*, non *publica*. Deinde Christus ipse concedit pœnam. Vide vers. 22. II. *Remittere* quidem *debemus peccata.* Matth: 6: 12. Id est, non sunt exercenda privata odia. Etiamsi aliquis nos læserit, & in judicio nos prosequatur, & quamvis coram judice litigemus, tamen semper à nobis amandus est.

*II. Reos plectunt.*

XVI. Tertium munus est, *bella exercere*, urgente necessitate, ad defendendam Patriam, Ecclesiam, bona, honorem, vitam, uxores & liberos: quod sine causa negant *Manichæi*, *Weigeliani*, *Sociniani*, *Anabaptistæ*, alii. (1. quia lex naturæ mandat, ut quilibet vitam suam defendat; ubi autem id sine bello fieri non potest, bello agendum erit. (2. Ipse Deus *bellator* & *Jehova exercituum* vocatur. 1. Sam. 25: 28. Es. 7. Ps. 59: 6. & alibi infinitis. (3. Christus *milites* non reprobat, modo sibi caveant à concussionibus, & stipendio suo contenti sint. Luc. 3: 14. Matth. 8: 5. Act. 10: 12, 35. I. Si autem *duces Israelitarum, post bellum Madianiticum, sacrificia obtulerunt ad expianda peccata sua*, Num. 31. id non fecerunt ideo quod *bellum gessissent*, sed quod in bello gerendo *peccassent*, prout fieri solet. II. *Deus noluit ut David sibi templum ædificaret, quod bella gessisset.* Reg. 5: 3. non tantum quod bella gessisset, sed quod *modum* sæpe *excessisset.* Deinde ipse Salomon debuit ædificare templum, quod fuerit elegans pictura Christi, veræ pacis Regis. III. *Pax quæ promissa fuit sub Novo Test*, Es. 65. com. ult. est pax 1. Conscientiæ, 2. inter Judæos & Gentiles. Ephes. 2: 13, 14, 15.

*III. Bella exercent.*

*Argum. Advers.*

XVII. *Quarto*, imponere possunt justa atque æqua *tributa*, nempe urgenta necessitate. *Danda* enim *sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Matth. 22: 21. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum;*

*IV. Imponunt tributa.*

*cui Vectigal, Vectigal.* Rom. 13: 6, 7. *Tributa* autem non debent esse immodica, ultra id, quod postulat necessitas Reip. Non ad luxum Procerum: quod non esset tributa exigere, sed sanguinem populi exsugere. Nec sub prætextu tributorum, Viduæ & Orphani spoliandi sunt à Magistratibus, quasi Respublica ipsis prædæ tantum data fuisset. Curandum quoque est, ut tributa æque exigantur, ut quilibet det pro ratione facultatum suarum, ne ipsis Magistratibus exceptis, quo enim quis à publico plus habet commodi & honoris, eo plus debet contribuere, ad reipublicæ suæque conservationem. Ut æque exigi, ita & juste administrari debent, ne convertantur in Privatorum Commodum; quandoquidem in usum totius populi exiguntur. Imprimis curandum est; ut Quæstores & ærarii Præfecti æquas reddant rationes acceptorum & expensorum singulis annis, ne ad Quæstorum furta conniveatur ab iis, qui ad examinandas rationes delegantur. Quare non facile æraria publica committi debent iis, qui nimia proximitate, aut consanguinitate juncti sunt Magistratibus, qui multum pollent in Republica. Inde enim facile fieri potest, ut æraria exhauriantur ab ipsis Proceribus, & à Quæstoribus simul; aut saltem, ut Quæstores impune furentur, & reditus publicos dilapident.

*V. Pangunt fœdera.*

XVIII. *Quinto* possunt etiam Magistratus *fœdera pangere*, ad tutelam populi; & quidem, si necessitas id exigat, cum *infidelibus, Ethnicis, Idololatris, Turcis* & id genus aliis. Nam si privatus salva conscientia ad depellendos latrones, & ad conservandam vitam bonaque sua, quemlibet in auxilium advocarē potest, nulla habita ratione cujus sit Religionis, multo magis id fieri potest à Magistratibus, si Patria, sic Ecclesia periclitetur. Ita *Abrahamus* fœdus habuit cum Escol & Abner. Gen. 14. Cum Abimelecho. Cap 21. *David* cum Hiramo Rege Tyri. 2. Sam. 5: 11. *Salomo* cum Hiramo. 1. Reg. 5.

*VI. Habent potestatem leges condendi.*

XIX. *Sexto* Magistratus habent potestatem *condendi leges* Nam etiamsi Lex *moralis* sit perfectissima, ut sit regula sanctitatis, & ad regendos mores sufficiens, nihilominus ingenium populorum, Regionum, vicinorum, & Commercii sæpe postulat certas quasdam leges positivas: unde sæpe fit ut hæc Respublica habeat leges, quæ legibus alterius plane sunt contrariæ, quamvis utræque justæ sint. Non facile nec levi de causa leges novæ condi debent, aut veteres abrogari, nec mores & ritus recepti, aut consuetudines de-

debent mutari, nisi id necessitas aliqua postulet, & manifestum commodum inde accedat Reipublicæ.

XX. Porro observandæ sunt leges Magistratuum, non tantum *propter iram*, ad evitandam pœnam, sed & *Propter Conscientiam.* Rom. 13: 5. 1. Petr. 2: 13. Non quod ulla Lex humana Conscientiam obligare possit, (solus enim Deus habet imperium in Conscientiam) sed quod Deus ipse jusserit, ut imperio superiorum pareamus. Adeoque non tantum contra Magistratus agit, si quis eorum leges spernit, sed contra Deum ipsum, qui Magistratuum leges observari vult, quare Deum offendendo in Magistratibus, propriam conscientiam lædit.

*Lex humana quousque Conscientiam obliget.*

XXI. Supremus Princeps *legibus est solutus*; non lege *Morali* aut *Naturali*, sed *positiva* tantum, quæ pendet ab ejus arbitrio, & quam ipse tulit. *Legibus* autem *divinis* non est solutus; cum Deus tanquam summum numen omnibus hominibus eandem legem dederit. Inde necessario sequitur, *Principes*, etiam potentissimos, nihil imperare posse, quod legi divinæ sit contrarium qualia sunt Idololatria, hæreses, adulteria, homicidia & id genus alia, quæ in *Decalogo* prohibentur. *Oportet enim ut Deo magis obediamus, quam hominibus.* Actor. 4: 19. & 5: 29.

*Supremus Princeps legibus est solutus.*

## CAPUT XXX.

### *De Magistratuum Potestate circa Sacra.*

I. HActenus de *Magistratuum* potestate *Civili*, nunc de eorum *Potestate Ecclesiastica, circa sacra:* potestas enim Magistratuum se extendit, non tantum ad res civiles & *politicas*, sed & ad res *Ecclesiasticas*, ut curare debeant salutem *animarum* subditorum, non minus quam eorum *corporum.*

II. Si Magistratus sint *infideles*, tunc Ecclesia, quæ in eorum ditione colligitur, res suas sibi habet, ac curat sacra, prout id maxime utile judicat: uti factum est olim sub Imperatoribus *Gentilibus*, & hodie sub Principibus *Pontificiis.* At vero si Magistratus sint *fideles* & membra Ecclesiæ, curam Ecclesiæ in sua ditione habere debent, non minus quam rerum mundanarum: cum debeant civibus suis procurare omne bonum; at salus animæ est maximum bonum.

*Potestas Ecclesiastica & Politica distingui non debent.*
*Functiones Ministrorum & Magistratuum non sunt contrariæ, sed distinctæ.*

III. Igitur Potestas *Ecclesiastica* & *Politica* distingui non debent, quia non nisi unica potestas tantum datur, alias daretur Imperium in Imperio, & duo Principes in eodem Imperio. Quamvis enim alia sit *Civitas Dei*, alia *mundi*; nihilominus utraque gubernari potest per eosdem Magistratus, & in utraque civitate non nisi unicus est Princeps, quoad externum regimen, de quo hic agitur. Nec functio *Ministerii contraria* est functioni *Magistratuum*, sed tantum *distinctæ* sunt functiones: quemadmodum functio *militaris* aliaque in Rep. non repugnat muneri magistratuum; sed diversæ tantum sunt, propter *onera*, quæ superant vires humanas, ut unus utrumque obeat. Quemadmodum enim Magistratus habent curam *Academiarum* & *Militiæ*, etsi res *Academicas* & *Militares* ipsi non exerceant, nec forte etiam exercere possint, ita & curam habent *Ministerii*, quamvis ipsi non habeant aptitudinem, ut munus istud obirent. Ita sub Promissione *Patriarchæ* fuerunt & *Magistratus* & *Pastores* simul. *Moses* fuit *Rex*, *Propheta* & *Sacerdos*, ut suo loco ostendimus. Ita & *Reges* sub Veteri Test. habebant curam Ecclesiæ. 1. Reg. 2: 26, 27. &c. Et postea, circa tempora Christi, Magnum *Synedrium* simul curabat *Politica* & *Ecclesiastica*.

*Distinctio inter potestatem Politicam & Ecclesiasticam unde orta.*

IV. Distinctio inter potestatem *Politicam* & *Ecclesiasticam* inde orta est, quod Ecclesia primitiva fuerit sub Principibus Ethnicis, qui Ecclesiam negligebant, immo & eam persequebantur, quare fideles coacti fuerunt, ut ipsi inter se constituerent Rectores Ecclesiæ. Sed postea, pace Ecclesiæ data, isti Rectores, præsertim sub Papatu, omnem potestatem sibi reservarunt, eam magis magisque auxerunt, & *imperium in imperio* constituerunt. Ut ista potestas *Ecclesiastica* à Potestate *Politica* distincta & separata, introducta sit ab *Antichristo*; adeoque verus sit ejus character & signum bestiæ.

*Solvuntur argumenta contraria.*

V. Ad distinguendam potestatem *Ecclesiasticam*, à *Politica*, & ut ea Magistratibus eriperetur, nihil faciunt quorundam argutiæ veluti. I. *Magistratus non possunt pastorum officio fungi*, *verbum prædicare*, *Sacramenta administrare &c.* Inde enim non sequitur: *aliam esse potestatem Ecclesiasticam*, *aliam civilem.* Nam, quamvis tot aliis curis distracti sint, ut Ministerio in Ecclesia fungi non possint: curant tamen, ut Pastores ad Ecclesiam vocentur, & ut Ministerium rite exerceatur. Habent potestatem præscribendi leges, per quas *omnia fiant rite in Ecclesia*, secundum monitum Pauli. 1. Cor. 14: 40. Sanc

40. Sane ipsi non possunt fungi officio *Professorum*, *Ludimagistrorum*, *militum*, tamen potestas *Academica* & *militaris* non est distincta à jurisdictione *Civili*, omniaque non minus legibus Magistratuum subsunt. II. *Regnum Christi non est de hoc mundo.* Joh. 18: 36. At Christus ibi loquitur de Regno *interiori* & *spirituali*, quod soli Christo competit, & in quod nec Princeps, nec pastor, nec ulla creatura jus habet. Hic autem agimus de *Regimine Ecclesiastico externo*, de quo nullum habemus præceptum, per quem hominem exerceri debeat. Habemus tantum regulam generalem Pauli. 1. Cor. 14: 40. *Omnia fiant ordine in Ecclesia.* Cum autem ea, quæ *publice* agenda & curanda sunt, agi & curari debeant à personis *publicis*, nulla est ratio, quare ista cura non concedetur *Magistratibus*, qui, omnibus fatentibus, revera sunt *personæ publicæ*, quibusque omnis jurisdictio & potestas, à Deo, per populum, concessa est. III. *Fides & Regimen Ecclesiæ dependet à Christo, non à Magistratibus. Ergo Regimen Ecclesiasticum Synedria acceperunt a Christo; non autem dependent à Magistratibus.* Negatur consequentia. Nam & Regimen *Politicum* dependet à Deo, & functio *Academica*, & *militaris*, & artes *Mechanicæ*, uno verbo, omnia quæ in Repub. legitime exercentur negotia & mercimonia. Nihilominus tamen curæ Magistratuum subsunt omnia, donec demonstretur, quod tamen nunquam fiet, Deum certo generi hominum in Republica, præter Magistratus, concessisse hanc jurisdictionem in hoc negotio. IV. *Deus gravissime punivit Regem Oziam, eum lepra percutiendo, quod ministerium Templi exercere voluerit.* 2. Chron. 26: 19. Sed negatur consequentia: cum sub Veteri Test. Deus expressa lege Sacerdotium addixerit soli familiæ Aharonis: at sub Novo Test. nulla est distinctio familiarum aut tribuum. Res autem cæteras Ecclesiasticas, præter Sacerdotium etiam curasse Reges, supra jam ostendimus. V. *Ministri essent vicarii Magistratuum.* Sed hoc negatur: non enim sunt *vicarii Magistratuum*; sed *ministri Christi*; cum ministerium Ecclesiasticum non sit institutum à Magistratibus, sed ab ipso Christo: adeo ut, si ipsi Magistratus exercerent Ministerium, hoc facerent nomine Christi, quia sunt præcipui ipsius *Ministri*, non propria auctoritate. Curant itaque Magistratus, ut in Ecclesia reperiantur idonei Ministri Christi, qui ministerio fungantur, non *suo*, sed *Christi nomine* & auctoritate. Hoc tamen non impedit, quo minus habeant curam *Ministerii*.

*Officia Magistratuum circa sacra.* *I. In genere promovent bonum Ecclesiæ.* *II. Ut Ministri apti vocentur.* *III. Ministros indignos movent.* *IV. Academiis & Scholis prospiciunt.* *V. Synodos convocari curant.* *VI. Synodorum decreta justa observari curant.* *VII. Injuste læsos in conventu Ecclesiastico restituunt.* *VIII. Professores & Præceptores alia curant.*

VI. Officia Magistratuum circa sacra sunt. I. In genere, ut curent observari omnia quæ in Republica, circa res *Ecclesiasticas*, observanda sunt. Ut vera Religio *introducatur*, introducta *conservetur* & foveatur, collapsa *restituatur*: ut Deus pie colatur, ut hæresis, blasphemia, & omnis impietas arceatur, utraque tabula legis observetur, & ut Ministerium in sua ditione pure & diligenter exerceatur. II. Ut *Ministros* fideles ad Ecclesiam ædificandam *vocent*, vel vocari curent, qui doctrina & probitate sint conspicui. III. Ut *ministros*, qui doctrina aut vita se indignos reddunt, *ministerio moveant*. Si enim *Salomo* à Sacerdotio removere poterat *Abjatherem* Pont. Max. quod se indignum Sacerdotio reddiderit. 1. Reg. 2: 26, 27, 28. &c. (utut *Sacerdotes* sub Veteri Test. ab ipso Deo immediate ad Sacerdotium instituti & electi fuerint ex familia Aharonis) multo magis Magistratus Christiani hodie habent jus & potestatem exauctorandi pastores, qui doctrina & vita sunt poluti. IV. Ut Academias & Scholas curent, in quibus formetur juventus, quæ fiat utilis, non tantum Patriæ in genere, sed & præsertim Ecclesiæ. V. Ut conventus Ecclesiasticos convocent, aut sua auctoritate convocari curent, quales sunt *Synodi* & *Concilia*, iisdemque conventibus intersint, sua auctoritate & Consilio rebus Ecclesiasticis componendis adsint, easque dirigant, ne quid Resp. aut Ecclesia detrimenti capiat. VI. Ut decreta Synodorum, si nihil in iis deprehendant contra Remp. contra sanam doctrinam & pietatem, sua auctoritate confirment, & observari curent. VII. Ut, si quis in conventu Ecclesiastico se læsum exstimet, ejus querelas audiant, eumque, si injuste læsus sit, in integrum instituant. VIII. Ut curam habeant, ut *stipendia* Professoribus, Pastoribus & Ludimagistris solvantur, ne tædio & languore vitam transigant, dum Magistratus sua stipendia accurate sibi solvi jubent, & forte cuticulam belle curant. Officium enim boni parentis est, non ut ipse solus mensam delicate instructam habeat, dum liberi fere inedia pereunt; sed ut omnibus domesticis, præsertim autem filiis suis, & iis quidem, qui non sunt *minores annis* & familiæ *inutiles*; sed qui in Republica sunt tanquam *majores natu*, & qui jam ad talem ætatem pervenerunt, ut magna commoda præstent familiæ, dum onerosa & honesta munera in Republica obeunt, quod proculdubio faciunt Professores & Pastores. Sane non minus ad Novum Test. quam ad Vetus, pertinet dictum Esaiæ cap. 49: 23. *Et erunt Reges nutricii*

*tui,*

*tui*, *& fœminæ Principes eorum nutrices tuæ.* Adde quod hoc postulet justitia Magistratuum. Eorum enim munus est, ut civibus reddant *justitiam.* Sed justitia postulat ut *cuilibet suum tribuant.* Ergo ut stipendia solvant quibus debentur, præsertim cum ii, *qui in sermone & doctrina operantur*, *digni sint duplo honore.* 1. Tim 5: 17.

*In rebus Ecclesiasticis non tam sunt Domini quam fratres.*

VII. Sed quamcunque Magistratus habeant auctoritatem, tamen, in rebus *Ecclesiasticis*, opportet ut aliter agant, quam in rebus *Politicis.* In his enim agunt tanquam *Domini*, ex solo *imperio*; sed in istis, non tanquam Domini, sed tanquam *Ministri* & *fratres*, ex *verbo Dei.* Nemini enim possunt obtrudere fidem, nullamque habent potestatem condendi nova dogmata; nisi enim à populo agnoscantur ex verbo Dei probata esse, non sunt credenda. Ita & in rebus externis & tribus semper cavere debent, ne rude agant, ne quidquam præscribant contra libertatem Christianam ac fraternitatem.

*Propriam Religionem propagari curant.*

VIII. Eandem Religionem, quam Magistratus judicant optimam, & maxime salutarem, in suo imperio propagare debent: nam qua via propriam salutem procurare student, eadem & subditorum salutem promovere debent. Cavere tamen sibi debent, ne id fiat tyrannide, vi armorum, carcere, proscriptione, militum crudeli carnificina, occidione, aliisque vexationibus morte deterioribus. Conscientia enim cogi non debet; nec sincera est fides, quæ vi obtruditur, sed hypocritica, ficta; unde tandem contemptus Religionis, impietas & prophanatio, immo, prima data occasione, perduellio in Deum & in principem. Ut nihil in Republicâ sit perniciosius quam Religio coacta, nec Principi quicquam exitiosius excogitari possit. Sola itaque prædicatione verbi Dei Religio propaganda est. Nam *arma militiæ nostra non sunt carnalia*, *sed potentia Dei*, *ad destruenda munimenta.* 2. Cor. 10: 4.

*Ecclesia quale jus habeat in Magistratus?*

IX. Quemadmodum *Magistratus* habent suum *jus circa sacra*, & *Ecclesiam* curant, ita & *Ecclesia* habet aliquid *juris* in *Magistratus*, (1. quia sunt *membra Ecclesiæ*; adeoque (2. omnium fidelium sunt *fratres.* Si itaque Magistratus peccent, tamquam *fratres* & membra Ecclesiæ, tunc illi, quibus, ex fœderata disciplina, ministerium publicum est traditum, eos corripere, & ad officium veri membri Ecclesiæ adducere possunt & debent. Dictum enim illud Jesu Christi: *Si frater in te peccaverit* &c. *dic Ecclesiæ.* Tangit omnes fratres, nemine excepto. Ergo correptioni *fratrum* ac Ecclesiæ, sese submittere

mittere debent, nisi reliquos pro *fratribus* non agnoscant, & negent se esse membra Ecclesiæ, sub eodem capite J. Christo.

*Caute agendum erga Magistratus.*

X. *Caute* tamen semper *agendum* erit erga *Magistratus*, & non nisi magna cum *reverentia*, monendi & increpandi sunt, veritatem & officium ex Verbo Dei demonstrando, hortando, orando, omnique lenitate & veneratione, tanquam si *filii* admonerent *parentes* suos: quemadmodum *Samuel* admonuit *Saulem*. 1. Sam. 15. *Nathan* Davidem. 2. Sam. 12. Ut *senem* & *patrem*. 1. Tim. 5: 1. Debent igitur Pastores sibi sedulo cavere ab *inconditis* & *rudibus increpationibus*, exprobrationibus, accusationibus, & concionatorum declamationibus, præsertim si non nisi *rumore vulgi*, & plebeculæ levibus nitantur conjecturis atque rumusculis.

*Pastores se non debent immiscere rebus politicis.*

XI. Cavendum quoque est *Ministris* Ecclesiæ, ne sese imprudenter *immisceant rebus politicis*, ne de actionibus Magistratuum, qua Magistratuum, judicent, easque cavilentur, traducant, ac carpant: qualia sunt *bella*, *pax*, *inducia*, *fœdera*, *leges politica*, aut quicquid illud sit, quod mere est politicum, & quod spectat bonum Reipublicæ. (1. quia Ministri hac in re sunt tantum subditi, domestici, & plurimum liberi. Sed *domestici*, ipsi etiam *liberi*, nullum habent jus *increpandi* & *corripiendi dominum* ac *patrem*, si quid agat in bonum familiæ suæ, etsi forte filius crediderit patrem errasse, & familiam aliter gubernari posse. (2. quia mysteria politica & latentes causæ, ob quas Magistratus ita agant, à Ministris Ecclesiæ, ut & à reliquis subditis solent ignorari: nec consultum est, ut Magistratus reddant publice rationes suarum actionum; quemadmodum nec Domini nec Parentes semper rationes reddere nec possunt, nec debent domesticis liberisque suis, cur hoc modo in familia sua agant, & non aliter?

*Objectio.*

Si olim *Propheta nonnunquam increparunt Reges, etiam ob fœdera inita cum infidelibus, & ob alias actiones politicas.* Es. 16. Jer. 26. Amos 7. Oseæ 12. 2. Chron. 16: 7. Prophetæ isti ad id ab ipso Deo fuerunt, modo extraordinario, inspirati & missi, expressaque habuerunt mandata, ut Principes hac in re increparent; sed tale mandatum expressum, & specialem missionem à Deo hodie nemo habet: nec ullus hodie datur *Propheta*.

XII. Cavere interim sedulo etiam debent sibi Magistratus, ne officia sua negligant, maxime quæ bonum publicum, pacem, ærraria, justitiam aliaque spectant, neque justam ansam dent civibus, maxime *Pastoribus*, criminandi, & publice perstringendi, si quid

pec-

peccaverint: imprimis in *libera republica*, ubi fere singulis annis, & per continuam mutationem personarum, aliis succedentibus aliis, res mutationi magis sunt obnoxiæ, unde non parum periculi impendit capitibus eorum qui officium neglexerint, aut alio modo peccaverint.

XIII. Ut ut sit, *omnem animam subjectam esse supremis potestatibus*, patet Rom. 13: 1. Adeoque ne ipsos quidem *Ecclesiasticos* eximi, quod vellet *Papa* cum suo clero.

## LOCUS XXIV.

*De Ecclesiæ variis Fatis, De Antichristo, ejus Ortu, Progressu & Casu; Deque Regno Christi glorioso ultimis temporibus.*

## CAPUT XXXI.

*De Ecclesiæ Novi Test. Variis Fatis, & de Antichristo.*

I. Ecclesiam Christianam varia habitura *fata*, prædictum fuit, & sub Veteri & sub Novo Testamento. Ut ut varia sint, atque diversa admodum *fata* Ecclesiæ, tamen ad *septem* præcipua redigi possunt, quæ alias etiam vocari solent *septem Periodi*. Cum alibi in Testam. Veteri per Prophetas, tunc maxime per Johannem in Apocalypsi *septem Periodi*, sive *septem diversa fata Ecclesiæ* Novi Testamenti, proponuntur, per septem *Ecclesias*, septem *Sigilla*, & septem *Tubas*. De quibus *Periodis* aliquid diximus, Pars. I. Cap. V. Thes. X. & sequentibus; ubi egimus de *Interpretationibus Scripturæ Sacræ*.

*Ecclesia varia fata prædicta.*

II. Per omnes fere *Periodos*, præsertim autem per secundam, Tertiam, Quartam, Quintam & Sextam Ecclesia habuit & hactenus habet, non tantum *Christum*, sed & *Antichristum*: qui, cum sit maximus hostis Christi illiusque Ecclesiæ, de eo nunc nobis agendum erit.

*Ecclesia semper habuit Antichristum.*

III. Antichristus, uti notum est, cum sit vox Græca Ἀντίχριστος, sumi potest pro eo, vel qui *vicem Christi gerit*, vel qui *Christo est contrarius* & hostis ejus. Utroque sensu intelligi potest: cum se dicat *vicarium Christi*; Deinde cum revera ejus sit *hostis* & ἀντικείμενος.

*Antichristi nominis acceptio.*

*Antichristi qui se opponunt doctrinæ Christi.* *Antichristi varia nomina.*

IV. *Antichristi* dicuntur omnes quotquot sese opponunt doctrinæ Jesu Christi. Hinc & *multi Antichristi*, non *unus*, tantum nominatur. 1. Joh. 2: 18. qui & tunc, jam tempore Apostolorum exstiterunt.. Nihilominus tamen *Antichristus* solet dici de *uno* tantum κατ' ἐξοχήν. Idem dicitur etiam *homo peccati, filius perditionis*, & ὁ ἀντικείμενος, qui tempore Apostolorum futurus erat. 2. Thess. 2: 3. Et ψευδόχριστος Matth. 24: 24. *Pastor stultus.* Zach. 11: 15. *Caput quod confringetur*, Ps. 110: 6. *Pseudo Propheta*, *Bestia* Apoc. 13. & *Mors.* Ap. 6: 8. & 20.

*Primus Antichristus fuit Cain.*

V. Primus *Antichristus* fuit primus homo, qui ex muliere natus est, nempe *Cainus*. Fuit enim *justitiarius*, uti solent omnes *Antichristi*, quotquot unquam exstiterunt. Odio enim habebat fratrem, quod per fidem in Christo obtulerit, & quod sacrificium ipsius Deo gratum fuerit; quare & fratrem occidit, quod Antichristo familiare esse solet omni tempore. Hinc lanienæ, cædes & tot martyria. Gen. 4. Hebr. 11. Tempore *Enochi*, usque ad *Noachum* Antichristi dici possunt, quotquot sese veris fidelibus opposuerunt, & qui *filii hominum* dicti sunt, in oppositione ad *filios Dei*. Gen. 6. Ita & *Pharao* Rex *Ægypti*, & *Bileam*, Rex *Babyloniæ*, omnesque Principes & Reges, qui Israelis hostes fuerunt. Hic autem quæstio est de *Antichristo*, qui prædictus fuit sub Novo Testamento.

*Antichristi I. Judæi. II. Falsi fratres.*

VI. Igitur sub Novo Testamento *Antichristi* dicuntur. 1. *Judæi*, qui Christo restiterunt, & qui omnibus viribus conabantur impedire cursum Euangelii. II. *Falsi fratres*, qui sub prætextu fidei in Christum perversas doctrinas disseminarunt, inter ipsos fideles, ut ut eorum *fratres* videri vellent: quare & *multi Antichristi dicuntur.* 1. Joh. 2: 18. & ψευδάδελφοι. Gal. 2: 4. ψευδαπόστολοι, 2. Cor. 11: 13, 26. Maxime autem per *Antichristum* intelligi solet *certa quadam persona*, quæ per *superbiam* se super reliquos fideles effert, eorumque esse vult *caput* & *Princeps*; adeoque se dicit *vicarium* Christi; Dan. 11: 36, 37. 2. Thess. 2: 4.

*Multi Antichristi.* *Antichristus quid?*

*Antichristi Mater superbia.*

VII. *Mater* itaque *Antichristi* est *superbia* & ex ea πρωτοκαθεδρεία: quam & jam tempore Christi quidam affectarunt. Vivente quidem Christo, filii Zebedæi per matrem suam, aut saltem mater pro filiis suis. Mat. 20. Fuerunt & alii, quare Christus monet Apostolos, *neminem debere dominatum ambire in reliquos*, cum omnes debeant esse *fratres.* Luc. 22: 25, 26. Mattth. 23: 8, 9, 10, 11, 12. vide 1. Petr. 5: 3. Post mortem Christi, viventibus adhuc Apostolis, alii fue-

fuerunt, qui πρωτοκαθεδρίαν ambiebant, tempore Pauli, ſed impediebantur à *Potentia Romanorum*, qui id iſtis temporibus non tuliſſent. *Myſterium* enim *defectionis jam peragitur; tantum qui impediat nunc, noſtis, donec de medio prodeat.* 2. Theſſ. 2: 6, 7. Ergo & iſtis temporibus jam erant; qui πρωτοκαθεδρίαν ambiebant; ſed impediebantur. *Et nunc*, additur, *qui impediat noſtis.* Qui autem *impediebat* iſtis temporibus, erant Imperatores *gentiles Romani*, qui nunquam permiſiſſent *imperium in imperio.*

VIII. Lacertos incepit movere *Antichriſtus*, circa tempora *Conſtantini Magni*, ubi pax data fuit Eccleſiæ, & ubi Paſtores ac Epiſcopi Imperatoribus Chriſtianis, non tantum dilecti, ſed & honorati fuerunt, eorum reditus aucti, ac quædam ipſis conceſſa fuit auctoritas. Paulatim Epiſcopus aliis Epiſcopis ſe præferebat. Hinc nati ſunt *Archiepiſcopi* & *Patriarchæ*, qui Epiſcopis digniores eſſe volebant. Hinc contentiones de *ordine*, ut *Romanus* vellet præferri *Conſtantinopolitano.* Hinc tandem lites de *Primatu*; quis omnium Epiſcoporum eſſet *primus*, *Caput* & *Epiſcopus generalis* totius Eccleſiæ? Hinc factum eſt, ut *Johannes Epiſcopus* Conſtantinopolitanus, ſe extulerit ſupra Romanum, quare non male dixerat *Gregorius Magnus* Epiſcopus Romanus: eum, qui volet eſſe *Caput*, & *Epiſcopus Generalis*, eſſe *præcurſorem Antichriſti*, ſe autem vocavit *ſervum ſervorum*, quæ facta ſunt ſexto ſæculo. Paulo poſt in publicum prodiit *Antichriſtus*, ut ſe conſpiciendum dederit coram omnibus; nempe ſub Imperatore *Phoca*, initio ſæculi ſeptimi, quum *Bonifacius* Tertius, Epiſcopus Romanus per adulationes, malaſque artes, approbando cædes & perfidiam *Phocæ*, quam perpetraverat contra Imperatorem & Dominum ſuum legitimum *Mauritium*, tantum valuit apud *Phocam* parricidam, ut *Primus* diceretur, & totius Eccleſiæ Epiſcopus *OEcumenicus*, ſive *Univerſalis.* Atque ſic *myſterium iniquitatis*, ſive *Antichriſtianiſmus* clare *revelatus* eſt, & *de medio proceſſit.* 2. Theſſ. 2: 6, 7.

*Antichriſtus lacertos movere incepit circa tempora Conſtantini M.*

*Primæ lites de Primatu.*

*Antichriſtus in publicum prodiit, quando?*

IX. Ergo ſub Novo Teſt. *Antichriſtus* ſic dictus eſt κατ' ἐξοχὴν, *Papa Romanus*, qui ſe jactat *Caput Eccleſiæ*, & *Chriſti vicarium.* Duplici autem modo *Papa* Romanus *Antichriſtus* dici poteſt. I. quatenus ἀντὶ ſignificat *pro*, *loco*, vel *vice*, quaſi diceretur *Vice Chriſtus*, ut dici ſolet *Vice Rex*, is qui nomine & loco Regis regnat; *Papa* enim ſeſe dicit *vicarium* Chriſti. II. quatenus τὸ ἀντὶ ſignificat *contra*, ut ſit Chriſto *Contrarius* ejuſque *hoſtis*, ſub prætextu *vicariatus.* Hoc

*Antichriſtus eſt Papa.*

*Duplici ſenſu.*

ultimo ſenſu *Antichriſtus* vocatur. Invaſit enim honores Chriſti, ſe gerit tanquam alterum Chriſtum, ſuam ſibi peculiarem docet doctrinam, Chriſti doctrinæ contrariam.

*Papam eſſe Antichriſtum probatur.*

X. *Papam* eſſe *Antichriſtum* patet ex omnibus notis, quæ *Antichriſto* in Scriptura S. attribuuntur, cum *Papæ* exactiſſime conveniant. I. Dicit ſe *vicarium* Chriſti: ideo honores & officia Chriſti ſibi falſo arrogat, falſiſſimeque atque perviſiſſime exercet. Ut Chriſtus eſt *Rex*, *Propheta* & *Sacerdos*, ita & *Papa* falſam *Prophetiam*, falſum *Sacerdotium*, & falſum *officium Regium* exercet. Cum enim Chriſtus, tanquam *Propheta* ex ſolo *verbo ſcripto*, in Veteri & Novo Teſt. contento, doceat, *Papa* habet verbum ἄγραφον nempe *traditiones*, *placita*, *decreta*, & *Concilia* &c. Cum Chriſti *Sacerdotium* conſiſtat in *uno* ſolo *ſacrificio* ejus, quando ſe obtulit in remiſſionem peccatorum, in *cruce*; Papa inſtituit *Sacerdotium Miſſæ*, non *corpus Chriſti*, ſed *panem* & *vinum* offerendum in remiſſionem peccatorum, non *viventium* tantum, ſed & *mortuorum*. Et cum ſolus *Chriſtus* pro nobis *interceſſerit*, tanquam Sacerdos, *Papa* introducit *interceſſores* magno numero *Sanctos* & *Sanctas*. Cum Chriſtus tanquam *Rex* & *Legiſlator* noſter ſolus debeat *regnare*. Eſ. 33. *Papa* ipſe præſcribit leges, & dogmata obtrudit, ut in *Conſcientiam regnaret*; quare etiam *Rex* vocatur. Dan. 11: 36, 37. ſed & *Rex Adverſarius*. Hoſ. 5: 13. Habet *ſceptrum improbitatis* quod *removebitur*. Pſ. 125: 3.

*Dicit ſe I. Prophetam.*

*II. Sacerdotem.*

*III. Regem.*

XI. II. Quemadmodum *Chriſtus* eſt *Caput* Eccleſiæ. Eph. 1: 22. 4: 15, 16. & 5: 23. Col. 1: 18. 2: 10. ita & *Antichriſtus* Papa ſe dicit *caput* Eccleſiæ, ſed vocatur *caput Capilloſum*, & *caput inimicorum*. Deut. 32: 32, 42. Pſ. 68: 22. *Caput frangendum*. Pſ. 110: 6. Hab. 3: 13. Deinde Chriſtus eſt *Supremus Paſtor* Eccleſiæ. Joh. 10: 1, 14. Hebr. 13: 20. 1. Petr. 5: 3. ita & *Antichriſtus*, ſive Papa ſe dicit *Primum Paſtorem* totius Eccleſiæ, quia in verbo Dei revera vocatur *Paſtor ſtultus*. Zachar. 11: 15. Dicitur etiam Chriſtus *Sponſus* Eccleſiæ. Pſ. 45. Cant. 1. & ſeqq. Eſ. 62: 4, 5. Oſeæ. 2: 19. 2. Cor. 11: 2. Eph. 5: 24. Ita ſane & *Antichriſtus*, maxime *Papa*, inter ſuperbos titulos, quos ſibi attribuit, ſe vocat *Sponſum* Eccleſiæ: ſed potius eſt putida *Meretrix*, quæ *cum Principibus terræ ſcortatur*. Apoc. 17: 1, 2, 4, 5. Chriſtus etiam dicitur *Agnus*, & *Agnus Dei*. Joh. 1: 29, 36. 1. Petr. 1: 19, 20. Apoc. 5: 6. Ita & Antichriſtus vocatur *beſtia ſecunda, quæ habet duo cornua ſimilia agno*, ſed *loquitur ut Draco*. Apoc. 13: 11. Chriſtus eſt *Apoſtolus noſtræ Adſtipulationis*. Hebr. 3: 1. Ita & *Papa*

*pa* se vocat *Apostolum.* Hinc crepat *sedem Apostolicam*; *Benedictiones* suas vocat *Apostolicas*, & ministros suos *Apostolicos*: sed est ψευδαπόστολος. 2. Cor. 11: 13, 26.

XIII. III. Quemadmodum Christus est verus *Deus*, ita & Papa se vocat *Deum*, & *vice Deum* in terra. Hanc notam *Antichristi* docet Paulus, 2. Thess. 2: 4. *Opponet sese & superextollet in omnem dictum Deum, vel Colendum, ut ipse in Templo Dei, tanquam Deus sedeat, ostendens seipsum, quod sit Deus.* Per *Templum Dei* intelligitur *Ecclesia Christiana*, quæ revera est Templum Dei: quum, etsi hodie corruptissima sit Ecclesia Romana, tamen dicat se *Christianam*, & initium habuerit ab Apostolis, à Christo Deo ipso: præterquam quod nunquam usque adeo corrupta fuerit, quin semper multi veri fideles in medio corruptæ istius Ecclesiæ vixerint. Sed & *Templum Dei* vocari potest Ecclesia corruptissima, quemadmodum *Hierosolyma* dicta fuit *sancta civitas.* Matth. 4: 5. quia ab initio *sancta* fuit. Et *templum* vocatur *domus Patris Christi.* Joh. 2: 16. cum talis olim fuerit, etsi tempore Christi fuerit *spelunca latronum.* Matth. 21: 13. Ergo *Papa* in Ecclesia Christiana, tanquam in *Templo Dei* sedet. Deinde *effert se super omnem dictum Deum, & super omne σέβασμα*, id est super omne *colendum*: quæ non nisi de Papa intelligi non possunt. *Dii dicti* sunt *Reges*, *Principes* omnesque *Potestates* Veteris Test. sic enim vocantur. Ps. 82. & 8. Joh. 10. 1. Cor. 8. & alibi. Effert sane se *Papa* supra eos omnes. Nullus enim unquam fuit Vet. Test. nec *Pontifex Max.* nec *Rex*, nec *Synedrium*, quod tantam habuerit potestatem, qualem Papa sibi arrogat. *Patres Magni Synedrii* sibi non arrogarunt *Spiritum infallibilitatis*; sed fassi sunt, se posse errare: ut singulis annis sacrificium obtulerint, in remissionem peccatorum Synedrii, si forte errassent in explicatione Legis. *Maimon. Schegaga* cap. 12. At *Papa* crepat *Spiritum infallibilem.* Non poterat *Rex* sub Vet. Test. Sacerdotium instituere, nec eo fungi, sed *Papa* utrumque facit. Non poterat *Pont. Max.* Regi imperare, eique leges præscribere; at *Papa* est supra omnes Reges eisque imperat. Nota etiam quod Σέβασμα sint *Imperatores* Romani, hinc Σέβαστοι *Augusti* dicti. Sed *Papa* se effert supra *Imperatorem*, ut eum Regno spoliet, servum suum reddat, vile ministerium ab eo exigat, verberet & pedibus conculcet; uti docent historiæ. Immo tantum sese effert supra *Imperatores* & *Reges*, quantum *Sol* altior est *Luna.* Tandem ostendit se ipsum *Deum* non minus quam imperatores gentilium,

*Dicit se Deum.*

*Templum Dei quid?*

*Etiam Ecclesia Romana Templum Dei dicta.*

*Sub Veteri Test. nec Pontif. M. nec Rex sibi tantam potestatem arrogavit ut Papa.*

qui ſeipſos *Deos* vocabant, ita & *Papa* ſe vocat *Deum in terris*, *vice Deum*, *Fundamentum*, *Caput* & *Sponſum* Eccleſiæ; *Agnum Dei*, qui tollit peccata mundi, *Leonem de Tribu Judæ*; is *cui data eſt omnis poteſtas in Cœlis & in Terra*, uti patet ex ſuperbis *Papæ* titulis & inſcriptionibus. Humeris Cardinalium, qui *Regibus pares* dicuntur, ſe inſtar Dei per plateas geſtari jubet, pedes oſculandos porrigit, genuflexiones admittit, & ejuſmodi alia ſigna adorationis divinæ, quam inepte probare conatur ex Pſ. 72: 11. & de qua diſputant utrum ὑπερδυλεία an vero λατρεία dicenda ſit. Hinc ſe *dominum Regnorum* dicit: qui Reges conſtituit, alios dejicit pro lubitu, quæ eſt poteſtas vere divina. Dan. 2: 21. Novas leges condit; diſpenſat contra Euangelium, contra Apoſtolos, contra Chriſtum, contra Deum. Cudit nova dogmata fidei; in conſcientiam dominatur, peccata remittit & retinet, liberat ex Purgatorio, claudit vel aperit cœlum & Infernum pro lubitu.

*Antichriſtus vocatur ὁ ἄνομος. רשע.*

*Papa ad tantam gloriam evectus per ſcelera.*

XIII. IV. Dicitur Antichriſtus *filius peccati*, ὁ ἄνομος, 2. Theſſ. 2: 3, 8. רשע *improbus*, Eſ. 11: 4. propter horrendam corruptionem in *moribus*, non minus quam in *doctrina*. Hæc de *Papa* clariſſima ſunt. Nihil dicam de multis *Papis*, qui erant *inceſtuoſi*, *Magi*, *Sacrilegi*, *Venefici*, aliiſque ſceleribus notati. Jam diximus *Papam* ad tantum faſtigium aſcendiſſe per ſcelera, impietates, adulationes, & proditiones contra imperatorem *Mauritium*, tempore *Phocæ*, per *Bonifacium tertium*. Multi dicuntur *intraſſe ut vulpes*, *regnaſſe ut Leones*, & *mortuos eſſe ut canes*. Varia quoque peccata permittunt, approbant, diſpenſant, immo & jubent, veluti lupanaria publica tolerant, unde & tributa exigunt; martyria, cædes, & occidiones fidelium jubent; ut ſit *ebrius ſanguine Sanctorum & ſanguine teſtium*. Apoc. 12. & 13. quare & *crudelitas* Papæ adſcribitur. Apoc. 17: 6. Vide cap. 11. Hinc etiam *fraus* & *omnis juſtitia* ei attribuitur. 2. Theſſ. 2: 10.

*Antichriſtus mutat tempora.*

XIV. V. Dicitur *mutare tempora & leges*. Dan. 7: 25. id eſt tempora & leges Veteris Teſt. poſtliminio revocat, Judaiſmum, Sacerdotium, & Servitutem introducit in Eccleſiam Chriſtianam, cum Chriſtus ſuo ſanguine Sacerdotium & ſervitutem omnem aboleverit & libertatem nobis acquiſiverit, ut pro *gratia ac veritate*; plures *umbras*, *cærimonias* legeſque umbrarum & ſervitutis introduxerit, quam *Moſes* unquam ſub Teſtamento Veteri. VI. *Antichriſtus* dicitur *prohibere Matrimonium*. 1. Tim. 4. Dan. 11: 37. Idem

*Prohibet matrimonia.*

ſit

fit à *Papa;* prohibet enim ne Clerici Matrimonium ineant, ut multa millia hominum, virorum & fœminarum, sub ipsius Imperio expressa Lege à *Matrimonio* arceantur. Futilis est exceptio: scilicet *Neminem cogi ad cœlibatum, sed libera fieri vota;* cum expressa lege prohibitum sit, ne ullus Clericorum habeat uxorem. Unde necessario, aut homines coguntur ad cœlibatum, aut Ecclesia remanebit destituta Pastoribus. Taceo quod tam ingentia beneficia & reditus pingues proponantur, non nisi iis qui manent *cœlibes*, qualia sunt *Papatus, Cardinalatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia* & id genus alia. Addi potest, multos etiam *intrudi* in cœnobia contra voluntatem.

*Exceptio.*

XV. VII. *Falsam docet doctrinam.* Nam etsi *habeat duo cornua* (id est etsi recipiat Vetus & N. Test.) *ut agnus*, id est ut *Christus*, qui est verus *agnus Dei*, & cujus se dicit *vicarium*, tamen *loquitur ut Draco.* Apoc. 13: 11. id est errores, blasphemias, & falsam doctrinam, quemadmodum *Draco*, sive Diabolus ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος. Apoc. 12: 9. Es. 65. com. ult. falsam doctrinam ab initio docuit. Hinc etiam ἀποστασία ei attribuitur. 2. Thess. 2: 3. 1. Tim. 4: 1. & ἀνομία. Matth. 24. 12. & *seductio.* Apoc. 13: 14. At Papam docere falsam doctrinam, cuilibet, qui ejus dogmata contulerit cum verbo Dei, clare patet. VIII. Falsam suam doctrinam etiam confirmare studet Antichristus, per signa & miracula. *Venturus enim est cum signis & prodigiis mendacii.* 2. Thess. 2: 9. Apoc. 13: 13, 14. Nonne & *Papa* crepat *miracula?* immo *miracula* esse totam Ecclesiæ suæ; quare & Reformatos dicit hæreticos, quod nulla edant miracula. Sunt autem ejus miracula revera mendacia, non tantum quod sint falsa, sed & conficta ad stabilienda mendacia.

*Papa docet falsam doctrinam.*

*Crepat signa & miracula.*

XVI. IX. Antichristus *Magnas debet possidere opes*, & in summo luxu, vere Regio, vivere. *Et mulier ista amicta erit purpura, & coccino & inaurata erit auro & lapide pretioso & margaritis habens aureum poculum in manu sua.* Apoc. 17. & 18. Ita sane *Papa* habet *opes* plane *Regias*, integras *Provincias*, & *Regna tributaria*, cum suis *Cardinalibus*, qui dicuntur *Regibus pares*, & *Episcopis* &c. qui *Principes Ecclesiæ* superbe vocantur, & revera instar *Regum* & *Principum* in omni luxu & profusione vivunt. Hinc eorum *vestimenta*, præsertim Cardinalium, *purpurea* & *Coccinea*, in sudore atque sanguine Laicorum tincta. X. Antichristi *sedes* est *Babylon.* Apoc. 17. *Regnum tenet in Reges terræ, super septem montes.* Hæc autem est urbs *Roma*, ubi *Papa* suam

*Magnas possidet opes.*

*Ejus sedes.*

ſuam habet *ſedem*, fatentibus ipſis Pontificiis. Excipit quidem Bellarminus: *intelligendam eſſe Romam Ethnicam, non Chriſtianam.* Sed inepte: cum *decem Reges* non acceperint Regna à *Roma Ethnica*, ſed accipere debeant à *beſtia* & una cum *beſtia* debeant regnare. Com. 12. Ergo iſta beſtia non poterat eſſe *Imperator Gentilis*, ſed *Papa.*

*Eſt Babylon. quæ eſt Roma.*

XVII. XI. *Antichriſtianiſmus* depingitur per *beſtiam*, & quidem per *duplicem beſtiam.* Apoc. 11:7. & 13:1, 11. & 17. & 19. Quod attinet *primam beſtiam*, 1. dicitur *aſcendiſſe ex abyſſo.* Apoc. 11:7. & *ex mari.* cap. 13:1. id eſt profundiſſimo & altiſſimo mari. *Mare* ſignificat mundum idololatria, ſuperſtitione, erroribus, ſceleribuſque, tanquam horrendis fluctibus, agitatum, ubi nulli creſcunt fructus veræ fidei atque pietatis, quemadmodum in mari nec arbores nec fructus creſcunt. Talis fuit mundus ſub Imperatoribus. *Ortum* igitur hæc *beſtia* habet ex *Imperio Romano gentili*, quale fuit ante tempora *Conſtantini M.* 2. Hæc *beſtia* habet *ſeptem capita.* Apoc. 13:1. quæ & *ſeptem montes* vocantur. cap. 17:9. Habet quoque *decem cornua.*, quæ ſunt *decem Regna.* com. 12. Ergo *prima* hæc *beſtia* ſignificat homines *animales*, qui inſtar *brutorum* non habent Spiritum Dei, ex variis populis & Regnis compoſitam multitudinem, maxime ex *Gentilibus*, tanquam ex profundo mari coeuntem. 3. Datum eſt huic beſtiæ *os loquens magna & blaſphemias.* Apoc. 13:5. 4. Eam *adorabant omnes habitantes in terra.* Apoc. 13:8. Id eſt, ad hanc *multitudinem* populorum, qui ex *Gentiliſmo aſcenderant*, confluxerunt undique populi, ut ejus felicitate fruerentur. 5. Hæc beſtia *fuit, non eſt, & tamen eſt.* Apoc. 17:8. *Fuit* olim ſub alio *nomine* alioque *cultu*, ſub quo hodie *non eſt*, ſaltem non eſſe debet, tamen *eſt* fere idem *nomen* & idem *cultus.*

*Depingitur per beſtiam. Mare quid?*

*Ortus beſtiæ.*

*I. Beſtia quid?*

XVIII. Hæc *beſtia* nulla alia eſt, quam *Eccleſia Romana.* Nam (1. aſcendit ex mari gentiliſmi, inde enim orta eſt, maxime circa tempora *Conſtantini M.* quum fere totum imperium factum eſt Chriſtianum; non omnes quidem ex pio zelo, ſed multi per adulationes, & ut favorem Imperatoris demererentur, converſi ſunt (2. Eccleſia Romana *ſeptem* habet *capita* & *montes*; non tantum propter ſeptem montes, quibus urbs *Roma* inædificata eſt, ſed propter plures, præſertim *ſeptem* Magnos populos, ex quibus ab initio conflata fuit Eccleſia Romana, quales fuerunt, 1. *Africa*, 2. *Syria*, 3. *Aſia*, 4. *Græcia*, 5. *Italia*, 6. *Gallia*, 7. *Hiſpania.* Sic & *decem*

*Eſt Eccleſia Romana. I. Aſcendit ex Gentiliſmo.*

*Habet ſeptem capita & montes.*

*decem Cornua* sunt decem *Regna*, quæ postea *cum bestia regnarunt una hora*, & *potestatem suam bestiæ dederunt.* vers. 12, 13. nempe 1. *Germania*, 2. *Italia*, 3. *Gallia*, 4. *Hispania*, 5. *Anglia*, 6. *Scotia*, 7. *Dania*, 8. *Suetia*, 9. *Polonia*, 10. *Hungaria*, quorum reliqua Regna in Europa erant tanquam appendices. Ut ut sit, minimum erant decem Regna, quæ unam Ecclesiam externam componebant.

*Et decem cornua.*

(3. Ecclesia Romana *loquitur Magna & blasphemias.* Sibi soli affingit nomen *Catholicum*, *sanctitatem*, *fidem*, & omnem *felicitatem* temporalem. Loquitur de *divinitate*, de *vicariatu capitis* sui, de *miraculis*, de *claudendo* & *aperiendo cælo* & *inferno*; de *subigendis Regnis* & *principibus*; de *tributis* quæ Regnis sint imponenda & id genus alia. *Blasphemias* loquitur prædicando *falsam doctrinam*, jactando se *creare creatorem*; docendo Idololatriam, invocationem creaturarum, Christum ex pane factum, sacrificium Missæ, propria merita, & justitiam per bona opera, *&c.*

*Loquitur Magna & blasphema.*

(4. *Omnes habitantes terræ adorant Ecclesiam Romanam*, scilicet omnes ii, qui ex omnibus partibus terræ ad eam confluxerunt, eam *Sanctam*, *Catholicam*, *Orthodoxam*, & *infallibilem* putant, eamque beatam depredicant: *matrem* fidelium, extra quam nulla est salus.

*Adoratur.*

(5. *Fuit*, *non est*, *& tamen est.* *Fuit Draco*, bestia quædam horrenda, sub imperio *Ethnico Romano.* Tamen *non amplius est*, ratione nominis & Religionis, quæ ex *Ethnica* facta est *Christiana*; ut videantur non amplius *bestia*, sed *homines*: Tamen *est*, manet enim *bestia*, ob corruptionem in doctrina, & in moribus, ob potentiam & crudelitatem, sævit enim in fideles, ut antea. Aut etiam *fuit* in Ecclesia Judaica *Cathedra* Mosis, *Urbs*, *Metropolis*, *Templum*, *sedes Religionis*, *Pont. Max. Sacerdotes*, *Altare*, *Sacrificia*, *Cærimoniæ*, *cultus Carnalis*, *Justitia propria*, ex *opere operato*, *traditiones patrum*, *absoluta potestas castigandi.* Hebr. 10. & 12. Hæc omnia *non fuerunt*, nam per Christum fuerunt abolita. Col. 2. Amota sunt omnia. Hebr. 12: 27, 28. 1. Cor. 8: 6. Ps. 82: 7. *Omnia nova facta sunt; vetera ista præterierunt.* Es. 65: 17. & 66: 22. 2. Cor. 5: 17. *Tamen est.* Nam omnia ista *Judaica* in Ecclesiam Romanam postliminio revocata sunt. *Sitiens addita est ebriæ.* Deut. 29. *Leges & tempora mutata sunt.* Dan. 7: 27. Est nova *Cathedra* Papæ, *Roma Metropolis*, *sedes Religionis*, *Templum*, *Altare*, *Sacrificia*, *Pont. Max. Sacerdotes*, *Cærimoniæ*, *Justitia propria*, *traditio &c.* Hæc de *Prima bestia*, quæ est *Ecclesia Romana.*

*Revocat Judaismum.*

XIX. *Secunda bestia* 1. *duo habet cornua*, *similia agno.* Apoc. 13: 11.

*Secunda bestia.*

*Habet duo cornua.*

*Cornua* significant *potestatem*, & *instrumenta*, quibus animalia vim exercent. *Agnus* est Christus, qui tollit peccata mundi. *Christus* habet *cornua*, id est *potestatem*; & *duo* quidem *cornua*, *claves Cœli* & *inferni*, *vitæ & mortis*. Matth. 16: 19. Apoc. 1: 18. Aut etiam habet *verbum* suum *Vetus* & *Novum Testamentum*, per quæ exercet omnem vim, in convertendis hominibus. 2. Hæc *bestia* dicitur *Pseudopropheta*, quia falsa docet. Apoc. 16: 13. & 19: 2, 3. *Meretrix* quæ priori *bestiæ* insidet. Apoc. 17: 3. *Insidere bestiæ* est eam regere & gubernare, ut eques equum. Ergo *secunda bestia* est aliquis *homo animalis*, vero Spiritu Dei destitutus, qui populos & Regna, sive Ecclesiam istam, quæ ex Gentilismo ascendit, regit & sibi subjecit. *Meretrix* est ea, cum qua homines scortantur. *Scortatio* dicitur idololatria, & cum aliquo *scortari*, est eum *adorare*. Es. 57: 7, 8. Jer. 2: 20. Ezech. 16. Oseæ 2: 2. & 4: 12. Ecclesia igitur ista externa, multis constans populis, & ex Gentilismo nata, adorat eum per quem regitur. 4. Secunda hæc bestia persuasit populo, ut *facerent imaginem bestiæ*. Apoc. 13: 14. ut aliquem eligerent, qui repræsentaret totam Ecclesiam; nam *imaginis* est rem *significare*. Et isti quidem *imagini* debebat *dari Spiritus ad loquendum*. Vers. 15. 5. *Huic bestiæ data est potestas in primam bestiam, eaque effecit, ut omnes populi primam bestiam adorarent*. Vers. 12. 6. *Dedit omnibus hominibus signum in manu dextra, & in fronte, sine quo nemo potest emere nec vendere*. Vers. 16. 7. *Obtrusit sua dogmata, carimonias, traditiones & decreta*, cogitque homines ad professionem nominis sui: ut quicunque nollet nomen suum profiteri, & in omnibus suis nollet ostendere dogmata sua, decreta ac traditiones, usque se subjicere, nullo gauderet beneficio, nec temporali, nec cœlesti, nec politico, nec Ecclesiastico. 8. *Numerus hujus bestiæ*, erat *numerus hominis*, 666. Vers. 18.

*Est Pseudopropheta.* *Meretrix.* *Est imago.* *Ei data est potestas.* *Dat signum in manu & in fronte.*

*Secunda bestia est Papa.* *Duo ejus cornua.*

XX. Quemadmodum *prima bestia* est ipsa *Ecclesia Romana*, ita & *secunda* nihil aliud est quam ejus *Caput* & *Monarcha*, qui est *Papa Romanus*. (1. Habet *Papa duo cornua*, *ut agnus*; id est arrogat sibi *Papa* potestatem Christi *in cœlo* & in *terra*; ejus se dicit *vicarium*, quare se depingi curat cum *duabus clavibus*. Sed & libris duobus *Veteris* & *Novi Test.* abutitur; cum potestatem suam ex iis vane probare conetur. (2. Est *Pseudopropheta*, cum doceat plane aliam doctrinam, quam Christus, doctrinam falsam & mendacem, uti notum est. (3. Est *Papa* illa *meretrix* cum qua scortantur omnes Principes,

*Est Pseudopropheta.* *Est Meretrix.*

pes, quam adorant, cujus benedictiones, preces, benevolentiam & fœdera quærunt, cui dant dona, integras Provincias, tributa solvunt. Cujus doctrinam venerantur, quem dicunt *Sanctum, sanctitatem*, quem humeris gestant, cujus pedes osculantur. (4. *Imago* Primæ bestiæ, sive Ecclesiæ Romanæ, est *Papa*, tantum enim obtinuit ab istis Populis, quibus nunc insidet, ut se reciperent *caput* & *Monarcham*, & qui totam Ecclesiam solus *repræsentaret*, tanquam ejus *imago*. Unde etiam impia ista explicatio verborum Jesu Chr. *dic Ecclesiæ*, id est *Papæ*. Obtinuit etiam ut non esset *imago muta*, sed *loquens*: cum per doctores suos toti mundo nunc persuaserit, se habere Spiritum S. & infallibilem, leges atque decreta sua, quæ loquitur & pronunciat ex Cathedra, esse divinas ejusdemque auctoritatis ac ipsas leges Divinas. (5. *Potestatem habet in primam bestiam* cui insidet, in omnes populos, qui Ecclesiam Romanam constituunt, quibus imperat, eos regit, legesque præscribit, tanquam Caput & Monarcha. Sed & primam istam bestiam, cui insidet, & quam gubernat, id est Ecclesiam Romanam, deprædicat *gloriosam*, *felicem*, *infallibilem* & *beatam*, ut undique homines ad eam confluerent, eandem doctrinam secum profiterentur, eamque admirarentur & se adorarent. (6. *Dogmata* & *Cærimonias* Ecclesiæ Romanæ ita obtrusit, ut hodie sint vera *signa* & *characteres Papæ*: ut quicunque ea recipere nollet, nullum habere possit commercium, nec ad ullam dignitatem, sive Ecclesiasticam, sive politicam aspirare ausit. (7. *Numerus* 666. optime convenit *Papæ* Romano ejusque Ecclesiæ. Est numerus *hominis* id est qui ab homine potest intelligi. Numerus 666. ratione doctrinæ & illius corruptionis, quæ non habet numerum *quadratum*, sed talem, si multiplicetur per se, ut semper aliquid *desit* aut *abundet*: ut si multiplicentur 25. per 25. habebis 625. Ergo desunt 41. Si vero 26. multiplicentur per 26. abundant 10. Ita Ecclesia Romana multa *adjecit* dogmata falsa; multa *rejecit* vera. Cum numerus veræ Ecclesiæ sit 144000 Apoc. 7:4. cujus radix est 12. ubi nihil abundat, nec deficit; cum ejus doctrina sit vera. Deinde ΛΑΤΕΙΝΟΣ, teste Irenæo, notat 666. Est autem *Papa* vere *Latinus*, & *Latinorum* Caput; quare ejus *Ecclesia Latina* vocatur. Ita & רומיית *Romana*, scilicet, Ecclesia faciunt 666. Ita & inscriptio ac titulus superbus: PaVLo. V. VICe Deo. Manifestum igitur est, omnia illa, quæ de *Antichristo* in Scriptura S. dicuntur, ad amussim convenire *Papæ Romano*, ut is, non alius, sit *Antichristus*.

*Est imago totius Ecclesiæ.*

*Habet potestatem in primam bestiam*

*Ejus signa & Characteres.*

*Numerus bestiæ 666.*

ΛΑΤΕΙΝΟΣ.

 XXI. In-

*Antichr. non est ex tribu Dan.*

XXI. Ineptissime igitur *Pontificii* docent: *Antichristum* esse certum aliquem hominem singularem, ex tribu *Dan*, qui se dicturus sit *Messiam*, quem Judæi exspectant, qui cultum Judaicum & templum restituet Hierosolymis, totum mundum sibi subjiciet, ac tribus annis cum dimidio regnabit, quo tempore elapso, à Christo in monte Oliveti conficietur. Quæ quam sint falsa, patet. (1 quia Judæi exspectant Messiam, ex tribu *Judæ*, non ex tribu *Dan*. (2. *Antichristus* debet esse *apostata*, sed talis non potest esse *Judæus*, qui nunquam in Christum credidit. (3. Nulla ratione dici potest *Judæus* habere *duo cornua similia agno*. (4. Urbs Hierosolymitana non reædificabitur. (5. Quæ de Antichristo dicuntur tempore tam brevi, trium cum dimidio anni, fieri non possunt.

*Errores Grotii de Antichristo.*

XXII. Delirat & *Grotius*, qui varios ponit *Antichristos*. I. Per *hominem peccati* & *filium perditionis*, 2. Thess. 2: 3, 4. intelligit Imperatorem *Caligulam*: Cum istis temporibus *Caligula* jam obierit: ille autem de quo Paulus, debuerit *revelari* ut jam mortuum prædixisset Paulus *Antichristum*, non futurum, quod fuisset absurdum. II. Per τὸν ἄνομον qui erat revelandus intelligit *Simeonem Magum*. Sed male: cum ὁ ἄνομος sit ipse *homo peccati*, & *filius perditionis*. Ergo Simeon *Magus* est ipse *Caligula*, qui jam diem clauserat. III. Per *Antichristum* qui *venit*, 1. Joh. 2: 18. intelligit *Barcochab*, qui se dixerat Messiam sub *Adriano Imperatore*, & Judæos ad seditionem induxerat. Sed errat: cum *Barcochab* à fide non defecerit; nunquam enim in Christum credidit. Nec ullo sensu unquam sedit in *Templo Dei*. Non in Templo *Hierosolymitano*; cum tunc dirutum fuerit. Non in *Ecclesia Christi*; cum eam non agnoverit pro Ecclesia, nec ulla miracula ediderit, nec ficta, nec vera. IV. *Antichristi multi*. 1. Joh. 2: 18. non sunt *Judas Galilæus*, *Theudas*, Ægyptius ille Act. 5. 36, 37. Nec *Simeon Magus*, ut idem *Grotius* male docet; cum isti omnes fuerint, antequam Johannes hæc scriberet. Sed scribit de Antichristo *futuro*, non jam *præterito*. V. *Bestia ascendens e mari*, ab eodem male statuitur *Idololatria*, & *bestia ascendens ex terra*, *Magia*, Apoc. 13. Non enim ibi describuntur *vitia*, sed *homines & Regna*. Deinde non erat exspectanda *Idololatria*, nec *Magia*, cum ante tempora Johannis jam regnaverint plus satis. VI. Nec verius dicitur *bestia secunda*, *Apollonius Thyanæus* Magus: cum sub Domitiano vixisse dicatur, id est ante Johannem; at Johannes vaticinatus est, de rebus futuris, non de præteritis. Quidquid porro *Grotius* dicat

de

de *Imperatoribus* Gentilibus Romanis quibusdam, quos vult *Antichristos*, hac una ratione refutari potest, quod tempore Imperatorum *priorum*, Antichristus aliquid *moliretur* quidem, sed tamen nondum *revelatus* fuerit, nec *revelari* potuerit; cum esset aliquis qui eum *impediret*. 2. Thess. 2. nempe imperator Romanus. Sed Imperatorem nemo impedire potuisset. Ergo alius quis, quam Imper. Romanus intelligendus est.

*Errores Judæorum de Antichristo.*

XXIII. Ineptiunt etiam *Judæi*, qui *Antichristum* sibi quoque fingunt, id est *hostem*, qui se opponat ficto suo *Messiæ*, id est *uncto*, sive *Christo*; qualem dicunt esse, nescio quem, *Armillum*, ארמילום quasi ἐρεμολάος· *vastator populi*, qui Romæ nasciturus sit, ex *marmore*, & qui primo Messiam, filium Josephi superabit: sed postea ipse tandem vincetur ab altero Messia, filio Davidis. Quæ fabula inter Judæos nata videtur cum ipso *Antichristo*, temporibus, quibus *Antichristus* revelatus est.

*Refutantur argumenta Pontificior.*

XXIV. Futilia sunt argumenta, quibus *Pontificii* probare conantur *Papam* non esse *Antichristum*, veluti I. *Antichristus debet esse persona singularis, Ergo non Papa: cum fuerint & futuri sint plures Papæ.* Sed omnes *Papæ* unum tantum faciunt *Antichristum*: quia omnes eandem docent doctrinam quemadmodum Ecclesia Romana semper una eademque est, quamvis hodie alii vivant homines ex quibus componitur, ita & unum idemque caput est. II. *Antichristus exprimitur per articulum demonstrativum ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱός, ὁ ἄνομος.* 2. Thess. 2: 3, 4. *Ergo certam personam cognitam significat, quod de Papa dici non potest.* Sed 1. articulus ὁ sæpe significat hominem aliquem *indefinitum*. 2. Si vel maxime *demonstret* aliquem *definitum*, id potest intelligi de hominibus ejusdem conditionis, ut magis respiciatur ad definitam conditionem hominis, quam ad certam personam. Tandem definitus dici potest repræsentative & successive. III. *Antichristus dicitur unus Rex.* Dan. 7. & 11. & 12. Eodem sensu ut *Pharao* Rex Ægypti, aut *Cæsar* vel *Rex Romanorum*, quamvis fuerint plures *Cæsares*, & *Pharaones* successive. IV. *Antichristus dicitur filius perditionis*, 2. Thess. 2: 3. *sed filius perditionis dicitur de homine.* Joh. 17: 12. Sic dicitur κατ' ἐξοχὴν ut *Judas*. Ita & *Antichristus* per successionem semper est *filius perditionis*. V. *Ante adventum Antichristi Evangelium debet prædicari per totum mundum.* Matt. 24: 14. *Hoc nondum factum est. Ergo Antichristus nondum venit.* Jam tempore Pauli prædicatum fuit per totum mundum. Col. 1: 6. Sed ex isto

loco non probatur Euangelium debere prædicari per *totum mundum*, ante adventum Antichristi; sed tantum ante finem mundi. VI. *Tempore Antichristi erit tribulatio, qualis nec fuit, nec erit.* Matt. 24: 21. *talis tribulatio nondum fuit.* Nondum probatum est ibi agi de *Antichristo.* 2. Satis magnam tribulationem sensit Ecclesia per Antichristum, & præteritis & nostro sæculo. Quis novit quanta mala adhuc excitaturus sit Antichristus, sive *Papa*, ante integram ruinam suam. VII. *Sub Antichristo cessabit sacrificium juge, id est Missa.* Dan. 11: 31. & 12: 12. Sed *Sacrificium juge* est Sacrificium Christi, & ejus meritum. Hoc autem cessat per *Papam*, cum in ejus locum introduxerit Sacrificium imaginarium Missæ. VIII. *Enochus & Elias cum Antichristo pugnabunt, quod nondum factum est. Ergo nondum venit Antichristus.* At hæc est fabula *Pontificiorum*, quæ nunquam probabitur. *Angelus* ille, sive *Elias*, non est *Elias Patriarcha*; sed *Johannes* præcursor Jesu Christi. Luc. 1: 17. Matth. 11: 14. Deinde Malach. 4: 4. fit mentio de *Elia* tantum, non de *Enocho.* Quod porro attinet *duo testes.* Apoc. 11: 3. non sunt *Enochus* nec *Elias*; occidendi enim sunt, quod de *Enocho* & *Elia* intelligi non potest. Duo igitur isti testes sunt *Vetus* & *Novum Testamentum*, quæ de veritate testantur, quare à Papa rejecti sunt, & ob contemptum ac neglectum quasi interfecti dicuntur. IX. *Antichristus debet regnare tantum tribus annis cum dimidio.* Dan. 7: 25. & 12: 7. Sed tot anni conficiunt 1260. dies. Singulus autem dies significat integrum annum. Ezech. 4: 6. Dan. 9: 24. Apoc. 12: 6. & 11: 2. ubi ponuntur 42. menses. Incepit *Antichristus* regnare circa tempora *Chlori* & *Constantini Mag.* anno 292. post natum Christum usque ad *pacificationem Passaviensem*, Anno 1552. quæ faciunt annos 1260. quo tempore magna tranquillitate & auctoritate Regnum suum occupavit. X. *Antichristus oriundus est ex Judæis, ex tribu Dan.* Gen. 49: 17. Jer. 8: 16. *qui & Rex Aquilonis vocatur.* Confer Num. 2: 25. Es. 14: 13. Dan. 11: 7. Hæc deliria à *Pontificiis* nondum probata sunt. Vide Thes. XIX. XI. *Antichristus* debet sedere in *Templo Dei. Ergo Hierosolymis, non Romæ.* 2. Thess. 2. At *Templum Dei* significare Ecclesiam Christianam supra jam probavimus. Thes. XI. XII. *Antichristus debet sedere in foro Magnæ Civitatis, quæ vocatur Spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi Dominus crucifixus est.* Apoc. 11: 8. *Sed Christus est crucifixus Hierosolymis, non Romæ. Ergo Antichristus debet sedere, Hierosolymis non Romæ.* At vero *Sodoma & Ægyptus* olim crudeliter af-

flige-

fixerunt J. Chr. in membris suis, i.e. in veris Israelitis, ut Christus ibi quasi *crucifixus* sit. Hinc & Moses in *Ægypto tulit opprobrium Christi.* Hebr. 11. Erant igitur *Sodoma* & *Ægyptus* picturæ istius loci, ubi Antichristus sedem habet, & ubi Christus in membris suis crudeliter *crucifixus* est, quemadmodum id factum est *Romæ*, & ex decreto Papæ Roma ad reliquos populos per totam Europam misso. Deinde quæ de *Antichristo* dicuntur alia sunt & majora, quam ut *Hierosolymis* tantum fieri potuerint. Adde quod urbs *Hierosolymitana* ita diruta sit, ut de Novo ædificari nunquam debeat. Matth. 24: 2. Dan. 9: 26, 27. XII. *Antichristus negabit Christum venisse in carne, eumque esse verum Deum.* 1 Joh. 2: 22. & 1 Joh. 4: 2, 3. At idem facit *Papa* non directe, sed indirecte, magis factis, quam verbis. Docet enim Christum venisse *in pane*, & fieri *ex pane*, magis quam *ex sola virgine.* Perinde sane est ac si negaret Christum venisse in carne ex virgine, cum non possit fieri ex carne & ex *pane* simul. Docet *justificationem per bona opera*; ponit *liberum arbitrium*, *adorationem creaturarum*; seipsum dicit *Deum*, & tanquam *Deum* jubet *adorari*; præscribit conscientiæ alias leges, quam Christus: quare magis *liberum arbitrium*, immo seipsum dicit Deum quam Christum. XIII. *Antichristus ignem facit descendere de cœlo.* Apoc. 13: 13. Hoc autem facit *Papa* quando ignes excommunicationis conjicit ex capitolio, tanquam è cœlo, in Principes, in Regna & Populos. Sed & jactat Ecclesia Romana sua *miracula* per ignem. XIV. *Antichristus facit imaginem bestiæ.* Ap. 13: 15. De hac *Imagine* vide supra Thes. 18. & 19. Num. 5. XV. *Numerus Antichristi est* 666. Apoc. 13. Hunc numerum convenire *Papæ.* vide Thes. 18. & 19. Num. 6.

## CAPUT XXXII.

### *De Casu Antichristi.*

I. HActenus de Antichristi *ortu*, *persona* aliisque rebus, quæ eum spectant. Nunc de ipsius *Casu.* Nam quemadmodum Regnum *Antichristi* fuit prædictum, ita quoque tale prædictum fuit, quod deberet habere finem. Potest autem Regnum ejus concipi vario modo. I. Ut *Crescens* & in vigore suo. II. Ut *Languescens* ac *decrescens*: & tandem III. Ut plane *deficiens.* Aut etiam secundum varias periodos & Ecclesiæ fata conspici potest,

*Regnum Antichristi concipitur triplici modo.*

*Antichristus in embryo.*

test, ut *embryo*, jam modo conceptus, qualis fuit jam tempore Apostolorum. Ut jam circa tempora Pauli motum aliquem vitalem in utero matris suæ superbiæ ostenderet, ac conatus quosdam erumpendi, nisi fuissent aliqui, nempe Imperatores Romani, qui impediebant. 2. Thess. 2. Accrevit Antichristus ac vires magis magisque acquisivit, quum introducerentur distinctiones inter *Clericos & Laicos*, variique ordines Monachorum & Monacharum, quum alter altero se digniorem & præstantiorem existimaret. Hinc *Subdiaconi*, *Diaconi*, *Archidiaconi*, *Presbyter*, *Archipresbyter*, *Episcopus*, *Archiepiscopus*, & *Patriarcha*. Tribus prioribus sæculis, post natum Christum, *embryo* fuit *Antichristi* & tanquam in utero materno gestans tandem, viribus auctis & partibus ejus formatis, quum diutius tam angusto loco claudi non posset, moliebatur liberum respirare aera, & *virile robur* acquirere. Hinc erumpit, claustro se liberat, ac *nascitur*, circa tempora Constantini Magni, sub finem tertii sæculi.

*Est infans.*

II. *Infans* adhuc erat *Antichristus* & viribus debilis, si cum sequentibus sæculis comparetur; Nam adhuc Imperatoribus erat subjectus, ab eorum arbitrio atque Pœdagogia dependebat. Sed & de jure Primogeniti cum fratribus sæpe accerrime disceptatum est, rebus in dubio positis, cum adhuc incertum esset, uter fratrum obtineret Primatum, *Constantinopolitanusne* Episcopus, an vero *Romanus*? Donec tandem Romanus *Bonifacius* III. calliditate, artibus ac adulatione robustior fratrem Constantinopolitanum supplantaverit, per Imperatorem *Phocam*, post horrendum parricidium, *ephebus* factus fuerit, virilesque vires acquisiverit, immo totam Ecclesiam Oecumenicam ab eo quasi *matrimonio acceperit*, à quo tempore se gessit ut *virum robustum*.

*Est vir.*

*Regnum Antichristi crescens.*

III. Erat igitur Regnum Antichristi *crescens* & in aliquo vigore, à temporibus *Chlori* & *Constantini magni*, sub finem tertii sæculi, usque ad *Pacificationem Passaviensem*, id est ab anno 292. usque ad annum 1552. spacio 1260. annorum, secundum prædictionem Johannis, Ap. 11: 2. quod Gentiles *calcaturi sint atria Templi Dei* 42. menses. Per *Gentiles* ibi intelliguntur mancipia Antichristi, qui falsa sua doctrina, de *libero arbitrio*, *justificatione* per *bona opera*, *purgatorio*, *Idolomania*, *invocatione sanctorum*, *adoratione panis*, *traditionibus humanis*, *laniena*, *tyrannide*, & in sanctos *crudelitate* atque *odio*, non intrant quidem in *templum* ipsum, id est non adorant Deum in Ecclesia vera fide ac pietate, sed in *atrio* templi remanent, illucque con-

conculcant, nempe à Constantino Chloro, anno 292. ad annum 1552. quo tempore Ecclesiæ per edicta Cæsaris magna concessa est libertas & quies. Itaque, pace per Imperatorem Ecclesiæ data in *Germania*, consequuta & data est pax Ecclesiæ in *Dania*, *Suecia*, *Polonia*, *Hungaria*, *Bohemia*, *Transylvania*, *Anglia*, *Gallia* & alibi: ut Ecclesia per totam fere Europam se à Populo *Antichristi* separaverit, & tandem desierit ab *Antichristianis*, tanquam à *Gentilibus conculcari*.

IV. Toto igitur hoc tempore 1260 *dierum*, sive potius *annorum*, (nam secundum stilum Prophetarum *dies* significat *annum*, uti patet Ezech. 4: 6. Dan. 9: 24. &c. ubi LXX. hebdomadæ significant tot *annos*, quot continent *dies*) *Antichristus* semper Ecclesiam persequutus est. Coacta enim fuit mulier, id est vera Ecclesia, quæ Christum vera fide enixa est, *auffugere in desertum*, id est inter gentiles; donec inveniret *locum à Deo paratum*, ubi aleretur per 1260. dies, Apoc. 12: 6. quem *locum invenit* in Imperio Romano, tempore *Constantini Magni* anno 292. à quo incepit *nutriri*, tanquam à vero Ecclesiæ nutritio, usque ad annum 1552. quando facta est *Pacificatio Passaviensis*.

*Antichristus Ecclesiam persequitur.*

V. *Languescere* ac *decrescere* cepit AntiChristus circa eadem tempora *Caroli Quinti*, post *Pacem Passaviensem*, anno 1552 initam. Tunc enim fideles respirare ceperunt, & Euangelium publice ac libere prædicatum est per Germaniam; quo exemplo alii Principes inducti, & in suis ditionibus paulatim libertatem & sumpserunt & dederunt Euangelium prædicandi; ut Papatus multum amiserit in *Germania*, *Gallia*, *Polonia*, & *Hungaria*, immo ut plane extinctus fuerit in *Anglia*, *Dania*, *Suecia*, in *Belgio fœderato*, *Helvetia*, & alibi. Et quamvis Papatus aliquando vires resumat, quibusdam in locis, ubi nonnunquam Reformati persequutiones patiuntur, ut nunc in *Gallia*, *Hungaria* & alibi: nihilominus tamen semper erunt fideles, qui Regno *Antichristi* strenue resistent, illudque oppugnabunt, donec tandem plane concidat. (1. quia durare debet tantum *usque ad tempus*, *& tempora particulamque temporis*. Dan. 7: 25. (2. *Deus removebit sceptrum improbitatis*, Ps. 125: 3. & *interficiet improbum spiritu oris sui.* Es. 11: 4. Est *caput quod confringetur.* Ps. 110: 6. (3. Regnum *Antichristi* dicitur *Babylon*, quæ *delenda est*. Apoc. 16. Nec *amplius invenietur Babylon.* Apoc. 18: 21. (4. *Bestia per agnum vincetur*, *& delebitur.* Ap. 17. & tandem *conjicietur cum falsis*

*Antichrist. languescit & decrescit.*

*ſuis Prophetis in ſtagnum ignis.* Apoc. 20. (5. *Duo teſtes* debent *reviviſcere*, id eſt *S. Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti* prædicari debet, quemadmodum id aliquoties factum eſt, per *Berengarium*, *Wikleſium*, *Hieronymum Pragenſem*, *Johannem Huſſium*, per *Waldenſes*; maxime autem tandem per *Lutherum*, *Zwinglium*, *Calvinum* aliosque tempore *Reformationis.* Et *amicti* quidem *Saccis*, id eſt in magna perſequutione, ſummo periculo vitæ, profundiſſimaque triſtitia ob ſanguinem martyrum, quem videbant quotidie fundi propter veritatem, quam teſtabantur. Et tandem ſubſequi debet *caſus Babylonis.* Vide Apoc. 11: 3. & 16. *Lapis exciſus*, J. Chriſtus, *confringet imaginem*, id eſt *AntiChriſtum*, *& ut paleam diſſipabit.* Daniel. 2: 35.

*Regnum Antichriſti deſerendum à fidelibus.*

VI. *Babylon*, id eſt Regnum Antichriſti deſerendum erat à fidelibus. *Exite è Babylone.* Eſ. 48: 20. Jer. 51: 6. Apoc. 18: 2, 4. Hoc autem factum eſt, præſertim ſæculo præterito, tempore *Reformationis.* Adeo ut in medio *Ægypti ſpiritualis*, id eſt in medio iſtorum populorum, ubi olim *Antichriſtus* regnavit & nunc regnat, ſint *quinque civitates*, nempe quinque *dominationes*, quæ *loquuntur linguam Canaan*, id eſt linguam ſanctam, ſive res ſanctas, quæ in Veteri & Novo Teſt. continentur, uti fit præſertim in *Anglia*, *Dania*, *Suecia*, *Helvetia* & *Belgio fœderato.* Vide Eſ. 19: 18. Tamen poſt hunc exitum debuit adhuc manere *Babylon*, id eſt Regnum Antichriſti, ſed ut *Domicilium Dæmonicorum*, *& omnes avis impuræ.* Eſ. 34: 11. &c. Apoc. 11. id eſt remanebunt in Eccleſia *Romana*, *ſuperſtitiones*, *idololatria*, *hæreſis*, *luxus* omneque *genus impietatis*: donec tandem funditus evertatur per regnum J. Chriſti glorioſum, quod ultimis temporibus promiſſum eſt.

*Reformati Eccleſiam Romanam juſte deſerebant.*

*Rationes cur Eccleſia Romana deſerenda.*

VII. Hinc patet, *Reformatos* neceſſario *exire* debuiſſe *ex Eccleſia Romana*: adeoque injuſte eos accuſari à *Pontificiis* ſchiſmatis, quaſi ſolo pruritu innovandi Eccleſiam Romanam deſeruiſſent. Habemus ſane cauſas juſtiſſimas, ob quas Eccleſiam Romanam deſeruerimus. Illæ autem, præterquam quod exſertis verbis omnes fideles moneantur, ut *exirent ex Babylone*, tres ſunt. I. *Doctrina falſa*, & in nonnullis *hæretica.* II. *Idololatria* manifeſta. III. *Aperta tyrannis*, & *horrenda perſequutio*, contra omnes, qui doctrinam Papæ amplecti non poterant, quæ, quam facile probentur, omnibus patet. Et 1. quidem *doctrinam eſſe falſam*, immo & in nonnullis *hæreticam*, manifeſtum eſt; cum doceant *juſtificationem per bona opera*, unde evertunt

tunt *meritum* & *mortem Christi.* Nam *si justificatio est per legem, Christus frustra mortuus est.* Gal. 2:21. Ejusdem generis est *Transsubstantiatio*, per quam negatur vera natura humana, ex virgine *Maria*, cum doceatur, *Christum fieri ex pane.* Eo tendit *Sacrificium Missæ*, per quod negatur sacrificii & mortis Christi sufficientia. II. *Idololatriam* aperte doceri, omnibus notum est: cum Deus depingatur sub forma *corporea*, cum ipsæ *imagines*, *sancti sanctæque*, & tales quoque qui nunquam fuerunt in rerum natura, ipse *Papa*, immo *placentula* adoretur ut Deus, quæ omnium est crassissima *Idolatria.* III. De *tyrannide* Ecclesiæ Romanæ non est quod multa dicamus: clamant enim *sanguis* tot millenorum *martyrum*, præsertim præterito sæculo. Ut dici debeat, non tam *exiisse* Reformatos ex Ecclesia Romana, quam quod *ejecti* fuerint; nec tam *deseruisse* Ecclesiam, quam quod ex Regno AntiChristi Idololatrico, falso & tyrannico, *aufugerint*, ad veram Ecclesiam Christianam, & quæsiverint καλοὺς μαργαρίτας. Mat. 13:45.

VIII. Insulsa sunt, quæ à *Pontificiis* objiciuntur, ut nobis persuadeant, nos male egisse, quod Ecclesiam suam deseruerimus. Veluti I. *Si mater, forte ob senectutem deliraverit aliqua in re, non tamen ideo à filiis proscindenda est calumniis, nec deserenda, sed filiali amore omnia sunt ferenda.* Mater non exercet tyrannidem, non trucidat filios. Non fuit igitur *Mater* Ecclesia Romana, sed *injusta noverca.* Nec levia erant ipsius *deliria*, sed gravissima peccata, *hæresis*, *Idololatria* & *scelera* manifesta. II. *Lutherus, Calvinus cum suis debeant se submittere Concilio.* Sed 1. in rebus fidei, nulla Synodus nobis potest obtrudere dogmata. 2. Concilium Ecclesiæ Romanæ non est Concilium legitimum. (1. quia iidem sunt adversarii & judices. (2. Membra Concilii pro norma sibi proposuerunt, non *verbum Dei* tantum, uti opportuit, sed & *decreta Conciliorum* præcedentium, *placita* & *nutum Papæ*, ut jurare coacti fuerint, se contra *decreta Papæ* nihil acturos. III. Si *Prophetæ non erexerunt nova altaria, ob Idololatriam, aut alium errorem Ecclesiæ*; causa est quod non potuerint sub Veteri Test. cum affixi fuerint certo loco, tanquam sedi Religionis, quem Deus sibi elegerat. Deut 16:5, 6. Tamen falsum cultum sæpe repurgarunt. IV. *Christus Ecclesiam suam non seperavit a Judaica*, quia nondum erat abolitio Veteris Test. sed tantum post effusionem Spiritus S. & ruinam Templi. V. Non verum est *Ecclesiam Romanam retinere fundamenta salutis, etiam in ne-*

*Respondetur ad Argum. adversar.*

*gotio justificationis, ideo quod doceat, nos esse justificatos per Christum:* ita enim docet; ut simul doceat *justificationem per bona opera*, quæ sunt ἀσύςατα, ut prius per posterius evertatur. Ita & falsa docent de natura Christi humana, de corpore ejus ex pane, de sacrificio Missæ, de Idolomania, & cultu creaturarum &c. VI. *Non potest dici quo tempore Ecclesia Romana corrupta sit.* At non potest dici, quo tempore æs corrosum sit ærugine, tamen constat esse corruptum. Corrupta est, quando abiit à vera doctrina. Sed abiisse patet, si ad lapidem lydium Scripturæ S. probetur. Hominibus dormientibus hostis seminavit zizania. Mat. 13.

IX. Falso dicunt: *Reformatos abiisse ab Ecclesia Romana, sed Romanam Ecclesiam non abiisse ab ulla alia.* Nam 1. Ecclesia Rom. abiit ab Ecclesia *Apostolica*, uti patet, si ejus doctrina ad Scripturam S. examinetur. 2. Nos non tam *exivimus* ex Ecclesia Romana, quam quod *ejecti* simus per hæresin & tyrannidem. VIII. Non sequitur: *si Ecclesia Romana corrupta fuit, Ergo perierunt patres nostri.* 1. Cum in ipsa Ecclesia Romana latitaverint veri fideles, qui omnes ejus errores non admiserunt, & qui, sepositis scoriis istius doctrinæ, solum aurum retinuerunt. 2. Patres nostri erant in captivitate: ut non potuerint semper exire ex Babylone. 3. Multi veritatem fundamentalem agnoverunt, in qua acquieverunt, & in ea salutem quæsiverunt, non deprehensis omnibus erroribus, aut profunditate satanæ. At vero hodie, cum *profunditates* satanæ agnoscamus, in tam clara luce errores videamus, periculumque inde imminens animadvertamus, non possumus, salva Conscientia, contra errores non clamare. Cum autem ferro & igne nos persequantur, dicendum est, nos ab Ecclesia Romana *expelli*, ut nulla ratione in ea remanere possimus. 4. Tandem gentiles idem objecerunt Apostolis, & Ecclesiæ primis doctoribus.

## CAPUT XXXIII.

*De Glorioso Regno Christi, post destructum Regnum Antichristi.*

*Christus in hac terra debet habere Regnum gloriosum.*

I. Quemadmodum *Antichristus* est maximus & acerrimus hostis Jesu Christi, quare etiam vocatur *AntiChristus* & ἀντικείμενος, is qui Christo se opponit, ita regnum Christi multo *gloriosius* fiet post destructum *Antichristum*, quam unquam an-

antea fuit in hoc mundo. Est enim Christus *lapis iste*, qui *confringet pedes ferreos & luteos imaginis*, id est *Antichristum*, qui *luteus* tantum est, cum pedibus *ferreis*, qui sunt *principes*, quibuscum junctus est, eosque *dissipabit tanquam paleam, ut non amplius conspiciantur*: quo facto, ipse lapis evadet *magnus mons, qui implebit totam terram*. Dan. 2: 34, 35. vocatur etiam *mons*, & *altissimus* quidem, *super omnes montes elatus, qui conspicietur per totam terram, & ad quem confluent omnes populi*. Es. 2: 2, 3. Hactenus sane Ecclesia Christi, quæ per istum *montem* intelligitur, tam conspicua nondum fuit, sunt enim multi populi, in Indiis, in Asia, Africa, America, & circa polos, qui ne fando quidem de Christo ejusque Ecclesia quidquam audiverunt. Hactenus magis conspicua fuit Ecclesia *Antichristi*, *Turcica* & *Ethnica*; ut nondum dici possit *elata super omnes montes*; ut illud adhuc exspectandum sit ultimis temporibus. Nondum *intravit plenitudo gentium* (scil. in Ecclesiam) & *totus Israel* nondum *est servatus*, quod tamen fieri debet, secundum Paulum. Rom. 11: 25, 26. Sane pauci ex *Gentibus* hactenus intrarunt, si respiciamus ingentem multitudinem *Ethnicorum* infidelium, quibus adnumerari debent *Turcæ*, qui à Gentilibus vix distinguuntur. Pauci ex *Judæis* servati sunt, sed ingens est eorum numerus per totum orbem. De hoc Regno loquitur & Daniel. cap. 7: 13, 14, 27. Tunc enim obtinebit Christus *Regnum amplissimum*, atque *gloriosum* in hac terra, quale hactenus nondum obtinuit.

*Ecclesia gloriosa est Regnum Chr.*

II. Iste status Ecclesiæ vocatur *Regnum Christi* per excellentiam. Cum non tantum *quædam Regna* in Christum creditura ejusque imperio sese submissura sint, *sed omnia Regna* per totum terrarum orbem, *Gentiles*, *Turcæ*, *Pontificii*, ipsique *Judæi*, saltem plurimam partem, ut pauci sint futuri, qui reluctabuntur. Dicetur enim: *Facta sunt Regna mundi Domini nostri & Christi ejus.* Apoc. 11: 15. *Christus Magnificus splendescit in montibus prædæ.* Ps. 76: 5. id est ejus gloria conspicua erit inter ipsos gentes maxime barbaras, immo & remotissimas, quæ tanquam animalia fera, leones, tigrides, ursæ, lupi &c. in suis lustris hactenus latuerunt, ad discerpendos homines fideles. *Magnificum* igitur *erit nomen ejus per totam terram.* Psal. 8. & 24. Vide Dan. 2: 34, 35. & 7: 13, 14, 27. Es. 2: 2, 3.

*Novum Cælum & Nova Terra.*

III. Regnum Christi vocatur etiam *Novum Cælum & nova Terra*, Es. 65: 17. quia plane aliam habebit faciem Ecclesia quam hactenus. Istum autem locum intelligi non tantum de Regno Christi

in genere ſub Novo T. ſed de Regno ejus *glorioſo*, ultimis temporibus, patet com. ult. ubi dicitur quod *ſerpentes lingant pulverem terræ, nec amplius poſſint nocere*, id eſt quod *Diabolus* & *impii*, qui ſunt *ſemen ſerpentis*, Gen. 3. non amplius poſſint nocere fidelibus, quod hactenus nondum viſum eſt. Eſt igitur adhuc exſpectandum. Vide Apoc. 21.

*Hoc Regnum quoad ipſam eſſentiam non differt ab eo quod nunc obtinet.*

IV. Hoc autem non erit *Novum* aliquod *Regnum*, quod Christus nunquam antea obtinuerit: unicum enim Regnum habet Chriſtus in fœdere gratiæ, ab Adamo uſque ad finem mundi; ſed varia habet tempora, periodos, OEconomias & fata. Aliud erit tantum ratione *extenſionis*, majoris *perfectionis* & *gloriæ*. Nec *terrenum* erit, quaſi Chriſtus ipſe in corpore præſens eſſet futurus, quemadmodum olim tempore Apoſtolorum, & ut ſolent Reges hujus mundi: nam *Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo.* Joh. 18: 36. ſed per *ſpiritum* regnabit, uti & nunc, quamvis excellentiori modo. Nec bona, quæ affert civibus ſuis, erunt bona tantum *peritura*; nec in hoc mundo dabit gloriam & fœlicitatem, quali fruuntur beati in cœlis. Erunt bona *ſpiritualia*, quamvis non excludant bona *terrena* majora, quam Eccleſia hactenus poſſedit.

*Regnum Chriſti dicitur glorioſum?*

*I. Propter amplitudinem.*

V. *Glorioſius* igitur erit *Regnum* J. C. ultimis temporibus. I. quoad *amplitudinem*, quoniam Eccleſiæ pomœria magis erunt extenſa quam hactenus, ℵ. Convertendæ enim ſunt *gentes* etiam remotiſſimæ, & forte hactenus ignotæ, quales ſunt circa utrumque polum, in Indiis & ubicunque locorum. *Intrabit* enim *plenitudo gentium.* Rom. 11: 25. *Nulla amplius erunt loca alta & tabernacula inter gentes*, ad colendos falſos Deos. Eſ. 27: 9. *omnes gentes ad montem*, id eſt ad Eccleſiam Chriſti *confluent.* Eſ. 2. & 11: 9. Omnes Reges & Principes eum adorabunt. Pſ. 22. & 72. Eſ. 45: 23. *Omnia Regna mundi erunt Chriſti.* Apoc. 11: 15. & 15: 4. Vide Pſal. 8: & 24: 5. & 76: 5. Dan. 2: 34, 35. & 7: 13, 14, 27. Eſ. 2: 2, 3. & alibi. ב. Sed & *Judæi* exemplo Gentilium *ad zelum commovebuntur*, & ad Chriſtum convertentur, & ſic *totus Iſrael ſervabitur.* Rom. 11: 14, 15, 25, 26, 27.

*II. Propter majorem cognitionem.*

II. Erit major *cognitio.* Nam *plena erit terra cognitione Domini, ut aquis mare operientibus.* Eſ. 11: 9. *Lux ſolis erit ſeptula* Eſ. 30: 26. *Cognitio augebitur*, & *intelligentes ſplendebunt*, *ut ſplendor firmamenti.* Dan. 12: 3, 4. III. Hinc fiet ut *Ethnici*, *Turcæ* & *Judæi* errores ſuos facilius agnituri, veritatemque amplexuri ſint: immo ut ipſi, qui hactenus *Papæ* dogmata docuerunt, ea reſpuant, & veritatem profitean-

teantur: ut non nisi inter paucos Christianorum hæreses, & gentilium idololatriæ supersint. *Populi dicent, ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacobi, docebit nos vias suas, & ambulabimus per ipsius semitas, lex enim exibit ex Sione, & verbum Domini Hierosolymis.* Es. 2: 3. Vide Ps. 98: 2. quæ loca, ut & alia multa, intelligenda sunt de *cognitione Dei*, non tantum in Genere sub Novo Test. sed præcipue de excellentiori illa, quæ vigebit ultimis temporibus. Fiet enim in *conspectu populorum*, id est modo aliquo *glorioso*, & apud omnes populos mirabili, cum id antea non factus fuerit. IV. Erit major *sanctitas* & *charitas* inter fideles. Nec se mutuo proscindent odiis, bellis & diffidiis, uti hactenus sæpissime factum est, *Amovebit enim Deus invidiam Ephraimi, hostibusque Jehudæ excisis, Ephraim non invidebit Jehudæ, & Jehuda non aget hostiliter contra Ephraimum.* Es. 11: 13. *Omnis populus tuus justi* erunt. Es. 60: 21. V. Credibile est ipsa *bella* reliquorum populorum, qui impœnitentes remanebunt, contra fideles cessatura. Ad tantam enim impotentiam & paucitatem redactos eos speramus, ut, etiamsi vellent, tamen non possent nocere piis in regno Christi. Nam *serpentes*, id est *impii*, non poterunt *nocere ipsis etiam infantibus; & neminem afficient malo, neque corrumpent in toto monte sanctitatis meæ.* Es. 11. & 65. *Destructores destruentur.*

*Erit major sanctitas.*

*Major tranquillitas.*

VI. Non tamen existimamus nullum in piis superesse *peccatum* beatis istis temporibus. Nam sanctificatio in hac vita nunquam erit perfecta. Semper erit *lucta inter carnem & spiritum:* sed quod majorem gradum sanctitatis speremus, quam hactenus ordinario obtinuit. Ubi enim major erit *cognitio* majoraque beneficia, ibi major solet esse *sanctitas.* Nec etiam credimus, tunc plane nullum *hostem* Ecclesiæ superesse: quamdiu enim erunt *infideles*, tamdiu erunt hostes Ecclesiæ; ubicunque est *semen serpentis* & *mulieris*, ibi est *inimicitia.* Molientur forte, quantum poterunt, interitum Ecclesiæ: sed omnia eorum molimina erunt vana, tum ob *paucitatem hostium* Ecclesiæ, tum ob specialem custodiam & providentiam Dei; ut vix Ecclesiæ magis possint nocere, quam infans fortissimo giganti in munitissima arce collocato. Et hæc erunt vera *tempora pacis.* Matth. 24: 37. &c. Es. 2: 4. Mich. 4: 4. & *Refrigerii.* Act. 3: 13. *Et urbs Jerusalem* (i. e. Ecclesia) *sedebit secure.* Zach. 14: 11.

*Tamen remanebit peccatum.*

VII. Fœlix autem iste status erit, uti diximus, post integrum casum Antichristi, *ultimis temporibus.* 2. Pet. 3: 3. Ad *ultimam tubam.* Apoc.

*Gloriosum regnum erit ultimis temporibus. Ideo dicitur festum Tabernaculorum.*

Apoc. 11: 15. 1. Cor. 15: 52. Hinc istud Regnum comparatur cum *festo tabernaculorum*. Zach. 14: 16. Cum ob magnam lætitiam atque ingens *gaudium*, uti solebat in festo Tabernaculorum: tunc ob rationem *temporis*, quod istud festum celebrari soleret in fine anni; ita & Regnum Christi gloriosum erit in fine mundi, sive ultima periodo. Et hic status Ecclesiæ repræsentatur per *septimam* ultimamque *Epistolam* ad Laodicæam, per *septimum sigillum*, ac *septimam ultimamque tubam*, soletque dici *septima* & ultima *Periodus* OEconomiæ Ecclesiæ sub Novo Testamento. Quamdiu autem hæc *Periodus* sit duratura, id Deus in verbo suo non revelavit; quare & nobis ea de re silendum est, nisi quod in genere adfirmare possimus, eam non interrumpi ante ultimum Dei judicium.

*Hæc sententia nihil habet commune cum errore Chiliastarum.*

VIII. Ex iis, quæ diximus, patet, hanc sententiam prorsus nihil habere commune cum errore Veterum *Chiliastarum*, quod ante finem mundi Martyres sint *resurrecturi* & *regnaturi cum Christo mille annis* in hoc mundo: cum Regnum Christi *spirituale*, quale semper obtinuit, non quorundam hominum, veluti Martyrum tantum, non definito tempore, per mille annos, sed plane aliud, uti ex dictis patet, doceamus. *Si quis dicat, Ecce hic est*, id est in hoc vel illo angulo terræ, moneamur *ne hoc credamus*. Matth. 24: 26.

*Sententia de mille annis.*

IX. Nec insulsa hæc sententia de *mille annis* probatur ex Apoc. 20. cum *mille* isti *anni* jam diu præterierint. Initium enim habent I. quando *Satanas*, sive *Draco ligatus est, ne diutius noceret gentibus*. II. quando *throni sunt positi & judicium factum est*. Sed *Draco ligatus est*, quum Ecclesiæ Christi daretur pax & respiratio. Hoc autem factum est sub finem tertii sæculi, quando *Constantinus Magnus* finem imposuit *decem persequutionibus* & Ecclesiam magno honore affecit, ut per eum *Draco* ligatus fuerit. Deinde quando idem *Constantinus Magnus* Episcopis magnam concessit potestatem, ut haberent Concilia & Conventus Ecclesiasticos, & quasi *thronos* erigerent, in quibus sederent & judicarent. Isto igitur tempore *mille* isti *anni* initium habuerunt. Durabant autem usque ad annum præter propter 1300. ad Imperatorem *Ludovicum Bavarum*, quo tempore *Antichristus* maximum suum robur habuisse videtur, ut tunc Satanas iterum quasi solutus fuerit, ad seducendos homines, per doctrinam perversam ac per tyrannidem, tanquam alter *Gog* congregando *Magogum*, id est Principes & populos, quos ipse sibi subjectos fecit, ad debellandos fideles & Regnum Christi. Videatur totum Cap. 20. Apocalypseos.

X. Mul-

X. Multo minus dici potest, hæc sententia, de Regno Christi *glorioso*, favere aliis, nescio quibus fanaticis, qui *quintam* nugantur *Monarchiam*; quasi Christus aboliturus esset omnes Reges ac Principes, ut is solus in hac terra regnet, in omnes populos totius terræ, ante finem mundi. Nos enim *Principibus* & *Magistratibus* suam potestatem atque imperium relinquimus, sed eos tantum omnes convertendos, & Christum vera fide amplexuros credimus.

*Error de quinta Monarchia.*

## LOCUS XXV.

## *De Resurrectione, ultimo judicio & de fine sæculorum.*

## CAPUT XXXIV.

### *De Resurrectione.*

I. Regnum Christi gloriosum in hac terra excipiet *Resurrectio*, qui est *quintus* & ultimus *gradus abolitionis fœderis operum*, cum nulla pœna peccati, ob fractum fœdus operum, tunc amplius locum habere possit. Per *Resurrectionem* Scriptura S. nonnunquam intelligit quamlibet restitutionem in statum pristinum. Hoc sensu Jobus sperat se resurrecturum ex miseria, in qua gemebat, Job. 19. quamvis tamen non negamus, eum simul etiam respexisse ad resurrectionem carnis.

II. Resurrectio alia est *animæ*, alia *corporis*, quæ & *carnis* dicitur. Resurrectio *animæ* est spiritualis, prout in *spiritu* magis quam in *carne* consistit, estque duplex: significat enim vel ipsam I. *Regenerationem*, quando homo novam sumit vitam, & quasi è morte spirituali resurgit. Hoc sensu Apostolus hortatur fideles, ut *resurgant ex mortuis*. Ephes. 5: 14. Et sic cum Christo dicimur *resurgere*, & *ambulare in novitate vitæ*. Rom. 6: 4, 5. Idem est quod Christus intelligit per *renasci*, & fieri *novam creaturam*. Joh. 3: 3, 4. Hoc sensu ante regenerationem, vel ante hanc vitam spiritualem, homines dicuntur *mortui in peccatis suis*. Col. 2: 13. Ephes. 2: 1. Sumitur etiam resurrectio. II. *Pro secessione* ab errore & falsa doctrina variisque impietatibus, post agnitam veritatem. Et hæc quidem *Resurrectio* duplex est; alia *Prima*, alia *Secunda*.

*Resurrectio vario sumitur.*

III. Resurrectio *Prima* est ista *conversio* hominum ad Christum, post ipsius adventum; per quam ipsi etiam fideles & jam regeniti inter Judæos, ex Judaismo abierunt ad Christum. Ita & *Conversio*

*Resurrectio Prima*

iſta notabilis *Gentilium*, qui, tempore *Conſtantini Magni*, ex *Gentiliſmo*, abierunt ad Eccleſiam Chriſtianam, dicitur *Reſurrectio prima.* Apoc. 20: 5, 6. Joh. 5. *Secunda Reſurrectio* dicitur ſeparatio fidelium ab *Antichriſto*, quando, ejus fraudes ac falſam doctrinam agnoſcentes, exeunt ex Babylone, tanquam ex fœdiſſimo ſepulchro ſuperſtitionis, idololatriæ, aliorumque errorum, ad veritatem & ſimplicitatem Chriſtianam. Vide Apoc. 20: 5, 6. De hac loquitur etiam Daniel: 12: 2.

*Secunda.*

*Reſurrectio carnis.*

IV. *Reſurrectio* autem *Carnis*, de qua hic agitur, ea eſt, quæ fit ultimo die judicii, & per quam corpus humanum, ſingulari virtute Jeſu Chriſti, per quam ſibi ſubjicit omnia, ex pulvere quaſi renaſcitur ac animatur, ut menti, cui in hac vita junctum fuit, iterum uniatur, & in iſta unione in æternum vivat.

*Ex ſola ratione probari non poteſt.*

V. Ex ſola *ratione Reſurrectio Carnis* probari non poteſt. Quod enim nonnulli hoc dogma probari putent ex eo quod anima naturalem aliquam habeat propenſionem, ut cum corpore ſemper uniatur, nec eam poſſe uſquam frui perfecta beatitudine exiſtiment, niſi in hoc corpore, hoc delirare eſt cum quibusdam Scholaſticis, cum mens beata eſſe poſſit extra corpus, non minus quam in ipſo corpore, & revera beata ſit: quemadmodum enim corpus nihil confert ad eſſentiam animæ, ita quoque nihil facit ad ejus fœlicitatem. Si autem in mente noſtra experiamur *deſiderium conſervandi corpus in vita*, hoc fit tantum ex naturali vinculo inter mentem & corpus, & ex ſpeciali voluntate Dei, qui tale *deſiderium* menti indidit, quamdiu nos in hac vita vult conſervare. Alias ipſa *natura Angeli*, nec corpus ſua natura quidquam facit ad fœlicitatem animæ.

*Tamen non eſt contra naturam.*

VI. Fatemur tamen hoc dogma non eſſe contrarium *naturæ*, nec obſcura ejus veſtigia in natura reperiri. (1. Si enim ex corrupto frumento, ex terra renaſcatur aliud, cur & corpus non poſſet ex terra quaſi renaſci, qualem comparationem inſtituit Paulus. 1. Cor. 15. (5. Sumas arbores, fruticas & herbas, comburas omnia & in cinerem redigas, ac tandem in campum diſpergas, renaſcentur iterum arbores, frutices & herbæ. (3. Naſcitur corpus humanum per generationem tanquam ex nihilo; Nulla igitur eſt ratio, quare corpus humanum non poſſit renaſci per reſurrectionem ex terra, in quam redactum eſt.

VII. Nec dici poteſt quod ſit contra *omnipotentiam Dei*: cum

(1. Deus

(1. Deus ex *nihilo creare* potuerit totum mundum, & spiritus & omnia corpora: ut optime Rabbini dicant: *quod non fuit, illud tamen fuit, quod fuit, an non erit?* Id est, quod *non fuit*, illud tamen factum est *ex nihilo per creationem*, multo facilius igitur id, quod creatum fuit, & in rerum natura existit, quamvis forma ejus externa sit destructa, fieri poterit. (2. Non *major* requiritur *potentia*, ad educendum corpus ex *pulvere terræ*, quam ex alio *luto*, *per generationem*. (3. Habemus *exempla* corporum resuscitatorum, & in Veteri & in Novo Test. veluti *filiæ viduæ Sareptanæ*. 1. Reg. 4. Tales fuerunt *Filius Sunamitidis*. 2. Reg. 4 *Filia Jairi*. Matth. 9. *Tabitha Joppensis*. Act. 9. *Lazarus*. Joh. 11. & tot alii de quibus in verbo Dei fit mentio, qui resurrexerunt. (4. Fuit error *Zaducæorum*, ut negaverint resurrectionem, quia *ignorarunt omnipotentiam Dei*. Matth. 22.

*Nec contra omnipotentiam Dei.*

VIII. Probatur porro *Resurrectio carnis*. (1. Exsertis Verbis S. Scripturæ. Dan. 12: 2. Es. 26: 19. Job. 19: 26, 27. Joh. 5. & ex aliis bene multis. Et quamvis hi loci etiam intelligi debeant, partim de *liberatione ex miseria temporali*, partim de *Resurrectione spirituali*; nihilominus tamen *Resurrectionem Carnis* simul indicant: Omnes enim istæ phrases desumptæ sunt à *Resurrectione Carnis*, ut non possint adhiberi ad significandam *Resurrectionem spiritualem*, quin Spiritus S. præsupponat iisdem verbis *Resurrectionem Carnis*. Imprimis notabile est caput 15. 1. ad Cor. ubi Paulus hoc dogma ex professo inculcat. (2. Hoc postulat *fœdus Dei*. Deus enim totius hominis voluit esse fœderatus; cum autem fœderatis suis promiserit vitam, *fac & vives*, *qui fecerit præcepta mea, vivet in iis*. Levit. 18. certum est omnimodam vitam esse intelligendam, & mentis & corporis, totumque hominem ista vita frui debere. Hinc Christus etiam *Resurrectionem* docet, ex *fœdere* Dei: quod sit *Deus viventium*. Matth. 22: 32. (3. Idem persuadet *opus Redemptionis* per Jes. Christum: redemit enim totum hominem, in *corpore* & in *anima*, ut Deus *glorificetur in corpore & in anima*. 1. Cor. 6: 20. Opportet igitur ut corpus vivat, non minus quam anima. Cum etiam Deus sit dignus, ut in æternum glorificetur, opportet ut in corpore & in anima vivat in æternum: quod, nisi corpus ex terra resurgat, fieri non potest. (4. Patet ex ipsa *incarnatione Christi*: cum enim Christus sumpsisset naturam humanam, corpus & animam, ut totam naturam nostram liberaret ex miseria, & ut esset frater noster; sequitur totum hominem, in corpore & in anima Deum in æternum glorificare,

*Resurrectio probatur.*

care, & cum Christo fratre suo vivere. (5. Idem postulat *Resurrectio Christi.* Resurgere voluit, non tantum ut se victorem demonstraret, sed & ut maneret noster Consanguineus & frater: ergo & nos eandem naturam in æternum retinere debemus. Hinc Christus etiam dicitur *excitatus ex mortuis, ut esset primitiæ eorum qui obdormierunt.* 1. Cor. 15: 20. (6. Ideo tandem justum dicitur apud Deum: ut *bonis bene fiat in hoc mundo, malis autem male.* 2. Thess. 1: 6, 7. Cum autem homo Deum vel glorificet, vel offendat in corpore & in anima, *justum est* ut obtineat vel remunerationem, vel pœnam in corpore & in anima.

*Omnes homines resurgent.* IX. Hæc resurrectio *generalis* est omnium hominum, omnes enim, quodquod sunt, resurgent. Non tantum *pii* ad *vitam* æternam, sed & *impii* ad *pœnam*, quod pessime negant Sociniani, docentes resurrecturos esse solos *pios*, non autem *impios*, hancque esse *Etiam impii.* omnem pœnam reproborum, ut instar animalis bruti extinguantur, & nunquam resurgant, ut suo loco ostendimus. Aliter docet Scriptura S. quæ non minus resurrectionem *impiorum*, quam piorum asserit. *Omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus, & resurgent, hi ad vitam æternam, illi ad mortem æternam, &c.* Joh. 5: 28. Vide 2. Cor. 5: 10. Act. 24: 15. Ita & *Sodomæi, Gomorrhæi, Tyrii, Sidonii, Ninivitæ* & alii. Matth. 10: 15. & 11: 21, 23. Luc. 11: 31, 32. Videantur quæ diximus, ubi de *vita & morte æterna.* Inneptiunt etiam *Judæi*, qui solos *fideles Israelitas* docent resurrecturos, reliquos autem in pulvere remansuros, ex qua cloaca fœtidam suam sententiam hauserunt *Sociniani.*

*Et Infantes & Monstruosi.* X. Ipsi quoque *infantes abortivi* & *monstruosi* resurrecturi erunt: quidquid enim in censum hominum venit, id Deum vel glorificat, vel offendit: ut prœmii & pœnæ sit capax. Ergo & resurgere debet ut coram tribunali Judicis sistatur. 2. Cor. 5: 10.

XI. Cum autem ultimus dies quosdam deprehensurus sit *vivos*, qui non morientur, ita illi proprie non possunt dici *resurgere.* Nihilominus tamen virtute Dei transformabuntur, quæ transformatio ipsis erit tanquam *mors* & *resurrectio* quædam. 1. Cor. 15: 51.

*Anima non dicitur resurgere, sed corpus.* XII. Stricte loquendo totus homo non resurget; *anima* enim, cum non cadat nec moriatur, etiam non potest resurgere. Ut pessime doceant *Sociniani* & *Anabaptistæ*, ipsam quoque animam cum morte corporis quasi extingui, & resurgere. Et quamvis suo sensu dici possit *homo resurget.* (1. quia actiones sunt suppositorum, (2. quia

(2. quia anima unietur cum corpore, non minus quam corpus cum anima: ut ratione unionis animæ corporis *totus homo* resurgere dici possit: stricte tamen loquendo *corpus* resurget. Hinc etiam dicitur *Resurrectio Carnis.*

XIII. Idem etiam corpus numero, quod habemus in hac vita resurget. (1. quia justum est, ut homo in eodem corpore, in quo Deum glorificavit vel offendit, etiam recipiat prœmium vel pœnam. (2. *Oportet ut HOC corruptibile induat incorruptionem, & ut HOC mortale induat immortalitatem.* Paulus loquitur de HOC, non de *alio.* 1. Cor. 15: 53. Ita Jobus. cap. 19: 26. *Videbo Deum in carne mea,* (non in *carne alia*) *oculi mei videbunt, & non alii.* Quilibet debet recipere, prout fecerit bene, vel male *in suo corpore.* 2. Cor. 5: 10. *Exspectamus redemptionem corporis.* Rom. 8: 23. Vide 2. Cor. 4: 10, 11. Matth. 10: 28. *Hoc corpus vile debet transformari, & reddi conforme glorioso corpori Christi.* Phil. 3: 21. (3. Nulla est ratio quare aliud haberemus corpus. (4. Non datur corpus excellentius corpore humano, modo à labe peccati repurgatum sit. An aurum, an argentum, an adamas, an aer, an stella est pretiosior? Non puto. (5. Corpora nostra conformia erunt corpori *glorioso* Christi. Phil. 3: 21. Sed Christus post Resurrectionem idem numero retinuit corpus, quod habuit ante mortem, ita & fideles qui sunt ejus membra. (6. Corpora eorum, qui ultimo die vivi deprehendentur, *transformabuntur,* 1. Cor. 15: 51, 52. id est deponent omnes imperfectiones & desideria rerum periturarum, ut in cœlo vivant beate, sine creaturis. Si igitur eorum corpora non abolebuntur, sed tantum statu & conditione mutabuntur, cur non & eorum qui mortui sunt? (7. Nulla daretur *Resurrectio*: nam quod resurget, debet jacuisse in sepulchro. Ergo non est alia substantia.

*Idem corpus numero resurget.*

XIV. Delirant igitur *Sociniani*, *Anabaptistæ*, *Weigeliani* aliique *Origenistæ*, qui corpus *spirituale*, vel ex materia cœlesti, vel ex alia aliqua materia subtili nobis affingunt. Cum (1. *Corpus spirituale* involvat contradictionem. (2. nulla materia, nec cœlestis, nec alia subtilis, aut quæcunque illa sit, corpori humano præferenda sit. Et quamvis I. *corpus spirituale suscitari* dicatur, 1. Cor. 15: 43, 44. id tamen non est ita intelligendum, ac si revera *spiritus* esset. Est enim contradictio in adjecto, si quis dicat *corpus spirituale*, cum nullum corpus possit esse *spirituale*, *corpus* enim excludit *spiritum*, & spiritus corpora: sed *spirituale* dicitur quod *vitam* vivat, suo sensu,

*Corpus non erit spirituale*

*Respondetur ad argumenta.*

*spiritualem;* non enim amplius subjectum erit *esui*, *potui*, *somno*, *generationi*, & ejusmodi rebus aliis, quæ in hac vita in corpore fieri solent. II. Paulus 1. Cor. 15: 50. ubi dicit, *caro & sanguis non hæreditabunt Regnum Dei*, intelligit per *carnem* & *sanguinem*, *peccatum*, *hominem irregenitum*, aut etiam conditionem hujus vitæ, ubi requiruntur *esus*, *potus*, *somnus* & ejusdem actiones aliæ. III. Si *Deus abolevit escam & ventrem.* 1. Cor. 6: 13. intelligendus est usus *escæ* & *ventris*, cum talis usus non futurus sit, qualis est hodie. Quemadmodum & hodie reperiuntur quædem membra in corpore humano, præsertim virorum, veluti *mammæ*, quæ nullum habent usum nisi ad decorandum corpus. IV. *Erimus omnes ἰσάγγελοι.* Luc. 20: 36. Non sequitur tamen *corpora nostra fore spiritualia.* Sed tales erimus ideo quod vitam acturi simus cœlestem & spiritualem, ac si revera *angeli* essemus, magis quam homines. Adeoque Deo fruemur sine rebus terrenis, quemadmodum & ipsi *angeli*, quæ est summa felicitas.

*Corpora erunt gloriosa.*

XV. Ex iis, quæ dicta sunt, patet, *corpora* nostra, ut ut *eadem* resurrectura sint, tamen *gloriosiora* resurgere, quam fuerunt in hac vita: abolebuntur enim omnes imperfectiones & vitia, quæ ei acciderunt propter peccatum. Deinde omne id quod exigit hæc vita ad sui conservationem, & ad propagandum genus humanum. (1. Erimus ἰσάγγελοι. Luc. 20: 36. (2. Christus *reddet vile hoc corpus conforme corpori suo glorioso.* Phil. 3: 21. *Seritur corpus cum corruptione, excitatur cum incorruptione*, &c. 1. Cor. 15: 42, 43, 44.

*Sexus discrimen remanere.*

XVI. *Sexus* tamen *discrimen* remanere, nulla est ratio cur dubitemus. (1. quia eadem ratio ob quam *vir* resurget in hoc corpore eademque carne, illa etiam postulat ut *mulier* resurgat in eodem corpore ac carne. (2. *Sexus* nihil facit ad summam felicitatem, ut homo ea frui possit, non minus in corpore *fœminæ* quam *viri.* (3. Christus est redemptor *fœminarum* æque ac *virorum*, & salus eis promissa est, non minus quam *viris.* Concedimus tamen *sexus usum* non amplius habere locum, inde tamen non sequitur ipsum *sexum* aboleri, quemadmodum & multa membra in corpore humano reperientur, & nunc in hac vita reperiuntur, quæ nullum tamen habent usum, veluti *mammæ* in *viris.*

*Qua statura corpora resurrectura?*

XVII. Credibile est, corpora resurrectura *decenti* & *concinna statura*, qualia solent esse corpora eorum, qui pervenerunt ad perfectam ætatem, forte quale corpus habuit *Adamus* in statu integri-

gritatis. Non sequitur tamen, *infantes* & *nanos* resurgere cum aliis corporibus, quod major requiratur moles ad corpus *viri adulti*, quam ad corpus *infantis* aut *nani*, adeoque alia substantia: idem enim corpus numero manet, sed auctius & perfectius, quemadmodum corpus viri adulti est idem, quod in utero materno formatum est, easdem habet partes eademque membra.

XVIII. At vero *corpora omnia* ejusdem fore *statura* ac *corpus Christi*, non est probabile. Saltem non probatur ex Ephes. 4: 13. cum ibi intelligatur *perfectio spiritualis*, in *mente* magis quam corporalis in *carne*. Omnes tamen homines eandem staturam & habitum corporis habituros, etiam non est credibile. Nam quemadmodum credibile est, in facie remansuras certas lineas, & aliquam dispositionem, per quam alter ab altero discernatur & cognoscatur, ita & probabile est, non remanere eundem statum, eandem structuram molemque corporis in omnibus.

*An ejusdem staturæ cum corpore Chr.*

XIX. *Auctor* Resurrectionis est solus *Deus*. Nam (1. is solus, qui *creat*, potest etiam *recreare*. (2. Resurrectionem negabant *Sadducæi*, quod *ignorarent scripturas & potentiam Dei*. Matth. 22. Ergo qui *potentiam Dei* agnoscunt, de resurrectione non possunt dubitare. *Qui suscitavit Dominum Jesum, nos quoque suscitabit*. 2. Cor. 4: 14. Tamen peculiari modo attribuitur *Christo*. *Ego sum Resurrectio & vita*. Joh. 11: 25. *per Christum omnes vivificantur*. 1. Cor. 15: 22. *Transformabit corpora nostra vilia, & reddet conformia corpori suo glorioso, per omnipotentiam suam, per quam sibi omnia potest subjicere*. Phil. 3: 21. vide Joh. 5: 28. Ineptiunt igitur I. *Judæi* qui *resurrectionem* attribuunt *ossiculo* לוז. II. *Pontificii* qui *comestioni in Cœna*.

*Auctor Resurrectionis Deus.*

*Christus peculiari modo.*

XX. *Locus* & *Tempus* Resurrectionis idem erit ac *extremi judicii*, de quo postea.

XXI. *Unica* tantum erit *Resurrectio*, ultimo scilicet die judicii, quo omnes simul resurgent, quicunque diem obierunt ab Abele, usque ad ultimum istud momentum. Delirant igitur *Judæi*, qui fingunt duplicem Resurrectionem. I. *Particularem* temporibus Messiæ, quo tempore omnes fideles Judæi resurrecturi sint, ut cum ficto suo Messia gloriose in hac vita regnarent. II. *Generalem*, ultimo die, quando omnes resurrecturi sint. Ineptiunt & *Chiliastæ* veteres, statuentes mortuos martyres debere resurgere fideles, ut cum Christo mille annis regnarent, ante resurrectionem ultimam.

*Unica erit Resurrectio ultimo die.*

XXII. Patet igitur impie negari *Resurrectionem* cum à veteribus

*Epicuræi &*

Epi-

*Zaducæi negant Resurrectionem. Respondetur ad argumenta Zaducæorum.*

*Epicuræis*, *Saducæis* aliisque profanis. Act. 17. tum ab hodiernis nonnullis. Nec quidquam valent eorum argutiunculæ. Veluti I. *Corpus in infinitas particulas, & quasi in atonios redigitur, comburitur, abiit in cineres cineresque dispergentur per totam terram. Ex cinere ac particulis corporis nascitur herba, arbor, fructus & id genus alia; herba & fructus comeduntur ab animalibus, eadem ab hominibus, uno verbo, idem corpus ante Resurrectionem in mille transit formas.* Sed quamvis corpus humanum tot mutationibus sit obnoxium, tamen non perit. Et Deus, qui est omnisapiens, non minus quam omnipotens, novit locum omnium particularum, poteстque eas in pristinum statum omnes restituere: ut idem corpus resurgat. II. *Corpus humanum potest devorari, uti aliquando fit à barbaris in India. Si igitur corpus hominis electi devoretur à barbaro, convertetur in substantiam barbari. Ergo in Resurrectione, si barbarus cum eodem corpore resurgat, homo sanctus non habebit corpus. Si vero sanctus corpus suum resumat, barbarus nullo corpore resurgere potest.* Sed hoc argumentum nititur falsa hypothesi. I. quod omnis *cibus* necessario debeat *converti in nostram substantiam*. II. quod id, quod jam in nostram substantiam conversum est, semper debeat *remanere*. Sed utrumque falsum est. Docet sane experientia, quod minima pars cibi nostri *convertatur in substantiam nostram*; deinde quod id, quod jam conversum est, paulo post in vapores abeat succedente alia substantia, per novum alimentum. Igitur Deus, qui est *omnisapiens* & *omnipotens*, facile impedire potest, ne corpus hominis pii à barbaro devoratum convertatur in substantiam barbari, aut, si quid conversum est, ut mox in vapores abeat, succedente alia substantia per novum alimentum. Atque sic *Barbarus* suum habebit corpus, in resurrectione, & homo *sanctus* etiam suum, à corpore barbari distinctum.

*Finis Resurrectionis.*

XXIII. *Finis* Resurrectionis est duplex, secundum duplicem conditionem hominum: *pii* enim resurgent ad vitam æternam; *impii* autem ad mortem & damnationem æternam. Joh. 5. Dan. 12. Et hæc sunt quidem *præmia* & *pœnæ*, quæ piis atque impiis promittuntur verbo Dei. Vide Parte III. Cap. XIV. ubi de *vita & Morte æterna* fusiùs.

## CAPUT XXXV.

### *De Extremo Judicio & Fine sæculorum.*

I. QUamvis ii, qui *in Domino moriuntur, beati* ſint ſtatim poteſt obitum, & *eorum opera eos ſequantur.* Apoc. 14: 13. ut anima piorum dicatur ſtatim tranferri in *ſinum Abrahæ*, impiorum vero in *infernum*, ubi horendis afficitur tormentis. Luc. 16: 24. nihilominus tamen vera prœmia atque pœnæ, in corpore & in anima, diſtribuentur ultimo atque extremo die judicii.

*Vera præmia dabuntur ultimo judicio.*

II. *Epicuræi*, *Saducæi* aliique profani, quemadmodum negant *Reſurrectionem Carnis*, ita & ultimum judicium. 2 Pet. 3: 4. Horum autem ſententia quam ſit falſa; Deumque noviſſimo die exercere judicium in omnes homines, hiſce rationibus probatur. (1. Patet ex ipſa *juſtitia* Dei: juſtum enim eſt ut ſcelera puniantur, & ut virtus coronetur. Cum autem illud non fiat in hac vita, quandoquidem plurimum fit, ut *malis bene*, *bonis* vero *male ſit*, juſtum & æquum eſt, ut fiat in vita futura: quod & Deus ipſe innuit in verbo ſuo. 2 Theſſ. 1: 6. Luc. 16: 23. Eccleſ. 12: 1. (2. Ex ipſa *Conſcientia* hominis. Nemo enim eſt, qui ad ſcelera non horreſcat: qui *horror conſcientiæ* nihil aliud eſt, niſi *tortor* aliquis, qui nomine Dei ſceleratos citat coram judicio ejus ad recipiendam juſtam pœnam ſceleris. Habent enim *gentes legem Dei cordibus inſcriptam, teſtante ipſorum conſcientia, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, vel etiam defendentibus.* Rom. 2: 15. (3. Ex teſtimonio ipſorum Ethnicorum. Videantur eorum vates Poetæ, præſertim Juvenalis Sat: 12. Plutarchus *De Conſol. ad Apol.* & alii, qui judices fingunt ultimo die. *Minoem*, *Radamanthum* & *Æacum*. Ejuſmodi ſexcenta apud auctores Profanos reperiuntur, quamvis veritatem multis nugis fabuliſque conſpurcaverint. (4. Verbum Dei hanc veritatem ubique inculcat. *Decretum eſt omnem hominem ſemel mori, & poſtea judicium.* Hebr. 9: 27. *Statuit diem, quo judicaturus eſt mundum in juſtitia.* Act. 17: 31. Matt. 12: 36. Pſ. 50. Eccleſ. 3. & 12: 1.

*Ultimum judicium probatur.*

III. Judex eſt *ſolus Deus.* Is enim ſolus eſt *Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere.* Jac. 4: 12. Speciali tamen modo judicium attribuitur Chriſto. *Nam Chriſtus ordinatus eſt à Deo, ut eſſet judex viventium & mortuorum.* Act. 10: 42. Vide Act. 17: 31. Joh. 5: 22, 27. 2 Cor. 5. 10. ju-

*Judex eſt ſolus Deus Modo peculiari Chr.*

5: 10. Judicabit autem in natura divina & humana. ( 1. quia judicat tanquam *Rex*; est autem *Rex*, qua Mediator; sed est Mediator, qua *Deus* & *homo*. Ergo qua Deus & homo judicabit. ( 2. Pater *ei dedit potestatem judicium faciendi, qua est Filius hominis.* Joh. 5: 27. ( 3. Conspicietur *veniens ad judicium*, *quemadmodum visus est abiens in cœlum.* Act. 1: 11. Sed in natura *humana* conspicietur, non divina.

*Judicabit propria auctoritate.* IV. Judicabit etiam Christus *propria auctoritate*, tanquam Deus & *supremus judex*, non tantum ut judex à Deo *delegatus*, aut instar *interpretis Dei* Patris, ut impie docent *Sociniani.* Nec obstat locus Joh. 5: 22. *Pater judicium omne dedit filio*: inde enim non sequitur: *Christum sua natura non exercere judicium.* Nam quamvis omnem habeat potestatem sua natura exercendi judicium, tamen Pater ei dedit *œconomice*, secundum *consilium pacis*, inter Patrem & Filium. Ideo Christus statim addit: ut *omnes honorent filium*, *quemadmodum honorant patrem* vers. 23. Eodem sensu intelligendus est versus 30.

*Apparitores.* V. Ut judices suos solent habere *satellites* & *apparitores*, ita & Christi *apparitores* sunt *Angeli.* Matth. 24: 31. & 13: 49. 1 Thess. 4: 16.

*Judicabuntur. I. Angeli.* VI. Illi autem qui judicabuntur sunt I. *Angeli.* 2 Petri 2: 4. Jud. 6. Matt. 25: 41. quoniam tunc *Angeli* recipient ultimam sententiam, omnemque amittent potestatem nocendi piis, ac fallendi homines, uti faciunt in hac vita. Alias *mali angeli* jam judicati sunt, pœnamque semper in sinu secum ferunt. Nam *princeps hujus sæculi jam judicatus est.* 2 Petr. 2: 4. Jud. 16: 11. Judicabuntur etiam II. *homines*, & omnes quidem *vivi* & *mortui.* Act. 19: 42. *opportet nos omnes manifestari coram tribunali Christi ut quilibet recipiat prout fecerit bonum, vel malum.* 2 Cor. 5: 10:

*Causa judicii.* VII. *Causæ* judicii sunt omnia *cogitata*, *verba* & *actiones*, sive *bonæ*, sive *malæ.* 2 Cor. 5: 10. Eccl. 12: 14. *De quolibet verbo homines reddituri sunt rationes in die judicii.* Matth. 12: 36. Exactissimam etiam causæ cognitionem habebit judex. Joh. 2: 25. Heb. 4: 13. Testes erunt ipsæ *conscientiæ* Rom. 2. si ullis testibus opus esset.

*Leges.* VIII. *Leges* secundum quas fiet hoc *judicium* sunt *omnia mandata* & *leges Dei*, sive *moralis*, sive *cærimonialis*, sive *forensis*: cum Deus petat obedientiam ad omnia mandata sua, quæ in S. Scriptura continentur. Ideo *libri* dicuntur *aperti*, & *judicium fieri secundum ea quæ scrip-*

*ſcripta ſunt in libro.* Apoc. 20. 12. In quo loco, quamvis Spiritus Sanctus præcipue agat de *integro caſu Antichriſti*, ac de judicio contra eum excercendo, nihilominus tamen Spiritus S. videtur reſpexiſſe etiam ad *judicium ultimum*, atque inde phraſes iſtas deſumpſiſſe. Judicabit quoque ſecundum *Euangelium.* Rom. 2: 16. ſcilicet prout crediderint, vel non crediderint Euangelio. Marc. 16: 16.

IX. Ut in omni, ita & in hoc judicio pronunciabitur *ſententia*, vel *abſolutionis* erga pios. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum, præparatum vobis a jactis mundi fundamentis.* Matth. 25: 34. Vel *condemnationis* erga impios. *Recedite a me maledicti, & abite in ignem æternum &c.* Verſ. 41. Hæ ſententiæ illico exequutioni mandabuntur: nam *illi abibunt ad pœnas æternas, at vero juſti abibunt ad vitam æternam.* verſ. 46.

*Sententia.*

X. Cum Chriſtus exerciturus ſit judicium in utraque natura, tanquam *Rex*, *Deus* & *homo*, ſequitur eum neceſſario occupare aliquem *locum*, cum natura humana extra locum concipi non poſſit; adeoque in certo aliquo *loco* judicium fieri debeat. Qualis autem *locus* iſte ſit, ignoratur. Non eſt *Vallis Joſaphati.* Joel. 3. ut *Judæi* ac *Pontificii*, ſine cauſa, tradunt. (1. quia ejuſmodi *locus* ignoratur, quis, aut ubi ſit? (2. quia unica *vallis* totum genus humanum continere non poteſt. (3. Nondum probatum eſt Joëlem agere de *ultimo judicio.* (4. quilibet locus, ubi Deus judicia ſua exercet, modo ſpeciali, videtur ſignificari per vallem Joſaphat: cum Deus olim judicium ſuum modo peculiari exercuerit in hoſtes populi ſui, auſpiciis Regis Joſaphati. 2 Chron. 20: 16, 26. (5. Per Joſaphatum intelligi poteſt, ipſe *Deus Judex*, ita dictus יהוה שפט *Deus judicavit.* Ergo *vallis Joſaphati* erit *vallis judicis Dei.*

*Locus judicii incertus.*

*Non eſt vallis Joſaphat.*

XI. Ut nihil de *loco*, ita nec de *die* aut *tempore* quidquam certi adfirmari poteſt. 1. Theſſ. 5: 1. Ut inepti ſint *Judæi*, qui docent finem mundi adeoque judicium extremum exſpectandum eſſe, ſex mille annis à creatione mundi. Inepte alii id exſpectant *anno Platonico*, id eſt 36000 anno poſt mundum conditum. Alii 50000 anno, qui, erit, uti dicunt, annus Jubilæi. Inepte alii aliter determinarunt: omnes enim, quotquot ſunt, qui prædixerunt, id fore ante tempora noſtra, refutavit ſola experientia, quæ & reliquos refutabit ſuo tempore.

*Et tempus incertum.*

XII. Mentio tamen fit in S. Scriptura, de certis quibuſdam rebus, quæ neceſſario præcedere debent ultimum judicium, quamdiu

*Signa præcedentia.*

 diu

diu non præcesserunt, tuto dicere possimus, nondum adesse *tempus judicii*, qualia sunt. I. *Conversio Gentilium.* II. *Conversio Judæorum.* III. *Integer casus* Papæ, sive Antichristi. IV. *Gloriosum Regnum* Jesu Christi, per omnes populos. V. *Pax*, & *tranquillitas* Ecclesiæ, & ab altera parte ruina Ecclesiæ hostium: *quando enim dicent* (hostes Ecclesiæ) *pax & securitas, tunc ipsis imminet repentinum malum.* 1 Thess. 5: 3. 2 Petr. 3: 3, 4. At vero signa in *cœlo*, in *sole*, & in *luna*, male explicantur de *Eclypsibus*, de *Cometis*, & nescio de quibus aliis *prodigiis* in aëre & in astris. Matth. 24. & alibi. Sunt enim intelligenda mystice, per *cœlum* ipsa *Ecclesia*; Per *solem* & *lunam*, Principes, & doctores, sive veri, sive falsi. Per eorum *casum* & *obscurationem*, ruina & ignorantia in rebus fidei; per *splendorem*, eorum gloria & prosperitas. Vide Matth. 24. Apoc. 6: 13, 14. & 9. & 12. & alibi. Ita & *signum filii hominis.* Matth. 24. non significat *Crucis signum*, non enim est aliud quid, quam ipsa *opera Jesu Christi*, præsertim *illustria* ista *opera* ejus veluti *integer casus Antichristi*, & in erigendo glorioso suo Regno mirifica *mutatio.*

*Signa in cœlo, sole & luna quid?*

XIII. Veniet autem Christus supremus Judex, magna cum gloria & majestate. Matth. 24: 30. & stipatus myriadibus Angelorum. Matth. 16: 27. & 25. 2 Thess. 1: 7, 8.

*Finis mundi.*

XIV. Hoc judicio peracto, erit *finis* viventium in hac terra, ipsiusque Ecclesiæ militantis. 1 Cor. 15: 14. *Tradet filius Regnum Patri, & sic erit finis*, id est tradet Regnum Oeconomicum, Ecclesiam suam, ut nulla amplius futura sit Ecclesia militans, nec opus amplius habeat Ecclesia custode & defensore, contra hostes suos, cum plane nullus hostis futurus sit, sed finis adsit omnis luctæ omnisque pugnæ: ut & Christus ipse *in membris suis* subjectus sit Patri. Introducentur itaque fideles illico in gloriam æternam, impii autem conjicientur in pœnam æternam, in corpore & in anima. 2 Cor. 5: 10. Delirant igitur *Judæi*, & *Chiliastæ*, aut quicunque illi sint, qui docent: homines post resurrectionem victuros vitam terrestrem, in hac terra, vel mille annos, vel etiam diutius cum ficto suo Messia. Cum Terra nostra post ultimum judicium reddenda sit plane inhabitabilis. *Igne omnia conflagrabuntur, & elementa æstuantia liquescent.* 2 Petr. 3: 10. quod intelligendum est de hac terra, quam Deus per ignem ita devastabit, ut nec herba, nec arbor, nec bestia, nec homo in ea amplius vivere possit.

*Errant Chiliastæ.*

*Terra igne conflagrabitur.*

*Unde iste ignis?*

XV. Si quis autem interroget, unde tam ingens ignis? is stultam

tam demonstrat curiositatem. Quamvis dici possit: Deum totum nostrum vorticem forte plane perturbaturum, ut ab ipso sole comburatur terra, aut ut ab alio vortice totus hic noster vortex absorbeatur; aut etiam, Deo ita dirigente & permittente, futurum esse, ut hæc ipsa nostra terra, nimis porosa facta, ab ipso igne interno, prout credibile est, eam fuisse primitus stellam igneam, ut & reliquas, sed ignem crusta, quam vocamus terram, fuisse obductum, tunc autem terram, sive crustam, istam dirumpi, ac *dissolvi elementa*, ut loquitur. Petrus 2. Ep. Petr. 3.

*Terra non annihilabitur.*

XVI. *Terram* autem hanc nostram *annihilari*, est ipsa absurditate absurdius: cum tunc necessario *vacuum* esset concipiendum, & nescio quale *spacium imaginarium*, quæ sunt contradictoria, ut suo loco ostendimus. Multo minus dici potest, *totum mundum* universum *in nihilum redigi*. (1. Cum *annihilationis* nullum possimus formare conceptum. (2. Nullam habemus ejus revelationem. (3. Nullum exemplum. (4. *Deus opus manuum suarum*, id est ipsas substantias, *non destruit*. Job 10: 3.

*Non remanebit nihil.*

XVII. Delirant *Sociniani*, cum doceant nihil remanere post ultimum judicium, præter solum *cœlum beatorum*, increatum & æternum Dei ac beatorum palatium ac habitaculum. (1. Cum tale *cœlum* non detur, sed à Deo sit creatum non minus ac reliqua corpora omnia. Neh. 9: 6. (2. Infernus, sive locus damnatorum futurus est verus locus, non minus quam cœlum; Si autem dicatur, *futurum esse Novum cœlum & novam terram*. Es. 65: 17. 2 Pet. 3: 13. Apoc. 21: 1. inde tamen tanta absurditas non sequitur. *Novum* enim *cœlum* & *nova terra* significat ipsam *Ecclesiam* Novi Testamenti, præsertim ultimis temporibus, ante finem mundi, scilicet gloriosum istud Regnum Jesu Christi. Deinde *Novum cœlum & Nova terra* dici posset locus beatorum, ob perfectam sanctitatem & summam gloriam. Tandem si est *Novum cœlum* & *nova terra*, tunc non est *increatum & æternum*.

*Novum cœlum & nova terra quid?*

*Fideles post Resurrectionem indigebunt loco.*

XVIII. Falluntur etiam *Lutherani*, qui sibi persuadent, fideles in fine sæculorum, non amplius indigere loco, aut spacio corporeo. Hoc enim evertit ipsam naturam corporum: nam ubicunque sunt vera corpora, ibi est verum spacium corporeum, cum spatium sit ipsissimum corpus, ut suo loco ostendimus.

*Terra quo modo devastanda?*

XIX. Remanebit igitur mundus creatus, & cœlum & reliqua corpora, nisi quod *terra nostra* aut plane dissolvenda sit, ut quasi dispa-

diſpareat, quemadmodum experientia docuit ſtellas quaſdam diſparuiſſe, & novas alias nonnullas natas eſſe, manente ſemper ſubſtantia corporum, quamvis alia diſpoſitione & ornatu; aut forte ita terra noſtra devaſtabitur *igne*, ut nec homo, nec ullum animal aut planta in ea diutius vivere poſſit. Erit igitur *conſummatio ſæculi* reſpectu *Terræ noſtræ*, non reſpectu totius *univerſi*. Quod enim diximus de *annihilatione terræ*, majori jure dici poterit de *annihilatione totius univerſi*, quis enim unquam concipiet *abolitionem totius mundi*, niſi ſimul ponat *annihilationem corporum ipſorum ſanctorum*, quod tamen cogitatu impium eſſet? Deinde in toto verbo Dei, uti diximus, nuſquam fit mentio de tali *annihilatione*. Ut omnia iſta loca, quæ de *conſummatione* aliqua *mundi* loquuntur, intelligenda ſint tantum de quadam mutatione *ſecundum accidentia*, uti loquuntur, ita ut nulli amplius homines aut animalia vivere, in hac terra, poſſint: cum Deus nullam amplius Eccleſiam habiturus ſit in hac terra, ſed in Cœlo tantum, ubi in æternum cum ſuis regnabit.

XX. Cæterum ſufficiat nobis ſcire, quod à Deo *Patre* ſimus creati, à *Filio* redempti, & à *Spiritu Sancto* regeniti, ut Deum Creatorem, Redemptorem & Sanctificatorem, prout in verbo ſuo ſeſe nobis patefecit, recte cognoſcamus, vera fide amplectemur, ex toto corde, tota anima & ex omnibus viribus amemus ac colamus, ut erga nos ipſos vivamus *ſobrie*, erga proximum *juſte*, erga Deum *pie* atque *ſancte*, æternamque tandem conſequamur gloriam. AMEN.

F I N I S.

# INDEX RERUM.

D.

K.



L.

Non

Præ-

S.

 as

FINIS.

---

# INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

## GENESIS.

6

26

9

5

# INDEX LOCORUM



26

# Errata Typographica.

*Pag.*
2. lin. 1. lege *aggrediamur*.
lin. 4. lege *reperitur*.
5. lin. 32 lege *Act*. 4 : 12.
10. lin. 9. כווה lege כורה.
13. lin. 10. lege *Deut*. 34.
14. lin. 30. lege בית ישראל.
17. lin. 7. lege *data occasione*.
-- lin. 12. lege *reliqua*.
19. lin. 3. lege 2 *Cor*. 10 : 13.
lin. 7. lege ארבעה
lin. 10. lege נביאים.

*Pag.*
23. lin. 17. lege *& servituti*.
21. lin. 12. lege *Sibylinos*.
28. lin. 29. פלצ lege פלג.
31. lin. 7. lege *genioque*.
32. lin. 19. lege 1. *Cor*. 1 : 22, 23, 24.
34. lin. 6. lege *Tropologicus*.
36. lin. 11. lege יקרו *pro* דקרו
68. lin. 33. lege *Principibus*.
40. lin. 21. lege *diffidentiæ*.
42. lin. 10. lege *varios*.
48. lin. 27. lege *sumenda est pars*.

Pag.
48. lin. 32. lege *Patri*.
52. lin. 32. lege *triangulum*.
58. lin. 31. lege *quotannis*.
69. lin. 22. lege *effectum*.
74. lin. 4. lege *operaretur*.
lin. 25. lege *simplicis*.
74. lin. 30. & 31. lege *qua res omnes sive futuras, sive præsentes, sive præteritas intuetur*.
lin. 34. *ordinaire* lege *ordinare*.
87. lin. 27. lege *dilexit*.
88. lin. 31. *declaret*, lege *declarat*.
90. lin. 14. *Psal.* lege *Phil.*
lin. 23. *peccatur*, lege *peccator*.
lin. 27. lege *nec exemplum*.
91. lin. 16. lege *Psal.* 33: 4.
95. lin. 31. *quidquid* lege *quid*.
97. lin. 27. lege *Non. Marcel.*
101. lin. 1. *ne sic* lege *nec ita*.
114. lin. 32. *Deus.* lege *Deum*.
116. lin. 17. lege 1. *Tim.* 6: 16.
119. lin. penult. lege *purissimus*.
131. lin. 34. *quo* lege *quod*.
132. lin. 10. lege *Genes.* 18. & 19.
135. lin. 2. lege *Numer.* 21: 6, 7.
136. lin. 32. dele 1: 2, 3.
lin. ultima. lege גבור
137. lin. 17. lege *congregati*.
138. lin. 11. lege *sustinere*.
139. lin. 36. lege *Dan.* 9: 17.
142. lin. 3. lege *cultu*.
lin. 6. lege *venient*.
lin. 22. lege *Act.* 5: 3, 4.
lin. 23. lege & 6: 19.
143. lin. 10. lege *Job.* 26: 13.
148. lin. 27. *dare.* lege *dari*.
149. lin. 19. lege *Rom.* 8: 28, 29.
150. lin. 36. lege *nostris Ephes.* 2.
154. lin. 17. *quidem.* lege *quidam*.
155. lin. 25. lege *prædestinationis*.
157. lin. 29. *capere.* lege *capite*.
161. lin. 29. lege *contra ejus voluntatem*.
171. lin. ult. lege *homini*.
174. lin. 9. lege 22, 23.
175. lin. 12. *alias.* lege *alas*.
176. lin. 21. lege גבריאל *Dan.* 8: 16.
lin. 22. dele &.
179. lin. 27. *habemus.* lege *habent*.
186. lin. 22. lege *Psal.* 848: 2.
191. lin. 16. *statum* lege *flatum*.
193. lin. 3. lege *quibus fit motus*.
198. lin. 4. lege *quamvis Deus*.
199. lin. 4. *que.* lege *qui*.
200. lin. 29. lege *indicaturum*.
208. lin. 20. lege נפש
212. lin. 13. *alium.* lege *talem*.
216. lin. 23. *Spiritum.* lege *Spirituum*.
227. lin. 29. pro 38. lege 3: 8.
231. lin. 32. lege *corporis in animam*.
235. lin. 22. lege *opus manuum*.
236. lin. 12. lege *instituit*.
lin. 34. lege *distinctam*.
238. lin. 11. אתה lege את
lin. 12. dele באלמו
243. lin. 17. lege *sufficit ut*.
244. lin. penult. lege *dicitur istis verbis*.
246. lin. 33. lege *extraordinarie*.
247. lin. 13. lege *Levit.* 19: 2.
248. lin. 35. *aliquid.* lege *aliquod*.
249. lin. 9. lege [illegible].
250. lin. 24. *jugebant* lege *jungebant*.
251. lin. 5. lege 20: 16.
lin. 17. lege *Gal.* 3: 15.
lin. 34. lege *Deut.* 9: 15.
252. lin. 11. *nunc.* lege *tunc*.
255. lin. 14. *qua.* lege *quia*.
256. lin. 32. lege [illegible].
257. lin. 18. *Apostolos.* lege *Apostolus*.
lin. 28. *dato.* lege *data*.
261. lin. 33. lege *pœnam comminatur Deus*.
lin. 36. *Mal.* lege *Math*.
270. lin. 25. lege *vetuit*.
271. lin. 12. lege *reatus culpæ*.
lin. 29. lege *ipsa Eva*.
273. lin. 27. lege נעורים.
287. lin. 15. lege *Matth.* 26: 28.
285. lin. 14. lege *electorum*.
lin. 23. *intra.* lege *infra*.
286. lin. 22. lege *Sancta Sanctorum*.
287. lin. 3. bis *ergo.* lege *erga*.
289. lin. 2. *actum.* lege *pactum*.
lin. 27. lege [illegible].
293. lin. 16. lege *Deut.* 27: 26.

Pag.
298. lin. penult. *nulla.* lege *ulla.*
301. lin. 11. lege *Rom.* 5 : 1, 10.
312. lin. 18. lege *Habac.* 2 : 4.
319. lin. 22. lege *peccatorem.*
321. lin. 1. lege *obtinemus.*
324. lin. 1. lege πλοῦτος.
lin. 7. lege *purificans.*
327. lin. 29. lege *Rom.* 1 : 4.
333. lin. 16. *quæ.* lege *que.*
343. lin. 11. lege *Apocal.* 19 : 10.
344. lin. 18. lege 1. *Teß.* 5 : 17.
346. lin. 3. lege *Deut.* 6 : 10.
347. lin. 9. lege *Hebr.* 12 : 26, 27.
lin. 14. lege 1. *Tim.* 3 : 15.
348. lin. 31 & 32. lege *Prov.* 30.
349. lin. 34. *intentio.* lege *sententia.*
350. lin. 27. *anima.* lege *animi.*
lin. 36. lege *Rom.* 9 : 19.
351. lin. 19. lege *Nehem.* 8 : 6.
Post lineam 27. ante 28. pone *LOCUS XIII.*
360. lin. 31. lege *Math.* 25 : 46.
363. lin. 22. lege *Euangelicum.*
364. lin. 1. lege *Israelitis.*
365. lin. 36. dele semel *ad.*
372. lin. 31. lege *libertatem.*
374. lin. penult. lege ἵνα μή.
375. lin. 30. lege *arbitrium.*
384. lin. 12. *Christum.* lege *Christus.*
385. lin. 33. lege *sufficientem.*
388. lin. 22. lege *Rom.* 5 : 9, 10.
392. lin. 3. *Deum.* lege *Deus.*
lin. 20. lege *salutaris.*
394. lin. ult. lege *ex infidelitate.*
400. lin. 25. lege *Diabolus.*
402. lin. 24. lege *Rom.* 9 : 6, 7, 8.
404. lin. 16. lege *Rom.* 10 : 9.
407. lin. 22. lege *Levit.* 33.
410. lin. 19. lege *Num.* 13 : 34.
lin. 23. lege *Johan.* 1 : 12.
lin. 36. *Patres.* lege *Patris.*
413. lin. 28. *ab.* lege *ubi.*
415. lin. 26. lege *docet.*
428. lin. 25. lege *obligant.*
431. lin. 27. *nullum.* lege *nullam.*
431. lin. 8. *argumento.* lege *argumentatio.*

Pag.
446. lin. 16. lege *hebdomadis.*
451. lin. 30. lege *humana.*
454. lin. 18. *vincta.* lege *vindicta.*
455. lin. 1. lege *desperatione.*
lin. 31. lege *Job.* 31 : 9, 10.
467. lin. 25. lege *Dan.* 8 : 19.
472. lin. 17. pro 3. lege 7 : 10.
477. lin. 20. *comitatem* lege *bonitatem.*
lin. 25. lege *Hebr* 7 : 19.
479. lin. 31. lege *celeriter.*
484. lin. 32. *lege* pone *legi.*
492. lin. 7. lege *comburebantur.*
496. lin. 32. dele *fecit.*
498. lin. ult. lege *Antiocho.*
506. lin. 26. *auten* lege *autem.*
508. lin. 26. *omnes.* lege *omnes gentes.*
512. lin. 25. *morte.* lege *morti.*
lin. 27. lege *potestates.*
524. lin. 10. lege *subsistat.*
530. lin. 23. lege *Mediatorem.*
538. lin. 1. lege *te, o Deus! Deus tuus.*
eodem lin. lege Χριστός.
548. lin. 10. lege *corpus.*
552. lin. 13. lege *perfectæ justitiæ.*
554. lin. 23. lege 1. *Sam.* 6 : 19.
556. lin. 8. lege παραπτωμάτων.
557. lin. 33. *comperit.* lege *competit.*
561. lin. penult. *nostra.* lege *nostram.*
563. lin. 33. lege ἐπλείωσεν.
570. lin. 27. lege *Ephes.* 1 : 12.
571. lin. 27. *Duumque* lege *Deumque.*
576. lin. 1. lege. *Rom.* 5 : 13.
578. lin. 9. *constante.* lege *stante.*
590. lin. 35. lege *refutasse.*
594. lin. 19. lege *Rom.* 10 : 17.
lin. 24. lege *versetur.*
595. lin. 35. *tantum.* lege *tantam.*
601. lin. 12. lege *institutum.*
lin. 14. *que.* lege *quæ.*
lin. ult. lege *circumcisus.*
604. lin. 25. *Hac.* lege *Hoc.*
612. lin. 1. lege 1. *Cor.* 11 : 24.
614. lin. 24. *El.* lege *Et.*
615. lin. 8. lege *instituta.*
625. lin. 18. *invisibilis.* lege *visibilis.*
641. lin. 16. lege *excercebant.*

| Pag. | | Pag. | |
|---|---|---|---|
| 643. lin. 20. *spectus.* lege *spectes.* | | 672. lin. 6. *gloria* lege *gloriæ.* | |
| 656. lin. 22. lege *evertendas.* | | 674. lin. 27. *sic.* lege *si.* | |
| 664. lin. 4. *past.* lege *post.* | | 690. lin. 23. lege *traditiones.* | |
| 670. lin. 16. *cirtis.* lege *certis.* | | 712. lin. 3. *atonios.* lege *atomos.* | |

FINIS.

*Leviora H. Lector ipse corriget.*